This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

2941 e 19

Digitized by Google

Digitized by Google

17

Digitized by Google

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

Digitized by Google

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
A. F. DIDOT, imprimeur de l'Institut, rue Jacob, n° 24.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-lib. rue de Richelieu, n° 47 *bis*.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
Jul. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.
LECOINTE, quai des Augustins, n° 49.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

CUM

DEPERDITORUM FRAGMENTIS

IN QUATUOR PARTES DIVISA

ITEM

INDICES QUINQUE

NOVI ET ABSOLUTISSIMI

Digitized by Google

EXCUDEBAT A. FIRMINUS DIDOT,
GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

PARS TERTIA

SIVE

OPERA PHILOSOPHICA

AD OPTIMOS CODICES

ET EDITIONEM J. VICT. LECLERC

RECENSITA

CUM SELECTIS VETERUM AC RECENTIORUM NOTIS

CURANTE ET EMENDANTE

M. N. BOUILLET

IN CAROLI MAGNI COLLEGIO PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

VOLUMEN QUARTUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

PORSEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXXI

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVI EDITORIS PRÆMONITIO.

VALDE miror doctissimum Creuzerum, quum tres Ciceronis libros de Natura Deorum ederet, tantaque adnotationum copia exornaret, ne verbo quidem attigisse quemdam quartum librum, qui Ciceronis sub nomine editus, non parum viros literatos commovit. Primum typis mandatus est anno 1811 Bononiæ, et iterum Oxonii anno 1813, sub hoc titulo: «M. T. Ciceronis de Natura Deorum liber quartus; e pervetusto codice MS membranaceo nunc primum edidit P. Seraphinus, ord. fr. min.» Hic P. Seraphinus, quem credunt Frid. Bucholzum, præfatus est quædam non parum inepta et latinitatis minime Ciceronianæ. De pervetusto suo codice narrat fabulas non valde verisimiles; novimus ista, dè repertis pervetustis codicibus, commenta. Sed magni fuisset momenti, quod P. Seraphinus omisit, argumentum diluere, quod necessario oritur ex loco lib. I de Divin. ubi Cicero fratrem inducit declarantem, inutile esse tribus libris de Nat. Deor. alium librum adjicere, quoniam Balbus in secundo libro religionem satis bene tuitus est. Hoc, ut aiebam, omisit P. Seraphinus, vel potius, qui sub ejus titulo latet, auctor. Is non aliud habuit ante oculos, quam catholicam fidem in ridiculum vertere. Postquam enim quædam fatus est de suo codice, ita pergit: «Intercurrunt quidem, quod me ab edendo poterat retinere, in hoc scripto quædam erronea, sed quæ condonanda sunt ethnico, quamquam essent anathematizanda, si dicta essent ab homine Christiano. Verum ideo librum alias utilem

Digitized by Google

non edere nolui, neque displicentia omittere, aut corrigere et purgare, quia non didici, quomodo homo gentilis castrandus est, quoniam non sum Jesuita. Plurima vero sana insunt in hoc libello, et utilia, et antiquitatem fidei catholicæ demonstrantia, etc.»

Fingit editor noster fallacius, quamquam non Jesuita, Ciceronem, postquam Velleium, Balbum, Cottamque disputantes audiit, et ipsum disputare. Ait veram religionem ab omnibus philosophiæ sectis adulteratam fuisse; a religione philosophiam secernendam esse; priorem niti omnium populorum fide, de dei exsistentia; fides quæ, quum sit universa, dicitur καθολική. Admittit deinde cærimonias quasdam, ut aiunt cultum exteriorem, sed sine pompa, et qui oculos non perstringat; revelationem scriptam; sacerdotes, Concilia, summum religionis præsidem, romanum pontificem, quem Romuli successorem appellat, erroris expertem; salva tamen unicuique sacros codices interpretandi libertate. Interdum Tullius locos adhibet e Petronio, Horatio, quos, antequam scripserint, legisse supponitur. Passim invenies glossemata, barbarismos; videlicet *rigorose*, cap. 62; versus quorum numerus falsa syllabæ quantitate turbatur, cap. 31; magnam copiam verborum quæ nec temporibus Ciceronis, nec solitæ ejus elegantiæ congruunt: «exsistentia», cap. 2; «religiositas, vel dispositio animorum ad religionem», cap. 3; «rationabilitas», cap. 5; «imaginatio», cap. 8; «essentialis», cap. 12. Uno verbo, si, ut editor Britannicus ait, auctor lectori fucum facere in animo habuit, per *litterary forgery* minime in consilio profecit: mentiri si voluit, non potuit.

Digitized by Google

FRIDERICI CREUZERI
PRÆFATIO.

Horum Ciceronis librorum quæ præstantia sit argumentique gravitas, constat inter omnes: eruditi norunt, quænam eorumdem hodieque sit textus conditio. Ac pæne dixerim, hujus integritati illam ipsam et gravitatem et præstantiam offecisse. Etenim hæ virtutes in causa videntur fuisse, cur hi libri inde a primis post Chr. natum sæculis ad medium usque ævum extremum legerentur a literarum studiosis et in scholis tractarentur. Unde factum est, ut iidem nimium quantum descripti etiam ab indoctis, et per manus traditi sæculorum labentium sordes et ipsi paullatim contraherent, præcipue græcæ linguæ scientia per Europæ plurimas terras obscurata. Cui malo a renatis literis mature occurrere studuerunt eruditi. Nemo tamen felicius Joanne illo Davisio; qui idem diligentius, quam antehac factum, græcos fontes latinosque reclusit. Neque tamen ille, nec magis J. A. Ernestus pro eo ac fieri debebat atque ipsi volebant, textui consulere poterant.

Quod ipsum quum intellexissem, idem in his libris mihi faciundum putavi, quod in aliis nuper utilissime ac doctissime fecit Gœrenzius: ut uberiora, quam adhuc suppeterent, emendandi textus subsidia colligerem. Ac quum Davisiana exempla vidissem rarescere in his terris, cœpi etiam cogitare de repetenda universa annotationis silva, quam Davisii editio extrema habet; itemque de augenda notatione locorum ex utriusque linguæ scriptoribus excerptorum, qui quidem ad interpretationem facere viderentur.

Itaque duplex natum consilium mihi, alterum emendationis: interpretationis alterum. In utroque tamen continendum me duxi, et quasi cohibendum. Namque in hoc

Digitized by Google

officio interpretationis omnium maxime brevitati studui, ut insigniora dumtaxat attingerem, et in laudandis locis scriptorum similibus ut plurimum acquiescerem. Quæ in hac parte ad uberiorem graviorum locorum explicationem desiderari videbuntur : ea, uti res tulerit, deinceps, fortasse per Meletematum meorum opportunitatem, explere conficereque annitar. Nemo enim me magis sentire potest, permulta nostris annotationibus addi posse, quæ illustrando horum librorum argumento vel maxime inserviant.

Alterum officium criticæ et ipsum nunc quidem circumscribendum duxi. Videlicet non tam illud agendum mihi est visum, ut novam quæ dicitur textus recensionem præstarem, quam ut materiam suppeditarem, unde aliquando nova recensio excudi posset. Et quoniam, in tam contaminato textu, nulla umquam recensio omnibus viris doctis usquequaque probabitur, hoc nunc quum maxime specto, ut uberrimo, quoad ejus fieri possit, apparatu unum in volumen colligendo, viris eruditis perpetuo copiam faciam eligendi.

Longum est hujusmodi consilii exponere causas, neque in has proœmii angustias cadere videtur. Hoc unum deprecor viros eruditos, ut hanc orationem ne in eam partem accipiant, quasi nihil tribuendum censeam vel criticæ, etiam conjectariæ, vel recensioni textuum. Conjectandi pericula necessaria judico; et nimium fortassis sum ipse periclitatus in hoc genere per hos etiam libros Ciceronianos. In recensendo autem novæque editioni præparando textu Plotinianorum librorum nunc ipsum elaboro.

Nimirum nec vacat, eamdem operam nunc quidem impertire Tullio, nec fortasse consultum videatur. Hoc quo pertineat, intelligetur, ubi de novissimis horum librorum editionibus monuero. Videlicet, ut alios taceam, qui post Ernestum hoc opus aggressi sunt, doctissimi duumviri Heindorfius et Schützius nuper se ad emendandos de Natura Deorum libros dedere. In Schützio viro clarissimo quænam

Digitized by Google

sagacitas insit quamque certa sermonis latini scientia, non est quod ego multis verbis notum faciam. Norunt enim, qui quidem paullo eruditiores sint, ad unum omnes. Quantum vero hæ virtutes Ciceroni profuerint, ipse lectionum index commonstrabit, quas e Schützíana editione enotatas infra exhibuimus.

De Heindorfio τῷ μακαρίτῃ præstet fortassis silere, ut in re exulcerata ac recens etiam in invidiam adducta. Verum quum neutrarum sim partium, et in omnibus rebus præponderare debeat veritas, dicam quod sentio. Quantum ego ei viro tribuam, nosse oportet eos, qui vel mea qualiacumque scripta legerint, vel meis lectionibus interfuerint. Utrobique enim ipsius nomen frequentare soleo, et gratus profiteri, utilem exstitisse operam ipsius Platoni in dialogis haud paucis.

Neque in Tullio, infitias iverim, eumdem multa acute vidisse, haud pauca item feliciter emendasse, et accurate multa de utriusque sermonis legibus præcepisse. Verum eumdem et video et præ me fero in Cicerone sæpiuscule novatorem exstitisse, ubi minime debebat; nimium porro tribuisse binis codicibus suis, et præsertim Glogaviensi; parum attendisse breviloquentiam; quæ tamen in Tullianis disputationibus iis regnare soleat, ubi inter se colloquuntur homines elegantes et urbani. Est enim urbanitatis quasi quædam filia brevíloquentia, progenita ex erudito sensu humanitatis; quo ducti nobiscum alios, qui quidem liberaliter instituti sint, juxta sapere judicamus; hactenus, ut quod tantummodo adumbratum sit in diverbio a nobis, et nutu quasi magis quam verbo significatum, ii nihilo secius continuo percipiant intelligantque. Contra nimiam perspicuitatem, constat, officere urbanitati, et putidam judicari. Unde consequens est, caute usurpandos esse codices, ut ita dicam, textum *dilatantes*. Natum enim hoc genus lectionis est ex periphrasi, sive circumlocutione, quam frequentare coguntur, qui in ludis pueros, vel certe nondum satis subacti ingenii discipulos erudiunt.

Digitized by Google

Neque igitur ullum codicum genus deosculabimur, nedum istud, quod scholarum umbratilem operam, quamquam ut plurimum haud ineptam, refert. Sed quantum et Glogaviensi codici et ut quisque e nostris simillimus ejus est (sunt autem aliquot persimiles) tribuendum censuerimus, monstrabit nostra adnotatio. Hoc additum volumus, mirificos rumores ex illo codice Glogaviæ reperto percrebuisse per Germaniam, quos nunc malumus silentio prætermittere. Calidiora enim refugimus consilia quum aliis in partibus doctrinarum, tum vero maxime in critica, quæ ut a judicando nomen habet, ita prudente judicio maxime continetur. Quocirca pervelim, Schützium, qui diuturno usu Ciceronis perpolitum sensum Tullianæ latinitatis habet (quo eum non æquare videtur Heindorfius), plus tribuisse suo ipsum et usui et sensui, quam auctoritati lectionum Heindorfianarum, neque novitatis specie interdum allectari se inducique esse passum.

Quæ quum ita sint, ne eidem nos scopulo impingeremus, consultum duximus, pedem referre ad eum locum, ubi J. A. Ernestus Tullianum textum constituit: qui vir, vere Ciceronianus, qua hodieque auctoritate polleat, nemo nescit, itemque quam late per cultioris Europæ partes ejus editiones etiamnum celebrentur. In eo igitur loco consistendum videbatur nobis, neque altius contendendum. Quos lectionum collegimus fructus, ii interea maturescant. Quibus non deerunt, qui recte utantur. Et proxime faciet Gœrenzius vir doctus, quem, qua pollet Tulliana doctrina, certo scimus nec ipsum favere calidioribus consiliis. Nobis sufficiat expedita præstitisse quum emendationis tum explicationis uberiora aliquanto, quam adhuc suppetebant, præsidia.

De consilio nostro satis dictum videtur. Nunc de copiis dicendum est. Quarum et numerum et naturam explicabit index, huic præfationi subjectus. Itaque h. l. nihil magnopere restat, quam uti grates persolvam viris doctis mihique

Digitized by Google

amicis, qui me in hac paranda editione certatim adjuverunt. Quorum officia quo insigniora exstiterunt in me : hoc magis ego hac et loci et temporis excusatione utar, ut simpliciter tantum et paucis describam. Neque enim eorum animo operosa affectataque gratiarum actio placeat.

Ac primum Savignyus, vir celeberrimus, iter Parisinum, quod literarum causa instituerat, non sibi soli prodesse voluit, verum etiam amicis. Quocirca et ipse ejus voluntati acceptum refero quidquid Parisini apparatus ad hos libros a nobis adhibitum est. Wyttenbachius item, vir in literis primarius, non codicum modo Leidensium mihi ultro copiam fecit, verum etiam, licet oculis suis officere sensisset id negotium, scholas super hoc libro suas mea causa ipse perlustravit correxitque. Quo singulari in me studio factum est, ut earumdem Excerptis hanc meam editionem augere et exornare possem. Porro Gœrenzius V. Cl. posteaquam consilii mei rationes cognovisset, licet et ipse in Ciceronianæ philosophiæ monumentis illustrandis desudaret, tamen sponte mihi copiarum suarum, his libris inservientium, maximam partem ita permisit, ut aliorum librorum Tullianorum excerpta mutuo a me acciperet. Denique Moserus meus, qui probe me exerceri vidisset quum jusso muneris negotio, tum aliis etiam lucubrationibus, hac quoque in causa voluntatem in me suam, tot aliis rebus dudum perspectam, comprobavit, quum rogante me laboris maximam partem in se reciperet, et libenter devoraret tædium tot apographa excerptaque digerendi redigendique, atque judicandi. Qua in re qua ille vel dexteritate vel eruditione versatus sit, non meum est dicere, et optime æstimabunt judices eruditi : qua fide autem, qua industria ac modestia, nemo me magis intelligere potest, ut qui universas illas schedas etiamnum in manibus habeam. Quod vero idem librariorum etiam quisquilias in notatione critica congestas exhiberet, hoc me jubente factum est, quoniam probe intellexeram, in istiusmodi textu hoc faciundum esse dili-

Digitized by Google

genti editori, ut ne sordes quidem refugeret. Ac quam vim ea res habeat, mecum spero intelligent eruditiores omnes, qui, ut hoc utar, vel libri secundi tria capita 25-27, vel libri tertii quinque, inde a cap. 16 usque ad capitis 23 extrema lectitare in nostra editione velint. Verumtamen ipsi videmus, inde natum illud esse, ut subjecta textui annotatio mirum quantum intumesceret et horreret obelorum aliarumque notarum criticarum senticetis. Quo magis gaudemus, posse lectorem distentum defatigatumque insuavi tractatione nostra, in scholarum Wyttenbachianarum et beata ubertate et amœnitate tandem aliquando acquiescere.

Neque vero in præfationis exitu tacendum est Schæferi V. Cl. beneficium, qui cura sua, qua nulla eruditior cogitari potest, plagulis de prelo corrigendis præesse voluerit. Hahnii vero viri honestissimi liberalitas hoc quoque in libro potest spectari. Nihil enim prætermisit, quominus quum chartarum nitore, tum typorum elegantia munditieque lectorum oculis consuleretur.

Scrib. Heidelbergæ prid. kalend. april. MDCCCVII.

Digitized by Google

INDEX

APPARATUS CRITICI.

Cod. A. Leidensis primus, membranaceus, literis Longobardicis scriptus, qui fuit olim Nicolai Heinsii. Vide Catal. Bibl. Lugd. Bat. p. 330, n. 118. Egregius hic liber est, locis haud paucis solus medicinam afferens, in plurimis cum optimis libris consentiens, sæpe virorum doctorum conjecturas firmans.

Cod. B. Leidensis alter, membranaceus. Ex bibliotheca Is. Vossii, n. 86.

Cod. C. Leidensis tertius, membranaceus. Ex bibl. Is. Vossii, n. 84. [Procurante D. Wyttenbachio V. Cel. contulit hos tres codd. Leidæ G. H. Moser].

Cod. D. Parisiensis primus; Biblioth. Reg. n. 4588, n. 1, membranaceus, sæculi XIII; incipit a lib. I, c. 7, a verbis *nihil scire didicistis.*

Cod. E. Parisiensis secundus, n. 2, 6339, membran. forma maxima, sæculi XIV. Sæpe cum cod. Heindorfii Glog. conspirat.

Cod. Fa. Parisiensis tertius, n. 6283, membran. forma max. sæculi XIV. Sæpissime hic codex easdem, quas codex Glogaviensis, lectiones exhibet; neque vero tam sæpe additis voculis Ciceronis sermonem pleniorem facere studuit librarius, quam is qui Glogaviensem exaravit. [Parisinorum librorum collatio debetur Savignyi Viri Cel. munificentiæ. Contulerunt Jacob. Grimm. V. Cl. Bibliothecæ Hassiacæ Casellanæ Præfectus et Frid. Tiedemann V. Cl. Med. D. et in Acad. Heidelb. Prof. P. O. Quinque codicum Parisinorum, quos literis Fb. Fc. Fd. Fe. et Ff. notavimus, specimina idem Vir Cel. misit, complectentia collationem capitis primi libri secundi. Primo horum (Fb.) adscriptum est:

Digitized by Google

exaratus esse videtur hic liber MS sæculo XIV, satisque accurate et diligenter conscriptus. Nihil deest. Numerus additur 6340. Secundus, cujus specimen exhibemus (Fc.), adscriptum habet numerum 6334, additumque : sæc. XIV, multaque cura ac diligentia scriptus. Tertius (Fd.) videtur esse sæculi XIV, fortasse XV; adscriptum habet numerum 6375. Quartus (Fe.) n. 7698, est sæculi XIV. Quintus (Ff.) num. 2243, MS *de la Vallière*, sæc. XV vel XVI, perpulchre exaratus, charact. rom. mendis abundat.]

Cod. G. Olim Uffenbachianus, deinde Hartmanni, Viri Cl. cujus munificentia transiit ad Creuzerum. Egregius est hic liber et elegantissime conscriptus, sæculo, ut videtur, XIV, membranaceus, forma quarta. Plures ille locos solus integros exhibet, sæpissime cum optimis conspirat libris, firmandis virorum doctorum suspicionibus sæpenumero utiliter inservit. Continentur in eodem volumine etiam 1° Ciceronis de Legibus libri tres; 2° de Divinatione libri II; 3° de Fato liber; 4° ej. de Mundo liber; 5° Somnium Scipionis; 6° Fragmentum Academicorum. Cf. Biblioth. Uffenbach. Msptæ Pars quarta. Halæ Hermund. 1720, fol. p. 222. [Collationem instituit Creuzerus.]

Cod. H. Cod. Landeshut. Bavar. procurante Astio, V. Cl. professore Landesh. De hoc cod. vid. Astii *Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst*, anni III, pag. 89, sqq.

Cod. I. Norimbergensis prior, et

Cod. K. Norimb. alter. Ille omnes tres libros continet, hic nonnisi fragmenta, sed haud pauca, unde apparet maximus cum cod. G. consensus, quamquam literarum ductus prodant scriptorem minus peritum et accuratum. [Procuravit horum librorum collationem Jungius Vir Rev. Theologiæ Doctor Sacrorumque Curator primarius, munifice concedentibus Norimbergensis civitatis Senatoribus. Cum editis contulit Carol. Frider. Rinck Badensis.]

Cod. La. Ottobonianus A. vel Vaticanus, n. 1944, membranaceus; cujus collationem ipse instituit F. Theoph.

Digitized by Google

Welker, Vir Cl. literarum Professor nunc Gottingensis, quum Romæ versaretur. Codex hic, si quis alius, Glogaviensis codicis lectiones quam plurimas exhibet, et ex eodem fere, quo ille, fonte promanasse videtur. Inspexit idem Vir Cl. alios quoque codd. Romanos, minoris illos quidem momenti, sed in locis impeditioribus copiam, unde seligant interpretes, commode augentes. Ubicumque ex iis aliquid enotatum est, insignivimus illud literis Lb. (qui liber elegantissime conscriptus, typis descripto libro simillimus, quamquam ab homine imperitissimo exaratus est; omittuntur enim quavis fere pagina verba singula, vel plura, periodi etiam integræ, quæ omnia a seriore manu adscripta sunt. Membranaceus est, n. 1414, forma maxima. Continentur in eodem codice etiam libri de Legg. Acadd. Topic. Somn. Scip. et de Divinat.) Lc. (n. 1242, chartaceus, cujus ad calcem scriptum est : liber tertius explicit fœliciter ano dmi MCCCCLXI). Ld. (n. 1372, chartaceus, in quo continentur item libri de Divinatione. Minutulis literis est conscriptus et scatet scripturæ compendiis), et Le. (n. 1622, membranac. cui similiter adjunguntur de Divin. libri. Ad calcem singulorum librorum adscriptum est : explicit feliciter... deo gratias. Omnium Ottobonianorum hic videtur antiquissimus, quamquam neque hic, neque reliqui judice Marinio sæculo XV priores sint censendi).

Cod. M. Monacensis, procurante Fr. Jakobsio, Viro Cel. nunc Bibliothecario Gothano. Insignis est hic codex omissione multorum verborum singulorum; magna autem videtur fuisse librarii imperitia et simplicitas, qua ipsa tamen factum est, ut nonnulla vulnera latitantia detegeret, et ipsis erroribus medicinæ inveniendæ ansam præberet. De hoc cod. vid. Wirthius in Actis Philoll. Monac. II, 2, qui nonnullos ex eo locos tentavit, ejusque lectiones aliquot recipi voluit.

Cod. N. Erlangensis, bonæ notæ liber, et

Cod. O. Gudianus secundus, qui sæpissime, præsertim

Digitized by Google

in verbis transponendis, cum Rēdingeriano conspirat, sunt ex apparatu Gœrenzii Viri Cl. uti quæ notata sunt literis

Oxf. e. o. u. et ψ. quæ sunt excerpta codicum ad editionem Oxoniensem adhibitorum. Ex his maxime a vulgato textu differt Oxf. e. partim stupore, partim, ut videtur, petulantia librarii, vocabulis Ciceronis συνώνυμα sexcentis locis substituentis. Quamquam in his etiam insint, quæ nos advertere possint. Omittit pariter ut cod. M. vocabula plurima, neque vero eadem, quæ ille.

Ed. Th. Est editio a Jacobo Thannero (Lipsiæ) 1520 curata, cui titulus est: « Tres Ciceronis de Natura Deorum libri elegantissimi, qui ante inscitia catagraphorum depravati, jam severiori ad unguem lima expoliti a plusculis mendis vindicati in lucem prodeunt ». Plures egregias hæc editio lectiones exhibet, quamquam operarum errores haud pauci insint. Hujus quoque editionis excerpta sunt ex apparatu Gœrenziano. Denique Moserus excerpsit lectiones

Ed. Bas. Comparuit hæc editio splendida quatuor voluminibus formæ maximæ Basileæ apud Herwagium 1534, cujus præstantiam agnovit ipse Ernestus in Præfatione ad Ciceronis opera (Præff. et Nott. Ed. min. p. 19), monetque, multas eam exhibere lectiones optimas et vulgatis præferendas, multas etiam, quas plerique editores primum a Victorio introductas crediderint. Usum esse editorem libris MSS apparet ex præfatione, unde hæc enotare libuit: « Linguæ latinæ principem, toties infeliciter emissum, novis nunc velut induviis adornatum magnificaque dote auctum restituimus. Quot nos lacunas explevimus, quot menda expunximus! Certe ii, qui cum iis exemplaribus, quæ antea sunt edita, hanc editionem contulerint, eam nobis laudem tribuent, numquam, post typographiæ inventum, emendatiorem castigatioremve hunc auctorem prodiisse. Neque enim tantum recentes gallicas ac germanicas editiones consuluimus, sed antiquissimis exemplaribus, Romanis, Florentinis, Venetis usi sumus, *plerisque etiam manu scriptis* et

Digitized by Google

ex superiore sæculo ad nos transmissis, etc. » Quæ non vana esse promissa, ex notis nostris lectores intelligent. Ernestus eam editionem in adornanda sua non videtur ad manum habuisse, neque ea usi sunt, qui post illum virum his libris operam navarunt.

EXPLICATIO NOTARUM.

Dav. adscripsimus notis Davisii,

Cr. Creuzeri,

Mr. Moseri,

Walk. Walkeri, cujus adnotata et emendationes suis locis inseruimus.

Digitized by Google

EX

ERNESTI PRÆFATIONE

AD

LIBROS CICERONIS PHILOSOPHOS.

Scriptorum quidem exempla bibliothecæ variæ, Gothana, Guelferbytana, Curiensis, excerpta autem e talibus exemplis amici plures suppeditavere, editorum autem exempla antiquiora, tum pariter bibliothecæ publicæ, tum nostra, quam a multis annis Ciceronianorum librorum exemplis instruere studuimus : in quibus sunt, quæ a superioribus eorum editoribus, vel omnino non, vel non satis diligenter consulta reperimus. Libros hos primi uno volumine edidere Sweinhemius et Panartius, omissis tamen de Officiis libris, quos post a. 1479 ab iis editos habemus, et Tusculanis Quæstionibus, quæ a. 1471 ex eorum officina prodiere, ante ab Ulrico Gallo Viennensi editæ, Jo. de Colonia et Jensono aliisque post hos, etiam cum notis, de quibus editionibus Fabricii Bibliotheca latina consulenda est, sicut et de editionibus horum librorum universorum, et in exemplis, quæ postea ad eorum exemplum facta sunt, non reperiuntur. Primum eos addidit, quod sciam, editio Mediolanensis loco tertio. Nam ordo primarum editionum differt ab eo, qui nunc servatur, sequunturque libros Academicarum Disputationum, qui primum locum tenent, libri de Legibus, hos de Officiis, de Finibus, Tusculanæ Quæstiones et reliqui. Ordinem eum, qui nunc est, induxit Cratander, ipsum Ciceronem auctorem sequutus, ut in præfatione demonstravit. Hoc autem apparatu nostro ita usi sumus in textu recensendo et confor-

Digitized by Google

mando, ut artis criticæ ratio postulabat, neque audaciæ in eo corrigendo indulgentes, neque evidenti necessitati per inanem modestiæ speciem repugnantes. Itaque speramus, nos multis locis bene consuluisse textus Ciceroniani integritati. Quodsi tamen locis forte quibusdam ab legibus severæ artis criticæ contra consilium nostrum discesserimus, veniam nobis daturos esse viros harum rerum usu peritos, qui, quam difficile sit sibi ab omni lapsu in hoc genere cavere, sciant, speramus. Scr. Lipsiæ d. XXIV sept. a. C. MDCCLXXVI.

Digitized by Google

TABULA CHRONOLOGICA

GRÆCORUM PHILOSOPHORUM,

DE QUIBUS MENTIO FIT APUD CICERONEM DE NATURA DEORUM.

ÆRA PHIL.		A. C. N.
I.	THALES, annos LVIII natus, apud Græcos philosophiæ inventor exstitit: is sectam condidit Ionicam nomine, utpote Ionicus. Decessit anno XXXVIII æræ philosophicæ.	580.
II.	Anaximander, Thaletis discipulus, et eo natu minor XXIX annis: is olympiade LVIII invenit zodiaci obliquitatem.	570.
23.	Anaximenes, discipulus Anaximandri: ille fertur gnomonicam invenisse.	558.
35.	Xenophanes, princeps sectæ quæ dicta est Eleatica, quia clarissimi sectatores Eleenses erant.	546.
46.	Pythagoras, qui primus philosophi nomen assumpsit; ejus secta dicta est Italica, quia docebat Crotone Tarquinii Superbi temporibus.	535.
60.	Alcmæon Crotoniates, Pythagoræ discipulus.	521.
70.	Heraclitus Ephesius, conditor sectæ quæ non diu floruit, et ex Italica originem duxerat. Magistros habuisse dicitur Xenophanem et quemdam Pythagoricum.	511.
80.	Parmenides, discipulus Xenophanis. Athenæus merito Platonem reprehendit, quod Parmenidem dixerit Socratis σύγχρονον. Hoc autem non falsum esset, auctore P. *Pétau*, qui Parmenidem vixisse ait olympiade XC. Sed doctissimus ille vir manibus sine dubio tractaverat Laertii	501.

Digitized by Google

Æra phil.		A. C. N.
	exemplaria, quæ exhibent olympiadem xcix loco olympiadis lxix.	
90.	Diogenes Apolloniensis, discipulus Anaximenis.	491.
103.	Anaxagoras, discipulus Anaximenis, primus Athenis philosophiam amplexus est : etenim nondum Thaletis successores Ionia discesserant.	478.
115.	Zeno Eleensis, discipulus et filius adoptivus Anaximenis. Aristoteles eum dialecticæ inventorem nuncupat.	466.
130.	Leucippus, discipulus Zenonis Eleensis supra dicti.	451.
145.	Empedocles, e secta Italica, natus ann. 110 æræ philosophicæ. Eum aiunt Pythagoræ discipulum, sed tempora non congruunt. Henricus Dodwel, de ætate Pythag. vult eum audiisse Pythagoram quemdam juniorem, qui veterem Pythagoram ipse audierat.	436.
159.	Socrates, discipulus Archelai, qui audierat Anaxagoram, natus anno æræ philosophicæ 114, decessit exeunte anno 183. Annum quo florebat eumdem dico, intra quem Aristophanis Nubes in scenam primum prodierunt.	422.
160.	Democritus, discipulus Leucippi. Natus erat anno 123 æræ philosophicæ. Plerique auctores volunt eum amplius centum annos vixisse.	421.
167.	Diagoras, qui deos esse negabat. Eo ipso anno, si Scaligero fides, ejus vitam addixerunt et præmiis proposuerunt Athenienses.	414.
170.	Protagoras, discipulus Democriti. Diogenes Laertius ait eum floruisse ad olympiadem lxxiv; sed fallitur. Etenim non potuit discipulus magistri ortum antecedere.	411.
182.	Xenophon, discipulus Socratis. Is ad bellum profectus est cum juvene Cyro, anno 182 : ita non Socratis morti adfuit. Decessit Corinthi anno 223.	399.

Digitized by Google

ÆRA PHIL.		A. C. N.
185.	Aristippus, discipulus Socratis, natus erat Cyrenis, ubi sectam condidit, quæ dicta est Cyrenaica.	396.
190.	Antisthenes, discipulus Socratis, condidit sectam Cynicorum, quæ sese Stoicis immiscuit.	391.
200.	Plato, doctissimus inter Socratis discipulos, natus est anno 155 æræ philosophicæ, decessit anno 236. Vigesimum annum agebat, quum Socratem audire cœpit: ita eum non amplius quam octo annos audivit. Quum Athenis philosophari soleret in Academia, sectatores ejus Academici nomen retinuerunt.	381.
210.	Diogenes Cynicus, discipulus Antisthenis, natus est an. 169, et mortuus est anno 259.	371.
235.	Speusippus, discipulus et nepos Platonis, avunculo defuncto, Academiæ principatum per octo annos obtinuit, et eum, aliquot menses antequam moreretur, transmisit Xenocrati.	346.
244.	Xenocrates, discipulus Platonis, Speusippo in Academia successit, et philosophiam docuit annos 25: natus erat an. 186, obiit an. 267.	337.
248.	Aristoteles, natus anno 199, Platonis disciplinam amplexus est natus annos octo et decem; eam coluit annos viginti. In Lyceo docere cœpit anno 248; anno 261 Chalcidem profugit, et ibi diem obiit supremum annos natus LXIII. Qui sunt ex Aristotelis disciplina vocantur Peripatetici.	333.
250.	Heraclides, discipulus Platonis, si Ciceroni; Speusippi, si Diogeni Laertio fides; Aristotelis autem, ut vult auctor quidam a Laertio laudatus.	331.
261.	Theophrastus, discipulus Aristotelis, cui primus in Lyceo successit: philosophiam docuit usque ad annum 278, quum lege cautum est, ne philosophi Athenis scholas haberent. Sed anno	320.

Digitized by Google

Æra phil.		A. C. N.
	proximo quum lex abrogata fuisset, Theophrastus in Lyceum redux, ibi præfuisse dicitur ad annum 297, quum mortuus est, natus annos LXXXV.	
262.	Zeno, Stoicorum princeps, complures habuit magistros variæ doctrinæ. Philosophiam docuit per annos LVIII, obiit ann. 319.	319.
280.	Epicurus, conditor sectæ clarissimæ, natus est anno 241; decessit anno 312. Natus erat annos XXXVIII, quum scholam aperuit. Successores habuit, quinque aliis interjectis, Zenonem Sidonium, et Phædrum, quos Cicero audierat.	301.
286.	Theodorus, qui deos esse negabat: eum his temporibus addico, quia constat eum, jubente Ptolemæo Lagi filio, venisse ad Lysimachum, qui tunc regnabat.	295.
297.	Strato, discipulus et successor Theophrasti, Lycei principatum obtinuit anno 297, et retinuit per annos XVIII.	283.
300.	Arcesilas primum discipulus Theophrasti, et postea Polemonis, qui Xenocratem audierat. Is secundam Academiam condidit. Natus est anno 267, decessit anno 342.	281.
319.	Cleanthes, primus qui post Zenonem, quem habuerat magistrum, Stoicorum scholæ præfuit: obiit natus annos XCIX.	262.
323.	Perseus, discipulus Zenonis.	258.
336.	Ariston Chius, primum discipulus Zenonis, quem deseruit, ut Polemonem sequeretur: conditor fuit sectæ quæ non diu mansit.	245.
350.	Chrysippus, discipulus Cleanthis, mortuus ad annum 376, natus annos LXXXI.	231.
380.	Diogenes Babylonius Stoicus, discipulus Chrysippi, legatus Atheniensium, venit Romam cum Carneade. Magister fuit Antipatri, qui au-	201.

Digitized by Google

ÆRA PHIL.		A. C. N.
	ditorem habuit Panætium; Panætium audiit Posidonius, et Posidonium Cicero.	
400.	Carneades, quartus successor Arcesilai, conditor novæ Academiæ, Romam missus est cum Diogene Babylonio. Natus erat anno 374, obiit LIV annos post æræ philosophicæ finem. Fuit magister Clitomachi, Clitomachus Philonis, Philo Antiochi, et hosce duos audiit Cicero.	181.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE NATURA DEORUM
AD M. JUNIUM BRUTUM
LIBER PRIMUS

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI.

In his libris C. Velleius, Lucilius Balbus et C. Cotta inducuntur disputantes de natura deorum, audiente Cicerone. Velleius Epicuream rationem explicat, Balbus Stoicam, et contra utramque disserit Academicus Cotta, sub cujus persona, quamquam dissimulat, et Stoici se rationem probare simulat, tamen latet Cicero. Quis enim credat, verbi causa, Ciceronem prædictionibus, apparitionibus deorum, ostentis aliquid tribuisse? In primo ergo libro Velleius et Cotta disputant. Initium disputandi facit Velleius, et quidem a reprehensione Platonicæ ac Stoicæ rationis, quarum illa mundum a deo tamquam opifice atque ædificatore profectum pugnabat, altera πρόνοιαν, providentiam inducebat, a qua mundus effectus sit et administretur, utraque autem mundum animo et sensibus præditum, rotundum, ardentem volubilemque faciebat, cap. 8–10. Reliquorum deinde omnium philosophorum inde a Thalete de deo sententiis breviter commemoratis et reprehensis, cap. 10–15, ad ipsam Epicuream de diis rationem explicandam accedit, quam unam veram existimat. Solus Epicurus vidit, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem impressisset natura, et sine doctrina anticipationem quamdam deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest: id ex eo intelligitur, quod omnium hominum in eo est mira consensio, ut deos esse statuant. Sed etiam hanc anticipationem habemus sive prænotionem deorum, ut beatos, immortales, putemus. Ex quo consequitur, ut nihil negotii nec ipsi habeant, nec aliis exhibeant, neque ira, neque gratia teneantur, quod, quæ talia sunt, imbecilla sunt omnia. Id si ita est, pie colendi sunt dii propter præstantem naturam, nullo autem modo timendi; quo uno omnis superstitio evertitur, cap. 16, 17. Sed ad hanc opinionem confirmandam anquirit animus formam, vitam et actionem mentis atque agitationem in deo. Et figura quidem nulla alia esse nisi humana potest; primum, quod natura speciem aliam deorum non habemus; de-

Digitized by Google

inde, quod humana forma est pulcherrima; et tertio, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse potest. Neque tamen ea species corpus est, sed quasi corpus; eaque non sensu, sed mente cernitur, nec soliditate quadam nec ad numerum, sed imaginibus, similitudine ac transitione perceptis. Vita autem deorum est beatissima et omnibus bonis affluens. Nihil enim agunt, sua virtute et sapientia gaudent, et habent exploratum, fore se semper in maximis voluptatibus, cap. 18-20. His expositis contra diputat Cotta; non ut aliquid ipse decernat, sed ut Epicurea dissolvat; neque quod neget esse deos, sed, quod rationem, quæ afferatur, firmam non putet. Nam argumentum, quod ab omnium hominum consensu putatur, quum leve per se, tum etiam falsum esse, cap. 23. Sed, deos esse, concedi posse. Illud doceri se velle, unde sint, ubi sint, quales sint; ad quæ omnia atomis abutantur Epicurei; quæ primo nullæ sint, quod nullus sit corporibus vacuus locus; deinde si sint, effici, ut æterni dii non sint, et interire possint; quo constituto, beatitudo deorum tollatur. Ad hanc reprehensionem effugiendam quasi corpus et quasi sanguinem excogitatum esse, quod quid sit, nemo intelligere possit, cap. 24-26. Quibus autem rationibus humana forma diis asseratur, eas nullam vim habere. Nam quod omnes fere homines, præter Ægyptios, et paucas forte alias gentes, eam diis cogitatione affingant; id non a natura esse, sed consilio humano aut superstitioni a pictoribus, poetis, artificibus, confirmatæ deberi. Neque ex eo, quod hominibus nil homine pulchrius videatur, consequi, nihil esse eo pulchrius. Non enim dubium esse, quin et bovi nihil bove, cani nil cane pulchrius videatur. Denique incertum illud esse, quod nusquam nisi in figura humana ratio, virtus, atque adeo beatitudo locum habere videatur. Neque enim, quod in nulla alia figura rationem vidimus, propterea in nulla esse potest. Quod sensus non docet, ratio docebit. Nam, si nullum diis negotium, quod membra corporis humani requirat, nil membris opus erit, cap. 27-37. Jam in ceteris etiam quæstionibus, de domicilio, de vita et beatitudine deorum laborare Epicuream rationem. Nullam in diis soliditatem esse, nec ad numerum permanere dicunt; sed imaginum similitudine ac transitione percipi. Jam si nulla deorum est soliditas et eminentia, nihil interest, utrum de

Digitized by Google

deo, an de hippocentauro disputetur, meritoque dii ad eas conformationes animi referuntur, quos motus inanes appellant. Quod si imaginibus deorum pulsantur animi, quamquam tota res nugatoria est; tamen species dumtaxat objiciuntur animis, non autem cur eæ beatæ sint, aut æternæ, etsi vel maxime continenter ferantur. Nam illa ἰσονομία, h. e. æquilibritas Epicuri, qua, quia natura mortalis sit, ut etiam immortalis sit, effici putat, perabsurda est, quod ea sumpta, eodem modo colligi potest, quia homines in terra nascuntur, etiam in aqua nasci, et hujusmodi absurda plura. Beatus autem quum sine virtute nemo esse possit, nulla autem sine actione virtus, nec otiosi illi dii esse possunt beati. Neque vero voluptate corporea uti possunt, in qua summum bonum Epicurus ponit, neque una doloris vacuitas aut assidua felicitatis suæ cogitatio beatos eos efficere potest. Et quum semper pulsentur incursione atomorum, et imagines ex ipsis semper effluant, non possunt non interitum timere, quod beatitudini plane repugnat, cap. 37-41. Quoniam vero otiosos deos introducunt Epicurei, nullam rerum humanarum curam habentes, nihil homines juvantes; omnem sanctitatem et adversus deos pietatem, quamquam verbis ponunt, tamen re tollunt, cap. 42, sqq.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE NATURA DEORUM,
AD M. JUNIUM BRUTUM,
LIBER PRIMUS.

I. Quum multæ res in philosophia nequaquam satis 1
adhuc explicatæ sint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobscura quæstio est de natura deorum : quæ et ad agnitionem[1] animi pulcherrima est, et ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variæ sunt doctissimorum hominum, tamque discrepantes sententiæ, ut magno argumento esse debeat, causam, id est, principium philosophiæ, esse inscientiam[2], prudenterque academicos a rebus in-

I. 1. *Quæ et ad agnitionem.* Quum multi philosophi mentem divinam esse censuerint, ait Tullius, hanc disputationem animo cognoscendo fore utilem; quod, indagata deorum natura, simul elucesceret mentis humanæ ratio. Vide Tusculan. lib. I, 26, 27, et Philonem de Opif. Mundi, p. 23, 25. Lactantius, Div. Inst. lib. VII, cap. 9: «Quod si deos esse credunt; qui si sunt, utique sunt expertes corporum; necesse est humanas animas eadem ratione subsistere; quoniam ex ipsa ratione et providentia intelligitur esse quandam in homine ac deo similitudo». Similiter Varro apud Augustinum, Civ. Dei lib. VII, cap. 5; ut eos præterea, qui Pythagoricorum Platonicorumque dogmatum de animo meminerunt. Haud dispari ratione multi veteres hæretici animam humanam ex dei substantia natam statuere. Dav.

2. *Ut magno argumento esse debeat... inscientiam.* Fere omnes MSS et olim editi libri habent *scientiam*; MS Eliens. et Aldus Nepos, *inscientiam*; quæ quidem lectio anteponenda, quippe quæ sola intelligi queat, pluribus videtur; alii vero priorem retinendam censent. Utriusque sensus rationem sic exponunt. Hunc locum docti aliquot viri putant mutilum ac lacerum, partim corruptum. Ego suum cuique judicium liberum, ut par est, relinquam: sed non dubitabo profiteri, mihi videri integrum esse et explicari posse. Hoc idem enim dicit, opinor, Cicero, quod Aristoteles, lib. I τῶν μετὰ τὰ

Digitized by Google

certis assensionem cohibuisse. Quid est enim temeritate fortius? aut quid tam temerarium, tamque

φυσικὰ, cap. 2 : Ἔπειτ' εἴπερ διὰ τὸ φεύγειν τὴν ἄγνοιαν ἐφιλοσόφησαν, φανερὸν ὅτι διὰ τὸ εἰδέναι, τὸ ἐπίστασθαι ἰδίωκον, καὶ οὐ χρήσιώς τινος ἕνεκα. Id est, « Itaque si, propterea quod fugerent inscientiam, philosophati sunt : perspicuum est eos, eo ut scirent, scientiam persequutos esse, non utilitatis alicujus gratia ». Illa Aristoteles. Hæc Cicero : « Causa, id est, principium, philosophiæ est scientia ; » id est, homines ingenio excellentes scientiæ causa philosophati sunt : hoc est, scientia, ut finis, cujus gratia quærere cœperunt naturam rerum, impulit eos, ut philosopharentur. Ita scientia et principium et finis est philosophiæ ; finis, quia ejus causa philosophati sunt homines ; principium, quia impulit et commovit eos ad philosophandum. Lambin. — Nisi enim scientiæ nobis amor a natura esset insitus, non erat causa, cur philosopharemur. Scientiam autem philosophiæ causam et originem esse, inde cognoscitur, quod de natura deorum non modo variæ sunt doctissimorum hominum opiniones, verum etiam discrepantes ; cujus rei causa est scientiæ cupiditas. Cur autem nonnulli hanc lectionem adeo non probaverint, ut corruptum exemplar sequi maluerint, non intelligo ; nisi si ea, quæ in suo libro MS non vident, ex ingenio et conjectura esse omnia in animum induxerunt. P. Manut.— *Inscientiam* cum Davisio et Ernestio recepit Heind. Merito. Noster Acad. lib. I, cap. 11 : « Si ita erat comprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam ; sin aliter, inscientiam nominabat ? » Vide et de Div. lib. I, cap. 52. *Principium* vero philosophiæ dicitur *inscientia*, quod ejus sit ἡ ποιητικὴ αἰτία, ut loquitur Nemesius de Nat. Hom. cap. 30, pag. 230. Et hoc est quod ἀρχὴν αἰτιώδη dixit Sextus Empiricus, Pyrrh. Hypot. lib. I, cap. 6. De ἀρχῆς et αἰτίου potestate, consulas licet Aristotelem, Metaph. lib. IV, cap. 1, 2, et Simplicium in Phys. lib. I, p. 3. Vult igitur Cicero ignorationem rerum in causa fuisse, cur homines sese philosophiæ dederint ; id quod ex discrepantibus philosophorum sententiis recte colligitur ; quoniam, « si res liquido sciretur, una esset omnium vox, et in ejusdem sententiæ finem cunctorum pergeret et conveniret assensio », ut verbis utar Arnobii, lib. III, p. 121. — *Inscientiam*. Vulgata autem *scientiam*. Licet ei patrocinentur viri doctissimi, nobis haud placet. Nam sive cum Lambino locum interpretemur, quasi dicat Tullius, homines ingenio præcellentes scientiæ causa philosophatos esse ; sive cum Turnebo significari putemus, veram philosophiam in scientia certaque cognitione positam esse, nec sine ea posse consistere ; nullus est ratiocinationis nexus, nec sibi invicem cohærent sententiæ. Quibus enim fidiculis extorqueri potest vel hæc vel illa conclusio, quamquam philosophis inter se non convenisse statuamus ? Petrus quidem Petitus, Miscell. lib. I, cap. 3, aliqua ratus excidisse, locum sic explet : « Causam, id est, principium philosophiæ, ab amore quidem scientiæ esse ductum, finem tamen non esse scientiam ». Dav.—Consultum vexato loco Astius opinatur ita ut legatur : « causam philosophiæ esse inscientiam », atque *causa* accipiatur vel pro statu, conditione, vel pro capite, summa. Ca. — *Fortius*, al. *turpius*.

Digitized by Google

indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere? Velut in hac quæstione, plerique (quod maxime 2
verisimile est, et quo omnes duce natura vehimur) deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras[3]; nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum, et de locis atque sedibus, et actione vitæ multa dicuntur; deque his summa philosophorum dissensione certatur; quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab his et a principio omnia facta et constituta sint, et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, inprimisque magna dissensio est; eaque nisi dijudicetur, in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignoratione versari.

II. Sunt enim philosophi[1], et fuerunt, qui omnino 3
nullam habere censerent humanarum rerum procu-

3. *Dubitare se Protagoras.* Confer Diogenem in Protagora, lib. IX, § 51. Quod pro Diagora Protagoram Eleum memorat Galenus, ei refragatur noster locus, itemque qui infra sequitur, lib. I, cap. 23, ubi de Protagora hujusque dubitatione plura dabit Davisius. Cæ.

II. 1. *Sunt enim philosophi*, etc. Quintilianus, Inst. Orat. lib. V, cap. 6: «Quum etiam philosophi quidam sint reperti, qui deos habere curam rerum humanarum negarent». Epicureos præcipue notant. Servius ad Æneid. IV, vers. 379: «Cicero libris de deorum natura, triplicem de diis dicit esse opinionem. Deos non esse: cujus rei auctor apud Athenas exustus est. Esse et nihil curare: ut Epicurei. Esse et curare: ut Stoici». Salvianus de Gubern. Dei, lib. I, cap. 1: «Invenire aliquos, qui ab istorum judicio discrepaverint, præter Epicureorum vel quorumdam Epicurizantium deliramenta non possum; qui sicut voluptatem cum virtute, sic deum cum incuria ac torpore junxerunt». Attamen Aristoteli quoque tantum μέχρι σελήνης ἐπῆλθε κατάγειν τὴν πρόνοιαν, ut loquitur Clem. Strom. V, p. 252. Dav.

Digitized by Google

rationem deos. Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas[2]? quæ sanctitas[3]? quæ religio? Hæc enim omnia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, neque volunt; nec omnino curant; nec, quid agamus, animadvertunt; nec est, quod ab his ad hominum vitam permanare possit[4]; quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictæ simulationis[5], sicut reliquæ virtutes, ita pietas inesse non potest, cum qua simul et sanctitatem, et religionem tolli necesse est; quibus sublatis, pertur-
4 batio vitæ sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus deos sublata, fides etiam, et societas generis humani, et una excellentissima virtus, justitia tollatur[6]. Sunt autem alii philosophi, et hi quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant; neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitæ hominum consuli et provideri. Nam et fruges, et reliqua, quæ terra pariat, et tempestates, ac temporum

2. *Quæ potest esse pietas?* Pietas est virtus quæ exercetur et erga homines cognatos, nempe parentes, et erga deos. Eam a religione distinguit Cicero in Part. Orat. cap. 22: « Justitia erga deos religio est, erga parentes pietas nominatur ». Wytt.

3. *Quæ sanctitas?* Sanctitas definitur scientia colendorum deorum infra lib. I, cap. 41.

4. *Permanare possit.* Pro *provenire;* nam ut radii solis et æther quasi manant e cælo, ita deorum beneficia ad nos manare dicuntur.

5. *Fictæ simulationis.* Licet otiosum videri queat epitheton, quum nulla non *simulatio* sit *ficta;* tamen eodem modo loquuntur boni auctores. Ficta pietas hypocrisis, et talis homo hypocrita, græco nomine dicitur. Wytt.

6. *Una excellentissima virtus, justitia tollatur.* Ammian. Marcellinus, lib. XX, cap. 8: « Excellentissimam virtutum omnium adverte justitiam »: ubi similia Veterum effata congessit Lindenbrogius. Pariter Hierocles in Aur. Carm. pag. 66, justitiam vocat, τελειοτάτην πασῶν ἀρετῶν καὶ περιεκτικὴν τῶν ἄλλων ὡς οἰκείων μερῶν.

Digitized by Google

varietates, cælique mutationes, quibus omnia, quæ terra gignat, maturata pubescant, a diis immortalibus tribui generi humano putant; multaque, quæ dicentur in his libris, colligunt : quæ talia sunt, ut ea ipsa dii immortales[7] ad usum hominum fabricati pæne videantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. Res enim nulla est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant[8]. Quorum opiniones quum tam variæ sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una vera sit.

III. Qua quidem in causa et benivolos objurgatores placare, et invidos vituperatores confutare possumus, ut alteros reprehendisse pœniteat, alteri didicisse se gaudeant. Nam qui admonent amice, docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi[1]. Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos complures brevi tempore edidimus, variumque sermonem, partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis[2] subito studium exstitisset; partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium. Multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quæ lucem eriperet, et quasi noctem

DAV. — *Virtus* abest a cod. Red. Male, ut ait Heind. MA.

7. *Ut ea ipsa dii immortales*, etc. Boherius legit, «ut et ipsi dii immortales ad usum hominum fabricati pæne videantur». Boherianæ conjecturæ favere videtur illud *pæne*, qua voce audacia dicti et significatur et minuitur. CA.

8. *Non solum indocti, sed etiam docti dissentiant.* Nonnulli tum codices, tum editiones habent, «non solum docti, sed etiam indocti».

III. 1. *Qui inimice insectantur, repellendi.* Legendum est fortasse, *refellendi.* Verum tamen nihil mutandum censeo sine librorum veterum auctoritate; nam *repellendi* apte respondet illi *insectantur.* LAMB.

2. *Unde hoc philosophandi nobis subito studium exstitisset.* Hæc spectant ad philosophica Ciceronis opera, quæ plurima scripsit tribus ætatis suæ novissimis annis.

Digitized by Google

quamdam rebus offunderet[3]; desertæque disciplinæ, et jam pridem relictæ, patrocinium nec opinatum a nobis esse susceptum.

Nos autem nec subito cœpimus philosophari; nec mediocrem a primo tempore ætatis in eo studio operam curamque consumpsimus; et, quum minime videbamur, tum maxime philosophabamur. Quod et orationes declarant, refertæ philosophorum sententiis; et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit[4]; et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius[5], a quibus instituti sumus. Et, si omnia philosophiæ præcepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea præstitisse, quæ ratio et doctrina præscripserit.

IV. Sin autem quis requirit, quæ causa nos impulerit, ut hæc tam sero literis mandaremus, nihil est, quod expedire tam facile possimus. Nam quum otio langueremus, et is esset reipublicæ status, ut eam unius consilio[1] atque cura gubernari necesse esset; primum ipsius reipublicæ causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves, tamque præclaras latinis etiam literis contineri: eoque me minus instituti mei pœnitet, quod facile sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scri-

3. *Noctem q. rebus effunderet.* Scilicet academicam philosophiam quæ, quum ad dubitandum potissimum induceret, rebus quamdam noctem effundere videbatur.

4. *Quibus semper domus nostra floruit.* Schellerus hoc loco frustra conjecit *patuit*, sine dubio, quia Ernestum (injuria quidem) offensum esse legerat verbo *floruit*; neque enim superbi hanc vocem esse, sed modesti, recte monet Heindorfius. Ma.

5. *Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius.* Diodotus et Posidonius erant Stoici, Philo et Antiochus Academici, posterior autem ad Stoicos in fine magis inclinavit.

IV. 1. *Unius consilio.* Julii Cæsaris, qui, devicto Pompeio, summam rempublicam tenebat. Dav.

Digitized by Google

bendi studia commoverim[2]. Complures enim græcis institutionibus eruditi, ea, quæ didicerant, cum civibus suis communicare non poterant, quod illa, quæ a Græcis accepissent, latine dici posse diffiderent. Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Græcis ne verborum quidem copia vinceremur[3]. Hortata etiam 9
est, ut me ad hæc conferrem, animi ægritudo[4], fortunæ magna et gravi commota injuria. Cujus si majorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. Ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui, quam si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. Omnes autem ejus partes, atque omnia membra tum facillime noscuntur, quum totæ quæstiones scribendo explicantur. Est enim admirabilis quædam continuatio, seriesque rerum, ut alia ex alia nexa, et omnes inter se aptæ colligatæque videantur.

V. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi 10
sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est. Non enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quærenda sunt[1]. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur. Desinunt enim suum judi-

2. *Commoverim.* Multos scilicet homines latinos, non modo ad discendam philosophiam, sed etiam ad eam literis applicandam, impulisse Cicero his verbis declarat. Wyttenbach.

3. *Quo in genere ... vinceremur.* Hæc magis gloriose quam vere dixit Cicero : item gloriatus est eadem re Tusc. Quæst. lib. I, cap. 3, et lib. IV, cap. 15, et aliis in locis.

4. *Animi ægritudo, fortunæ magna et gravi commota injuria.* Non intelligit mœrorem ex obitu patriæ libertatis natum, ut falso putant Aldus Nepos et Petrus Lescaloperius; eam enim causam supra memorarat, quum ait, «is esset reip. status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset». Vult dolorem, quem ex morte Tulliæ suæ gravissimum concepit. Utramque rationem conjunctim recenset Acad. I, 3. Davisius.

V. 1. *Non enim tam auctoritatis... quærenda sunt. Auctores* scriptum est in antiquo pro *auctoritatis*. Urs. — *Auctores* exhibent multi edit. libri.

Digitized by Google

cium adhibere : id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus : quos ferunt, si quid affirmarent in disputando, quum ex iis quæreretur, quare ita esset, respondere solitos, « Ipse dixit[2] ». Ipse autem erat Pythagoras[3]. Tantum opinio præjudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas!

11 Qui autem mirantur, nos hanc potissimum disciplinam sequutos, his quatuor Academicis libris[4] satis responsum videtur. Nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus. Non enim hominum interitu sententiæ quoque occidunt; sed lucem auctoris fortasse desiderant : ut hæc in philosophia ratio contra omnia disserendi[5], nullamque rem aperte judicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade, usque ad nostram viguit ætatem; quam nunc propemodum orbam esse in ipsa Græcia intelligo. Quod non academiæ vitio, sed tàr-

2. *Ipse dixit.* Ad hunc Tullii locum respicit Joannes Sarisberiensis de Nug. Curial. lib. V, cap. 12, p. 301. Quintilianus, Instit. Orat. lib. XI, cap. 1, p. 675 : « Nec hoc oratori contingere inter adversarios, quod Pythagoræ inter discipulos contigit, potest : Ipse dixit ». Chalcidius in Platonis Timæum § 126 : « Denique non frustra de Pythagora dictum, Ipsum dicere, propterea que ultra quæri non oportere ». Ibi vide præstantissimum Fabricium. Adi sis etiam quæ notavit Andr. Schottus ad Proverbiorum e Suida Collectorum Cent. III, 94. Dav.

3. *Ipse autem erat Pythagoras.* Honoris et reverentiæ causa nomen non efferebant. Vide Iamblich. vita Pyth. § 88. Adi et § 255. Scholiast. in Aristophanis Nub. vs. 195 : Παρὰ Πυθαγορείοις τὸ ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ, τουτέστιν ὁ Πυθαγόρας. Davis. — Walkerus verba *ipse autem... Pythagoras*, velut glossema deleri vult. Heind. retinet, bene observans, talia si ferre nolimus, innumera alia ejusmodi apud Ciceronem delenda esse. Mr.

4. *Academicis libris.* Cicero primum scripserat duos libros Academicos, Catulum et Lucullum, e quibus tantum Lucullus superest : deinde novam fecit editionem quatuor libris, quorum nonnisi primi initium servatum est. Wytt.

5. *Ratio contra omnia disserendi.* Illustrant hunc locum Diogenis verba, quæ leguntur in Arcesila, lib. IV, cap. 6, 2 : Ἀρκεσίλαος ... Πιταναῖος τῆς Αἰολίδος, ὁ τῆς μέσης Ἀκαδημίας κατάρξας πρῶτος, ἐπισχὼν τὰς ἀποφάσεις διὰ τὰς ἐναντιότητας τῶν λόγων, κ. τ. λ. Ursin.

Digitized by Google

ditate hominum arbitror contigisse. Nam si singulas disciplinas percipere, magnum est; quanto majus omnes? quod facere iis necesse est, quibus propositum est, veri reperiendi causa, et contra omnes philosophos, et pro omnibus dicere. Cujus rei tantæ 12
tamque difficilis facultatem consequutum esse me non profiteor; sequutum esse præ me fero.

Nec tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophentur, ii nihil habeant, quod sequantur. Dictum est omnino hac de re alio loco diligentius[6]: sed quia nimis indociles quidam, tardique sunt, admonendi videntur sæpius. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur; sed ii, qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi et assentiendi nota. Ex quo exsistit et illud, multa esse probabilia: quæ quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quemdam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur[7].

VI. Sed jam, ut omni me invidia liberem, ponam 13
in medio sententias philosophorum de natura deorum. Quo quidem loco convocandi omnes videntur, qui, quæ sit earum vera, judicent. Tum demum mihi procax

6. *Alio loco diligentius.* Ad nos manem venerunt Academicæ quæstiones. Sed in iis, quas temporis edacitatem fugerunt, hanc rem fuse tractat lib. IV, cap. 31 seqq. Vide et Offic. II, 2. Dav.

7. *Quia visum haberent quemdam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur.* Hanc scripturam Cl. Boherio displicet, quia *visus*, uti censet, *speciem* non significat: deinde quod ei ridiculum videtur, si visis regendam sapientis vitam homo natus statuerit. Quapropter vir ille doctissimus *usum* reponit. Mihi tamen licebit in diversam sententiam pedibus ire: nam *visus*, ut arbitror, interdum pro *specie* ponitur. Sic infra cap. 30. Visis autem sive τοῖς φαινομένοις gubernandam vitæ rationem contendebant Academici Pyrrhoniique. Vide quoque Ciceron. Acad. lib. II, cap. 31, et Sextum Empiric. Pyrrhon. Hypot. lib. I, cap. 11. Ernestus tuetur lectionem *visum*, quam exhibent nostri omnes et bene defendit Davisius. Schell. a Boherii partibus stat, neque tamen eas firmat, et firmari quidem posse nobis non videntur. Ma.

Digitized by Google

academia videbitur, si aut consenserint omnes, aut erit[1] inventus aliquis, qui, quid verum sit, invenerit. Itaque mihi libet exclamare, ut ille in Synephebis[2]:

Proh deum, popularium omnium, omnium adolescentium
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem!

Non levissima de re, ut queritur ille,

Fieri in civitate facinora capitalia[3]:
Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult;

14 sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de religione, pietate, sanctitate, cærimoniis, fide, jurejurando, quid de templis, delubris, sacrificiisque solemnibus, quid de ipsis auspiciis, quibus nos præsumus, existimandum sit. Hæc enim omnia ad hanc de diis immortalibus quæstionem referenda sunt. Profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxima re tanta dissensio.

VI. 1. *Aut erit.* Legend. *fuerit*: nisi forte modos Tullius variarit. Dav. — Ernestus nihil mutari vult; *inventus erit* dicens esse futurum conjunctivi, quod nonnunquam pro futuro exacto positum occurrat. Improbat etiam Heind. Davisii conjecturam. Cod. Glog. *aut ubi erit.* Ma.

2. *Ut ille in Synephebis.* Vulgo *ut Statius*; alii, *ut Plautus*; alii, *ut Terentius*; quæ varietates aperte satis indicant amplectendam esse MSS Reg. Med. Cantab. et Pal. tert. scripturam, uti nos quidem fecimus; licet enim Cæcilium Statium fabulam *Synephebos* e Menandro vertisse constet, non tamen poetæ nomen proferre voluit Cicero; sed simpliciter ex ea versiculos hosce laudavit. Dav. — Nostri plerique omittunt *Statius*, v. c. Le. A. B. C. Fa.; M. G. I. et K. exhibent *Plautus*, H. *Terentius*. Ma.— *Popularium omnium, omnium adolescentium.* Vulgo, *popularium omnium adolescentium.* Sed nos cum Manutio et Gulielmio vocem *omnium* geminavimus, ut versus expleretur. Dav. — Ita hunc versum quoque dedit Heind. Nostri omnes etiam omittunt alterum *omnium*. Ma.—*Clamo*, etc. Venuste cum Aristophaneo loco Nubb. vs. 704 seq. hæc Cæcilii composuit, magnamque in vocabulorum idem significantium multitudine ad risum excitandum vim inesse commonstravit ad Comici loc. laud. Hermannus. Ca.

3. *Facinora capitalia.* Heind. cum Daviaio hæc verba usque ad *capitalia* non ut versum descripsit. Neque nobis contigit hosce versus numeris suis restituere. Heind. codd. sequutus ejicit v. *ille* post *queritur*.

Digitized by Google

Quod quum sæpe alias, tum maxime animadverti, 15
quum apud C. Cottam[4], familiarem meum, accurate sane et diligenter de diis immortalibus disputatum[5] sit. Nam, quum feriis Latinis[6] ad eum, ipsius rogatu arcessituque venissem, offendi eum sedentem in exhedra[7], et cum C. Velleio[8] senatore disputantem, ad quem tum Epicurei primas ex nostris hominibus deferebant. Aderat etiam Q. Lucilius Balbus[9], qui tantos progressus habebat in stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur.

VII. Tum, ut me Cotta vidit, Peropportune, inquit, venis. Oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio; cui, pro tuo studio, non est alienum te interesse. Atqui mihi quoque videor, inquam, venisse, ut 16
dicis, opportune. Tres enim trium disciplinarum principes convenistis. M. Piso si adesset[1], nullius philosophiæ[2], earum quidem, quæ in honore sunt, vacaret locus. Tum Cotta: Si, inquit, liber Antiochi[3] nostri,

4. *C. Cottam.* C. Aurelius Cotta, summus pontifex, vir acutissimi ingenii, qui, utpote Academicus, alios verbis impedire in disputando studet, nec unquam suam ipse sententiam declarat.

5. *De diis immortalibus disputatum sit.* Ultimam vocem latinitati parum consentaneam esse vult Janus Gulielmius; quapropter legit *disputatum fuit.* Mihi salva videtur latinitas, ideoque nihil muto. Dav.

6. *Feriis Latinis.* De feriis Latinis vide Epist. ad Attic. IV, 1, 3.

7. *In exhedra.* Exhedra est sedes major cui plures insidere possunt, eminens extra porticum. Wytt.

8. *C. Velleio.* C. Velleius tribunus plebis anno Romæ 663. Virum in disputando temerarium, Epicuri immodicum admiratorem indnxit Cicero.

9. *Q. Lucilius Balbus.* Q. Lucilius Balbus magistrum in stoica disciplina habuit Panætium. Hic a Cicerone exhibetur candidus in *sua* opinione, et ad tuendam Stoicorum disciplinam acerrimus.

VII. 1. *M. Piso si adesset.* Vulgg. *M. enim Piso.* Sed secunda vocula sensum turbat, nec in Eliens. Med. aut Reg. visitur; quapropter exsulare jussimus. In MSS tamen duobus quos laudavimus ultimis non *M.* sed *Cn. Piso* legitur. Dav.—Piso Stoicæ sectæ erat deditus. Vid. de Orat. I, 22. Wytt.

2. *Nullius philosophiæ.* I. e. nullius sectæ philosophorum. Erant enim quatuor sectæ Athenis constitutæ, Platonica quæ dicebatur et Academica, Aristotelica, Stoica et Epicurea. Wytt.

3. *Antiochi.* Antiochus Ascalonita successor Philonis in Academia pro-

Digitized by Google

qui ab eo nuper ad hunc Balbum missus est, vera loquitur; nihil est, quod Pisonem, familiarem tuum, desideres. Antiocho enim stoici cum peripateticis re concinere videntur[4], verbis discrepare : quo de libro velim scire, Balbe, quid sentias. Egone? inquit ille. Miror, Antiochum, hominem in primis acutum, non vidisse, interesse plurimum inter stoicos, qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto disjungerent, et peripateticos, qui honesta commiscerent cum commodis, ut ea inter se magnitudine, et quasi gradibus, non genere differrent. Hæc enim est non verborum
17 parva, sed rerum permagna dissensio. Verum hæc alias : nunc quod cœpimus, si videtur. Mihi vero, inquit Cotta, videtur. Sed ut hic, qui intervenit, me intuens, ne ignoret, quæ res agatur, de natura agebamus deorum. Quæ quum mihi videretur perobscura, ut semper videri solet; Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam. Quamobrem, inquit, Vellei, nisi molestum est, repete, quæ cœperas. Repetam vero : quamquam non mihi, sed tibi hic venit adjutor. Ambo enim, inquit arridens, ab eodem Philone nihil scire didicistis[5]. Tum ego, Quid didicerimus, Cotta viderit : tu autem nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem, et quidem æquum, libero judicio, nulla

pemodum Stoica placita sequebatur. Vid. Cic. in Bruto, cap. 19. Wytt.

4. *Re concinere videntur.* Sic nunc edidi, libros veteres, qui omnes ad unum sic habent, duces sequutus. Sic autem sæpe et alibi loquitur. Exempli causa lib. IV de Fin. « Quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat, verbis discrepare? » Elien. et Linc. simul ac veteres editi dant *consentire*. Sed multo melior est aliorum codicum lectio. Vide nos ad Minuc. Fel. 1. Dav.

5. *Nihil scire didicistis.* Facti estis Academici. Senece, epist. 88 : « Academici novam induxerunt scientiam, nihil scire ». Lactantius, Divin. Instit. lib. III, cap. 14 : « Hæc (Academia) nihil docet, nisi ut scias te nihil scire ». Idem de Ira dei, cap. 1 : « Socrates... id ipsum pro summa doctrina profiteretur, quod nihil scire didicisset ». Quæ quum scriberet, hic locus ei fuit in mentem. At ut recte Lucretius, IV, vers. 471 : « Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit An sciri possit, qui se nil scire fatetur ». Dav.

Digitized by Google

ejusmodi adstrictum necessitate, ut mihi, velim, nolim, sit certa quædam tuenda sententia.

VIII. Tum Velleius, fidenter sane, ut solent isti, 18
nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur; tamquam modo ex deorum concilio, et ex Epicuri intermundiis descendisset[1] : Audite, inquit, non futiles commentitiasque sententias, non opificem ædificatoremque mundi, Platonis de Timæo[2] deum; nec anum fatidicam[3] stoicorum πρόνοιαν, quam latine licet providentiam dicere; neque vero mundum ipsum, animo et sensibus præditum, rotundum[4], ardentem, volubilem deum, portenta et miracula non disseren-

VIII. 1. *Tamquam modo ex deorum concilio, et ex Epicuri intermundiis descendisset.* Utitur et alibi Cicero hac voce, interpretaturque ipsa μεταχόσμια, ut opinor : quod verbum erat Epicuri, et eorum, qui innumerabiles mundos esse dicebant: sic enim appellabant spatia et intervalla, quæ inter mundos illos inania relicta erant. Epicurus ipse in epistola quam ad Pythoclem περὶ τῶν μετεώρων scripsit, accurate hoc nomen exposuit (apud Diogenem, lib. X, § 89).—In iis autem intervallis deos habitare volebat Epicurus. Cic. de Divin. lib. II, cap. 17, sit : « Deos enim ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabiles, et habitantes, tamquam inter duos lucos, sic inter duos mundos propter metum ruinarum ».

2. *Opificem ædificatoremque mundi, Platonis de Timæo deum.* Plato in Timæo mundum a deo factum statuit, eumque vocat ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς, δημιουργὸν τοῦ κόσμου, καὶ τεκταινόμενον αὐτόν. Vide p. 526 ed. Lugd. Dav. — Varie usurpat prepositionem *de* Tullius. Vid. v. c. de Legg. III, 1, ibique Gœrens. p. 216. Et admonuit me etiam ex his libris loci I, 21, « de L. Crasso videor audisse » Fr. Aug. Menkius, vir doctus mihique amicus. Qui idem perscripsit Hieroclis verba in aur. carmin. Pyth. pag. 4 seq. Lond. ... ὡς φησι ὁ Πλάτωνος Τίμαιος, τῶν Πυθαγορείων δογμάτων ὁ ἀκριβὴς διδάσκαλος, ut nostri loci sententia sit : quem a Timæo habet deum Plato; sive malis : Platonis deus secundum Timæum. Utut accipias : nil mutandum videtur. Ca.

3. *Anum fatidicam.* Plutarch. περὶ εὐγενείας editus a Cl. Wolfio Anecd. tom. IV, p. 225 : Οὗτοι (Στωϊκοὶ) οἱ τὴν πρόνοιαν τὴν ἀγχίνουν μέλαν γραῦν μητέρα καλοῦντες τούτου τοῦ παντὸς, etc. Et iterum pag. 234 : Νυνὶ δὲ μηδ' ὑμᾶς αὐτοὺς τούτων τῶν παθημάτων ἐλευθέρους ἐποίησεν ἐκείνη ὑμετέρα πρόνοια, ΧΡΗΣΜΟΛΟΓΟΣ γραῦς. Vide eis infra II, 29. Dav.

4. *Mundum ipsum, animo et sensibus præditum, rotundum*, etc. Platonem et Stoicos irridet, qui hæc de mundo sententias fovebant. Vide P. D. Huetii Origen. lib. II, Quæst. IX, 9, et Just. Lipsium, Phys. Stoic. lib. I, diss. 8. Dav.

Digitized by Google

19 tium philosophorum, sed somniantium. Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam[5] illam tanti operis, qua construi a deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? Unde vero ortæ illæ quinque[6] formæ, ex quibus reliqua forman-

5. *Fabricam.* I. e. artem fabrilem. Cf. infra lib. I, cap. 20, ubi fabricæ natura opponitur. Adde Dukerum de Latinitate Jureconss. Veterr. p. 399, pag. 365. Ad *ferramenta ... vectes* reliq. adhibe nuper editum Musonii philosophi fragmentum (in Philomath. lib. II, pag. 5, ibique Wyttenbach. pag. 19. Ad quem ego locum et Ciceronis et Plotini admonui in Studiorum tom. VI, pag. 132). Ceterum *vectes* Græcis proprie χάλοπες. Vid. Aristotelis Mechan. cap. 14, ibique Van Capellen. pag. 235. Ca.

6. *Unde vero ortæ illæ quinque.* Hic locus quibusdam non videtur a mendo esse vacuus; nam Plato in Timæo ex materia individua et dividua, et ex tertio materiæ genere, quod esset ejusdem naturæ, et quod alterius, et ex proportionibus duplis, sequialteris, triplis, octuplis, etc. animum vult esse procreatum. Jam nihil attinet Democriti aut Epicuri hac de re sententiam huc inculcare; perspicue enim Velleius Platonem hic oppugnat. Quod si cum Epicuro luctaretur, quod non facit; et si qualitates illas significaret, ex quibus sensus et animus gignitur: quatuor dumtaxat numerantur a Lucretio, neque plures ab Epicuro ponuntur. Vide Lucretium, lib. III, vs. 233 sq. Præterea quum qualitates illas significet, ex quibus efficitur animus, non aliud quidquam; ut apparet ex his verbis, «apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus»; videtur vel delendum hoc totum, «ex quibus reliqua formantur», vel quid hic M. Tullius sentiat, amplius considerandum. Lamb. — *Quinque formæ, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad efficiendum animum.* Quinque formæ sunt οὐσία, ταὐτὸν, ἕτερον, στάσις et κίνησις. Adeatur Mars. Ficin. in Timæum, cap. 27. De animæ vero compositione sic loquitur Plato, pag. 528, ed. Lugdun. Ὁ δὲ (θεὸς) ψυχὴν ... συνεστήσατο ἐκ τῶνδε καὶ τοιῷδε τρόπῳ. Τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς, τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ συνεκεράσατο οὐσίας εἶδος, τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς τοῦ ἑτέρου, etc. Legendum, omissa præpositione, τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως καὶ τῆς τοῦ ἑτέρου. Sic certe legit Sextus Empiric. Pyrrh. Hypot. lib. III, cap. 24, pag. 149, et adv. Mathem. pag. 60. Vide sis et Ciceronem, de Univ. cap. 7. Hasce nænias explicare conati sunt Plutarchus, Operum tom. II, p. 1012 sqq. Chalcidius, Proclus et alii. «Sed, his lectis omnibus, nihil proficies: nisi quod id forsan magis persuasum habueris, operam prorsus lusisse quotquot sudarunt in hac arena». Verba sunt ingeniosissimi Burneti Archæol. Philos. lib. I, cap. 13. Dav.

Digitized by Google

tur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? Longum est [iter] ad omnia [7] : quæ talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur. Sed illa palmaris quidem [8], quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu pæne factum, is eum dixerit fore sempiternum. Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam [9], qui quidquam, quod ortum sit, putet æternum esse posse? quæ est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum? Proncea vero si vestra est, Lucili, eadem [10]; requiro,

7. *Longum est iter ad omnia.* Multi MSS habent : « longum est omnia ». Sed alii et editi veteres dant, « longum est iter ad omnia »; unde Gulielmius in Plauti Stichum, c. 5, effinxit, « longum est iterare omnia ». Sed ea loci non est mens : vult enim Velleius rem fore tædii plenam, si cuncta Platonis somnia refutaret. Dav. — Ern. omittit *ad* ante *omnia*, dicens, subaudiendum esse *recensere ;* Heind. ait : tum potius subaudiendum esse *refellere*, *excutere*, *premere*. Sed retinet Heind. præpositionem, subaudiens *respondere*. Particulam certe plurimi exhibent libri, codd. Glog. et Red. ex nostris A. B. C. D. E. Fa. H. I. M. Quare et ego eam ut aptissimam retinuerim. Ma.

8. *Sed illa palmaris quidem.* Deest nomen ad quod singularia feminina referantur. Supplet quidem Cantab. dum exhibet *palmaris irrisio est ;* at codex est perparvi pretii, et voces, *irrisio est*, Monachis, ut opinor, debentur, ad oras exemplarium monentibus hæc ironice dici. Lego, « sed illud palmare est, quod qui non modo natum, etc. » Sic cuncta recte procedunt, et omnis evanescit difficultas. Dav.— Ernesto non placet Davisii emendatio, et se non videre ait, quomodo locus sit corrigendus. Heind. emendari vult ita : « Sed ille (ex Cod. Red.) palmaris (id est, palmam meretur), qui, quum non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu pæne factum, idem (*item* scriptum est operarum errore) eum dixerit fore sempiternum». Non male quidem; sed ipse Heind. fatetur vocem *palmaris* hoc sensu non occurrere. Ma.

9. *Physiologiam.* Post hanc vocem sequebatur, « id est, naturæ rationem»; quod induximus, videntes glossam esse ab aliquo adjectam, qui *physiologiam* interpretaretur. P. Manut.— Glossam, quam jure expunxit Manutius, habent nostri omnes, exceptis (quod tamen, quum ed. Juntina ad manum non sit, non omnino præstare ausim) Romanis. Cod. H. *idem naturæ rat.* Omisit hoc glossema etiam Heindorfius. Mox ed. Th. et codd. E. Fa. G. I. et M. *coangmentatio.* Tum H. D. et M. *cui principium ;* quod non placet. Pro *labris*, edd. Marsi, Ascens. et Thuan. *labiis*, qua forma alibi Ciceronem non uti observavit Heind. Ma.

10. *Proncea vero si vestra est, Lucili, eadem ; requiro quæ paullo ante.* Ampliss. Boherius hunc locum ita cen-

Digitized by Google

quæ paullo ante, ministros, machinas, omnem totius operis designationem[11] atque apparatum : sin alia est, cur mortalem fecerit mundum, non, quemadmodum Platonicus deus, sempiternum.

21 IX. Ab utroque autem sciscitor, cur mundi ædificatores repente exstiterint; innumerabilia sæcula dormierint. Non enim, si mundus nullus erat, sæcula non erant. Sæcula nunc dico, non ea, quæ dierum noctiumque numero annuis cursibus conficiuntur : nam fateor, ea sine mundi conversione effici non potuisse. Sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla temporum circumscriptio metiebatur; spatio tamen, qualis ea fuerit, intelligi non potest[1] : quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus ali-
22 quod, nullum quum tempus esset. Isto igitur tam immenso spatio quæro, Balbe, cur Pronœa vestra cessaverit. Laboremne fugiebat? at iste nec attingit deum, nec erat ullus, quum omnes naturæ[2] numini divino, cælum, ignes, terræ, maria parerent. Quid autem erat, quod concupisceret deus mundum signis

set interpungendum : « Pronœa vero si vestra est, Lucili ; eadem requiro quæ paullo ante ». Nec aliter editio Victoriana. Sed vera prorsus est illa, quam retinemus, distinctio : sequitur enim, *sin alia est ;* ut oppositio sit inter *eadem* et *alia*. Dav. — A Boherii partibus, sed frustra, stant nostri fere omnes. Et Heindorfius quoque *eadem* ad priorem partem enuntiationis trahit. Sed idem vocabulum etiam in sequentibus desiderari contendens, κακοφώνως (ut videtur censori Jen.) scribit : « Pronœa vero si vestra est, Lucili, eadem, eadem requiro, quæ paullo ante ». Ego ne desiderari quidem alterum *eadem* credo. Ca.

11. *Omnem totius operis designationem*. Sic legendum, et ita habent libri veteres ; non, « omnem totius orbis designationem ». Lamb.

IX. 1. *Intelligi non potest*. Hanc habent lectionem MSS complures et edd. veteres; quam vero reprehendit Davisius. « Plane, ait, contra mentem auctoris : nam ille vult, idea, prout philosophi loquuntur, abstracta spatii sive temporis, nulloque habito ad solis motum respectu, concipi posse rem, de qua agitur ». Reduxit Heindorfius vocem *non* ante *potest*, quam iterum rejecit Creuzerus.

2. *Naturæ*. Vulgo substantiæ, elementa. Wytt. — Natura nonnumquam menti opponitur, ut materiem significans.

Digitized by Google

et luminibus[3], tamquam ædilis, ornare? Si, ut deus ipse melius habitaret; antea videlicet tempore infinito in tenebris, tamquam in gurgustio[4], habitaverat. Post autem varietatene eum delectari putamus, qua cælum et terras exornatas videmus? quæ ista potest esse oblectatio deo? quæ si esset, non ea tamdiu carere potuisset.

An hæc, ut fere dicitis, hominum causa a deo con- 23
stituta sunt? Sapientumne? propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio. An stultorum[5]? At primum causa non fuit, cur de improbis bene mereretur. Deinde quid est assequutus, quum omnes stulti sint sine dubio miserrimi; maxime quod stulti sunt: miserius enim stultitia quid possumus dicere? deinde quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre præsentia.

X. Qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt animi naturam intelligentis, in quam figuram cadere pos-

3. *Concupisceret deus mundum signis et luminibus... ornare.* Ambrosius Hexaem. lib. II, cap. 4, n. 15: « Cælum, quod οὐρανὸς græce dicitur, latine, quia impressa stellarum lumina velut signa habeat, tamquam cælatum appellatur ». Pariter stellæ Græcis τείρεα sunt et σήματα nominatæ. Acerbe invehitur Heindorfius in Ernesti sententiam, qui hoc loco elegantem lusum agnoscit, ideoque, ne ille turbetur, abesse vult voces « et luminibus ». Ineptum appellat hunc lusum, nimirum ut nobis commendet conjecturam suam, quam et Schneidero in mentem venisse dicit: vult nempe *ædes* vel *ædiculam*; quod convenire ei videtur melius cum sequenti *gurgustio*. Equidem Ernesto potius assentio. Mn.

4. *Tamquam in gurgustio.* Reg. a secunda manu, « tamquam in ergastulo ». Haud videlicet intellexerunt librarii, quid *fuerit gurgustium*. Id autem Festo dicitur « genus habitationis angustum ». Suetonius de Illustr. Grammat. cap. 9, « Additus modico gurgustio ». Eadem voce utitur Cicero in Pisonem, cap. 6, et, ne scriptores alios memorem, Ambrosius Hexaem. lib. I, cap. 8, n. 32, et Epist. XXXIV, 4. Dav.

5. *An stultorum?* Stulti apud philosophos sapientibus opponuntur: qui a ratione discedunt, ii simul et improbi et male sani ceu stulti dicuntur.

Digitized by Google

24 set[1] : de quo dicam equidem paullo post. Nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui animantem, immortalem, et eumdem beatum, rotundum[2] esse velint, quod ea forma ullam neget esse pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur esse formosior. Quæ vero tribuitur vita isti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit. In qua non video, ubinam mens constans, et vita beata possit insistere. Quodque in nostro corpore, si minima ex parte significetur[3], molestum sit, cur hoc idem non habeatur molestum in deo? Terra enim profecto[4] quoniam pars mundi est, pars est etiam dei.

X. 1. *Nullomodo viderunt animi naturam intelligentis, in quam figuram cadere posset.* Ex Epicureorum sententia, ratio nusquam inesse potuit, nisi in hominis figura. Vide Nostrum cap. 18 et 32. Homericæ vitæ scriptor inter Opusc. Galeana p. 336 : Οὐδὲν ἄλλο σώματος εἶδος ἢ τοῦ ἀνθρώπου δεκτικόν ἐστιν ἐπιστήμης καὶ λόγου. Hoc igitur argumento Velleius eos refellit, qui mundum sapientem, ac simul rotundum et volubilem, esse statuerunt. Gulielmius et Graterus legunt, ut nos ipsi, « nullo modo viderunt animi naturam, intelligentis in quam figuram cadere posset » : ac ita Pal. tert. et Med. Iis accedit etiam Clar. Boherius, et hellenismum esse vult : adeo ut perinde sit ac si dixisset Cicero, nullo modo viderunt, in quam figuram animi intelligentis figura posset cadere. Sed complures aliæ proponuntur lectiones : « nullo modo viderunt animi naturam, intelligentis in quam figuram cadere posset », vel « non intelligentes », et nonnullæ aliæ. In diversissimas abeunt partes viri docti, in eo vero omnes consentiunt, aliquid h. l. esse vitii. Mr.

2. *Rotundum*, etc. Heind. ipsa, ut ait, ratione præbente sine libris edidit « qui anim. imm. beatum, et eumdem rotundum esse ». Sed quamquam hoc ei præbuerit ratio, nequaquam tamen jussit. Mr.

3. *Si minima ex parte significetur.* Hæc verba nihil huc faciunt : quapropter vel a librariis addita, vel misere corrupta sunt censenda. Codices tamen auxilium non ferunt, nec commoda succurrit conjectura. Possem, « si minima in parte sentiatur » : sed videtur ampliandum. Dav. — *Significetur.* Id est, se ostendat. Dicitur more Græcorum de morbis ἐπισημαίνειν, veluti febris significatur, i. e. parvula apparet febricula. Davisius temere hunc locum corruptum putavit. Loquitur enim Velleius Epicureus de dolore, quem Epicurei pro summo malo habebant, et pro magno incommodo et molestia, si tantummodo significaretur. Wytt.

4. *Terra enim profecto*, etc. Hæc, inter alios, latius diduxit Lactantius Div. Inst. VII, cap. 3, 8 seq. Dav.

Digitized by Google

Atqui terræ maximas regiones, inhabitabiles, atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque, longinquo solis abscessu. Quæ, si mundus est deus, quoniam partes mundi sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.

Atque hæc quidem vestra, Lucili. Qualia vero alia sint[5], ab ultimo repetam superiorum[6].

Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quæsivit[7], aquam dixit esse initium rerum; deum autem, eam mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret[8]. Si

5. *Qualia vero alia sint.* Vulg. «qualia vero sint». Nos autem vocem omnino necessariam ex Pal. secundo et Wower. mutavimus. Dav. — Ernestus aut cum Davisio scribi vult «qualia vero alia sint», aut (quod magis probat) «alia vero qualia sint». Heind. vulgatam dedit, quum codd. nihil melius afferrent. Desiderari ait *aliorum*, v. *reliquorum*, v. *ceterorum* pro alia. Suadet, dum aliquis melius quid inveniat, ita legere: «Atque... Lucili; reliquorum non sunt meliora. Qualia vero sint, ab, etc.» Omnia hæc demonstrant turbatum esse locum; quod ad sensum Heindorfius bene. Sed malim Davisium et nostros quatuor codd. sequi, qui a sensu certe non aberrant et quorum lenior est medela. Censor, quem supra laudavimus, Halensis deleta voce *vero* legere jubet: «Atque hæc quidem vestra, Lucili, qualia sint, ab ultimo, etc.» Haud incommode, nam nondum Stoicorum rationem omnem exposuit, neque explosit, sed pergit in iis recensendis ac refutandis inde ad cap. 14. Ma.

6. *Ab ultimo repetam superiorum.* Ab antiquorum philosophorum vetustissimo.

7. *Qui primus de talibus rebus quæsivit.* Unde factum sit, ut Thales aquam rerum esse principium statuerit, docebunt Aristoteles, Metaphys. lib. I, cap. 3; Heraclides Ponticus, Alleg. Homer. pag. 439; Plutarchus, Plac. Philos. lib. I, cap. 3, et ex eo Eusebius, P. E. lib. XIV, cap. 14. Nemesius de N. H. cap. 5, pag. 130: Θαλῆς τὸ ὕδωρ μόνον λέγων εἶναι στοιχεῖον, πειρᾶται δεικνύειν τ' ἄλλα τρία ἀπὸ τούτου γινόμενα. Τὴν μὲν γὰρ ὑποστάθμην αὐτοῦ γῆν γίνεσθαι, τὸ δὲ λεπτομερέστερον ἀέρα, τοῦ δὲ ἀέρος τὸ λεπτομερέστερον πῦρ. Vide et Simplicium in Aristotelis Phys. lib. I, p. 6. Dav. — Ad argumentum conf. Cicer. Acad. lib. II, cap. 37, sect. 118 seq. et Stobæi Eclogg. Phys. lib. I, cap. 3, 28, pag. 54 seqq. ed. Heer. Ca.

8. *Quæ ex aqua cuncta fingeret.* Sic etiam Minucius Felix, Oct. XIX, et ex eo Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 5; Augustinus tamen, Civ. Dei, lib. VIII, cap. 2: «Thaletem nihil huic operi ex mente divina præposuisse» confirmat. Et eum sane inter eos, qui τὰς ὕλας εἴδεσι μόνον ὠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων, recenset Aristoteles, Metaph. lib. I, cap. 3. Dav. — Noster

Digitized by Google

dii possunt esse sine sensu et motu, cur aquæ adjunxit[9], si ipsa mens constare potest vacans corpore?

Anaximandri autem opinio est, nativos esse deos, longis intervallis orientes, occidentesque, eosque innumerabiles esse mundos[10]. Sed nos deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus?

26 Post Anaximenes aera deum statuit, eumque gigni, esseque immensum, et infinitum, et semper in motu: quasi aut aer sine ulla forma deus esse possit, quum præsertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie esse deceat; aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur.

Gassendi de hoc loco ait: «Quum dicit *fingeret*, non *finxerit*, planum facit placuisse illi eamdem adhuc causam penetrare in omnia, omniaque adhuc efficere». Phys. lib. IV, sect. 1, cap. 2.

9. *Si dii possunt esse sine sensu et motu, cur aquæ adjunxit.* Libri vulgati sic habent: «Si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquæ adjunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?» Quam scripturam quis non videt esse mutilam? Lamb. — Locus est, librariorum socordia, vel mutilus vel corruptus. Si nihil exciderit, ita reponerem: «sic dii possunt esse sine sensu. At mentem cur aquæ adjunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore?» Nam putarunt Epicurei fieri non posse, quin ἄσωματον omne sensu careret. Vide capp. 12 et 13. Dav. — Ernest. ex conjectura dedit *motu*. Probat hoc Heind. sed ad *adjunxit* deesse aliquid ait. Conjicit igitur: «si dii possunt esse sine sensu, cur aquæ mentem adjunxit, si ipsa mens, etc.» Nostri codd. A. B. C. D. H. *sic dii*; E. I. *sine sensu, sine mente*; Fa. et M. *sine visu et sine mente*. Ed. Th. *sine visu et mente*. Nihil inde medelæ. Ernestum sequor, commode enim ex sequentibus ad *adjunxit* potest subaudiri *mentem*, quod Heind. nimis perspicuitati studens, inseri voluit. Ma.

10. *Eosque innumerabiles esse mundos.* Eliens. etiam unus omittit *mundos*, quam vocem pro glossemate perperam habuit Fulv. Ursinus; Lambinus autem rescribit «idemque innumerabiles esse mundos»; quasi Anaximander mundis divinitatem non tribueret; nam certe vel hos, vel nullos esse deos censuit. Cf. Cyrillum contra Julianum, lib. I, p. 28. Vide Eusebium, Præp. Evangel. lib. I, cap. 8, et lib. XIV, cap. 14; Augustinum, Civitat. Dei, lib. VIII, cap. 2, ac Plutarchum, de Placit. lib. I, cap. 3. Davis. — Cod. Red. *eosque esse innumerab. deos.* G. *eorumque innum. esse mundos.* Heind. conjicit: «eosque innumerabiles esse et ipsos esse mundos». Sic quidem explicandus, neque vero emendandus videtur locus. Ma. — Nostrum locum Stobæo Eclogg. Ph. I, p. 56, adhibuit Heerenius, acutissimi ingenii vir, quem confer. Ca.

Digitized by Google

XI. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus[1] omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit : in quo non vidit, neque motum sensui junctum et continentem, in infinito ullum esse[2] posse; neque sensum omnino, quo non ipsa natura[3] pulsa sentiret. Deinde si mentem istam quasi animal aliquod esse voluit, erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur. Quid autem interius mente? Cingatur igitur corpore externo. Quod quoniam non pla- 27
cet[4], aperta simplexque mens, nulla re adjuncta, quæ sentire possit[5], fugere intelligentiæ nostræ vim et notionem videtur.

XI. 1. *Anaxagoras... primus omnium rerum*, etc. Quomodo *primus?* siquidem Thales « deum esse mentem dixerat, quæ ex aqua cuncta fingeret». Lescaloperius hoc Anaxagoræ tributum putat, quod « primus librum a se scriptum in lucem ediderit ». At præterquam quod hoc omnino sit futile, prout observavit Baylius, Dict. tom. I, pag. 209, tradit Augustinus, Civitat. Dei, lib. VII, cap. 2, « Thaletem suas disputationes literis mandasse». Vere falsone, non quæram. Repugnat certe Themistius, Orat. cap. 26, p. 317. Vide et Laertium, lib. I, cap. 23. Nodus autem, qui nectitur, solvi forte queat, si reputemus Thaletis deum immobilem esse, mundique mentem. Vide Stobæum, Eclogg. Phys. pag. 2, 31; Plutarchum, Placit. lib. I, cap. 7, et Cyrillum in Julianum, lib. I, pag. 28. At « Anaxagoras deum esse dixit infinitam mentem, quæ per se ipsa moveatur », ut ait Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 5, eumque mundo non infixum, sed terrena contagione liberum pronuntiavit. Adi Tertullianum, de Anima, cap. 12. Quum igitur tanta fuerint opinionum divortia; nihil obstat, quo minus Anaxagoras auctor suæ sit sententiæ. Consule, si placet, Cedrenum, p. 158. Dav.

2. *In infinito ullum esse posse.* Ad argumentum conf. Valckenaer, Diatr. Euripid. p. 40 seq. Wyttenb. ad Plat. Phædon. p. 183, et Cari Comment. de Anaxag. Cosmotheol. Ca.

3. *Quo non ipsa natura.* Augustini codex dedit, « quo non tota natura pulsa sentiret ». Nec displicet ea ratio. Davis. — Heind. ex Augustino addit *tota;* non male, neque vero necesitate urgente. Ed. Marsi, *quo ipsa natura;* Ascens. et Th. « quem non ipsa natura pulsans sentiret ». Ma.

4. *Quod quoniam non placet.* I. e. quia non placet Anaxagoræ deum corpus habere, sequitur ut intelligentiæ nostræ vim et notionem fugiat, i. e. ut intelligi non possit et ut repugnet esse aliquam mentem. Wytt.

5. *Qua sentire possit.* Sic Augustinus; quam lectionem merito probavit Cl. Boherius. Vulgo, *quæ*. Quod mihi non admittendum videtur. Davis. — Heind. cum Dav. ex Augustino, et ed.

Digitized by Google

Crotoniates autem Alcmæo [6], qui soli et lunæ, reliquisque sideribus, animoque præterea divinitatem dedit, non sensit, sese mortalibus rebus immortalitatem dare.

Nam Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur [7], non vidit, distractione humanorum animorum discerpi et lacerari deum; et quum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri
28 non potest. Cur autem quidquam ignoraret animus hominis, si esset deus? Quomodo porro deus iste, si nihil esset nisi animus, aut infixus, aut infusus esset in mundo?

Tum Xenophanes, qui, mente adjuncta, omne

Marsi, *qua;* bene addens, ad mentis sensum hoc esse referendum. Cr.

6. *Crotoniates autem Alcmæo.* Cf. Aristotelem, de Anima, I, 2. Vide et Clementem, Protrept. pag. 19 ed. Sylburg. Dav. — De hoc Alcmæone adde Diog. Laert. lib. VIII, § 83, ibique Menag. Antigon. Caryst. cap. 95, ibique Beckm. pag. 145, qui aliquot interpretum horum Ciceronis librorum in hoc homine errorem notavit. Cr.

7. *Ex quo nostri animi carperentur.* Eliens. uterque *caperentur;* quod nonnullis fortasse speciosum videbitur. Nam de hac ipsa re sic Minucius, c. 19: « Pythagoræ deus est animus per universam rerum naturam commeans et intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur ». Lactantius, Div. Instit. lib. I, cap. 5: « Pythagoras ita definivit, quid esset deus: animus, qui per universas (leg. deleto pronomine *animus per universas*) mundi partes omnemque naturam commeans atque diffusus, ex quo omnia, quæ nascuntur, animalia vitam capiunt »; eumque locum exscripsit Salvianus de Gub. Dei, lib. I, cap. 4, non enim ad hunc Tullii locum respexit, ut vult Conr. Rittershusius, nec ad Minucianum, ut censet Steph. Baluzius. Sed longe præstat recepta lectio, Velleiique animo magis convenit invidiosa hæc loquendi formula; denotat enim, mentes nostras numinis esse frusta quædam lacera, particulasque vi quadam avulsas. Si Justino martyri fides, ipsius Pythagoræ verba huc facientia dedit Cohort. ad Græcos, c. 18. Sed liber, ex quo sunt hausta, plane fuit suppositicius; quod, ut opinor, olfecit Clemens Alexandrinus; quapropter ambiguitatem captans, ea τοῖς ἀμφὶ τὸν Πυθαγόραν adscribit in Protrept. pag. 21. At fraudem minime suspicatus est Cyrillus contra Julian. lib. I, p. 30. Dav. — Nonnulli codd. ex nostris exhibent, « nostri animi caperentur ». Mr.

Digitized by Google

præterea, quod esset infinitum[8], deum voluit esse, de ipsa mente item reprehenditur, ut ceteri; de infinitate autem vehementius, in qua nihil neque sentiens, neque conjunctum potest esse.

Nam Parmenides commentitium quiddam coronæ similitudine efficit: Stephanem appellat[9], continentem ardore lucis orbem, qui cingit cælum; quem appellat deum. In quo neque figuram divinam, neque sensum quisquam suspicari potest. Multa ejusdem monstra; quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem, ceteraque generis ejusdem ad deum revocat: quæ vel morbo, vel somno, vel oblivione, vel vetustate delentur. Eademque de sideribus; quæ reprehensa jam in alio[10], in hoc omittantur.

XII. Empedocles autem, multa alia peccans, in 29

8. *Omne præterea, quod esset infinitum.* Vide Minucium Felicem Oct. cap. 19. At hoc cum iis non convenit, quæ plurimi scriptores, et ipse quidem Tullius alibi, tradiderunt. Sic Acad. lib. II, cap. 37: «Xenophanes .. unum esse omnia... et id esse deum... conglobata figura». Norunt omnes nullam prorsus figuram infinitati competere. Quare, pro illius sententia, nullum esset infinitum. At sibi congruus est Origenes, qui Philos. c. 14, simul ac Theodoretus, Ther. lib. IV, p. 57, a Xenophane deum πεπερασμένον καὶ σφαιροειδῆ statutum tradit; cui nomen fuisse σφαῖραν ἀπαθῆ, auctor est etiam Sextus Empiricus, Pyrrhon. Hypoth. lib. III, cap. 24, pag. 155. Plura suppeditabit Æg. Menagius ad Diogenis Laertii lib. IX, cap. 19. Sed hisce repugnat, quod habet Aristoteles in libello de Xenophane, Zenone, et Gorgia, cap. 1. Omnino vide Simplicium in Aristotelis Phys. lib. I, p. 6. Davis.

9. *Commentitium quiddam coronæ similitudine efficit: Stephanen appellat. Commentitium* vocat Noster id quod in rerum natura non exsistit, sed est humani ingenii figmentum. Sic de Divin. lib. I, cap. 32, ac de Fin. lib. I, cap. 6. Nec aliter passim Cicero. De *commentitia* vero, quam memorat Noster, corona vide Plutarchum, Placit. lib. II, cap. 7, et plenius Stobæum, Eclogg. Phys. p. 50. Dav.

10. *In alio loco.* Sic Med. Ascens. et Victor. At ultimam vocem vulgo prætermittunt. Dav.—Quod receperat etiam Ernestus parvum glossema *loco* (debuit nempe subaudiri *philosopho*, i. e. Alcmæone) bene expunxit Heind. nec habent nostri fere omnes, qui exhibent «reprehensa in alio, jam in hoc omittantur», ut est in edd. Marsi, Th. et Ascens. Solus noster Le. «quæ repr. jam in alio, in hoc loco omitt.» et O. «alio jam in loco». Sed et hoc, quod sedem mutavit vox *loco*, demonstrat eam esse insititiam. Ma.

Digitized by Google

deorum opinione turpissime labitur. Quatuor enim naturas, ex quibus omnia constare vult, divinas esse censet[1]; quas et nasci, et exstingui perspicuum est, et sensu omni carere.

Nec vero Protagoras, qui sese negat omnino de diis habere, quod liqueat, sint, non sint, qualesve sint, quidquam videtur de natura deorum suspicari.

Quid? Democritus, qui tum imagines, earumque circuitus in deorum numero refert[2], tum illam naturam, quæ imagines fundat ac mittat, tum scientiam intelligentiamque nostram, nonne in maximo errore versatur? Quum idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quidquam sempiternum: nonne deum omnino ita tollit, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat?

Quid? aer, quo Diogenes Apolloniates utitur deo, quem sensum habere potest, aut quam formam dei[3]?

30 Jam de Platonis inconstantia longum est dicere: qui in Timæo, patrem hujus mundi nominari neget

XII. 1. *Quatuor enim naturas, ex quibus omnia constare vult, divinas esse censet.* Empedoclis sententiam de principiis luculenter exponit Ach. Tatius, Isag. in Phænom. p. 125, qui, ut et Cyrillus in Julian. lib. II, pag. 67, prætermissus est ab interpretibus ad Laertii lib. VIII, § 76. Vide et Plutarchum de Placit. Philos. lib. I, cap. 3. Dav. — Adde Stobæi Eclogg. Phys. lib. I, cap. 3, p. 60 ed. Heeren. indeque tene potissimum illa: λέγει δὲ καὶ τὰ στοιχεῖα θεοὺς, κ. τ. λ. Plura congessit Sturzius V. C. in Empedocle, p. 166 sq. p. 214. Ma.

2. *Quid? Democritus, qui tum imagines, earumque circuitus in deorum numero refert*, etc. Imagines vocat simulacra ex corporibus effluentia. Irenæus, lib. II, cap. 19: «Democritus primus ait, multas ac varias ab universitate figuras expressas descendisse in hunc mundum». Minucius Octav. cap. 19: «Democritus ... nonne plerumque naturam, quæ imagines fundat, et intelligentiam deum loquitur?» Plura dicemus ad hujusce libri c. 43. Lamb.

3. *Quid? aer, quo Diogenes Apolloniates utitur deo, quem sensum habere potest, aut quam formam dei?* Non ex Tullii verbis patet quidnam interesit discriminis Diogenis inter et Anaximenis opinionem. Sed D. Augustinus de Civ. Dei, lib. VIII, cap. 2, refert Anaximenem aera inanimatum, Diogenem vero aera intelligentem credidisse.

Digitized by Google

posse[4]; in Legum autem libris, quid sit omnino deus, anquiri oportere non censeat[5]. Quod vero sine corpore ullo deum vult esse, ut Græci dicunt, ἀσώματον, id quale esse possit, intelligi non potest. Careat enim sensu, necesse est, careat etiam prudentia, careat voluptate: quæ omnia una cum deorum notione comprehendimus. Idem et in Timæo dicit, et in Legibus, et mundum deum[6] esse, et cælum, et astra, et terram, et animos, et eos, quos majorum institutis accepimus[7]: quæ et per se sunt falsa perspicue, et inter sese vehementer repugnantia.

Atque etiam Xenophon paucioribus verbis[8] eadem 31

4. *In Timæo patrem hujus mundi nominari neget posse.* Pag. 526 edit. Lugd. Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶνδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Interpretationem suppeditabit Cicero de Univers. cap. 2. Vide sis et Apuleium Dogm. Plat. lib. I, pag. 572, et Minucium, c. 19. Josephus in Apionem, lib. II, cap. 31: Αὐτὸς δὲ Πλάτων ὡμολόγησεν, ὅτι τὴν ἀληθῆ περὶ τοῦ θεοῦ δόξαν εἰς τὴν τῶν ὄχλων ἄγνοιαν οὐκ ἦν ἀσφαλὲς ἐξενεγκεῖν. Hunc autem Platonis locum passim laudant vett. Christiani et eum μεγαλοφυῶς μὲν καὶ οὐκ ἀκαταφρονήτως τὴν ἐκκειμένην λέξιν προφέρεσθαι, testatur Origenes contra Celsum, lib. VII, p. 360. Adi et Cyrillum in Julianum, lib. I, p. 30. Dav. — Pessimo operarum vitio in Ernesti editione ultima est *partem*, quod fideliter repetiit Kindervaterus. Ma.

5. *In Legum autem libris, quid sit omnino deus, anquiri oportere non censeat.* Lib. VII, pag. 640 (p. 821, p. 288 ed. Ast.) Τὸν μέγιστον θεὸν... φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν οὔτε πολυπραγμονεῖν τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας. Ad hunc Platonis, ceteris quidem opinionibus minime consentaneum, locum respicit Lactantius, de Ira Dei cap. 11. Dav.

6. *Idem et in Timæo dicit, et in Legibus, et mundum deum*, etc. Vide Timæi p. 528, C; 530, D, seqq. Leg. lib. VII, p. 640, G, et lib. X, p. 670, B, aut, si mavis, Eusebium, Præp. Evang. lib. XIII, cap. 18. Dav.

7. *Et eos quos majorum institutis accepimus.* Leve est quod dicturus sum; sed tamen, quidquid est, lectorem non celabo. Tres libri veteres, uno consensu, habent hoc loco: «et eos quos malorum institutis accepimus». Quod eo adscripsi, ut meminerit lector, scriptores illos librarios indoctos sæpe scripsisse *i* pro *l*, et contra *l* pro *i*. Lamb.

8. *Xenophon paucioribus verbis*, etc. Respicit ad Ἀπομν. lib. IV, cap. 3, § 13 seqq. Ejus mentem paucis exposuit Clemens in Protrept. p. 21. Eadem repetit Strom. lib. V, pag. 256, et inde Eusebius, Præp. Evang. XIII, cap. 13, p. 678. Ast apud eos omnes legendum, ὁ ΠΑΜΦΑΝΗΣ δοκῶν εἶναι Ἥλιος, ut habent Cyrillus contra Julianum, lib. I, pag. 32, et Stobæus, Eclog. Phys. lib. II, cap. 1, pag. 157;

Digitized by Google

fere peccat. Facit enim in iis, quæ a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem, formam dei quæri non oportere; eumdemque et solem, et animum deum dicere; et modo unum, tum autem plures deos. Quæ sunt iisdem in erratis fere, quibus ea, quæ de Platone diximus [9].

32 XIII. Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui Physicus inscribitur [1], populares deos multos, naturalem unum [2] esse dicens, tollit vim et naturam deorum. Nec multo secus Speusippus, Platonem avunculum subsequens, et vim quamdam dicens, qua omnia regantur, eamque animalem [3], evellere ex animis conatur cognitionem deorum.

33 Aristoteles quoque in tertio de Philosophia [4] libro multa turbat, a magistro Platone [5] non dissentiens.

nam παμφανὴς est *omnibus apparens*, ὁ πᾶσι φανερὸς, quemadmodum loquitur Xenophon; παμφαὴς autem, *omnia luce collustrans*; quod ad auctoris propositum non facit. Vide sis etiam Minucium Felicem, cap. 19; Lactantium de Ira Dei, cap. 11, et Stobæum, Serm. 78, pag. 467. Dav.

9. *Quæ de Platone diximus.* Quædam edit. *dicimus*. Ultimam vocem prorsus abjiciendam censuit Gruterus. Leniore medicina legerim, « quæ de Platone diximus », vel, si mavis, *dicimus*. Dav. — Bene Heind. recepit, *diximus*, quod et Ernest. volnit et habet cod. M. Ma.

XIII. 1. *In eo libro, qui Physicus inscribitur.* Operam ludit D. Lambinus, cui placet *Physiognomicus*; nam Antisthenem in Physico laudat Lactantius de Ira Dei, cap. 11, ejusdemque duos περὶ φύσεως libros memorat Diogenes Laertius, lib. VI, § 17. Dav.

2. *Populares deos multos, naturalem unum.* Idem tradunt Minucius Felix, cap. 19, et Lactantius. Davis.

3. *Vim quamdam dicens ... eamque animalem.* Stobæus, Ecl. Physic. pag. 2 : Σπεύσιππος (θεὸν ἀπεφήνατο) τὸν νοῦν οὔτε τῷ ἐνὶ οὔτε τῷ ἀγαθῷ τὸν αὐτὸν, ἰδιοφυῆ δέ. Minucius Octav. cap. 19: « Speusippum vim naturalem animalem, qua omnia regantur, deum nosse ». Vocem *naturalem* delendam puto; nam nostrum Felix exscripsit, nec vim *naturalem* Cicero memorat. Davis.

4. *Aristoteles quoque in tertio de Philosophia libro.* Aristotelem tres de philosophia libros scripsisse tradit Diogenes, de quibus ἐν τῷ περὶ ψυχῆς fit etiam ab ipso Aristotele mentio. Ursin.

5. *A magistro Platone non dissentiens.* Complures editi et MSS exhibent : « a Platone uno dissentiens ». Primum non ab *uno*, sed a multis dissentiebat; nam philosophi de diis varie sentiebant : deinde ab aliis potius quam a Platone, cujus eamdem fere

Digitized by Google

Modo enim menti tribuit omnem divinitatem; modo mundum ipsum deum dicit esse; modo quemdam alium præficit mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione quadam[6] mundi motum regat atque tueatur; tum cæli ardorem deum dicit esse, non intelligens, cælum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit deum. Quomodo autem cæli divinus ille sensus in celeritate tanta conservari potest? Ubi deinde illi tot dii[7], si numeramus etiam cælum deum? Quum autem sine corpore idem vult esse deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia[8]. Quo porro modo mundus moveri carèns corpore[9]; aut quomodo semper se movens, esse quietus et beatus potest?

de diis fuisse sententiam paullo ante ostendit; quam ejus discipuli, Aristoteles et Ponticus Heraclides, sunt secuti. Itaque videndum, num ita legi possit: « a magistro Platone non dissentiens ». P. Man. — Insuper qui mentem ἀσώματον, mundum, cælumque, deos statuit, multum abest, ut ab *uno* Platone dissentiat; ab aliis enim innumeris abit diversus, sed cum eo diserte facit. Hæc a Sam. Petito non fuere perpensa, qui Miscell. lib. IV, c. 9, rescripsit *una dissentiens*. Scripturæ *non dissent*. firmandæ res ipsa sufficit; nec tamen desunt Veterum testimonia, quibus patet, Aristotelem in hisce libris Platonis opiniones retulisse. Vide J. A. Fabricium, virum doctissimum, Biblioth. Græcæ lib. III, cap. 8, pag. 202. Ad hosce libros respexit Sext. Empiricus, Pyrrh. Hypot. lib. III, cap. 24, pag. 155, ubi ait: Ἀριστοτέλης μὲν ἀσώματον εἶπεν τὸν θεὸν εἶναι, καὶ πέρας τοῦ οὐρανοῦ. Aristotelis sententias refert etiam Minucius Felix in Octavio, cap. 19. Dav.

6. *Replicatione quadam.* Græce ἀνέλιξις, id est, ut in circulo corpora moveantur ad idem initium, unde cœperunt moveri. Wytt.

7. *Ubi deinde illi tot dii.* Hoc loco jam Ernestus hærebat, nesciens, quo hæc verba sint referenda. Heind. credit in præcedenti sermone aliquid hujusmodi excidisse: « modo deos eos, qui vulgo putantur »; præsertim quod Aristotelem Velleius dicat a Platone *non* dissensisse, Platonem autem ante retulerit eos quoque agnovisse deos, quos majorum institutis accepissent.

8. *Omni illum sensu privat, etiam prudentia.* Etenim ex Epicuro, quem sequitur Velleius, ratio et sensus non nisi in corpore et in humano corpore habitare possunt.

9. *Quo porro modo mundus moveri carens corpore.* Ernest. ex conjectura dedit: « quomodo mundum movere carens corpore potest (deus) ». Quod probat Wyttenbachius. Idem vult deleri *se* ante *movens*, ita ut intelligere sit: Quomodo deus, mundum semper movens, esse quietus et beatus potest? Epicurus enim beatitudinem in quiete ponebat. Ernesti conjecturam, quamvis Tullianæ sententiæ obscuritati

Digitized by Google

34 Nec vero ejus condiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior: in cujus libris, qui sunt de Natura deorum, nulla species divina describitur. Deos enim octo esse dicit: quinque eos, qui in stellis vagis nominantur[10]; unum, qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cælo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus; septimum, solem adjungit; octavumque, lunam[11]: qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest.

Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros: et tamen modo mundum, tum mentem divinam esse putat; errantibus etiam stellis divinitatem tribuit, sensuque deum privat, et ejus formam mutabilem esse vult[12]; eodemque in libro rursus terram et cælum refert in deos.

35 Nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est. Modo enim menti divinum tribuit principatum; modo cælo; tum autem signis, sideribusque cælestibus.

Nec audiendus ejus auditor Strato, is qui physicus appellatur: qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quæ causas gignendi, augendi, minuendi habeat; sed careat omni sensu[13] et figura.

medentem, probare non ausim.

10. *Qui in stellis vagis nominantur. Nominantur* exquisitius dicitur pro *numerantur*. Xenocratis sententiam sic effert Clemens Alexandrinus, Protrept. pag. 19: Ξενοκράτης... ἑπτὰ μὲν θεοὺς τοὺς πλανήτας, ὄγδοον δὲ τὸν ΕΚ ΠΑΝΤΩΝ ΑΥΤΩΝ συνεστῶτα κόσμον αἰνίττεται. Leg. ἐκ πάντων ΤΩΝ ΑΠΛΑΝΩΝ, eoque modo illi cum Cicerone conveniet. In enarranda tamen ejus opinione diversus abit Stobæus, Ecl. Phys. I, 3 (p. 62 ed. Heer.). Davis.

11. *Octavumque, lunam.* Sic Eliens. Med. Bonon. 1494, ac Ascens. et recte quidem; nam *deus* intelligitur. Vulgo, *octavamque*. Cati videlicet librarii solœcismum formidabant, nisi feminei generis adjectivum *lunæ* conjungerent. Davis. — Heindorfii codd. ed. Th. et nostri G. et Fa. Davisio adstipulantur; cujus lectionem ego quoque prætulerim. Ma.

12. *Et ejus formam mutabilem esse vult.* Dei formam mutabilem ait Heraclides, quippe nihil aliud esse intelligit nisi ipsius orbis formam, quæ quidem perpetuæ generationis corruptionisque vice immutatur.

13. *Sensu.* I. e. animo, intelligentia. Ut patet ex hoc Senecæ loco qui invenitur Civ. Dei lib. VI, cap. 10:

Digitized by Google

XIV. Zeno autem, ut jam ad vestros, Balbe, veniam, 36
naturalem legem, divinam esse censet[1], eamque vim obtinere recta imperantem, prohibentemque contraria. Quam legem quomodo efficiat animantem, intelligere non possumus. Deum autem animantem certe volumus esse. Atque hic idem alio loco æthera deum dicit, si intelligi potest[2] nihil sentiens deus, qui numquam nobis occurrit neque in precibus, neque in optatis, neque in votis. Aliis autem libris rationem quamdam, per omnem naturam rerum[3] pertinentem, ut divinam esse affectam putat[4]. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus, annorumque mutationibus. Quum vero Hesiodi theogoniam interpretatur, tollit omnino usitatas perceptasque cognitiones[5] deorum. Neque enim Jovem, neque Junonem, neque Vestam, neque quemquam, qui ita appelletur, in deorum habet numero; sed rebus inanimis atque mutis, per quamdam significationem, hæc docet tributa nomina.

Cujus discipuli Aristonis non minus magno in er- 37

«Ego feram aut Platonem aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?»

XIV. 1. *Naturalem legem, divinam esse censet.* Heind. ex cod. Glog. *deum esse censet*, quod videtur interpretis haud inepti, neque vero Ciceronis; est quasi id, quod Fichtius dixit, *die moralische Weltordnung.* Mr.

2. *Æthera deum dicit, si intelligi potest.* Vulgo *dicit esse:* sed nos eam caudam fide MSS Elicns. Reg. Med. Lincoln. et Victor. resecuimus. Dav. — Ita dedit et Heind. et abest illud *esse* a codd. Glog. Red. et ed. Marsi, nostris A. B. C. D. E. Fa. G. M. Ma.

3. *Per omnem naturam rerum.* Vulg. «per omnium naturam rerum». Alii vocem ultimam prorsus omittunt. Dav.

4. *Ut divinam esse affectam putat.* «Vi divina esse affectam putat», et apertius esset, et, ut puto, verius, nec insigni tamen mutatione. Manut. — *Ut divinam affectam.* Videtur corruptum esse, ut Ern. notavit. Sensus est: Divino affectu præditam esse putat.

5. *Usitatas perceptasque cognitiones.* Legendum est, ut alii habent codd. «insitas præceptasque cognitiones eorum». Insitæ cognitiones dicuntur etiam notiones innatæ, græce ἔννοιαι; præceptæ cognitiones sunt anticipatæ, quas habemus antea quam doctrinam aut aliam cognitionem per sensus accepimus; græce πρόληψις. Wytt. — Si correctio ista non in textum recipienda, saltem Tullii sensum optime illustrat.

Digitized by Google

rore sententia est : qui neque formam dei intelligi posse censeat, neque in diis sensum esse dicat, dubitetque omnino, deus animans, necne sit.

Cleanthes autem, qui Zenonem audivit una cum eo, quem proxime nominavi, tum ipsum mundum deum dicit esse; tum totius naturæ menti atque animo tribuit hoc nomen; tum ultimum, et altissimum, atque undique circumfusum, et extremum omnia cingentem atque complexum ardorem, qui æther[6] nominetur, certissimum deum judicat: idemque, quasi delirans, in iis libris, quos scripsit contra voluptatem[7], tum fingit formam quamdam et speciem deorum, tum divinitatem omnem tribuit astris, tum nihil ratione censet esse divinius. Ita fit, ut deus ille, quem mente noscimus, atque in animi notione, tamquam in vestigio[8], volumus reponere, nusquam prorsus appareat.

38 XV. At Persæus[1], ejusdem Zenonis auditor, eos

6. *Qui æther nominetur.* Lambinus ex V. C. legit *nominatur.* Male; nam Tullius *altissimo ardori* nomen Latinis haud notum imponit, vocabulum tamen Græcis usitatum adhibet. Vide lib. II, cap. 15 et 40. Dav. — Heind. Lambinum sequitur scribens *nominatur*, me non adsentiente. Neque ullus ex nostris libris adstipulatur. Ma. — Ad rem cf. geminum locum in Somn. Scip. cap. 4, ibique Triller. Ca.

7. *Quos scripsit contra voluptatem.* MSS repræsentant, *contra voluntatem;* sed eorum auctoritas hic est deserenda; nam Cleanthis librum περὶ Ἡδονῆς memorat Diogenes Laertius, lib. VII, § 87 et 175. Vide et Clementem Alexandrinum, Strom. lib. II, p. 179. Dav. — Idem, quod cap. 12, vitium, *voluntatem* pro *voluptatem*, plerosque occupat codices; ex nostris tamen veram lectionem exhibent Oxf. o. ψ. N. O. B. C. et edit. Basil. Ma.

8. *Tamquam in vestigio.* Hoc est, *in ambiente circulo*, ait Aldus Nepos. Absurde prorsus; neque enim illa est vestigii significatio, nec Epicurei mentem esse *circulum* statuerunt. Velleius adludere videtur ad *impressionem*, qua deorum cognitionem in animis nostris insculpi censet. Ita certe locum explicat vir acutissimus Tan. Faber, lib. I, ep. 34. Dav. — Deum cognoscimus per ἔννοιαν, ceu notionem innatam, ex ejusque notione, tamquam per vestigia, reliquam ejus cognitionem indagamus. Wytt.

XV. 1. *Persæus.* Sic scribendum, non *Perseus*, ut vulg. nam Græcis est Περσαῖος, quod eruditi dudum observarunt. Vide modo Dion. Chrysostomum, Orat. lib. LIII, pag. 555. Dav. — Ex nostris recte *Persæus* exhibent codd. D. E. Fa. Ma.

Digitized by Google

dicit esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa; ipsasque res utiles, et salutares, deorum esse vocabulis nuncupatas: ut ne hoc quidem diceret, illa inventa esse deorum, sed ipsa divina. Quo quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformes deorum honore afficere, aut homines jam morte deletos, reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu?

Jam vero Chrysippus, qui stoicorum somniorum 39
vaferrimus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne conjectura quidem informare possimus, quum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere. Ait enim, vim divinam in ratione esse positam et universæ naturæ animo atque mente; ipsumque mundum, deum dicit esse, et ejus animi fusionem universam[2]; tum ejus ipsius principatum[3], qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universam atque omnia continentem[4]; tum

2. *Fusionem universam.* Ad argumentum conf. lib. II, cap. 6; lib. II, cap. 26 seq. et Stobæi Eclogg. Phys. lib. I, p. 180, Heer. Χρύσιππος (ἀπεφαίνετο) δύναμιν πνευματικὴν τὴν οὐσίαν τῆς εἱμαρμένης, τάξει τοῦ παντὸς διοικητικήν, κ. τ. λ. Cr.

3. *Ejus ipsius principatum.* Græce dicitur a Stoicis τὸ ἡγεμονικόν, quæ est principalis pars animi. Wytt.

4. *Universa atque omnia continentem.* Eliens. Reg. Ascens. et Victor. dant *universam*, ac ita legendum censet doctissimus Boherius. Ad me quod attinet, rescripserim, «communemque rerum naturam, immensam atque omnia continentem». *Immensum* et *universum* passim confundi sciunt omnes, qui MSS trivere. Fortasse tamen defendi possit lectio recepta; quum *omnem universamque naturam* dixerit Augustinus, C. D. lib. VII, cap. 23. Dav. — Ern. e cod. Guelf. et Heind. ex suis recepit *universam*, quod jam Marsus, Ascens. et Victor. ediderant et est in nostris A. C. D. E. Fa. G. Oxf. u. ψ. Sed explicari potest *universa atque omnia* ita, ut sit fere id, quod alibi *omnia ac singula*. Vid. Schelleri Obss. ad prisc. Scriptt. p. 208. Heind. conjicit «communemque rerum naturam universitatemque omnia continentem». Quod probat censor, quem supra laudavimus, Jen. Neque Ernesto neque Heind. placet Davisii *immensam*. Mn. — Censor Hal. quem laudavimus *universa*, *omnia*, ut est apud Plaut. Trin. I, 2, 134.

Digitized by Google

fatalem umbram [5], et necessitatem rerum futurarum; ignem præterea, et eum [6], quem antea dixi, æthera; tum ea, quæ natura fluerent atque manarent, ut et aquam, et terram, et aera [7]; solem, lunam, sidera, universitatemque rerum, qua omnia continerentur; atque homines etiam eos, qui immortalitatem essent consequuti: idemque disputat, æthera esse eum, quem homines Jovem appellarent; quique aer per maria manaret, eum esse Neptunum; terramque eam esse, quæ Ceres diceretur; similique ratione persequitur vocabula reliquorum deorum: idèmque etiam legis

5. *Tum fatalem umbram.* Davisius, Heindorf. et complures alii habent *fatalem vim.* Verba nostra nullum sensum fundere censet Davis. et inanem esse observationem Xysti Betulcii, qui *umbræ* vocem ab homine Epicureo dumtaxat extenuandi gratia positam esse contendit. Idem Davisius in MS Eliensi *fatalem vim* invenisse affirmat. Ernest. Wytten. Schütz. Davisii partes tuentur. Doctus quidam vir immutari vult *umbram* in μοῖραν. Creuzerius *libram* proponit: *umbram* defendit Gœrens. ad Cic. de Fin. lib. I, cap. 18.

6. *Ignem præterea, et eum.* Cum ampliss. Boherio legerim, « ignem præterea eum, quem ante dixi æthera». Vide cap. 14. Davis. — Non probat Heindorfius, quod Davisius vult; vocalem enim *et* explicare potius hoc loco dicit, neque vero copulare. Ma.

7. *Tum ea, quæ natura fluerent atque manarent, ut et aquam, et terram, et aera.* Prorsus quidem mirandum, quomodo contigerit, ut in rebus fluentibus atque manantibus numeraretur *terra.* Hæc enim, pro philosophorum illorum sententiis, nullo fuit motu prædita. Pet. quidem Lescaloperius, vulgatam lectionem servans, hæc omnia *fluere et manare* dici putavit, quod in horas mutarentur et aliquid detrimenti facerent. Pari sane modo Heraclitus dixit ῥεῖν τὰ ὅλα ποταμοῦ δίκην. Vide Diogenem Laertium, lib. IX, § 8. Hac tamen interpretatione nihil est magis insubidum; ita enim non hominum tantum, sed et contemptissimarum bestiarum corpora, ne de plantis et arboribus loquar, in diis ponerentur. Aldus avus et Cl. Boherius legunt, « quæ natura fluerent atque manerent ». Ejus de mundo sententiam, quod observavit amplissimus ille vir, ita refert Stobæus, Eclogg. Phys. lib. I, cap. 25, p. 18: Τοῦ κόσμου τὸ μὲν εἶναι περιφερόμενον περὶ τὸ μέσον, τὸ δ' ὑπεμένον. Περιφερόμενον μὲν τὸν αἰθέρα, ὑπομένον δὲ τὴν γῆν καὶ τὰ ὑπ' αὐτὴν ὑγρὰ καὶ τὸν ἀέρα. Hoc sane loco confirmatur illa conjectura, quæ mihi quoque placet, si modo rescribatur, « quæ natura fluerent et quæ manerent ». Davis. — Heindorf. nisi verborum transpositio audacior videatur, non male conjicit: « tum ea quæ natura fluerent atque manarent, ut aquam et aera; tum solem, lunam, sidera, terram, universitatemque rerum, etc. » Ma.

Digitized by Google

perpetuæ et æternæ vim, quæ quasi dux vitæ et magistra officiorum sit, Jovem dicit esse, eamdemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem : quorum nihil tale est, ut in eo vis divina inesse videatur. Et hæc quidem in primo 41
libro de Natura deorum; in secundo autem vult Orphei, Musæi, Hesiodi, Homerique fabellas accommodare ad ea, quæ ipse primo libro de diis immortalibus dixerit : ut etiam veterrimi poetæ, qui hæc ne suspicati quidem sint, stoici fuisse videantur[8]. Quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerva, partum Jovis, ortumque virginis ad physiologiam traducens, dijungit a fabula.

XVI. Exposui fere non philosophorum judicia, sed 42
delirantium somnia[1]. Nec enim multo absurdiora sunt ea, quæ poetarum vocibus fusa, ipsa suavitate nocuerunt : qui et ira inflammatos[2], et libidine furentes

8. *Ut etiam veterrimi poetæ, qui hæc ne suspicati quidem sint, stoici fuisse videantur.* Paria faciebant alii philosophi; eamdemque rem aggressi sunt Cornutus, Heraclides Ponticus, cæteriquæ allegoricarum nugarum venditores. Vide Clement. Hom. VI, cap. 2 seq. et 17 seq. Davis.

XVI. 1. *Delirantium somnia.* Vide quomodo hæc convicia rependat Plotinus; qui quidem ipsos Epicureos ita describit. pag. 310, A : οἱ παραπλήσιον τοῖς ὑπερφέρουσι ποιοῦσι, et paucis interjectis, aliquot decreta ipsorum ὑπνώττια dicit. Cr.

2. *Qui et ira inflammatos.* Plinius, Hist. Natur. lib. II, cap. 7 : « Super omnem impudentiam est, adulteria inter ipsos (deos) fingi; mox etiam jurgia et odia, atque etiam furtorum esse et scelerum numina ». Omnino vide Sextum Empiricum advers. Mathem. p. 59, et Minucium Felicem, cap. 22. Quia et Angelos, « quos, ut ait Augustinus, Civ. Dei, XII, 24, Ethnici deos libentius appellant », quosque θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς autumat Origenes in Celsum, lib. V, pag. 233, amore mulierum captos fuisse, nec non inter se conflictus et prælia fecisse non pauci scriptores ecclesiastici statuerunt. Davis. — Cod. Red. *deos introduxerunt* (ut supra cap. 8, « qui non modo natum mundum introduxerit ». Cf. Gœr. ad Acadd. lib. II, cap. 42, pag. 238, qui plura exempla collegit. Cr.). Ad rem cf. locum de bellis deorum apud Plutarchum de Isid. et Osir. cap. 11, pag. 456 edit. Wyttenb. Ceterum ad hæc de poetis librarius codicis G. in margine adscripsit ita : « huic loco respondet illud Tusenl. quæstionum in procœmio libri III ». Recte. Vid. Tusc.

Digitized by Google

induxerunt deos; feceruntque, ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera videremus; odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortales-
43 que ex immortali procreatos[3]. Cum poetarum autem errore conjungere licet portenta magorum[4], Ægyptiorumque in eodem genere dementiam[5]; tum etiam vulgi opiniones, quæ in maxima inconstantia, veritatis ignoratione, versantur. Ea qui consideret, quam inconsulte ac temere dicantur, venerari Epicurum, et in eorum ipsorum numero, de quibus hæc quæstio est, habere debeat. Solus enim vidit, primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem im-

lib. III, cap. 2 init. et quæ ibi laudavit Davisius. Nec minus tamen huc facit locus Tuscull. lib. I, cap. 13, cui junge Pindar. Olymp. lib. I, od. 43, ibique Schol. et Plutarch. de audiend. poet. cap. 2, p. 61 ed. Wyttenb. Ca.

3. *Mortalesque ex immortalibus procreatos.* Vulg. *ex immortali.* Sed cave credas, solum Jovem prole *mortali* auctum fuisse; Neptunus enim, Mars, Apollo, reliquaque deorum turba *mortales* filios procrearunt. Conjeceram igitur *ex immortalibus*, quod quum firmaret MS Reg. a secunda manu recipere non dubitavi. Davis.—Heind. cum Dav. *immortalibus.* Bene. Noster A. «mortalisque et immortalis procreator». Kinderv. credidit ferri posse *immortali*, si e prioribus intelligatur *genere*; parum commode. Mr. — Nos vulgatam, quam non pauci codd. exhibent, retinuimus.

4. *Portenta magorum.* Quibus *ignis et unda deus*, ut ait Sidonius Apollinaris, Carm. II, 84, quique τὰ στοιχεῖα θεοποιοῦσι, teste Theodoreto, H. E. lib. V, cap. 39. Hæc testimonia sunt iis addenda, quæ congessit Barn. Brissonius de regn. Pers. lib. II, cap. 59. Nonnullas etiam περὶ θεῶν μυθοποιίας magis debuisse Græcos affirmat Cornutus, N. D. cap. 17. Dav.—*Portenta magorum Ægyptiorumque.* Nimirum tenendum est, quo loco numeroque Ciceronis ætate magi sint habiti. Priscas magorum mentiones suppeditant Herodot. lib. I, cap. 101; Plato in Alcibiad. lib. I, pag. 122, pag. 149; Buttm. et Xenoph. in Cyropæd. VII, 5, 20; conf. Ruhnken. ad Tim. p. 73, et Phrynich. in Bekkeri Anecdott. grr. p. 348, et quæ plura laudavi ad Plot. de Pulcr. p. 348 seqq. in his Tiedemann. de artium magicarum Origin. p. 33. Ca.

5. *Ægyptiorumque in eodem genere dementiam.* Ad hos respicit Plin. Hist. Nat. II, 5: «Gentes vero quædam animalia, etiam aliqua obscena pro Diis habent, ac multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos et alia similia jurantes». Plura de re nota non

Digitized by Google

pressisset ipsa natura. Quæ est enim gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam deorum[6]? quam appellat πρόληψιν[7] Epicurus, id est, anteceptam animo rei quamdam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest. Cujus rationis vim atque utilitatem ex illo cælesti Epicuri, de regula et judicio[8], volumine[9] accepimus.

XVII. Quod igitur fundamentum hujus quæstionis est, id præclare jactum videtis. Quum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, 44

congeram. Vide tamen sis interpretes ad Minucii Felicis cap. 28. Davis.

6. *Quæ est enim gens ... deorum?* Admonet similium locorum August. Menke: Tusculan. lib. I, cap. 13; de Legg. lib. I, cap. 8; Xenoph. Symp. lib. IV, § 48; Æliani V. H. lib. II, cap. 31. Xenophontii tamen loci paullo alienior ratio est. Ca.

7. Πρόληψιν. Hisce luoem dant verba Diogenis Laertii lib. X, § 33, necnon Clemens Alexandrinus, Strom. II, pag. 157. Plura diximus ad lib. I de Legg. cap. 9. Dav. — De Epicuri προλήψει conf. locos Ciceronis classicos: Topic. lib. VII, cap. 31; Acadd. II, 10, 30; de Legg. lib. I, cap. 9 init. ibiq. interprr. de Finib. lib. I, cap. 10 (pag. 43 ed. Gœrenz.). Epicuri ipsius epist. ad Herodot. apud Diog. lib. X, cap. 33 seq. Sext. Empiric. c. Math. lib. IX, cap. 26, lib. X, cap. 21; Lucret. lib. V, vs. 1163, et quæ nuper etiam Ciceronis causa disputarunt Wessele-Scholten in Diss. de loco Ciceron. qui est de divin. Natura, p. 22, et Schneider. ad Epicuri Physica, p. 48 (ad Epicuri Epist. laud. § 38). Ca.

8. *De regula et judicio.* Hoc volumen Diogeni Laertio, lib. X, § 27, inscriptum dicitur περὶ κριτηρίου ἢ κανόνων· quapropter Xystus Betuleius ap. Nostrum reponit, *de regula aut judicio*. Minus quidem recte; prout apparet ex Senecæ Epist. 89, qui logicam ab Epicureis «locum de judicio et regula» testatur appellatam. Stoici etiam hujus disciplinæ partem περὶ κανόνων ΚΑΙ κριτηρίων nominabant. Vide Laertium, lib. VII, § 41, 42. Dav.

9. *Ex illo cælesti Epicuri ... volumine.* Hosce libros de cælo delapsos et διοπετεῖς vocarunt Epicurei, ut ex Nostro Plutarchoque docuit Pet. Victorius, V. L. lib. XIX, cap. 16. Quod ob singularem, quam iis inesse rebantur, excellentiam factum: non enim putandum gregem Epicureum, qui providentiam negabat, eos simili sensu διοπετεῖς credidisse, quo Judæi multos libros apocryphos, Mohammedani vero suum Alcoranum, aut quo Helcesaitæ βίβλον τινὰ λέγουσιν ἐξ οὐρανοῦ καταπεπτωκέναι, ut ex Origene tradit Eusebius, H. E. lib. VI, cap. 38. Adi sis et Theodoretum, Hær. Fab. lib. II, cap. 7. Sidonius Apollinaris, lib. VI, epist. 10: «Mihi fraternitatique istic sitæ pagina tua veluti polo lapsa reputabitur»; id est, divina et admirabilis; ut recte Joan. Savaro, quem vide. Dav.

Digitized by Google

maneatque ad unum omnium firma consensio; intelligi necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit [1], id verum esse necesse est. Esse igitur deos confitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnes non philosophos solum, sed etiam indoctos; fateamur, constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem deorum: sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellavit, quam
45 antea nemo eo verbo nominarat. Hanc igitur habemus, ut deos beatos et immortales putemus. Quæ enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos æternos et beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro, « Quod æternum beatumque sit [2], id nec habere ipsum negotii quidquam, nec ex-

XVII. 1. *Omnium natura consentit.* Idem valet ac omnes consentiunt. Sic Nostro, cap. 31. *In deorum natura ponere* denotat *in diis ponere.* Sic Lucretio, I, 16, « omnis natura animantum » est omnes animantes. Vide et va. 193, ac Plutarchum in Colotem, tom. II, pag. 1112, E, ac Ciceronem, Fin. lib. V, cap. 11. Dav.—Tum cod. M. *esse ergo deos* pro *igitur*, quæ verba in codd. MSS sæpe eodem scribendi compendio exarata conspiciuntur. Ma.

2. *Quod beatum æternumque sit.* Vulg. *quod æternum beatumque sit*; sed nos eum posuimus verborum ordinem quem præstant Elien. Med. Lincoln. et Reg. Hæc enim sententia græce sic se habet: Τὸ ΜΑΚΑΡΙΟΝ ΚΑΙ ΑΦΘΑΡΤΟΝ οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Vide sis, inter alios plures, Lactantium de Ira Dei, cap. 4; Diogenem Laertium, X, § 139, et Nemesium de Nat. hominis, pag. 321. Versibus iambicis ita concludit Ausonius, Epigr. 116: «Quod est beatum, morte et æternum carens, Nec sibi parit negotium, nec alteri». Eustathius quidem in Iliad. Ω, p. 1500 ed. Basil. hanc Epicuri sententiam sic refert: Τὸ ΑΘΑΝΑΤΟΝ καὶ ἄφθαρτον οὔτ' αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτ' ἄλλοις παρέχει· διὸ οὔτε ὀργαῖς οὔτε ΑΠΗΑΙΣ συνέχεται. Quod vacillanti præsulis Thessalonicensis memoriæ tribuendum. Eodem fere modo peccavit etiam Maximus Tyrius, Diss. lib. X, § 9. Ad hoc effatum respicit Eusebius de vita Constantini, I, 17. Davis. — Ad argumentum cf. de Legg. lib. I, cap. 7: « nihil curare deum, nec sui, nec alieni ». Librarius codicis G. ad hæc Ciceronis, vel potius Velleii, in margine hæc apposuit: « Vide contra hoc Lactantium de Ira dei » (nimirum cap. 4 init. pag. 900 ed. Walch.). Ca.

Digitized by Google

hibere alteri : itaque neque ira, neque gratia teneri [3], quod, quæ talia essent, imbecilla essent omnia ».

Si nihil aliud quæreremus, nisi ut deos pie coleremus [4], et ut superstitione liberaremur, satis erat dictum. Nam et præstans deorum natura hominum pietate coleretur, quum et æterna esset, et beatissima; habet enim venerationem justam, quidquid excellit : et metus omnis a vi atque ira deorum pulsus esset. Intelligitur enim, a beata immortalique natura et iram, et gratiam segregari [5]; quibus remotis, nullos a superis impendere metus. Sed ad hanc confirmandam opinionem anquirit animus et formam, et vitam, et actionem mentis, atque agitationem in deo.

XVIII. Ac de forma quidem partim natura nos 46

3. *Itaque n. ira, n. gratia teneri.* Suspicatur D. Lambinus scribendum, « itaque neque ira tangi, neque gratia teneri ». Sed Tullius Epicuri verba latine reddidit : Ὅστε μήτε ὀργαῖς μήτε χάρισι συνέχεσθαι· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον, vel, ut Nemesius, ἐν ἀσθενείᾳ γὰρ πάντα τὰ τοιαῦτα. Adeo ut nullo prorsus additamento sit opus. Præterquam quod scriptores idonei *verbum*, quod plurium nominum ultimo soli respondeat, apponunt. Dav. — Heind. ne zeugma quidem cum Davisio in Ciceronis verbis agnoscit. Jure. Nam æque proprie dicitur « ira teneri », quam « gratia teneri ». Ma.

4. *Ut deos pie coleremus.* Cf. c. 20 sub fin. « et pie sancteque colimus naturam excellentem atque præstantem ». Pertinet hoc ad quæstionem, an Epicurei, qui negaverint deos curare res mortalium, preces sustulerint aliaque quæ ad cultum deorum pertineant. — Nimirum ita præcipiebant : propter præstantiam divinæ naturæ colendos esse deos. Quam in rem bene disputat P. Victorius epistola scripta ad Jo. Casam, cujus summam exhibet Lambinus ad Lucret. lib. I, vs. 25, p. 6 seq. ed. Paris. Vide etiam Lambinum ipsum ad vs. 63, p. 11, et Ciceronem, lib. I, cap. 41, med. adde Lactant. divin. Instit. lib. VII, cap. 5, et Arnob. adv. gent. II, 37, ibiq. Elmenhorst. et Herald. (pag. 53 edit. nov. Orelli Lips.). Ceterum in his placitis Epicureorum constantiam dilaudat Baylius, Dict. in Epicuro not. X. Adhibe etiam *Batteux, Mémoires de l'Acad. des Inscript.* vol. XXXII, pag. 15 seq. Cicero ipse hac quoque in causa Platonem sequutus videtur Vossio de Orig. et Progress. Idololatr. p. 3. Ca.

5. *A beata immort. natura et iram, et gratiam segregari*, etc. Hanc sententiam Epicuri diserte exposuit Lucretius, lib. I, vs. 57 : « Omnis enim ipsa deum natura necesse est Immortali ævo summa cum pace fruatur, Nam privata dolore omni, privata periclis, Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri, Nec bene promeritis capitur, neque tangitur ira ».

Digitized by Google

admonet, partim ratio docet. Nam a natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam, nisi humanam, deorum. Quæ enim alia forma occurrit umquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? Sed, ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc
47 idem ipsa declarat. Nam quum præstantissimam naturam[1], vel quia beata est, vel quia sempiterna, convenire videatur eamdem esse pulcherrimam, quæ compositio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species, humana potest esse pulchrior? Vos quidem, Lucili, soletis (nam Cotta meus modo hoc, modo illud), quum artificium effingitis, fabricamque divinam, quam sint omnia in hominis figura non modo ad usum, verum etiam ad
48 venustatem apta, describere. Quod si omnium animantium formam[2] vincit hominis figura, deus autem animans est: ea figura profecto est, quæ pulcherrima sit omnium; quoniamque deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare[3], nec ratio usquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendum est.

XVIII. 1. *Præstantissimam naturam.* Cod. D. *præstantissimæ naturæ;* quod est librarii nimis anxii circa vulgares grammaticæ regulas. Ma.

2. *Animantium formam.* Heind. ex cod. Glog. dedit *animantium formas.* Quod non displicet. Ma. — De beata vita deorum vide Plotinum, p. 73, B. C. Idem philosophus pulchritudinem diis et ipse attribuit, neque vero a corpore profectam, sed a mente. Ita enim ille p. 544, C: Σεμνοὶ μὲν γὰρ πάντες θεοί, καὶ καλοί, καὶ τὸ κάλλος αὐτῶν ἀμήχανον· ἀλλὰ τί ἐστι δι' ὃ τοιοῦτοί εἰσιν, ἢ νοῦς;... οὐ γὰρ δὴ ὅτι αὐτῶν καλὰ τὰ σώματα· καὶ γὰρ οἷς ἐστι σώματα, οὐ τοῦτό ἐστιν αὐτοῖς, τὸ εἶναι θεοῖς, κ. τ. λ. Quibus tangere videtur Epicureos. Ceterum ad hæc verba de diis beatis iisdemque pulchris atque otiosis librarius cod. G. rursus apposuit notulam: «unius statuæ verius hæc beatitudo videtur». Ad verba «formam vincit hominis figura», conf. Cic. de Offic. I, 35, 3, ibiq. Heusinger. pag. 295, ab eoque laud. Nonium, V, 52, adde Wakefield. ad Lucret. IV, 67. Ca.

3. *Nec v. sine rat. constare.* Non omittendum est virum Epicureum loqui, et non ab eo istis verbis eumdem sensum atque a ceteris hominibus, sensum attribui. Ratio videlicet secun-

Digitized by Google

Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus; 49
nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. Hæc quamquam et inventa sunt acutius, et dicta subtilius ab Epicuro, quam ut quivis ea possit agnoscere; tamen fretus intelligentia vestra dissero brevius, quam causa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo viderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu, docet[4] eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur; nec soliditate quadam, nec ad numerum, ut ea, quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat[5], sed imagi-

dum Epicureos, ars quædam voluptatis quærendæ et doloris leniendi.

4. *Non modo viderat animo, sed etiam sic tractat, ut manu, docet.* Vulgg. «non modo viderit animo, sed etiam sic tractet ut manu doceat». Nos autem ex Reg. Bonon. ac Ascens. recepimus *viderat* et *tractat*; ex Manutii vero conjectura *docet*. Arnobius, lib. II, pag. 118: «Quas (rationes) possit videre qui volet, et contrectare, quemadmodum dicitur, manibus». Dav. — *Sed etiam sic tractat, ut manu ducat, docet.* Sic restituit hunc locum Adr. Turnebus, vir omni doctrinæ genere præstantissimus; quamquam hæc editio nonnihil ab ejus conjectura discrepat: ille enim verbum *docet* omittit: nos ex *doceat* fecimus *docet*, quod item Joan. Passeratio venit in mentem. Sic autem legendum esse, ut et olim et nunc edidimus, ratio ipsa clamat; hæc enim sententia est: Epicurus, qui res ita tractat, ut quasi manu ducat, docet, etc. Lamb. — Sic edidit Ern. ex MS Guelf. et *docet* ex conjectura Manutii. Multum variant codd. nostri: exhibet La. «non modo viderat animo, sed etiam sic tractet, ut ducat nos manu, docet esse vim», ad quam scriptionem proxime accedit cod. Glog. ubi est: «sed etiam sic tractet, ut ducat nos manu, eam docet esse vim». Inde Heind. partim Turnebum sequutus, partim suum codicem, cui jam et nostri Le. accedit auctoritas, bene, ut nobis videtur, edidit: «non modo viderit animo, sed etiam sic tractet, ut manu nos ducat, docet eam esse vim». Sed tamen ferri posse credo indicativos *viderat... tractat*. Ma.—Res occultas i. e. quæ solius rationis ope intelliguntur. Vide Gœrenz. ad de Finibus lib. II, cap. 19, pag. 92. Gifanius, Collectann. in Lucret. pag. 372 (ed. Lugdun. Bat. a. 1595), legens *manu ducat*, eam formulam arbitratur expressam eleganter a Cicerone esse e græco χειραγωγίαν. Cr.

5. *Quæ ille propter firmitatem στερέμνια appellat.* Eliensis unus στερεά· sed alterum est Epicuri vocabulum. Vide Diogenem Laertium, lib. X, § 46 et 50. De hac autem illius opinione vide Agellium, N. A. lib. V, cap. 16, et Macrobium Saturn. lib. VII, cap. 14. Quintilianus, Inst. Orat. lib. X, cap. 2, v. 649: «Epicurus figuras e summis corporibus dicit effluere». Ejus mentem verbis disertis explicant etiam Apuleius, Apol. pag. 19 ed. Casaub.

Digitized by Google

nibus similitudine et transitione perceptis : quum infinita[6] simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis exsistat, et ad deos affluat[7], cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam, infixamque nostram intelligentiam, capere, quæ sit et beata natura, et æterna.

et Nemesius, de Nat. Hom. cap. 7, pag. 141, ne Lucretium memorem, lib. IV, vers. 425 seqq. et Diogenem Laertium, lib. X, cap. 46. Davis. — Στερέμνια ... *imaginum*. De στερ. vid. Diogen. lib. X, cap. 46, 50, in epist. ad Herod. ibiq. Schneider (in Epicuri Phys. pag. 6, 8). Utitur idem Epicurus hac ipsa voce lib. II, περὶ φύσεως, column. III. Ad *imaginum* significationem cf. locum classicum de Finib. I, 6, 21 : « atomi inane, imagines, quæ εἴδωλα nominant ». Adde Servium ad Virgil. Eclog. VI, 31. Lucretius, lib. IV, vs. 34, vocat rerum simulacra, rerum effigias (vs. 46), membranam et corticem (48 cum interprr.). Conf. etiam Gifanii Collectt. in Lucretium, p. 309, p. 429. Cr.

6. *Quum infinita*. Lambinus ex conjectura reponit, *deinde quum infinita*. Malim *quum enim infinita*. Media vox per compendium scripta facile fuit omissa. Dav. — Heind. mavult cum Davis. *quum enim infinita ;* nobis magis placet Walkeri conjectura *quumque inf... tum max*. Mr.

7. *Exsistat, et ad deos affluat*. Legendum puto, *a deo affluat*, sententia ita postulante ; de quo dubitandum eo minus est, quod cap. 41, « quum, inquit, ex ipso imagines semper affluant ». Et Lucretius nostram conjecturam, lib. IV, plane confirmat. Manut. — *Et ad nos affluat*. Sic emendavi ex simili loco, qui est infra paucis post paginis. Ibi, « quumque ex ipso imagines semper ad nos affluant ». Sic autem omnino legendum est, neque cuiquam dubitandi locus relictus est : nam Epicurus dicebat, nos et videre et cogitare per imagines, et accursu imaginum ad nos, hoc est, ad oculos et ad mentem. Lamb. — Heind. propius ad Lambini conjecturam accedens, Ciceronem scripsisse credit, *et a diis ad nos affluat*, quod et mihi perplacet. Cum Lambino Wirthius in Actt. Philoll. Mon. lib. II, cap. 2, pag. 308, et Kinderv. *ad nos*. Mr. — In hoc loco explicando certatim elaboraverunt viri eruditi. Ego quum modo potiora referam. Quid I. Conr. Schwarzius posuerit in Dissertat. de recondita Theologia Epicuri Altdorf. 1718, discas e Schneideri disputatione ad Epicuri Phys. pag. 74-81, qui illi obloquitur, ipse accurate totum locum excutiens. Ad ejus igitur disputationem amandatos volumus lectores. Hoc unum apponamus, Schneidero necessario legendum videri : *et ad nos affluat*. Alia tentaverat Meiners in libro vernac. *Vermischte Philos. Schr.* lib. II, pag. 120. Ei refragatur Tennemannus meus in Histor. philos. lib. III, pag. 417 seq. Atque hic et ipse copiose de hoc loco impedito egit, patrocinatusque est vulgatæ lectioni, *et ad deos affluat*. Ad loci autem sententiam percipiendam facere judicat locos geminos, ut lib. I, c. 27: « illud video... eminentis », cap. 38, « tu autem ... animi », et præcipue cap. 37, « sic enim ... accessio », ubi nos paucula apponemus. Ceterum ibid.

Digitized by Google

XIX. Summa vero vis infinitatis, et magna ac dili- 50
genti contemplatione dignissima est : in qua intelligi necesse est [1], eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. Hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est, æquabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem; et, si, quæ interimant, innumerabilia sint, etiam ea, quæ conservent, infinita esse debere [2].

Et quærere a nobis, Balbe, soletis, quæ vita deo- 51
rum sit, quæque ab iis degatur ætas. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest. Nihil enim agit [3]; nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur; sua sapientia, et virtute gaudet; habet exploratum, fore se semper quum in maximis, tum in æternis voluptatibus.

XX. Hunc deum rite beatum dixerimus; vestrum 52
vero laboriosissimum. Sive enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermisso, versari circum axem cæli admirabili celeritate? nisi quietum autem, nihil beatum est. Sive in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque

Tennemannus, pag. 421 et seqq. de ἰσονομίᾳ aliisque Epicuri decretis exposit, quæ ad hunc Cic. librum intelligendum adhiberi possunt utiliter. Cr.

XIX. 1. *In qua intelligi necesse est.* Elienss. et Lincoln. mediam vocem non agnoscunt : nec eam certe postulat oratio. Prius tamen quam deleamus, exspectanda est veterrimi cujusdam libri fides. Dav. — Ed. Th. «in qua necesse est», omisso *intelligi*. Mr.

2. *Quæ conservent, infinita esse debere.* De iis verbis ait Gassendius, pag. 1280, pr. edit. «notabilis est vox illa, *conservent*, siquidem potest ex illa argui spectare quoque ad notionem, ceu anticipationem dei, tum rerum providentiam, tum potentiam, ceu vim agendi».

3. *Nihil enim agit.* In Cantabr. additur *deus;* quod a seqq. probari censet Jac. Gronovius. Scilicet auctores a plurali ad singularem numerum crebro transire non meminerat. Sic infra cap. 40. Vide quoque Terentium, Eunuch. act. II, sc. 1, vs. 19. Dav.

Digitized by Google

conservet, terras et maria contemplans, hominum commoda vitasque tueatur : næ ille est implicatus
53 molestis negotiis, et operosis. Nos autem beatam vitam in animi securitate, et in omnium vacatione munerum [1] ponimus. Docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum; nihil opus fuisse fabrica; tamque eam rem esse facilem, quam vos effici negetis sine divina posse solertia, ut innumerabiles natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit [2]. Quod quia quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis : ut tragici poetæ [3], quum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum;
54 cujus operam profecto non desideraretis, si immensam et interminatam in omnes partes magnitudinem regionum videretis; in quam se injiciens animus et intendens, ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere [4]. In

XX. 1. *Beatam vitam in animi securitate, et in omn. vacatione munerum ponimus.* Vid. Cic. de Finib. V, 8, 23 : « Democriti autem securitas, quæ est animi tamquam tranquillitas (quam appellavit εὐθυμίαν) ». Cf. ibid. cap. 29, § 87, ibiq. de voce. εὐθυμία, εὐστοὺ, aliis Gœrenz. pag. 640. Sumpserat autem Epicurus hoc etiam decretum a Democrito. Hinc utrumque in hac causa memorat Theodoretus græcc. affectt. curat. disp. XII (vol. IV, pag. 1033, ed. Schulzii). Illud alterum : « in vacationem munerum », pertinet ad Epicuri præceptum, quo vetabat πολιτεύεσθαι. Cic. epist. fam. ad Trebat. VII, 12 : « Indicavit mihi Pansa meus, Epicureum te esse factum ... si tu statueris πολιτεύεσθαι non oportere »; ubi consule Corradum. Ca.

2. *Effectura sit, efficiat, effecerit.* Tria tempora ponit Velleius, futurum, præsens et præteritum : quia Epicuri hæc erat opinio, innumerabiles atomos semper fluere per infinitum vacuum, quarum atomorum concursu semper innumerabiles mundi oriantur : quorum alii statim intereant dissolutione atomorum, alii autem maneant cohæsione atomorum. Wytt.

3. *Ut tragici poetæ.* Sumpsit hanc comparationem a Platone, cujus verba sunt ex Cratylo : Εἰ μὴ ἄρα δὴ, ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ, ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι, θεοὺς αἴροντες. Ursinus.

4. *Ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere.* Ad quod referri possit vox *ultimi*, plane non intelligo. Elienus et Bonon. 1494, *alterius;* sed hoc nihil fert adjumenti. Lego « ut nullam tamen oram ultimam videat, in qua possit insistere ». Lucretius, lib. I, vs. 968 : « si quis pro-

Digitized by Google

hac igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum, infinita vis innumerabilium volitat atomorum[5]: quæ, interjecto inani, cohærescunt tamen inter se, et allæ alias apprehendentes continuantur; ex quo efficiuntur hæ rerum formæ atque figuræ, quas vos effici posse sine follibus et incudibus non putatis. Itaque imposuistis in cervicibus nostris[6] sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem[7], et cogitantem, et

currat ad oras Ultimus extremas, jaciatque volatile telum ». Vide et vs. 979. Dav. — Heind. recepit Davisii conjecturam, ut ait, certam. Bonam eam esse non negaverim, sed cum Wopkensio, Lectt. Tull. II, 2, *ultimum* substantive positum esse existimo, neque a vulgata recesserim. Ma.

5. *Infinita vis ... volitat atomorum.* Id est φέρεται. Nam proprium hac in re vocabulum φορᾶς. Wernsdorf. ad Himer. Eclogg. III, 14, pag. 78. Ipse magister frequentat in epist. ad Herodot. § 45, 47 (pag. 6, 7, ed. Schneider. Physicc. Epicur.). In libris autem nuper repertis περὶ φύσεως copiose exponit. Ita enim ille p. 1, col. 1, papyrr. Hercull. Περὶ δὲ τῆς κατὰ τὴν φορὰν ταχύτητος νῦν λέγειν ἐπιχειρήσομεν. Tum ratiocinando ita persequitur explicationem celeritatis volitantium atomorum, ut magnam libri secundi partem in eum unum locum videatur insumpsisse; cf. etiam Lucretium, IV, 177, seqq. « interjecto inani ». Cic. de Finib. I, 6, « infinito inani ». Etiam *vacuum inane* dicitur; vid. Gifanii Collectt. Lucret. p. 447, et quæ plura eam in rem collegit atque disputavit Lambinus ad Lucret. I, vs. 420, seq. adde Nostrum lib. II, cap. 32, sub finem. Infinitum inane est τὸ ἄπειρον κενὸν, sive etiam solitarium, τὸ κενὸν, frequenti mentione celebratum ab ipso Epicuro; vid. modo epist. ad Herodot. § 41, 42, 43 (pag. 4 Schneid.), et postea quoque ab Epicureis. — Adde etiam Origenis philosophum. cap. 22. Ca.

6. *Imposuistis in cervicibus nostris.* Lincoln. et Bonon. 1494 : « Imposuistis cervicibus nostris », ac ita conjecerat D. Lambinus. Non equidem diffiteor ita passim loqui scriptores; indubitatum tamen est, eam, quam retinemus, lectionem latinitati non esse contrariam. Sallustius Jugurth. cap. 61 (aliis 65) : « In his urbibus... præsidium imponit ». Valerius Maximus, lib. V, cap. III, 3, ext. « Phocion ... in equuleo ab Atheniensibus impositus est ». Hyginus Fab. CCI, « in pecorum ungulis notam imposuit ». Plautus Aulul. act. II, sc. VIII, 15 : « Nunc jusculum emi, et hasce coronas floreas; Hæc imponentur in foco nostro Lari ». Non igitur est conculcanda cunctorum fere MSS fides. Dav. — Retinuit et Heind. voculam *in*, quam reperit etiam in cod. Red. et ed. Marsi, nos in nostris A. B. C. E. Fa. M. H. N. O. Oxf. e. o. ψ. ed. Th. Ma.

7. *Omnia providentem*, etc. Plinius H. N. lib. II, cap. 7 : « Irridendum vero agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non

Digitized by Google

animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum, et plenum negotii deum?

55 Hinc vobis exstitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην[8] dicitis: ut, quidquid accidat, id ex æterna veritate, causarumque continuatione fluxisse dicatis. Quanti autem hæc philosophia æstimanda est, cui, tamquam aniculis, et iis quidem indoctis, fato fieri videantur omnia? Sequitur μαντικὴ vestra, quæ latine divinatio dicitur: qua tanta imbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut aruspices, augures,

56 harioli, vates et conjectores nobis essent colendi. His terroribus ab Epicuro soluti[9], et in libertatem vindicati, nec metuimus eos, quos intelligimus, nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quærere; et pie sancteque colimus naturam excellentem atque præstantem.

Sed elatus studio, vereor, ne longior fuerim. Erat autem difficile, rem tantam, tamque præclaram, inchoatam relinquere. Quamquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit, quam audiendi.

pollui credamus dubitemusve? » Hæc vero Ciceronis in Octavium suum tradaxit Minutius Felix, cap. 10. Dav.

8. *Fatalis necessitas . . . εἱμαρμένην.* Cic. de Divin. II, 50: « Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignat, etc. » ubi vid. Davis. cf. Aristot. de Mund. c. VII, § 3; Senec. de Benef. lib. IV, cap. 7, § 2; Gellii N. A. VI, cap. 2. — Ceterum a Cicerone et ipso improbatum esse Stoicorum de fato decretum, evincere studuit Scholten in dissert. de divina nat. ap. Cicer. p. 61, qui laudat Cic. de Fato, cap. 3, 9, 10, 12, 14; de Divin. II, 7, II, 20; Acadd. II, 40; Tuscul. V, 25. Cr.

9. *His terroribus ab Epicuro soluti.* Cf. Cic. de Finib. I, 5, § 14, ubi geminæ laudes impertiuntur Epicuro. Atque ei loco lectionem *erroribus* aptiorem judicat Gœrenz: *terroribus* nostro in loco intactum servans. Tuetur etiam noster cod. G. Eodem in libro MS hoc singulare est, quod post vocem *audiendi*, ante verba: *Tum Cotta*, rubro colore adscriptum legitur: « M. Tullii Ciceronis de Natura Deorum liber secundus incipit ». Sequuntur literæ initiales majusculæ et deauratæ, ut in librorum initiis fieri assolet. Quo fit, ut reapse quatuor libri de N. D. numerentur in hoc codice. Cr. — Manifestum est hoc librarii ineptiæ tribuendum esse. Patet hunc librum perlegenti in tres tantum libros divisum fuisse a Cicerone.

Digitized by Google

XXI. Tum Cotta, comiter, ut solebat: Atqui, inquit, 57
Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem audire potuisses. Mihi enim non tam facile in mentem venire solet, quare verum sit aliquid, quam quare falsum. Idque quum sæpe, tum, quum te audirem paullo ante, contigit. Roges me, qualem deorum naturam esse dicam: nihil fortasse respondeam. Quæras, putemne talem esse, qualis modo a te sit exposita, nihil dicam mihi videri minus. Sed antequam aggrediar ad ea, quæ a te disputata sunt, de te ipso dicam quid sentiam. Sæpe enim de L. Crasso[1], familiari illo 58
tuo, videor audisse, quum te togatis omnibus sine dubio anteferret, et paucos tecum Epicureos e Græcia compararet. Sed, quod ab eo te mirifice diligi intelligebam, arbitrabar illum propter benivolentiam id uberius dicere. Ego autem, etsi vereor laudare præsentem, judico tamen, de re obscura atque difficillima a te dictum esse dilucide; neque sententiis solum copiose, sed verbis etiam ornatius, quam solent vestri. Zenonem[2], quem Philo noster coryphæum appellare 59
Epicureorum solebat, quum Athenis essem, audiebam frequenter, et quidem ipso auctore Philone: credo

XXI. 1. *L. Crasso.* Hæ voces in Elicnsi utroque, Reg. Med. et Lincoln. non comparent. Dav. — Notabile esse dicit Heind. hoc *L. Crasso* abesse ab optimis libris. Abest sane etiam a nostris melioribus A. C. D. E. Fa. et O. Tum *familiari* scripsit Heind. recte, ut opinor; quamquam et id, quod Ern. dedit, usurpatum nonnumquam fuisse grammatici docent. Nam Cicero certe a talibus ablativis abstinet. *Familiari* est in cod. Red. nostris D. G. H. I. O. edd. Th. Marsi, Ascens. et Bas. Ma. — Cod. G. ita: de Lucio Crasso « de illo familiari tuo ». *Familiare* priscam certe auctoritatem habet et Ciceronis æqualis Varro hac forma est usus. Vid. doctiss. *Seyferti* gramm. latin. §. 1438, ibiq. Priscian. p. 759, et in primis Charis. pag. 105: Varro ad Neronem: « a Lare familiare ». P. Rutilius de vita sua libro tertio: « pro L. familiare veniebam ». Ego nil decerno. Ca. — Lucius Crassus fuit summus ille orator, quem Cicero inducit in libris de Oratore. Wyrr.

2. *Zenonem.* Zenonem illum nec cum Zenone Stoicorum sectæ conditore, nec cum Zenone Eleensi confundas.

Digitized by Google

ut facilius judicarem, quam illa bene refellerentur, quum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum dicerentur. Non igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut tu, distincte, graviter, ornate. Sed quod in illo mihi usu sæpe venit, idem modo, quum te audirem, accidebat, ut moleste ferrem, tantum ingenium (bona venia me audies) in tam leves, ne dicam in tam ineptas, sententias incidisse. Nec ego nunc ipse aliquid afferam melius. Ut enim modo dixi, omnibus fere in rebus, et maxime in physicis, quid non sit, citius, quam quid sit, dixerim.

XXII. Roges me, quid, aut quale sit deus; auctore utar Simonide[1]: de quo quum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi sibi unum diem postulavit[2]. Quum idem ex eo postridie quæreret, biduum petivit. Quum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Sed Simonidem arbitror (non enim poeta solum suavis, verum etiam ceteroqui[3] doctus

XXII. 1. *Simonide : de quo quum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero.* Hieronem Simonidi σύγχρονον fuisse negat Bisciola Hor. Subces. tom. II, lib. II, cap. 19. Sed omnino falsus est; ut docebunt interpretes ad Æliani V. H. IV, 15. Dav. — Cod. Glog. *e quo* pro *de quo*, quod perinde est. Ma. — Cf. ad hæc Minut. Felic. in Octavio, cap. 13, § 4. Ca.

2. *Deliberandi sibi unum diem postulavit.* Vulgo *deliberandi causa*. Sed nos MSS Eliens. Reg. Med. et Lincoln. fide nixi, vocem non necessariam delevimus. — Tertullianus autem id aliis adscribit, quod Noster de Simonide tradit et Hierone. Sic Apol. cap. 46 : « Quid enim Thales ille princeps physicorum sciscitanti Crœso de Divinitate certum renuntiavit, commeatus deliberandi sæpe frustratus ? » Et ad Nationes lib. II, cap. 2 : « Thales Milesius Crœso sciscitanti, quid de deis arbitraretur, post aliquot deliberandi commeatus nihil renuntiavit ». At cum Cicerone facit Minucius Felix Octav. cap. 13. Dav. — Vox *causa*, quam et codicis Guelf. auctoritate ejecit Ern. neque Heind. legit in cod. Glog. et ed. Marsi, abest etiam a nostris A. B. C. E. Fa. G. H. I. M. N. Oxf. e. et o. edd. Th. et Bas. Jure. Ma.

3. *Cetera quoque doctus.* Vulgo « ceteroqui doctus » : ast ea vox huc non convenit, quum vix adhibeatur, nisi si cum μετώσει quadam laudes

Digitized by Google

sapiensque traditur), quia multa venirent in mentem acuta atque subtilia, dubitantem, quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem. Epicurus 61
vero tuus, nam cum illo malo disserere, quam tecum, quid dicit, quod non modo philosophia dignum sit, sed mediocri prudentia[4]?

Quæritur primum in ea quæstione, quæ est de natura deorum[5], sintne dii, necne sint. Difficile est negare. Credo, si in concione quæratur; sed in hujusmodi sermone, et in consessu, facillimum. Itaque ego ipse pontifex, qui cærimonias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim: multa enim occurrunt, quæ conturbent, ut interdum nulli esse videantur. Sed vide, quam tecum agam liberaliter. 62

homini tribuamus. Sic recte dicitur, « hac in re cespitavit vir ceteroquin eruditus »: aut, « Mathematicis disciplinis non est imbutus, vir ceteroqui doctissimus ». In aliis autem formulis secus accidit, ubi nihil reprehensionis est admixtum. Nos igitur eam sequuti summa elegantiam, quam præstabant Reg. et Elicns. uterque. A. Gellius, lib. IX, cap. 10: « Annæus Cornutus homo sane pleraque alia non indoctus ». Ac lib. XIX, cap. 9: « Nostras quoque literas haud incuriose docti ». Non aliter Horatius, et ex optimis alii. Dav. — Ernestio non placet Davisii ratio, nisi deleatur *etiam*. MS Guelf. *cetera qua*, quod esset pro *aliqua*. Sequitur igitur id, quod Camerarius habuisse videtur, neque vero probavit, ut Ern. credit, *cetera quam*. Quod æque displicet Heindorfio, ac Dav. *quoque* post *etiam*. Dedit igitur ex vestigiis codicum *ceteroqui*, ad quod prope accedit scriptio nostrorum D. A. B. C. I. N. *ceteroque*, et plane firmant codd. E. et M. exhibentes *ceteroqui*. Quamquam *ceteroqui* plerumque μετώσει inserviat, tamen etiam eo sensu, qui hic postulatur, occurrit apud Ciceronem, cujus loca vide ap. Tursell. de Particul. p. 159, sq. ed. Schwarz. Ita quoque judicat Wirth. l. l. Mr.

4. *Quod non modo philosophia . . . prudentia?* Exquisitius dicitur pro, quod non dicam philosophia, sed mediocri prudentia dignum sit. De hoc usu vid. Tursellin. de Part. Lat. Wytt.

5. *Quæ est de natura deorum*. Hasce prætermittunt Elicns. unus, et Lincoln. adeo ut pro glossemate sint habendæ, si modo illorum codicum auctoritati pareamus. Dav. — Supervacanea forent verba illa, quæ pro glossemate habet Dav. (ait Heind.), si in prioribus scriptum esset *in hac quæstione*. Neque variant nostri omnes. Mr.

Digitized by Google

Quæ communia sunt vobis cum ceteris philosophis, non attingam, ut hoc ipsum : placet enim omnibus fere, mihique ipsi in primis, deos esse [6]. Itaque non pugno. Rationem tamen eam, quæ a te affertur, non satis firmam puto.

XXIII. Quod enim omnium gentium generumque hominibus ita videretur, id satis magnum esse argumentum dixisti, cur esse deos confiteremur. Quod quum leve per se, tum etiam falsum est. Primum enim unde notæ tibi sunt opiniones nationum? Equidem arbitror, multas esse gentes sic immanitate effe-
63 ratas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit [1]. Quid? Diagoras, atheos qui dictus est, posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras [2], cujus a te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis vel maximus, quum in principio libri sui sic posuisset, « De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere [3] »,

6. *Placet ... mihi ... deos esse.* Hæc probe tenenda sunt, ne fallamur cum iis qui nihil prorsus statuisse Academicos arbitrantur. Cf. cap. 30, et adhibe Scoltenium Dissert. de Div. nat. p. 15 et 30. Ca.

XXIII. 1. *Gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio d. sit.* Simplicius in Epict. pag. 222 : Πάντες γὰρ ἄνθρωποι καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες ... κἂν ἄλλοι κατ' ἄλλας ἀνοίας, νομίζουσιν εἶναι θεὸν πλὴν Ἀκροθοϊτῶν, ὡς ἱστορεῖ Θεόφραστος ἀθέους γινομένους ὑπὸ τῆς γῆς ἀθρόως καταποθῆναι. Hos Θῶας vocat Porphyrius de Abstin. lib. II, § 8. Simili tamen impietate etiamnum laborant aliæ quoque gentes, si recentioribus fides. Adi V. C. Joan. Lockium de Intell. Humana, lib. I, cap. 4, 8. Confer tamen virum celeberrimum J. A. Fabricium de Verit. Relig. Christ. cap. VIII, § 4. Dav. — Cod. I. « sic immanitate esse efferatas ». Tum id. et cod. M. *apud eos* pro *ap. eas ;* ita et Oxf. e. non male ; solet enim Cicero nonnumquam ad sensum potius quam ad verbum, ut aiunt, construere orationem. Ma.

2. *Protagoras.* De Diagora cf. Lactant. div. Inst. I, 2, et Arnob. adv. gent. I, 31 ; III, 56. — De Protagora adde quæ disputantur in Fabricii B. Gr. vol. II, p. 669, ed. Harles. Ca.

3. *De diis neque ut sint, neque ut non sint, habeo dicere.* D. Lambinus rescripsit *scire*, quia, prout arbitror, græce dixit Protagoras, οὐκ ἔχω ΕΙΔΕΝΑΙ. Vide nos ad cap. 12. At vero nihil mutandum ; nam Sextus Empiricus adv. Mathem. pag. 329, ejus verba sic refert : Περὶ θεῶν οὔτε εἰ εἰσὶν,

Digitized by Google

Atheniensium jussu[4] urbe atque agro est exterminatus, librique ejus in concione combusti. Ex quo equidem existimo tardiores ad hanc sententiam profitendam multos esse factos, quippe quum pœnam ne dubitatio quidem effugere posuisset. Quid de sacrilegis, quid de impiis, perjurisque dicemus?

Tubulus si Lucius umquam,
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius [5],.....

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam perjurus, aut 64
tam impurus fuisset? Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod vultis, confirmandum, quam videtur.

εἰθ' ὁποῖοί τινές εἰσι, δύναμαι ΑΕΓΕΙΝ. Theophilus ad Autol. lib. III, p. 210, ed. Oxonn. Πρωταγόρας ὁ Ἀβδηρίτης λέγων, εἴτε γὰρ εἰσὶ θεοὶ οὐ δύναμαι περὶ αὐτῶν ΑΕΓΕΙΝ, οὔτε ὁποῖοί εἰσι, δηλῶσαι. Præterea Veteres verbum verbo non semper reddebant, nec omnia sunt ad amussim exigenda. Dav. — Ad argumentum cf. supr. cap. 12, et cap. 1. Huc etiam respicit Plato in Theæt. p. 162, d. p. 352, Hdf. Θεούς τε εἰς τὸ μέσον ἄγοντες, οὓς ἐγὼ (antecesserat Πρωταγόρας) ἔκ τε τοῦ λέγειν καὶ τοῦ γράφειν περὶ αὐτῶν, ὡς εἰσὶν ἢ ὡς οὐκ εἰσὶν, ἐξαιρῶ. Ca.

4. *Atheniensium jussu.* Sic Minucius Felix Octav. cap. 8, aliique. Vide Menagium ad Laertii IX, 52. Iis, quorum meminit, adde Lactantium de Ira dei, cap. 9, et Libanium tom. II, Declam. XXIX, pag. 679. Valerius Maximus lib. I, cap. 1, 7, extern. « Athenienses Diagoram philosophum pepulerunt, quia scribere ausus fuerat, primum ignorare se, an dii essent: deinde si sint, quales sint ». Reponendum *Protagoram philosophum*: id quod post hæc primo edita cl. Torrenius jussu MSS fecit. Dav.

5. *Aut Neptuni filius.* Jos. Scaliger primam vocem delendam censuit, ut Neptuni filius esset Carbonis epitheton. Hoc certe nomine sævos et immanes homines denotari monet A. Gellius N. A. lib. XV, cap. 21; Cornutus de N. D. cap. 22. Tzetzes ad Lycophronis vs. 156: Τοὺς θυμικοὺς καὶ ἀνδρείους Ποσειδῶνος καλεῖσι παῖδας. Hinc Busiris, Amycus et Antæus ξενοκτόνοι, Neptuno nati dicebantur. Vide Sextum Empiricum adv. Mathem. pag. 82, B. Nimirum οἱ παλαι βλέπον εἰς τὴν ψυχὴν αὐτὴν καὶ τὰς πράξεις, ut in re simili loquitur Julianus Orat. II, pag. 82. Viro summo adsentitur Fr. Douza ad Lucilii Fragm. pag. 111, nec vero absimilis videtur conjectura. Dav. — Heind. Scaligeri probabilem admodum vel certam, ut ait, emendationem sequutus, expunxit voculam *aut*, in quo et nos assentientes habet. Mire ad hunc locum hallucinatur Kindervaterus dicens: « Lupus est cognomen gentis Tubulæ ». Quod, si umquam fuerit, quorsum hic affert, ubi nullus ei animadversioni locus est? Sed nolumus morari in notandis hujusmodi erroribus Kindervateri, qui in talibus rebus sæpe quidem titubat, neque vero suis laudibus caret. Ma.

Digitized by Google

Sed quia commune est hoc argumentum aliorum etiam philosophorum, omittam hoc tempore; ad vestra pro-
65 pria venire malo. Concedo esse deos : doce me igitur, unde sint, ubi sint, quales sint corpore, animo, vita. Hæc enim scire desidero.

XXIV. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia. Hinc, quodcumque in solum venit[1], ut dicitur, effingis atque efficis. Quæ primum nullæ sunt. Nihil est enim[2], quod vacet corpore; corporibus autem omnis obsidetur locus : ita nullum inane, nihil esse individuum potest. Hæc ego nunc physicorum oracula
66 fundo. Vera, an falsa, nescio : sed veri tamen similiora, quam vestra. Ista enim flagitia[3] Democriti, sive etiam

XXIV. 1. *Hinc, quodcumque in solum venit*, etc. Quidam legendum putant « quidquid in solem venit, etc. » Lamb. — Hæc qui mutant, temere faciunt. Dav.—Post hæc Heind. miratur, neminem adhuc offendisse otiosum illud et ignavum *efficis*. Cod. Glog. *effugis*, cui alia manus superscripsit *effigis*, unde statim prodire ait *effutis* (coll. I, 30, II, 37). Quod perplacet, nam quum paullo ante dixerit « quodcumque in solum venit », vocabulum *effutis* non nimis durum est. *Effigis* etiam est in cod. Fa. Ma.

2. *Quæ primum nullæ sunt. Nihil est enim*, etc. Locus hic male se habet, nec tamen additamentis Lambinianis opus esse puto. Perparva mutatione lego, « quæ primum nullæ sunt. Nihil est etiam quod vacet corpore; corporibus autem (vel *enim*, ut habet Fliens. unus) omnis obsidetur locus. Ita nullum inane, nihil esse individuum potest ». Ita, nisi fallor, recte procedit oratio. Dav. — Neque Ern. neque Heind. requirunt mutationem, vel additamentum. Ma.

3. *Quam vestra. Ista enim flagitia.* Non mala videtur Cl. Walkeri conjectura, qui legit « quam vestra ista flagitia Democriti ». Forsan autem reponi possit, « quam vestra : ista inquam flagitia, etc. » Dav. — Item valde discrepant libri in sequentibus. Ad Walkeri emendationem Ern. respondet, nihil esse mutandum, sed ad *ista enim flagitia* subaudiendum esse *sunt*. Heind. librorum vestigiis insistens, et ineptum credens illud *quasi* ante vocabulum proprium *aduncæ*, et voces *curvata* et *aduncæ* ex interpretatione fluxisse existimans, conjicit : « esse corpuscula quædam levia (ita enim scribendum, neque vero cum Ern. *lævia*, quia est a λεῖος), alia aspera, rotunda alia, alia pyramidata et angulata, tum sinuata quædam et quasi hamata ». In quibus certe proxime ad Ciceronis manum accessisse videri potest. Ma. — *Lævia* unice agnoscit etiam Facciolati in Tot. Latin. Lex. adjiciens nostro loco et aliis et hunc ex libro de Univers. cap. 6 : « Deus levem mundum fecit et undique æquabilem ». Etiam F. A. Wolf. in Tusc. I, 18, 42, retinuit lectionem

Digitized by Google

ante Leucippi, esse corpuscula quædam levia, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quædam, et quasi adunca; ex his effectum esse cælum atque terram, nulla cogente natura[4], sed concursu quodam fortuito. Hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc ætatem perduxisti; priusque te quis de omni vitæ statu, quam de ista auctoritate dejecerit. Ante enim judicasti, Epicureum te esse oportere, quam ista cognovisti. Ita necesse fuit, aut hæc flagitia concipere animo, aut susceptæ philosophiæ nomen amittere. Quid enim mereas, ut Epicureus[5] esse desinas? 67 Nihil equidem, inquis, ut rationem vitæ beatæ, veritatemque deseram. Ista igitur est veritas? Nam de vita beata nihil repugno: quam tu ne in deo quidem esse censes, nisi plane otio langueat. Sed ubi est veritas? In mundis, credo, innumerabilibus[6], omnibus minimis

« levium et rotundorum ». *Levis* prima longa et *asper*, *levigatio* et *asperitudo* sæpissime opposita, ubi non minus sæpe librorum scriptura in vitio deprehenditur, docente Oudendorp. ad Apul. Metam. I, 3, pag. 17, et præsertim IV, 63, pag. 236. — Ceterum aliis in locis et κουφότητα atomorum et λειότητα certatim prædicant Epicurei (vid. Lucret. IV, 184) atque Epicurus ipse, ut in epist. ad Herodot. § 46, nec minus in libris περὶ φύσ. columm. I et II. Ca. — *Flagitia.* Flagitium sæpe dicitur a Cicerone, pro falsa opinione et stulta, quæ quasi flagris digna sit. Wytt.

4. *Nulla cogente natura.* His verbis loquitur de causa tum efficiente tum extrinseca. Nam Epicurus atomis suis vim impertiebatur qua moveri et aliæ ad alias impelli poterant.

5. *Quid enim mereas, ut Epicureus*, etc. Id est, quam mercedem, aut quod pretium tibi persolvi velis, ut Epicureus esse desinas? Quæ merces, aut quod præmium te adducere possit, ut ab Epicurea secta desciscas? Sic sæpe alibi loquitur M. Tullius. Sed de hoc genere loquendi nos plura in commentariis Plautinis. Lamb.

6. *In mundis, credo, innumerabilibus.* Vulgo *credo*, nec aliter, quantum constat, omnes MSS, nisi quod vocem omnino prætermittat Reg. a prima manu. Lectioni tamen receptæ nullus est locus; non enim hæc εἰρωνικῶς, at ἐρωτηματικῶς proferuntur. Nos igitur conjecturam nostram e re ipsa natam admittere non dubitavimus. Terentius Andr. act. IV, sc. III, 15: « Nova nunc religio in te isthæc incessit, cedo? » Iterum sc. IV, 24: « Cedo, cujus puerum hic apposuisti? » Ubi Donatus hoc modo: « Cedo idem significat, quod dic, et da mihi ». Hieronymus ad Ageruchiam de Monogamia, p. 96 ed. Victor. « Quem acceptura virum, cedo? Fugiturum an

Digitized by Google

temporum punctis, aliis nascentibus, aliis cadentibus; an in individuis corpusculis, tam præclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione, fingentibus?

Sed oblitus liberalitatis meæ, qua tecum paullo ante uti cœperam, plura complector. Concedam igitur, ex individuis constare omnia. Quid ad rem? deorum enim
68 natura quæritur. Sint sane ex atomis. Non igitur æterni; quia enim ex atomis sit, id natum aliquando sit[7]. Si natum, nulli dii ante, quam nati. Et, si ortus est deorum, interitus sit, necesse est, ut tu paullo ante de Platonis mundo disputabas. Ubi igitur illud vestrum beatum et æternum? quibus duobus verbis significatis deum. Quod quum efficere vultis, in dumeta correpitis[8]. Ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus; nec sanguinem, sed quasi sanguinem.

69 XXV. Hoc persæpe facitis, ut, quum aliquid non verisimile dicatis, et effugere reprehensionem velitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit:

pugnaturum ». Sulpicius ad Ciceronem de Tulliæ obitu, Famil. lib. IV, epist. 5 : « An illius vicem, credo, doles? » Repone *credo*, *doles?* ut loci sensus flagitat. Porro lenissima hac medicina factum est, ut in seqq. nihil opus sit reponere, « aut in individuis corpusculis », quod D. Lambinus erat ausus. Dav. — Heind. post Wopkensium et Ern. bene restituit *credo*, idem rejecit in seqq. Lambini *aut* pro *an*. Ma. — *Credo* sæpissime non solum Cicero, sed etiam alii scriptores, κατ' εἰρωνείαν. Vid. Wopk. Lectt. Tull. II, 2, et Schwarz. ad Plinii Paneg. 53, p. 232. Ca.

7. *Id natum aliquando sit, necesse est*. Sic omnino legendum est; nam nisi hæ duæ voces, *necesse est*, addantur, mutila et lacera oratio est. Quod quibus aliter videtur, non solum hospites in lingua latina sint, verum etiam judicio careant necesse est. Hoc dico, si tueamur hanc scripturam usu receptam, et quæ in omnibus codicibus reperitur, « id aliquando natum sit ». Nam si eam immutare vellemus, et ita legere, « id aliquando natum est », fateor his duabus vocibus adjectis opus non fore. Lamb. — Emendationem Lambinianam non probo, nec tamen sana videtur recepta lectio. Dav.

8. *In dumeta correpitis*. Ridiculam edit. Mars. lectionem *indumenta corripitis*, habent nonnulli ex nostris. Cic. Acadd. II (IV), 35 : « ... cur eam (orationem) in tantas angustias et in Stoicorum dumeta compellimus ». Proprie usurpavit Cic. Quæst. Tusc. V, 23. Ca.

Digitized by Google

ut satius fuerit illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere, quam tam impudenter resistere. Velut Epicurus, quum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate[1], quod esset earum motus certus et necessarius; invenit, quo modo necessitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat. Ait atomum, quum pondere et gravitate directo deorsum feratur, declinare paullulum. Hoc dicere turpius est, quam illud, 70
quod vult, non posse defendere. Idem facit contra dialecticos[2]: a quibus quum traditum sit, in omnibus disjunctionibus, in quibus, aut etiam, aut non, poneretur, alterutrum verum esse; pertimuit, ne, si concessum esset hujusmodi aliquid, Aut vivet cras, aut non vivet Epicurus, alterutrum fieret necessarium: totum hoc, aut etiam, aut non, negavit esse necessarium. Quo quid dici potest obtusius? Urgebat Arcesilas Zenonem, quum ipse falsa omnia diceret, quæ sensibus viderentur; Zeno autem, nonnulla visa esse falsa, non omnia. Timuit Epicurus, ne, si unum[3] visum

XXV. 1. *Nihil fore in nostra potestate*, etc. Quum secundum Epicurum animus ex atomis constet, et hæc moveantur secundum leges corporeas a supero deorsum ad perpendiculum; sequebatur nullam esse libertatem animi et omnia fieri fato seu necessariis legibus motus: itaque Epicurus dixit atomum a perpendiculo paullum declinare, quumque interrogaretur quæ esset causa hujus inclinationis, dixit eam fieri casu fortuito. Wytt. — De hoc atomorum *clinamine*, quod Lucretius dicit, vide ipsum de Rer. Nat. II, 215, seqq. ibique Lambin. p. 118. Cf. etiam Cic. de Finib. I, 6, ibique interpr. et quæ in eam rem disputarunt Cudworth. et Mosheim. in Sytem. intell. p. 940, seqq. — Agendi vero necessitatem hac ipsa atomorum doctrina ab Epicureis introduci, molestissime fert Plotinus, liberæ voluntatis strenuus assertor. Vid. v. c. p. 229, C. Qui loci Plotiniani componendi sunt cum Platonicis Sophist. (p. 245, e.) p. 379, seqq. Heindf. et Theæt. (pag. 155, e.), pag. 327, seq. Hdf. quibus Leucippus et Democritus tanguntur. Ca.

2. *Idem facit contra dialecticos.* Vide Nostrum Acad. II, 30, 32, et de Fato, cap. 10. Dav.

3. *Timuit Epicurus, ne, si unum visum.* Visum, φαντασία, dicitur omnis cogitatio, quæ ad mentem nostris e sensibus adfertur, veluti visio, au-

Digitized by Google

esset falsum, nullum esset verum : omnes sensus veri nuntios dixit esse. Nihil horum, nisi callide. Graviorem
71 enim plagam accipiebat, ut leviorem repelleret. Idem facit in natura deorum. Dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus; nec sanguinem, sed tamquam sanguinem.

XXVI. Mirabile videtur, quod non rideat aruspex, quum aruspicem viderit[1] : hoc mirabilius, quod vos inter vos risum tenere possitis. Non est corpus, sed quasi corpus. Hoc intelligerem, quale esset, si id in ceris fingeretur, aut fictilibus figuris. In deo quid sit quasi corpus, aut quasi sanguis, intelligere non pos-
72 sum. Ne tu quidem, Vellei; sed non vis fateri. Ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quæ Epicurus oscitans hallucinatus est[2], quum quidem gloriaretur, ut videmus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. Quod et non prædicanti, tamen facile quidem crederem[3] : sicut mali ædificii domino glorianti, se architectum non habuisse. Nihil enim olet[4] ex academia,

ditio, et reliquorum sensuum percepta. Wytt.

XXVI. 1. *Non rideat aruspex, quum aruspicem viderit.* Hoc Catonis Censorii fuit dictum, ut liquet ex lib. II de Divin. cap. 24. Dav.

2. *Hallucinatus est.* Hallucinari vel alucinari est cogitatione vagari, incogitantem esse. Oritur a græco verbo ἀλυω, quod eamdem habet significationem. Wytt. — De vocis etymologia et potestate plura disputant Forcellin. et Facciol. in Lex. lat. I, pag. 131. Ca.

3. *Quod et non prædicanti, tamen facile quidem crederem.* Sic Gruteriani sex, nostrique, nisi quod Med. *credam.* Pari autem modo Hieronymus Rufinum defricat. « Nisi forte se literas, inquit lib. I, col. 728, non didicisse jurabit, quod nos illi et absque juramento perfacile credimus. Dav. — In his Heind. more, ut ait, Ciceronis reposuit *etiam* pro *et* ex cod. Glog. Bene. Mr.

4. *Nihil enim floret ex academia.* Vulgo « nihil enim olet ex Academia ». Sed Reg. Eliens. uterque, Med. et Lincoln. dant « floret ex Academia » ; eamque lectionem recepi, quum recta videretur. Cicero Partit. Orat. cap. 40 : « Expositæ sunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem e media illa nostra Academia floruerunt ». Dav. — Graviter invehitur Heind. in Davisium, textum recepta voce *floret* et

Digitized by Google

nihil ex lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis[5]. Xenocratem audire potuit : quem virum, dii immortales ! et sunt, qui putent audivisse : ipse non vult. Credo plus nemini. Pamphilum quemdam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum. Ibi enim adolescens habitabat cum patre et fratribus, quod in eam pater ejus Neocles agripeta venerat[6] : sed, quum 73
agellus eum non satis aleret, ut opinor, ludimagister fuit. Sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus[7]: ita metuit, ne quid umquam didicisse videatur. In Nausiphane Democriteo tenetur : quem quum a se non neget auditum, vexat tamen omnibus contumeliis[8]. Atqui si hæc Democritea non audisset, quid audierat? quid est in physicis Epicuri non a Democrito?

mox vocula *ne* vitiantem et cum Ern. (qui tamen et in Guelf. invenit *floret*) vulgatam reduxit; jure. A Davisii tamen partibus stant nostri A. C. E. F. G. La. M. (omisso *enim*) N. O. ed. Th. Oxf. o. ψ. Ma.

5. *Nihil ex lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis.* Sic MSS Reg. Med. Lincoln. et alii : nam vulgo secundam vocalam præternittunt. *Pueriles* autem *disciplinas* Cicero vocat eas, quæ passim *liberales* nuncupantur; quod iis primis instituerentur ingenui. Vide sis Joan. Wowerium Polymathiæ cap. 3, p. 24. Dav.

6. *Agripeta venerat.* Eadem voce utitur Noster lib. XV ad Attic. Ep. 29. Nihil autem aliud quam colonum denotat, qui Græcis κληροῦχος. Vide V. C. Ez. Spanhemium ad Juliani Orat. I, p. 187. Historiam habent Strabo, lib. XIV, pag. 946 ed. Amstel. et Diogenes Laertius, lib. X, § 1. Dav.

7. *Sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus. Sed hunc et Platonem* habent libri manu scripti. Ursinus. — MSS etiam Eliens. et Lincoln. dant *hunc Platonem*. Sed inepte : Suidas in Ἐπίκουρος. Ἀκούσας δὲ Ναυσιφάνους τοῦ Δημοκριτείου, καὶ Παμφίλου τοῦ Πλάτωνος μαθητοῦ. Lege Παμφίλου. Dav. — *Platonem* est etiam in nostris E. Fa. M. Oxf. ψ. Heind. ex vocula *et*, quam Ursinus invenit in suis libris, conjicit « hunc ut Platonicum », quia eum jam ante dixerat Platonis auditorem. Ma.

8. *Vexat tamen omnibus contumeliis.* Timocrates apud Diogenem Laertium, lib. X, § 4 : ΠΑΕΥΜΟΝΑ τε αὐτὸν (Ναυσιφάνην) ἰκάλει (Ἐπίκουρος) καὶ ἀγράμματον, καὶ ἀπτεῶνα, καὶ πόρνον. Vide Sextum Empiricum adv. Mathem. lib. I, init. et Hesychium Illustrium p. 29. Pulmo scilicet, ut id obiter dicam, est animal marinum sensu prope destitutum : unde proverbium πνεύμονος βίον ζῇν. Vide Athenæum, lib. III, p. 97, et D. Petavium ad Synesii de Regn. pag. 14. Dav.

Digitized by Google

Nam etsi quædam commutavit, ut, quod paullo ante de inclinatione atomorum dixi, tamen pleraque dicit eadem; atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus, interitus, omnia fere, quibus naturæ ratio continetur.

Nunc istud quasi corpus, et quasi sanguinem, quid
74 intelligis[9]? Ego enim scire te ista melius, quam me, non fateor solum, sed etiam facile patior. Quum quidem semel dicta sunt, quid est, quod Velleius intelligere possit, Cotta non possit? Itaque corpus quid sit, sanguis quid sit, intelligo: quasi corpus, et quasi sanguis, quid sit, nullo prorsus modo intelligo. Neque tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos: nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus[10]: sed (quod inter nos liceat) ne tu quidem intelligis.

75 XXVII. Illud video pugnare te, species ut quædam sit deorum, quæ nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida. Dicemus ergo idem, quod in Venere[1] Coa:

9. *Istud quasi corpus, et quasi sanguinem, quid intelligis?* Nonnulli codd. et editi exhibent: *quid sit intelligis.* Constructio est, Quid intelligis istud quasi corpus et quasi sanguinem; quid intelligis sub isto quasi corpore, et sub isto quasi sanguine. Vulgo dicunt minus latine: quid intelligis per hoc? Wytt.

10. *Tamquam Heraclitus.* Absunt a cod. I. et possunt sane ex glossa marginali in textum irrepsisse. Neque tamen ea ejecerim, quum præcedat etiam *ut Pythagoras*, quod exhibent omnes libri. Tum *quid* pro *quod* est in cod. M. et *liqueat* in codd. Glog. Red. nostris A. B. C. D. (qui habet *inter eos*, superscripto *n*) E. Fa. G. H. I. M. N. O. Edd. Th. et Bas. quod item, ut priora, Heindorfius mendosum ait, et codicum consensum miratur. Ego non plane rejecerim, quod est in nostro G. « quod inter vos liqueat », quæ lectio fortasse etiam lectioni codicis D. originem dedit. Mr. — Lectio codicis G. mihi et ipsi arriserat (vide Prolusionem meam de Fato et Provid. sp. vett. philoss. pag. 17, ubi plura de hoc loco disputavi ad fragmm. Heracliti etiam). Nunc advertit me locus Cic. ad Attic. II, 4, ab Heind. laud. « ex quo quidem ego, quod inter nos liceat dicere, millesimam, millesimam partem vix intelligo », et venustior videtur vulgata. Cr.

XXVII. 1. *In Venere Coa. Coa Venus* celebratissimum fuit Apellis

Digitized by Google

corpus illud non est, sed simile corpori; nec ille fusus, et candore mixtus rubor, sanguis est, sed quædam sanguinis similitudo : sic in Epicureo deo non res, sed similitudines rerum esse.

Fac, id, quod ne intelligi quidem potest, mihi esse persuasum. Cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas. Non deest hoc loco 76
copia rationum, quibus docere velitis, humanas esse formas deorum : primum, quod ita sit informatum anticipatumque mentibus nostris, ut homini, quum de deo cogitet[2], forma occurrat humana; deinde, ut, quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debeat; nec esse humana ullam pulchriorem. Tertiam rationem affertis, quod nulla in alia figura domicilium mentis esse possit. Pri- 77
mum igitur, quidque, consideremus, quale sit. Arripere enim mihi videmini, quasi vestro jure, rem nullo modo probabilem [omnium[3]]. Quis tam cæcus in

opus. Vide Nostrum Offic. lib. III, cap. 2 ; Fam. lib. I, epist. 9, et Plinium H. N. lib. XXXV, cap. 10. Dav. — *Perlucida*. Cic. de Divin. II, 17 : « Deos enim ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabiles ». Ubi cf. Hottinger. pag. 209. Ma.

2. *Quum de deo cogitet*. Eliens. uterque et Lincoln. dant, *quum deum cogitet;* quæ quidem recta est loquendi ratio, et, ut videtur, in hunc locum reducenda. Vide Augustinum Epist. CXVIII, n. 27. Dav. — Quod placet Davisio *deum* est etiam in cod. Glog. Edd. Marsi et Ascens. et nostris E. Fa. G. M. ed. Th. Heindorfio utrumque æque bonum videtur. In prioribus recepit Heind. Walkeri emendationem « deinde quod, quoniam », quam et ratio postulat et partim confirmat cod. Reg. exhibens « deinde quod omnibus rebus », quem verborum ordinem pro vulgato *rebus omnibus* idem reposuit. Ma.

3. *Nullo modo probabilem* [*omnium*]. *Quis*. Vocem penultimam omittunt Manutius et Lambinus. Vulg. « nullo modo probabilem omnium. Quis, etc. » Sed nos ex re ipsa, Reg. Med. et Bonon. 1494, distinctionem mutavimus. Sallustius Jug. cap. 4 : « Quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate neque industria, cum majoribus suis contendat ? » Cicero pro Cluentio, cap. 20 : « Quis tum erat omnium, qui Scamandro condemnato, non judicium Oppianico factum esse arbitraretur ? » Et in Orat. cap. 51 : « Quis omnium doctior, quis acutior . . . Aristotele fuit ? » Dav. — Heindorfius dicit omissum esse *omnium* in edd.

Digitized by Google

Nam etsi quædam comm
de inclinatione atomor
eadem; atomos, inane, i
innumerabilitatemque
teritus, omnia fere, qu

Nunc istud quasi cor
74 intelligis[9]? Ego enim s
non fateor solum, sed
dem semel dicta sunt,
ligere possit, Cotta n
sit, sanguis quid sit, i
sanguis, quid sit, null
tu me celas, ut Pytha
sulto dicis occulte, ta
inter nos liceat) ne

75 XXVII. Illud vide
sit deorum, quæ nil
nihil expressi, nihil
lucida. Dicemus erg

9. *Istud quasi corpus, et q*
guinem, quid intelligis? Nonnu
et editi exhibent: *quid sit*
Constructio est, Quid intelli
quasi corpus et quasi san
quid intelligis sub isto quasi
et sub isto quasi sang
cunt minus latine:
hoc? Wytt.

10. *Tamquam*
a cod. I. et p
marginali in t
tamen ea
etiam *ut P*
omnes lil
in cod.
Red.
inter
M

Digitized by Google

me, tamen non audeo dicere, ne, quam ille fuerit taurus, qui n enim hoc loco de ingeniis, aut ris, sed de specie figuraque quæ- ere nobis, et jungere formas veli- ritimus Triton pingitur, natantibus adjunctis humano corpori, nolis loco versor: est enim vis tanta na- emo velit nisi hominis similis esse. a formicæ.

us hominis? quotus enim quisque 79
henis quum essem, e gregibus ephe- reperiebantur. Video, quid arriseris. s se habet. Deinde nobis, qui, con- sophis antiquis, adolescentulis dele- tia sæpe jucunda sunt. Nævus in ar- ctat Alcæum[2]. At est corporis macula n hoc lumen videbatur. Q. Catulus, familiaris nostri pater, dilexit muni- cium; in quem etiam illud est ejus:

ille maritimus *tibus invehens* valet ac *inve-* cap. 97: « Ado- udes quasi qua- ib.

usum formulæ *et quidem* ap. Ciceron. Tu cf. II, 15, solem quoque animantem esse oportet, « et quidem reliqua astra, etc. » Alia collegit doctiss. Gœrenz. ad Cic. de Finib. pag. 239, 243, 546, seq. — Mox *vix singuli* i. e. nonnulli, *pauci*; vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. XXXVII, pag. 146, qui nec nostrum locum neglexit.

2. *Nævus... Alcæum.* Ad hæc verba conf. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 32, 11; qui Ciceronem dicit respexisse ad Alcæi in Lycum puerum carmina. Universum autem locum nostrum et adhibuit suo consilio, et vero illustravit Winckelmannus in Histor. Art. I, 54, ed. Dresdens. noviss. Cr.

Digitized by Google

contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret, species istas hominum collatas in deos, aut consilio quodam sapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitæ pravitate converterent; aut superstitione, ut essent simulacra, quæ venerantes, deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem hæc eadem poetæ, pictores, opifices[4]: erat enim non facile, agentes aliquid, et molientes deos, in aliarum formarum imitatione servare. Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius videatur. Sed tu hoc, physice, non vides, quam blanda conciliatrix, et quasi sui sit lena natura[5]? An putas ullam esse terra marique belluam, quæ non sui generis bellua maxime delectetur? quod ni ita esset, cur non gestiret taurus equæ contrectatione, equus vaccæ? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinum ullam anteferre censes figuram suæ? Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura præscripsit, ut nihil pulchrius, quam hominem putaret, eam esse
78 causam, cur deos hominum similes putaremus[6]? Quid censes, si ratio esset in belluis? non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse?

XXVIII. At mehercule ego (dicam enim, ut sentio)

Manutii et Lambini, absonam enim et inauditam esse vulgatam, quam constructionem Ern. rariorem dicat. Conjecit Heind. *etenim* pro *omnium* invenitque in cod. Glog. quare in textum illud recepit. Cum Dav. faciunt E. Fa. H. G. Ma.

4. *Opifices.* I. e. operum fabri, veluti statuarii, figuli, architecti. Wytt.

5. *Sui sit lena natura?* I. e. natura se ipsa seducat et ad amorem incitet: quia unusquisque id pulcherrimum putat, quod sibi ipsi simillimum est. Wytt.

6. *Eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus?* Offenditur Heindorf. lectione: « eam esse causam », et desiderat « eaque est causa ». Sed nihil mutat, neque nos aliquid mutaverimus, quum, ut supra monuimus, Cicero liberius nonnumquam scribat, quam grammaticorum leges (an vincula dixerim) permittunt. Ma. — *Putaremus.* Lego *putemus* cum Victor. et Eliens. uno. Dav.

Digitized by Google

quamvis amem ipse me, tamen non audeo dicere, pulchriorem esse me, quam ille fuerit taurus, qui vexit Europam : non enim hoc loco de ingeniis, aut de orationibus nostris, sed de specie figuraque quæritur. Quod si fingere nobis, et jungere formas velimus : qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens belluis [1], adjunctis humano corpori, nolis esse? Difficili in loco versor : est enim vis tanta naturæ, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. Et quidem formica formicæ.

Sed tamen cujus hominis? quotus enim quisque 79
formosus est? Athenis quum essem, e gregibus ephebórum vix singuli reperiebantur. Video, quid arriseris. Sed tamen ita res se habet. Deinde nobis, qui, concedentibus philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia sæpe jucunda sunt. Nævus in articulo pueri delectat Alcæum [2]. At est corporis macula nævus. Illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catulus, hujus collegæ, et familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium; in quem etiam illud est ejus :

XXVIII. 1. *Qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens belluis. Invehens* idem valet ac *invectus.* Noster in Bruto, cap. 97 : « Adolescentia per medias laudes quasi quadrigis vehens ». Apuleius Metam. lib. I, init. « Equo indigena peralbo vehens », (ubi vid. Oudendorp. p. 12, de verbo *vehere* absolute posito. Ca.) — A. Gellius, II, 2 : « Ei consuli pater proconsul obviam in equo vehens venit ». Similiter *equo vehentem* dixit idem, V, 6. Tritonis descriptionem suppeditavit Apollonius Rhodius lib. IV, 1610, seqq. Dav. — *Et quidem formica formicæ.* Ad hunc locum judicandum nonnihil faciat recte tenuisse usum formulæ *et quidem* ap. Ciceron. Tu cf. II, 15, solem quoque animantem esse oportet, « et quidem reliqua astra, etc. » Alia collegit doctiss. Gœrenz. ad Cic. de Finib. pag. 239, 243, 546, seq. — Mox *vix singuli* i. e. nonnulli, *pauci*; vid. Schwarz. ad Plin. Paneg. XXXVII, pag. 146, qui nec nostrum locum neglexit.

2. *Nævus... Alcæum.* Ad hæc verba conf. Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 32, 11; qui Ciceronem dicit respexisse ad Alcæi in Lycum puerum carmina. Universum autem locum nostrum et adhibuit suo consilio, et vero illustravit Winckelmannus in Histor. Art. I, 54, ed. Dresdens. noviss. Ca.

Digitized by Google

Constiteram, exorientem auroram[3] forte salutans,
Quum subito a læva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cælestes, dicere vestra,
Mortalis visus pulchrior esse deo.

Huic, deo pulchrior[4]. At erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. Quid refert? si hoc ipsum salsum illi et venustum videbatur.

80 XXIX. Redeo ad deos. Ecquos si non tam strabones, at pætulos[1] esse arbitramur? ecquos nævum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quæ sunt in nobis? An omnia emendata in illis? Detur id vobis. Num etiam est una omnium facies? nam si plures, aliam esse alia pulchriorem necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si una omnium facies est,

3. *Exorientem auroram.* Hoc in loco *Aurora* solem denotat. Virgilius, Æn. VI, 535: « Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis Jam medium ætherio cursu trajecerat axem ». Ubi Donatus, tradente Servio, « dicit Auroram cum quadrigis positam, solem significare ». Certe quum Tithoni conjux intelligitur, aiunt « roseis Auroram surgere bigis », ut loquitur Valerius Flaccus, Argon. lib. II, 26. Idem lib. I, 283. Dav.

4. *Huic, deo pulchrior.* Gul. etiam Canterus hunc locum mendæ suspectum habuit; is enim Nov. Lect. lib. IV, cap. 14, malebat, « hic deo pulchrior? » Sed Gruterus vulgatam lectionem recte defendit; eaque nihil est convenientius. *Huic*, nempe Catulo, Roscius videbatur *deo pulchrior*. Dav. — Ed. Marsi « huic pulchrior deo aderat: sicut, etc. » *Aderat* etiam est in codd. Oxf. e. o. ψ. u. B. C. D. (ex corr.) Fa. H. I. M. O. et ed. Th. Quod Canterus voluit, *hic*, est in cod. D. cod. Glog. « huic ille deo pulchrior videbatur », et plane ita noster La. unde Heind. recepit *ille*, vocem *videbatur*, ut glossema, omisit. Quod et nobis ita visum est, antequam Heind. editionem acceperamus. Ma.

XXIX. 1. *Ecquos si non tam strabones, at pætulos.* Eliensis unus et e vett. editis nonnulli dant, « ecquos insigni nota strabones, aut pætulos ». Quæ quidem scriptura, licet admodum depravata, veræ lectionis nos admonuit; scripsit enim Cicero, nisi fallor: « ecquos in iis si non tam strabones, at pætulos ». Nic. Heinsius ad Ovid. Art. Amand. lib. II, v. 659, reponit « si non jam strabones ». Sed vulgata non fuit loco movenda; *tam* enim ad Roscium refertur, qui fuit perversissimis oculis. Dav. — *Strabo* dicitur, qui oculis est distortis. — *Pætulus*, diminutivum adjectivi *pætus*, oculis oblique tuens, quod vitium etiam in mulieribus pro venustate haberi solebat, unde Venus Pæta ferebatur. — *Silus*, idem qui *simus*, naso sursum repando præditus. Wytt. — Ad *flaccos* adhibe Plinium, Hist. Nat. XI, 37, 50. Ca.

Digitized by Google

florere in cælo academiam necesse est[2]? Si enim nihil inter deum, et deum differt; nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. Quid, si etiam, 81
Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis de deo cogitantibus speciem, nisi hominis occurrere, tamenne ista tam absurda defendes? Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis[3]: Jovem, Junonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem, reliquos deos, ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt; neque solum facie, sed etiam ornatu, ætate, atque vestitu. At non Ægyptii, nec Syri, nec fere cuncta barbaria. Firmiores enim videas apud eos opiniones esse de bestiis quibusdam, quam apud nos de sanctissimis templis et simulacris deorum. Etenim fana multa 82
exspoliata, et simulacra deorum de locis sanctissimis ablata videmus a nostris : at vero ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptio[4]. Quid igitur censes? Apim illum,

2. *Florere in cælo Academiam necesse est.* Non erit, quo deus a deo possit distingui. Nota est Academicorum ἀκαταλήψια. De re, quam agit Cicero, videatur Arnobius, lib. III, p. 136 ed. Herald. Dav.

3. *Nobis fortasse sic occŭrrit, ut dicis.* Vulgo, *nobis fortasse si occurrit;* nos autem, re ipsa duce, Lambini conjecturam recepimus, quam diserte firmant Reg. a secunda manu, et Cantab. Davis. — Recepit Heind. etiam ex suo Glog. *sic* pro *si;* idem nostri exhibent B. D. Oxf. e. o. u. Cod. I. *si occurrerit.* Ma.

4. *Ne fando quidem auditum est, crocodilum, aut ibim, aut felem violatum ab Ægyptio.* Ex hac superstitione natum fuit Cambysis Stratagema, quod refert Polyænus, lib. VII, cap. 9. Plura congessimus ad Tuscul. lib. V, cap. 27. At eædem bestiæ apud cunctos Ægyptios non erant sacræ, et nonnulli eas colebant, quas alii odio sunt prosequuti. Vide Diodorum Siculum, Bibl. lib. I, p. 80; Clementem Alexandrinum, Protrept. p. 9; Athanasium contra Gentes, § 23, et Lucianum, Jove Tragœdo, tom. II, pag. 152; Josephum in Apionem, I, cap. 25, iterumque cap. 71; Herodotum, lib. II, cap. 69. Notum est Tentyritas inter et Ombitas certamen, quod lepide descripsit Juvenalis, Sat. XV. Adi sis et Ælianum, Hist. Anim. lib. X, c. 21 et 24. Dav. — *Nostram Sospitam.* In cod. Red. et nostro L et Oxf. o. ψ. est *vestram*, quod Boherius volebat, Velleium Lanuvinum esse dicens, cujus patriam Cotta significaverit. Heind. se nescire fatetur, unde de patria Velleii constiterit Boherio. Ne-

5.

Digitized by Google

sanctum Ægyptiorum bovem, nonne deum videri Ægyptiis? Tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis[5]. At non est talis Argia[6], nec Romana Juno. Ergo alia species Junonis Argivis, alia Lanuvinis, alia nobis[7]. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Ammonis Jovis.

que ego aliquid de ea reperi. Idem tamen (Velleium esse Lanuvinum) adscriptum est margini collationis cod. I. Ma. — *Crocodilum... ibim... felem.* Vide locos vett. a Davis. laudd. Ad locum Juvenalis Sat. XV, vs. 28, vide doctiss. Rupertium. Classici eam in rem loci sunt Clem. Alex. lib. V, pag. 632, et Euseb. Præpar. Ev. III, 11, unde constat crocodilos ab Ombitis aliisque etiam Ægyptiis propterea cultos esse, quod essent pro signo ποτίμου ὕδατος, nimirum accedentis Nili. Cf. grande opus Francogall. *Description de l'Égypte*, tom. I, cap. 4, p. 8 sq. ibique disputata Chabroli et Jomardi. — *Ibis* (ibis Tantalus Linn. Numenius Cuvierii) nec minus pertinebat ad Nilum inundantem. De ea ave vide Herodotum, lib. II, cap. 75 seq. Strabonem, lib. XVII (pag. 873), pag. 631 ed. Tasch. Horapollin. Hierogl. lib. I, cap. 4, et e recentt. *Savigny* in *Annal. du Musée d'Hist. nat.* tom. IV, pag. 116 sqq. XX, atque *Description de l'Égypte Antiq.* vol. II, tab. 52, pag. 261. De *felium* cultu vide Herodotum, lib. II, cap. 66, 67; conf. Arnob. adv. Gent. I, 28, ibique interprr. Hinc etiam conditæ mumiarum in modum ejus bestiæ. Vide Herodotum, II, 41, 67. Quæ cadavera hodieque residua. Vide *Zoegam* de obelisc. pag. 283 seq. *Silvestre de Sacy* ad Ab-dallatifii *Relat. de l'Égypte*, pag. 277 seq. *Rozyer* et *Jomard* in *Description de l'Égypte*, vol. I, 2, p. 219, et sect. X, p. 347 seqq. Cr.

5. *Cum calceolis repandis.* Pighius ad ann. U. C. 599, mavult *cum caligulis repandis.* Sed nihil est mutandum; nam Junoni Sospitæ calceolos repandos tribuerunt. Vide Bern. Montfalconium, Antiquit. Explic. lib. II, V, fig. 10. Dav. — Cod. E. exhibet *calculis*, quod Pighius in suam partem trahere posset. Ed. Th. *reparandis*, ridicule. Ma.

6. *Non est talis Argia.* Vulgo *Argiva.* Nos eam sequimur rationem, quam præstant Victor. Eliens. et Med. Non aliter *Argiæ Sacerdotis filii prædicantur* Tuscul. lib. I, cap. 47. Dav. — Restituit Heind. *Argiva*, quod est in codd. Glog. Red. et nostris E. Fa. Oxf. u. ψ. Reliqui omnes *Argia.* Ma.

7. *Alia Lanuvinis, alia nobis.* Duas ultimas voces ex Ursin. addidimus, utpote quæ orationi necessariæ videbantur, quum Romanam Junonem supra memorasset Cicero. Dav.—Voces *alia nobis* cum Dav. in textum recepit Heind. utpote necessarias, si supra legitur, ut est in plerisque libris, *nostram Sospitam.* Sed vix dubito, quin verba ista alieno loco, ex statim subsequentibus, librarii errore sint posita; ita ut supra legendum sit *vestram.* De Junonis cultu apud Italos vett. vide *Lanzi, Saggio di ling. Etrusca*,

Digitized by Google

XXX. Non pudet igitur physicum, id est, specu- 83
latorem venatoremque naturæ, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? Isto enim modo dicere licebit, Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ[1], cæruleos esse Neptuni. Et quidem Athenis laudamus Vulcanum eum[2], quem fecit Alcamenes; in quo stante, atque vestito, leviter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus deum; quoniam de Vulcano sic accepimus. Age et his vocabulis deos esse faciamus[3], quibus a nobis nominantur. At primum 84

II, 63, 76, 238, 578, et *Marini, atti de' fratelli arvali*, p. 160, 368 seq. 414, 502 col. p. LXXX. Illa autem Ciceronis de specie Junonis Sospitæ plane ad oculorum sensum explicet sibi qui imagines inspicere velit, quas in Museo Pio-Clem. II, tab. 21, exhibuit Visconti us, ex numis Millin. in *Galerie mythologique*, tab. XII, nr. 50, et ex anaglypho Hirt. in Picturr. collect. tom. I, pag. 22. De Junone Argiva, etc. vide Mus. Pio-Clem. lib. I, cap. 2, ibique E. Q. Visconti. Adde Visconti jun. *Memorie encicloped. di Roma*, tom. III, p. 61-67, et Millin. l. l. nr. 47. De Jove Ammone ejusque specie vide Herodot. lib. II, cap. 42; Spanhem. de Us. et P. N. lib. II, p. 292, et *Description de l'Égypte*, tom. I, cap. 7, p. 10, et tom. II, p. 259 sqq. Ca.

XXX. 1. *Cæsios oculos Minervæ.* Cæsius est color sereni; cæruleus quasi viridis et similis mari. Wytt.

2. *Laud. Vulcanum Athenis eum* (sic). Pall. duo, Reg. nonnullique alii MSS perperam exhibent, «laudamus esse Athenis Vulcanum eum». Vulgo, «Athenis laudamus Vulcanum eum»; quasi in illa urbe sola laudaretur Alcamenis Vulcanus! Nos igitur eum verborum ordinem recepimus, quem præstat Eliensis unus; ac tum demum intelligetur locus, ubi sita, non tantum ubi laudata fuit, celebris illa statua. Hanc descripsit Valerius Maximus, lib. VIII, cap. 11, 3. Dav.—Heind. eum Ernest. vulgatum restituit verborum ordinem, de vera scriptura incertus. Cod. Glog. «Quum quidem essem Athenis, laudabamus Vulcanum enm, etc.» Unde conjicit Heind. «Equidem quum essem Athen. laudabant unice Vulc. eum, etc.» Cui scriptioni haud parum favet noster La. qui fere ut Glog. «Quum quidem essem Athen. laudabamus». Ma.

3. *Faciamus.* Quod conjecit Valkenarius ad Herodotum, p. 591, dedit eum Ernesto Heindorfius, *faciamus*, qui etiam ex codd. Glog. et Red. dedit *age ut his*, ut est in nostris E. Fa. M. quod placet. *Faciamus* pro vulgato *facimus* reperit Walkerus in cod. Reg. indeque retinens *et* correxit *facienus*. Sed recte monuit Heind. *et* ita positum pro *etiam* non esse Ciceronianum: requiritur ergo *ut*... *faciamus*, quod exhibuerunt libri MSS, quos manibus tractaverat Heind. Ma.

Digitized by Google

quot hominum linguæ, tot nomina deorum. Non enim, ut tu Velleius, quocumque veneris, sic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hispania. Deinde nominum non magnus numerus, ne in pontificiis [4] quidem nostris; deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? Istud quidem ita vobis dicere necesse est. Quid enim attinet, quum una facies sit, plura esse nomina?

Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius, nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum tibi displicere [5]? An tu mei similem putas esse, aut tui deum? Profecto non putas. Quid ergo? solem dicam, aut lunam, aut cælum, deum? Ergo etiam beatum? quibus fruentem voluptatibus? Et sapientem? qui potest esse in ejusmodi trunco [6] sapientia? Hæc vestra sunt. Si igitur nec humano visu, quod docui; nec tali aliquo [7], quod tibi persuasum est, quid

4. *Ne in pontificiis.* I. e. ne in libris quidem pontificiis Romanorum magnus est numerus nominum deorum, attamen nomina deorum sunt innumerabilia, quia unusquisque populus alio nomine eosdem nominat deos. Wyttenbach.

5. *Ipsum tibi displicere.* Editi simul ac MSS dant, *ipsum sibi displicere*; quod ferri non potest: nam Cotta Velleium adloquitur; adeo ut pronomen secundæ personæ proprium omnino requiratur. Nos igitur Manutii Lambiniique conjecturam admisimus; non enim erat, cur sacri haberentur librariorum errores. Davis. — Vocem *sibi*, quæ est in nostris omnibus (exceptis, ut videtur, codd. La. et M.), defendit Wopkensius in Lectt. Tull. 2, 3, et recepit Heind. qui illud æque bonum esse existimat, quam *tibi*. Sed totum hoc *atque ... displicere* pro frigido verbi *nauseare* interpretamento habet. Satis erat, ait, *quam ista eff. nauseare ipsum*. Ma.

6. *In ejusmodi trunco.* Truncus Latinis dicitur, quod capite, brachiis, pedibus caret: usurpatur etiam de homine stupido, ut a Cicerone in Orat. adv. Pis. cap. 9. Wyttenbach.

7. *Nec humano visu, quod docui; nec tali aliquo.* Hanc lectionem retinent libri, et patienter ferunt editores; mihi tamen inepta prorsus videtur et inficeta. Certissime legendum, «nec humano visu, quod docui, nec alio aliquo». Epicurei enim deos esse ἀνθρωπομόρφους, nullamque aliam figuram iis assignari posse, statuebant. Quintil. Inst. Orat. lib. VII, cap. 3: «Epicurus humanam ei (deo) formam ... dedit». Vide supra cap. 18 et 27; Plutarchum de Placit. Philos. lib. I, cap. 7, et Sextum Empiricum, Pyrrhon. Hypot. lib. III, cap. 24,

Digitized by Google

dubitas negare, deos esse? Non audes. Sapienter id quidem : etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos.

XXXI. Novi ego Epicureos omnia sigilla numerantes [1] : quamquam video nonnullis videri, Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse [2]. Itaque in illis selectis ejus brevibusque sententiis, quas appellatis κυρίας δόξας, hæc, ut opinor, prima sententia est : Quod beatum

p. 155. Eam sententiam quum redarguisset Cotta, Velleium rogat, quid negare deos esse dubitet, siquidem nec humana, nec ulla alia sint forma. Dav. — Quod voluit Davisius *alio aliquo* recepit Heind. ex cod. Glog. et exhibet noster La. Ma.

XXXI. 1. *Omnia sigilla numerantes.* Sic omnes fere MSS, unde Paullus Manutius, probante Lambino, reponendum putavit, *omnia sigilla venerantes.* Non equidem nego, quin hæc conjectura longe præferenda sit ei, quam proposuit Janus Gulielmius; is enim literarum potius, quam sensus, rationem habuit, quum rescripsit, *omnia sigilla munerantes;* nam Crœso necesse est locupletiores fuerint isti Epicurei, quibus tantæ erant facultates, ut *omnia sigilla* muneribus honestare potuerint. Lincoln. habet *nova sigilla numerantes.* Eliens. unus, *omnia nova sigilla inhiantes;* alter, *nova sigilla inhiantes.* Lego, *in omnia sigilla inhiantes.* Vult Noster eos cum admiratione et reverentia cunctas deorum statuas adire ac intueri. Davis.— Davisii ratio non placet Heindorfio. Wopkensius, Lectt. Tull 2, 3, defendit vulgatam, frustra, ut ait Heind. subaudiendo *deos* ex præcedentibus, quod non omitti potuisset. Adstipulatur potius Lambino et Manutio, sed in textu reliquit vulgatam. In cod. N. ita scriptum est, ut legi etiam possit *munerantes.* Kindervaterus pro *sigilla* conjiciebat *signa* sc. cælestia, id est, sidera numerantes v. observantes, veluti homines divinationis studium exercentes. Ma. — Epicureos *omnia sigilla numerantes* diserte cod. noster G. Explicat Aug. Matthiæ, in programmate nuper edito pag. 6 sq. curiose anquirentes, et studiose cavontes, ne quod prætermittant, quin venerati sint; addens, inesse in verbo *numerare* et compositis nonnumquam nimiæ curæ significationem. Cic. de opt. gen. or. cap. 5, « non annumerare verba, sed appendere », et Sil. Italic. VI, 620. Hinc etiam illud, quod in proverbium cessit : Pauperis est *numerare* pecus. Ad argumentum nostri loci adhibe geminos : cap. 41 et 43, itemque III, 1, et Sext. Empiric. contra Math. IX, § 58, ibique Fabricium, qui etiam de Gassendo Epicuri in hac quoque causa patrono. Ca.

2. *Video nonnullis videri, Epicurum... verbis reliquisse deos, re sustulisse.* Inter eos fuit Posidonius. Vide Nostrum infra cap. 44, et Sextum Empiricum adv. Mathem. lib. IX, § 58. Hinc eum ἀθεότητος insimulat Ælian. Var. Histor. lib. II, cap. 31, et de Provid. apud Suidam in Ἐπίκουρος. Vide et Theophilum Antiochenum, lib. III, pag. 213. Dav.

Digitized by Google

et immortale est[3], id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium.

In hac ita exposita sententia, sunt qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi[4] fecerit, fecisse consulto : de homine minime vafro male existimant. Dubium est enim, utrum dicat aliquid iste beatum et
86 immortale, an, si quod sit, id esse immortale[5]. Non animadvertunt, hic eum ambigue loquutum esse; sed multis aliis locis, et illum, et Metrodorum tam aperte, quam paullo ante te. Ille vero deos esse putat; nec quemquam vidi, qui magis ea, quæ timenda esse negaret, timeret, mortem dico, et deos. Quibus me-

3. *Quod beatum et immortale est.* Græce sic Epicurus : Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Exstat apud Sext. Empiricum, Diogenem Laertium, Nemesium, et alios bene multos. At hæc τῶν κυριωτάτων δοξῶν πρώτη, συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ὅρισμα εὐθὺς ἀνατρέπειν non immerito videtur Plutarcho adv. Colotem, tom. II, pag. 1125. Vide et Lactantium de Ira dei, cap. 4. Dav.

4. *Quod ille inscitia plane loquendi.* Legendum *inscientia*, vel libris omnibus invitis ; nam *inscitia* idem valet, quod *stultitia*, ut testatur Festus. Hic autem Cicero significat Epicurum ignoratione, seu inscientia plane loquendi, ambigue loquutum esse. Lambin. — Hujus conjecturam diserte firmat MS Reg. quapropter eam, expulsa, quæ vulgo fertur, *inscitia*, recipere non dubitavimus. Dav. — Restituit Heind. cum Ernest. et Wopkens. Lect. Tull. 2, 3, *insicitia*, quod est in nostris omnibus (excepto E.), nam nihil aliud certe est, quod legitur in codd. A. *inscita*, G. *insitia*, I. *insciscia*. Ma. — Proxime : *de homine minime vafro.* Cf. Tuscul. II, 19, 44 : « Venit Epicurus homo minime malus, vel potius vir optimus; tantum monet quantum intelligit ». De Legg. lib. I, cap. 7, ubi : *viri boni* et *vir optimus* item de Epicuro et Epicureis. Cr.

5. *An, si quod sit, id esse immortale.* Leg. « an, si quod sit beatum, id esse immortale ». Sed orationis integritati necessaria prorsus est vox illa, quam nos ex vetustioribus editis accepimus. Licet enim nec in MSS Gruterianis, nec in nostris compareat, sensus eam flagitat, et librarii negligentiæ socordiæque sunt postulandi. Dav. — Verba *an si . . . immortale* plane absunt a codd. Fa. et M, Vitiata censet hæc Heind. Davisium obtexisse vulnus, non sanasse existimans. Nullus certe librorum nostrorum exhibet Davisianum illud *beatum*, neque habent edd. Marsi et Ascensii, neque, quas manibus tractamus, edd. Th. et Bas. Ma. — *An si quod sit, id esse immortale.* Ign. Rossi in Comm. Laert. pag. 313, 315, vulgatæ præfert lectionem : *an si quod sit beatum*, eamque veteris codicis esse dicit. Cr. — Sed quis sit cod. suus non monet.

Digitized by Google

diocres homines non ita valde moventur, his ille clamat omnium mortalium mentes esse perterritas. Tot millia latrocinantur, morte proposita[6]. Alii omnia, quæ possunt, fana compilant. Credo, aut illos mortis timor terret, aut hos religionis.

Sed, quoniam non audes (jam enim cum ipso Epi- 87
curo loquar) negare, esse deos, quid est, quod te impediat, aut solem, aut lunam, aut mundum, aut mentem[7] aliquam sempiternam in deorum natura ponere? Numquam vidi, inquit, animam rationis consiliique participem in ulla alia, nisi humana figura. Quid? solis numquidnam, aut lunæ, aut quinque errantium siderum simile vidisti? Sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum, cursus annuos conficit. Hujus hanc lustrationem[8] ejusdem incensa

6. *Morte proposita.* Lincoln. et Eliens. unus *postposita*, hoc est, contempta. Dav.—Scioli cujusdam librarii correctio *postposita* est in cod. Glog. et nostris G. (sed superscriptum est *pro*) I. M. Oxf. u. ed. Th. Oxf. e. exhibet *præposita*. Ma. — Proxime : *Metrodorum*. Conf. infr. cap. 33, ubi Hermacho jungitur, ut apud Senec. epist. 4. Vide etiam Ciceronem, Tusc. lib. II, cap. 3 ; de Fin. lib. II, cap. 3 ; Diogenem Laertium, lib. X, cap. 22 ; ibique Menag. add. Rosini ad Voll. Hercull. tom. I, et *Antichità di Ercolano*, vol. V, ad tab. 19 et 25, ubi et Epicuri et Metrodori imagines exhibentur. Ca.

7. *Aut solem, aut mundum, aut mentem.* Vulgo, « aut solem, aut lunam, aut mundum, aut mentem ». Voces, quas delevi, per se satis sunt commodæ ; sed eas prætermittunt M8S Reg. Eliens. Med. Lincoln. Bonon. 1494, et Vict. nosque Ciceronis verba, non aliorum additamenta, dare studuimus. Dav. — Ejecit et Heind. verba *aut lunam*, quæ absunt a codd. ejus Glog. et Red. edd. Marsi et Asc. et nostris A. B. C. D. E. Fa. La. M. N. Oxf. ψ. edd. Th. et Bas. quibus auctoritatibus et ratione ipsa moti nos quoque ea ejicienda existimamus. Ceterum quæ h. l. ponuntur, e Stoicorum potius sententia dicta esse, quam Academicorum, et ab ipso Cotta, lib. III, quodammodo refelli, bene monet Scholten, Dissert. de Divin. natur. p. 21. Ca.

8. *Hujus hanc lustrationem.* Sic conjecerat Lambinus, ac ita diserte Cantab. Eliens. unus pro varia lectione, et Reg. a manu secunda. Optime. Noster, lib. II, cap. 20 : « Eumdem lustrat orbem ... signiferum lustrat orbem ». Davis. — *Lustrationem* pro vulgat. *illustrationem* invenit etiam Heind. in cod. Glog. et ed. Marsi, et in textum recepit. Ex nostris idem præbent codd. D. E. La. Oxf. e. o. u. edd. Th. et Bas. Ma.

Digitized by Google

radiis menstruo spatio luna complet. Quinque autem stellæ eumdem orbem tenentes, aliæ propius a terris, aliæ remotius, ab iisdem principiis, disparibus tem-
88 poribus eadem spatia conficiunt. Numquid tale, Epicure, vidisti? Ne sit igitur sol, ne luna, ne stellæ; quoniam nihil esse potest, nisi quod attigimus, aut vidimus. Quid? deum ipsum numne vidisti? Cur igitur credis esse? Tollamus ergo omnia, quæ aut historia nobis, aut ratio nova affert. Ita fit[9], ut mediterranei mare esse non credant. Quæ sunt tantæ animi angustiæ, ut, si Seriphi natus esses, nec umquam egressus ex insula, in qua lepusculos vulpeculasque sæpe vidisses, non crederes leones et pantheras esse, quum tibi, quales essent, diceretur? si vero de elephanto quis diceret, etiam rideri te putares?

89 XXXII. Et tu quidem, Vellei, non vestro more, sed dialecticorum (quem funditus gens vestra non[1] novit), argumenti sententiam conclusisti[2]. Beatos esse deos

9. *Ita fit*, etc. Olim *ita sit*. Pall. et Eliens. unus, *ita fit;* unde vir Clar. Joan. Clericus legit, *ita fiet;* quia falsum est, mediterraneos mare esse non credidisse. Dav. — Recepit Heindorfius ex codd. suis et ed. Marsi *fit*, quod et Ernest. reperit in cod. Guelf. Clerici *fiet* ne latinum quidem esse judicat Heindorf. Ex nostris præbent *fit* codd. D. E. G. M. Oxf. u. ψ. et ed. Th. Quod conjecit Clericus *fiet* est in ed. Bas. Mr.

XXXII. 1. *Quem funditus gens vestra non novit.* Veneti, *quæ funditus gens vestra*. In Venetis *quæ* infertur, quod referat τὰ διαλεκτικὰ, est illud quidem minus simplicis orationis, sed haud scio an verum. Camer. — Restituit Heindorf. *quæ*, quod stare posse ait, si cum Camerario apud mentem repetamus *dialectica*. Et habent nostri omnes *quæ*, excepto cod. M. Kindervaterus mire primum recte fecisse ait Ernestum, quod *quem* in textum receperit, deinde cum Camerario lectionem vulgatam, *quæ*, genuinam esse non dubitat. Mr.

2. *Argumenti sententiam conclusisti.* Si cum Manutio legas *argumentis*, tum minime necessaria videtur illa conjectura, pro qua reposuit *quem funditus;* nam *quæ* ad *argumenta* non incommode referatur. Sed, ut verum fatear, *quem* lubens amplector, et vocem *argumenti*, non Tullio, sed exscriptoribus deberi censeo, qui notare voluerunt, quis fuerit *mos Dialecticorum*. Hanc suspicionem firmant varietates, quæ in MSS comparent. Dav. — Dedit Heind. quod conjecit Lambinus, *argumento*, neque eam vocem cum Davisio ejici vult. Nostri E. et O.

Digitized by Google

sumpsisti. Concedimus. Beatum autem sine virtute neminem esse posse. Id quoque damus, et libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare non posse. Conveniat id quoque necesse est. Adjungis, Nec rationem esse, nisi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? Quid autem est istuc gradatim[3]? Sumpsisses tuo jure. Nam a beatis ad virtutem a virtute ad rationem video te venisse gradibus. A ratione ad humanam figuram quo modo accedis? Præcipitare istuc quidem est, non descendere. Nec vero 90
intelligo, cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines deorum. Quæres, quid intersit: si enim hoc illi simile sit, esse illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formæ figuram venisse ad deos. Dii enim semper fuerunt, et nati numquam sunt, si quidem æterni sunt futuri. At homines nati. Ante igitur humana forma, quam homines, ea, qua erant [forma] dii immortales[4]. Non ergo illorum humana forma, sed nostra divina dicenda est. Verum

argumenta, reliqui vulgatam sequuntur. Ma.

3. *Quid autem est istuc gradatim.* Hæc additicia esse merito censuit Cl. Walkerus. Fraterculi nempe cujusdam sunt, cui nota non fuit vocis *gradatim* potestas: quapropter ea nos uncinis cinximus. Dav. — Ernestus cum Davisio et Walkero facit. Heindorf. nihil ejici vult, sed amplectitur Facciolati emendationem, qui in acroasi de sorite (merito, ut mihi videtur) nihil mutat, sed verba *sumpsisses tuo jure* ponit ante *quid autem est*. Verba *sumpsisses tuo jure* absunt a codd. E. et G. idem omittit verba, quæ Ernest. cum Dav. et Walk. uncinis inclusit. Ma.

4. *Ea, qua erant forma dii immortales.* Legendum *eaque erant forma dii immortales;* quam conjecturam veram esse loci sensus docet, et firmat Regii codicis auctoritas. Dav. — Cod. N. *ea forma qua erant.* Heind. ita conjecerat legendum: «siquidem ea erant forma dii immort.» Sed nunc ita argumentatio procedere debere ei videtur: «sed hoc dico ... ad deos; dii enim semper fuerunt; nati numquam sunt, siquidem ... nati; ante igitur, quam homines et humana forma, erat ea, qua erant forma dii immort.» Liberat uncis vocabulum *forma*, sed mavult illud poni post *qua*. Ad illum certe modum, sive Ciceronis, sive Heindorfii, bene procedere sensum quis non fatebitur? Ma.

Digitized by Google

hoc quidem, ut voletis : illud quæro, quæ fuerit tanta fortuna (nihil enim in rerum natura ratione factum
91 esse vultis)? sed tamen quis iste tantus casus? unde tam felix concursus atomorum, ut repente homines deorum forma nascerentur? Semina deorum decidisse de cælo in terras putamus, et sic homines patrum similes exstitisse? Vellem diceretis : deorum cognationem agnoscerem non invitus. Nihil tale dicitis; sed casu esse factum, ut deorum similes essemus. Et nunc argumenta quærenda sunt, quibus hoc refellatur? Utinam tam facile vera invenire possim, quam falsa convincere !

XXXIII. Etenim enumerasti memoriter et copiose (ut mihi quidem admirari liberet, in homine esse romano tantam scientiam) usque a Thale Milesio[1] de na-
92 tura deorum philosophorum sententias. Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus et pedibus constare deum posse decreverunt? Ne hoc quidem vos movet, considerantes, quæ sit utilitas, quæque opportunitas in homine membrorum, ut judicetis, membris humanis deos non egere? Quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendendum? quid reliqua descriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est? Itaque nulla ars imitari solertiam naturæ potest. Habebit igitur linguam deus, et non loquetur; dentes, palatum, fauces nullum ad usum; quæque procreationis causa natura corpori affixit[2], ea frustra habebit deus; nec externa magis,

XXXIII. 1. *Usque a Thale Milesio.* Virgilius, Æn. VII, 288 : « ... classemque ex æthere longe Dardaniam Siculo prospectat ab usque Pachyno ». Seneca, Medea, vers. 434 : « Usque a perustis Indiæ populis petunt ». Eliens. tamen uterque dat, « usque ad Thalem Milesium »; quod prorsus est absurdum et oscitantibus librariis imputandum. Dav.

2. *Natura corpori affixit.* Sic Eliens. uterque, Med. et Bonon. 1494 ha-

Digitized by Google

quam interiora, cor, pulmones, jecur, cetera: quæ, 93
detracta utilitate, quid habent venustatis? quandoquidem hæc esse in deo propter pulchritudinem vultis. Istisne fidentes somniis non modo Epicurus, et Metrodorus, et Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium [3] contra Theophrastum scribere ausa sit [4]? Scito illa quidem [5] sermone et attico, sed tamen. Tantum

bent. Dav. — Dedit Heindorf. (quod etiam Kindervatero placuit) *affinxit* cum Dav. ex cod. Glog. Red. et ed. Marsi, et sic exhibent nostri A. B. C. D. H. I. N. reliqui libri et cod. Guelf. cum Ern. faciunt. Ed. tamen Bas. pro var. lect. habet *affinxit*. Ma.

3. *Leontium*. P. Harduinus in notis de Plinio, lib. XXXV, cap. 40, affirmat Leontium conjugem Epicuri fuisse. Plinius, ait, inter tabulas Theodori pictoris habet *Leontium Epicuri* cogitantem. Quo dicto Leontium conjugem, non meretricem Epicuri, fuisse significat, et in tabula pingi de rebus philosophicis meditantem. Sic enim in nummis antiquis appellatur Plotina Trajani, Sabina Hadriani, et apud Plinium aliæ, certe non meretrices, sed conjuges. Wytt. — Cf. n. 5.

4. *Scribere ausa est*. Vulgo, *ausa sit*, quod non fert latinitas; nam modus indicativus plane requiritur, ut vidit D. Lambinus. Nos eam igitur recepimus lectionem, quam præstat Elensis uterque cum Bonon. 1494. Dav. — Dedit Heind. ex Glog. suo *ausa sit*, et sic nostri omnes, præter cod. G. et ed. Th. Ma.

5. *Scito illa quidem*, etc. Sequutus sum P. Victorii sententiam, quæ nihil discrepat ab antiqua scriptura; sic enim habent nostri libri veteres. Docet autem Ille lib. Var. Lect. XXIV, cap. 18, esse hic ἀποσιώπησιν bonis scriptoribus usitatam. Quod si nulla hic esset reticentia, sed integra et libera locutio, hic esset quasi orationis tenor et cursus: «scito illa quidem sermone et attico; sed tamen meretricula», quod indignum est. Sequitur acclamatio, seu epiphonema: «tantum Epicuri hortus habuit licentiæ». Lambin. — Codd. Red. et G. et edd. Marsi, Ascens. Th. et Bas. *quidem illa*. Ma. — *Meretricula Leontium*. Vide Davis. De hac femina consule Diogen. Laert. lib. X, cap. 23, ibique interpr. Athen. lib. XIII, p. 593, p. 145, Schweigh. ubi ejus filia Danae memoratur. Plura de ea congesserunt Gassendus de vita Epicuri, pag. 47 sqq. et Menag. Histor. mulierum philoss. pag. 498, qui tamen mulieres cognomines confudit, et corrigendus est ex Ruhnkenii Epist. crit. II, pag. 233, et Schweighæuseri Annot. ad Athen. lib. XIII (p. 597), p. 224. Ceterum huc pertinet Etymologici M. locus in ὑποχοριστικὸν, p. 709 ed. Lips. ubi in ἑταιρῶν ὀνόμασι imprimis censentur: Κλωνάριον, Μυσάριον, Ἀσόντιον, quem locum venuste adhibuit Paciaudi Monumm. Peloponn. lib. II, p. 216 seq. explicando titulo sepulcrali Leucadio, in quo et Λίοντιον et Δαμόξενα appellantur. Et reapse neutrum nomen (liceat librariorum h. l. aliquot stuporem in jocum convertere) abhorret a meretricularum *lenociniis*. *Scito ser-*

Digitized by Google

Epicuri hortus habuit licentiæ. Et soletis queri; Zeno[6] quidem etiam litigabat. Quid dicam Albucium? Nam Phædro nihil elegantius, nihil humanius. Sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram: quum Epicurus contumeliosissime Aristotelem vexaverit[7]; Phædoni Socratico turpissime maledixerit; Metrodori, sodalis sui, fratrem Timocratem, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus[8] conciderit; in Democritum ipsum, quem sequutus est, fuerit ingratus; Nausiphanem, magistrum suum, a quo nihil didicerat[9], tam male acceperit.

XXXIV. Zeno quidem non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum[1], ceteros figebat male-

mone explicat Gœrenz. ad Ciceronem de Finib. lib. I, cap. 14, p. 63. Mn.

6. *Zeno.* Zeno Epicureus tempore Ciceronis. Vide Cic. de Finib. lib. I, cap. 5; Tuscul. lib. I, cap. 15; de Nat. Deorum, lib. II, cap. 21. Albucius sectam Epicuri sequebatur. Cic. in Bruto, cap. 35; de Finib. lib. I, cap. 3. Exsul Athenis Epicurens factus est. Vide Tuscul. lib. V, cap. 37; de eodem vid. *Bayle.* Wytt.

7. *Epicurus contumeliosissime Aristotelem vexaverit.* Vide Athenæum, lib. VIII, p. 854, et Diogenem Laertium, lib. X, § 8. Dav.

8. *Timocratem ... totis voluminibus conciderit.* Epicuro paria saltem reddidit Timocrates, ut patet ex Diogene Laertio, lib. X, § 6. Dav.

9. *A quo nihil didicerat.* Ita præ se ferebat Epicurus, quod αὐτοδίδακτος videri cupiebat. Vide Sextum Empiricum adversus Mathem. init. Vide et Nostrum supra cap. 26. Miror itaque viros doctos hunc locum sollicitasse. Eorum unus (Walkerus) reposuit, *a quo illa didicerat;* alter, *a quo nihil non didicerat.* Dav.

XXXIV. 1. *Apollodorum, Syllum.* Nec de Apollodoro, nec de Syllo philosophis alibi quid proditum reperitur: neque etiam apparet, an *Syllus* cognomen fuerit Apollodori. Wytt. — Ego arbitror Ciceronem ita scripsisse: «Apollodorum ceterosque figebat maledictis, sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, σῦλλον, latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat». Nimirum Cicero brevitatis studio, ne constructionem abrumperet, finxit quodammodo Zenonem et ipsum latino vocabulo utentem; qui tamen Athenis docuerat (Cic. Tuscul. III, 17, 38). Græcam autem vocem pro more in latinam *Syllum* converterunt librarii, ac deinde alieno loco inferserunt. Quo factum, ut Apollodoro adhæresceret, et in Syllum adeo abiret. Epicurus reapse reprehenderat *ironiam* Socratis (Cic. Brut. 85, 292), sed Zeno, ut eamdèm reprehenderit, ita *maledicentia* ductus *sannam* dicebat et *cavillationem;* atque, quo acrius notaret Socratem, ejusmodi vocabulum eligere debebat, quo et *facies* hominis et *oratio consuetudoque* carpe-

Digitized by Google

dictis; sed Socratem ipsum, parentem philosophiæ, latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat; Chrysippum numquam nisi Chesippum vocabat[2].

Tu ipse paullo ante, quum tamquam senatum philosophorum recitares, summos viros desipere, delirare, dementes esse dicebas. Quorum si nemo verum vidit de natura deorum, verendum est, ne nulla sit omnino. Nam ista, quæ vos dicitis, sunt tota commentitia, vix digna lucubratione[3] anicularum. Non enim sentitis, quam multa vobis suscipienda sint, si impetraritis, ut concedamus, eamdem esse hominum et deorum figuram. Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhidenda deo, quæ adhibetur homini : ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio, comprehensio; ad extremum etiam sermo et oratio. Nam quod et mares deos, et feminas esse dicitis, quid sequatur videtis. Equidem mirari satis non possum, unde ad istas opiniones vester ille princeps venerit. Sed clamare non desinitis, retinendum hoc esse, deus ut beatus immortalisque sit. Quid autem obstat, quo minus sit beatus, si non sit bipes? Aut ista, sive beatitas, sive beatitudo dicenda est[4] (utrumque omnino

94

95

retur. Atqui id vocabulum erat σιμὸς sive σύλλος. Ca.

2. *Chesippum vocabat.* A verbo χέζειν, quod est, sit honos auribus, cacare. Lamb.

3. *Lucubratione. Lucubratione* Ernestum offendit, ut corruptum putaret, quod hæc vox usurpatur sensu laudabili de studio nocturno in legendo et scribendo posito : at item sic vocatur feminarum pensum nocturnum fila tractantium, veluti apud Livium, lib. I, cap. 57, de Sexto Tarquinio et Lucretia : « Quam inter lucubrantes ancillas sedentem invenit ». Wytt.

4. *Sive beatitas, sive beatitudo dicenda est.* Eliens. unus perperam, *sive bonitas, sive beatitudo.* Huc autem respicit Quintilianus, Institut. Orat. lib. VIII, cap. 3, pag. 391 : « Apud Ciceronem beatitas et beatitudo; quæ dura quidem sentit esse, verumtamen usu putat posse molliri ». Idem lib. I, c. 5 : « Ut Cicero ait, etiam quæ primo dura visa sunt, usu molliuntur ». Sequentium ætatum scriptores modo *beatitudinem* dixere, modo *beatitatem.* Dav. — Sed nemo negaverit *beatitudo* frequentius apud latinos auctores occurrere.

Digitized by Google

durum, sed usu mollienda nobis verba sunt), verum ea, quæcumque est, cur aut in solem illum, aut in hunc mundum, aut in aliquam mentem æternam, figura membrisque corporis vacuam, cadere non po-
96 test? Nihil aliud dicis, nisi, Numquam vidi solem aut mundum beatum. Quid? mundum, præter hunc, umquamne vidisti? Negabis. Cur igitur non sexcenta millia esse mundorum, sed innumerabilia ausus es dicere? Ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit, quum præstantissima natura quæratur, eaque beata et æterna, quæ sola divina natura sunt[5], ut immortalitate vincamur ab ea natura, sic animi præstantia vinci; atque, ut animi, item corporis? Cur igitur, quum ceteris rebus inferiores simus, forma pares sumus? Ad similitudinem enim deo[6] propius accedebat humana virtus, quam figura.

XXXV. An quidquam tam puerile dici potest (ut eumdem locum diutius urgeam), quam si ea genera belluarum, quæ in Rubro mari, Indiave gignantur,
97 nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem ho-

5. *Quæ sola divina natura sunt.* Dura quidem videtur loquendi ratio, multumque variant codices. Editi nonnulli repræsentant *in divina natura.* Pall. sec. et Wower. *quæ sola divina natura est.* Pall. tert. Eliens. unus, Reg. Med. Lincoln. et Bonon. 1494, *quæ sola divinæ naturæ sunt:* eaque scriptura Cl. Boherio placet; nec mihi displiceret, nisi *natura* toties repetita nauseam moveret. Lego itaque *quæ sola divina sunt.* Sic certe loquutus est Noster Tuscul. lib. I, cap. 27. *Natura*, quæ vox a librariis per compendium *na* scribebatur, ex ultimis verbi præcedentis literis videtur orta. Dav. — Heindorf. locum, ad codicis Glog. potissimum vestigia, sic refingit: «Ergo... docebit, quum a præst. natura eaque beata et æterna, quæ (qualis) sola divina natura est, immort. vincamur, ab ea nos natura, sic... vinci, atque ut animi, item corporis» vel «item etiam corp.» Quæ haud incommoda esse nemo negaverit. Sed judicent viri docti ex novis, quas nos attulimus, copiis. Mr.

6. *Ad similitudinem enim deo.* Cum Lambino legerim *dei*, eamque conjecturam Cl. Boherius merito videtur amplexus. Dav.— Bene tuetur Heind. vulgatam *deo* et ad *similitudinem* refert, neque vero, quod Wopkensius, Lectt. Tull. 2, 3, fecit, ad *accedebat.* Cod. O. *virtus humana*, quod ex librarii errore natum puto. Mr.

Digitized by Google

mines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quæ terra, mari, paludibus, fluminibus exsistunt: quæ negemus esse, quia numquam vidimus. Ipsa vero quam nihil ad rem pertinet, quæ vos delectat maxime, similitudo? Quid? canis nonne similis lupo? atque, ut Ennius,

Simia quam similis, turpissima bestia, nobis?

At mores in utroque dispares. Elephanto belluarum nulla prudentior. At figura quæ vastior? De bestiis loquor. Quid? inter ipsos homines nonne et simillimis formis dispares mores, et moribus simillimis figura dissimilis[1]? Etenim si semel, Vellei, suscipimus genus hoc argumenti, attende, quo serpat. Tu enim sumebas, nisi in hominis figura rationem inesse non posse. Sumet alius, nisi in terrestri; nisi in eo, qui natus sit; nisi in eo, qui adoleverit; nisi in eo, qui didicerit; nisi in eo, qui ex animo constet, et corpore caduco et infirmo; postremo nisi in homine, atque mortali. Quod si in omnibus his rebus obsistis, quid est, quod te una forma conturbet? his enim omnibus, quæ proposui, adjunctis, in homine rationem esse et 98

XXXV. 1. *Moribus simillimis figura dissimilis.* Vulg. « moribus figura dissimilis ». At aperte deerat vox antithesi necessaria; eamque suppeditavit insignis ille codex Eliensis. Nonnulli, conjectura sola freti, dedere, « moribus consimilibus ». Dav.—Vocem *simillimis*, quam primus addidit Dav. reperit etiam Heind. in codd. Gleg. et Red. et nos in codd. G. H. Ex cod. Glog. dedit Heind. « in homine corruptibili atque mortali », vereor, ne nimis cupide. Ipse verbum *corruptib.* Lactantii esse fatetur, nec alibi apud Ciceronem reperiri. Plane in quidem noster La. sed vulgata non adeo est incommoda, neque ille loquendi modus exemplis destituitur. Fuit, quum conjicerem *eoque mortali.* Pro *conturbet* Wyttenbachius in Bibl. Crit. III, pag. 20, conjecit *non turbet.* Idem conjecit et Heind. et in textum recepit, ut correctionem certissimam. Ma. — *Qui ex animo constet.* De præpositione in hac formula cf. Cic. de Finib. V, 12, 34, ibiq. Gœrenz. pag. 572. Proxime ad *lineamenta* cf. infra II, 23, *monogrammos deos.* Lineamenta h. l. sunt quæ nostratibus dicuntur *Skitzen* docente Bœttigero in *Ideen zur Archæologie der Malerey*, I, p. 143. Ca.

Digitized by Google

mentem videbas. Quibus detractis, deum tamen nosse te dicis, modo lineamenta maneant. Hoc est non con-
99 siderare, sed quasi sortiri, quid loquare. Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore, quidquid supervacaneum sit, aut usum non habeat, obstare. Quam molestum est, uno digito plus habere? Quid ita? quia nec speciem, nec usum alium quinque desiderant[2]. Tuus autem deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si ut immortalis sit, quid hæc ad vitam membra pertinent? quid ipsa facies? Magis illa, cerebrum, cor, pulmones, jecur : hæc enim sunt domicilia vitæ. Oris quidem habitus ad vitæ firmitatem nihil pertinet.

100 XXXVI. At eos vituperabas, qui ex operibus magnificis atque præclaris, quum ipsum mundum, quum ejus membra, cælum, terras, maria, quumque horum insignia, solem, lunam, stellasque vidissent, quumque temporum maturitates, mutationes vicissitudinesque cognovissent, suspicati essent, aliquam excellentem esse præstantemque naturam, quæ hæc fecisset, moveret, regeret, gubernaret. Qui, etiamsi aberrant conjectura, video tamen quid sequantur. Tu quod opus tandem magnum et egregium habes, quod effectum divina mente videatur, ex quo, esse deos, suspicere?

2. *Quia nec speciem, nec usum alium quinque desiderant.* Hunc locum mendo laborare vidit ampliss. Boherius; nec male quidem, ut arbitror, rescribendum putavit vir ille doctus, « quia nec specie nec usu alium quinque desiderant ». Forsan etiam non incommode reponi possit, « quia nec speciem nec usum alius quinque desiderant ». *Alius* in gignendi casu ponitur. Dav. — Heind. ex cod. Glog. edidit « quia nec ad speciem, nec ad usum alium quinque desiderant ». Bene, ut videtur. Nostri libri nihil variant, nisi quod cod. O. exhibet *neque* ... *neque*, sub qua scriptione fortasse duplex illud *ad* latere possit. Nihil tamen vulg. immutandum videtur. Ma.

Digitized by Google

Habebam, inquis, in animo insitam informationem quamdam dei. Et barbati quidem Jovis, galeatæ Minervæ[1]. Num igitur esse tales putas? Quanto melius 101
hæc vulgus imperitorum? qui non membra solum hominis deo tribuunt, sed usum etiam membrorum. Dant enim arcum, sagittas, hastam, clypeum, fuscinam, fulmen; et, si, actiones quæ sint deorum, non vident, nihil agentem tamen deum non queunt cogitare. Ipsi, qui irridentur, Ægyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem[2], quam ex ea caperent, consecraverunt. Velut ibes maximam vim serpentium conficiunt[3], quum sint aves excelsæ, cruribus rigidis,

XXXVI. 1. *Galeatæ Minervæ.* Etiam in nummis argenteis et aureis *galeatam Minervam* exprimebant Veteres; quales nummos duos vidi apud Erricum Memmium V. C. et Cl. Tevenium, hominem antiquitatis R. peritissimum; quos quia commemoravi et descripsi in Commentariis ad Corn. Nepotem, in Alcibiade, ego hic de iis plura non scribam. Lamb. — Heind. ex suis codicibus et edd. latinitate, ut ait, postulante, dedit *tribuant*, cui suffragantur nostri D. E. G. H. I. La. M. O. Oxf. e. u. edd. Th. et Bas.—Cod. Red. *dant ei arcum.* Manifesto hoc *ei* ex notissimo scripturæ compendio, pro *enim*, irrepsit in hunc codicem; nihilo tamen minus Heind. in textum recepit hanc voculam, deditque *dant enim ei arcum.* Ma.

2. *Ægyptii nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem*, etc. Tres præcipuas rationes memorantur, cur animalia coluerint Ægyptii. Eas recenset Diodorus Siculus, lib. I, pag. 77, et ex eo Eusebius, Præp. Evang. lib. II, cap. 1, Primam tangunt Lucianus de Sacrif. tom. I, pag. 361, et Artemidorus Oneir. lib. I, cap. 9. Tertiam Noster. Sic etiam Diogenes Laertius, Procem. § 11. Plutarchus de Isid. et Osir. tom. II, pag. 353, de Ægyptiis loquitur. Dav. — De cultu animalium ap. vett. Ægyptios cf. Cic. de Legg. II, 11, ibique Davis. Adde hoc loco primarium locum Strabonis, XVII, p. 812, pag. 583, Tzsch. Arnob. adv. gent. I, 28, ibique interprr. pag. 308, ed. Lips. noviss. et consule *van Dale* de Orig. et Progressu idololatr. pag. 98; Zoegam de obelisce. p. 283, seqq. et *Descript. de l'Égypte*, I, cap. 8, pag. 10, seqq. II, pag. 49, et passim. Harum rerum partim attigerat Tullius supra, I, 29, ubi vid. annot. et rursus attingit, III, 29. Ca.

3. *Velut ibes maximam vim serpentium conficiunt.* De re ipsa sic Ælianus H. A. lib. II, cap. 38: Αἱ δὲ ἴτεραι (ἶβις) τοὺς ἐξ Λιβυστίας κατὰ τὴν τοῦ Νείλου ἐπίκλησιν ἀφικνουμένους (πτερωτοὺς ὄφεις) ἀπαντῶσαι διαφθείρουσιν. Non vero Libycos tantum serpentes, sed et Arabicos conficiunt aves illæ beneficæ, ut paullo ante tradit Sophista Prænestinus. Vide Ammianum Marcellinum, lib. XXII, cap. 15, pag. 367, et Pomponium Melam,

Digitized by Google

corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Ægypto, quum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt. Ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere[4]: sed nolo esse longus. Ita concludam, tamen belluas a barbaris propter beneficium consecratas; vestrorum deorum non modo beneficium nullum exstare, sed ne factum quidem omnino.

102 XXXVII. Nihil habet, inquit, negotii. Profecto Epicurus, quasi pueri delicati, nihil cessatione melius existimat. At ipsi tamen pueri, etiam quum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: deum sic feriatum volumus cessatione[1] torpere, ut, si se commoverit, vereamur, ne beatus esse non possit? Hæc oratio[2] non modo deos spoliat motu, et actione divina, sed etiam homines inertes efficit; si quidem agens aliquid, ne deus quidem, esse beatus potest.

103 Verum sit sane, ut vultis, deus, effigies hominis et imago. Quod ejus est domicilium? quæ sedes? qui

III, 9, et Herodotum, lib. II, cap. 75; Diodorum Siculum, lib. I, pag. 78; Josephum, Antiq. Jud. lib. II, cap. 10, 2; Philen de Anim. cap. 16, 12, et Plinium, H. N. lib. X, cap. 28. Dav.— *Velut ibes maximam vim serpentium conficiunt.* Davisius ex binis suis codd. inseruit *quæ;* Heindorf. ex Glog. *enim.* Neuter bene. Sed illum jam reprehendit hoc nomine, idque durius, Oudendorp. ad Apulei Metamorph. lib. I, pag. 77, a codd. optimis, in his tribus Leidensibus, abesse dicens. Cr.

4. *Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere.* Vide Eusebium, Præp. Evang. lib. II, cap. 1, pag. 49, et Diodorum Siculum, Bibl. lib. I, pag. 78, 80. Dav.

XXXVII. 1. *Cessatione.* Cessatio dicitur vacatio a schola, item feriæ scholasticæ. Wytt.

2. *Hæc oratio non modo deos*, etc. In cod. Glog. voci *oratio* superscriptum est *ratio*, quod in textum recepit Heind. melius sane convenit loco, et jam Boherius ita scribi voluit. Neque tamen absurda est vulgata. Mr. — *Oratio* h. l. et in sexcentis aliis Tullianis eodem redit, quo *ratio*. Vid. Gœrenz. ad Acadd. II, 13, 41, pag. 79. Argumentum loci autem judicandum est ex his de Epicuro ap. Diogen. Laert. X, 138. Alia pugna Epicureis in hac causa cum Stoicis. Vid. Diog. lib. VII, 104, et cf. Cic. de Finib. II, 10. Cr.

Digitized by Google

locus? quæ deinde actio vitæ[3]? quibus rebus, id quod vultis, beatus est? Utatur enim suis bonis oportet, et fruatur, qui beatus futurus est. Nam locus quidem iis etiam naturis, quæ sine animis sunt, suus est cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua; superior ætheri[4], ignibus altissima ora reddatur. Bestiarum autem terrenæ sunt aliæ, partim aquatiles; aliæ quasi ancipites, in utraque sede viventes: sunt quædam etiam, quæ igne nasci putentur[5], appareantque in ardentibus fornacibus sæpe volitantes. Quæro 104

3. *Quæ deinde actio vitæ?* Cl. Boherio placet *ratio vitæ;* quod Epicuri sententia « deos spoliat motu et actione divina ». Inter se tamen his locis bene convenit, nam *actio vitæ* simpliciter vitam, vel, si mavis, rationem vitæ denotat; ut *agere vitam* est vivere. Vide sis hujusce libri cap. 1. Dav. — Dedit Heind. ex codd. Glog. et Red. *quæ demum*, quod præstat etiam noster Fa. O. Ma.

4. *Superior ætheri.* Manutius rectius legi putat *superiorem aer*, ut subaudiatur *locum teneat:* vel etiam, *superior aeri;* quam quidem lectionem recepit Lambinus. Sed Davisius ait: Manutii Lambinique conjecturam non admisi; nam Reg. Lincoln. et Bonon. 1494, *supremum æther:* in codd. autem Victor. Pall. Eliens. et Med. legitur *superior æther*, prout ediderat Gruterus; unde rescribendum, *superior ætheri. Æther* certe pro *aere* non raro ponitur. Vide Lucretium, lib. II, pag. 275; Virgilium, Georg. I, 406; Lactantium, lib. I, c. 5. Pariter Græci αἰθὴρ pro ἀὴρ usurpant. Vide Homerum, Iliad. II, 364. In aliis quidem Tullii locis ἰσοδυναμοῦσιν *æther* et *cælum*. At verbis eamdem potestatem semper non subjiciunt accuratissimi scriptores: quapropter sequenda videtur codicum fides. — Heindorfius ætherem sequenti vocabulo *ignibus* significari contendens, ideoque aeris mentionem necessariam ducens, edidit *superior aeri* cum Manutio et Lambino, in quo nos adsentientes habet. Neque tamen spernendum, quod conjecit Wopkensius lib. II, 4, *superior sit aer*, nisi quod Heind. scriptio minus a codd. recedit. Ma.

5. *Quæ igne nasci putentur.* M8 P. habet *igni*, unde Gulielmius conjicit *igni enasci;* at Lambino placet *ex igne nasci.* Legendum credo, *quæ in igne*, vel *igni*, *nasci putentur.* Aristoteles, H. A. lib. V, 19 (pag. 223, ed. Schneid. Ca.): Ἐν δὲ Κόπρῳ ... γίνεται θηρία ΕΝ ΤΩ ΠΥΡΙ, τῶν μεγάλων μυιῶν μικρόν τι μείζονα, ὑπόπτερα, ἃ κατὰ τοῦ πυρὸς βαδίζει καὶ πηδᾷ. Apuleius, de deo Socrat. pag. 678: « Aristoteles auctor est in fornacibus flagrantibus quædam propria animalia pennulis apta volitare totumque ævum suum in igni diversari, etc. » Hæc animalia *pyralidas* seu *pyraustas* vocata fuisse docet Plinius, H. N. lib. XI, cap. 36. Vide et Cl. Salmasium, Exerc. Plinian. pag. 177. Dav. — Quod conjecit Dav. *in igni*, in textum recepit Heind. *Igni* est in cod. Guilielm. edd. Marsi, Ascens. Th. et Bas. et cod. G. Vulgatam vero haud absurdam retinendam censemus. Ma.

Digitized by Google

igitur, vester deus primum ubi habitet; deinde quæ causa eum loco moveat, si modo movetur aliquando; postremo, quum hoc proprium sit[6] animantium, ut aliquid appetant, quod sit naturæ accommodatum, deus quid appetat; ad quam denique rem motu mentis ac rationis utatur[7]; postremo, quo modo beatus sit, quo modo æternus. Quidquid enim horum attigeris, ulcus est[8]: ita male instituta ratio exitum reperire non
105 potest. Sic enim dicebas, speciem dei percipi[9] cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque eamdem ad numerum permanere, eamque esse ejus visionem, ut similitudine et transitione cernatur[10], neque deficiat umquam ex infinitis corporibus

6. *Postremo, q. hoc p. sit.* Ad finem quæstionum suarum non adhuc pervenit Cicero; nam paullo infra quærit, « postremo, quomodo beatus sit, quomodo æternus ». Mihi vix dubium videtur, quin hic reponendum sit, « post vero, quum hoc proprium sit, etc. » Dav. — Neque *postremo* placet Heind. neque Davisii *post vero*. Scribendum, ait, haud dubie *porro*. Cod. Red. *pro postremum*; ex qua lectione sine dubio hausit suam emendationem, quæ et nobis probanda videtur. Mr. — *Postremo*. Vid. Academm. II, 44, 136, ubi *postremo* et *denique* se excipiunt. Quod teneri jubet Gœrenz. — Mox ad verba « speciem dei percipi ... non sensu », cf. Lucr. de Nat. Rer. IV, 726, ibique Lambin. p. 326. Ca.

7. *Motu mentis ac rationis utatur.* Nihil aliud est ratio quam motus mentis. Noster lib. III, cap. 27: « Haud scio an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus..... non dari omnino ». Et cap. 28: « Quæ enim libido sine animi motu et cogitatione (id est, ratione) perficitur ». Lactantius, Div. Instit. lib. VI, cap. 17: « Vis et ratio ejus (mentis) in motu est ... quum cogitatio ipsa nihil aliud sit quam mentis agitatio ». Repones igitur ex Cantabr. et Eliens. uno, « motu mentis ac ratione utatur ». Dav. — Dedit Heind. quod protulit Dav. *ratione*, idemque præbet noster cod. G. In seqq. mire consentiunt libri nostri in scriptione *attigerit*, quam omnes exhibent, excepto cod. N. et habent Heind. libri, Pall. Gulielm. ejusque et nostræ edd. vett. Ma.

8. *Ulcus est.* I. e. non sanum, falsum, ex proverbio dictum, de quo Erasmus in Adag. pag. 266.

9. *Speciem dei percipi*, etc. Vide supra cap. 18, et Laertium, lib. X, § 139, quem emendat Gassendus Op. tom. IV, pag. 129. Dav.

10. *Eamque esse ejus visionem, ut similitudine et transitione cernatur.* Schneiderus ad Epicuri physica, pag. 79, ad *transitione* intelligi vult *imaginum*. Gœrenz. ad Cic. Acadd. II, 19, pag. 79, ita locum explicat: Et hanc esse dei videndi, i. e. cognoscendi

Digitized by Google

similium accessio; ex eoque fieri, ut in hæc intenta mens nostra beatam illam naturam et sempiternam putet.

XXXVIII. Hoc, per ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est[1]? Nam si tantummodo ad cogitationem valent, nec ullam habent soliditatem, nec eminentiam: quid interest, utrum de hippocentauro, an de deo cogitemus? Omnem enim talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant: vos autem adventum in animos, et introitum imaginum dicitis. Ut igitur, Tib. Gracchum quum videor 106
concionantem in Capitolio videre, de M. Octavio deferentem sitellam[2], tum eum motum animi dico esse inanem: tu autem et Gracchi, et Octavii imagines remanere, quæ, in Capitolium quum pervenerim, tum ad animum meum referantur; hoc idem fieri in deo, cujus crebra facie pellantur animi; ex quo esse beati

rationem, ut ad similia ex similibus transeas, ei claram ejus notionem informare tibi velis. Hæc ille. Ego in ejusmodi loco referre malo aliorum pericula, quam ipse periclitari. Ca.

XXXVIII. 1. *Quale tandem est.* Cf. Cic. de Fin. II, 22: «Quid illud, Torquate, quale tandem videtur». Ubi de hac formula monet Gœr. p. 252. Ca.

2. *Gracchum... de M. Octavio deferentem sitellam.* De sitella, in quam suffragia conjiciebantur, mentio est in lege Servilia, cujus exstant apud me fragmenta quædam. «Eamque. sortem. ex. hace. lege. apertam. bracioque. aperto. literam. digiteis. opertam. palam. ... undai. causa. ad sitellam. sorti. veniet. is. in. eam. sitellam. manum. demittito. tam. devexam. populo. etc.» Ursinus.—*De M. Octavio deferentem sitellam.* Ut ei tribunatum plebis suffragio suo populus abrogaret, quod agrariæ legi, quam tulit Gracchus, intercederet. Historiam narrant Plutarchus in Gracchis, pag. 829, et Appianus, Bell. Civ. lib. I, pag. 609, seq. De sitella vero Veterum loca collegit Hadr. Turnebus, Advers. lib. XIII, cap. 13. Dav. — Boherius post *videre* animadvertit copulam *et* deesse, quia non, dum concionabatur, deferebat sitellam, sed peracta demum concione; igitur vel hoc Heindorfio videtur recipiendum, vel vox *tum* transponenda, legendumque «tum de M. Oct. def. sit. eum motum, etc.» Cod. Glog. et noster Fa. *tamen* pro *tum*. Ma. — Proximis unice medetur codex meus G. qui *contionatum* exhibet. Lege *concionatum*, neque magis desiderabis Boherii *et*, quam transpositionem Heindorfianam. De «inani motu animi» cf. Acadd. II, 11, 34, ibique interprr. Ca.

Digitized by Google

107 atque æterni intelligantur [3]. Fac imagines esse, quibus pulsentur animi. Species dumtaxat objicitur quædam. Num etiam cur ea beata sit? cur æterna?

Quæ autem istæ imagines vestræ, aut unde? A Democrito omnino hæc licentia. Sed et ille reprehensus a multis est, nec vos exitum reperitis; totaque res vacillat et claudicat. Nam quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numæ, Pythagoræ, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt [4]? Quomodo ergo illi? et quorum imagines? Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse [5], et hoc Orphicum carmen

3. *Hoc idem fieri in deo ... ex quo esse beati atque æterni intelligantur.* A singulari numero ad pluralem transiit. Sic Seneca de Provid. cap. 2: « Miraris tu, si deus ille bonorum amantissimus ... fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat! Ego vero non miror, si quando impetum capiunt spectandi magnos viros, colluctantes cum aliqua calamitate ». Cf. Gaudent. Serm. VIII, pag. 86. Vide quoque Iamblichum, Vit. Pyth. § 84, et Ælianum, V. H. lib. I, cap. 4; Origenem contra Celsum, lib. II, pag. 68, et Philostratum, vit. Apollonii, lib. I, cap. 11. Ma.

4. *Nec ex forma, qua illi fuerunt?* Reponendum credo *nec ea forma*, quomodo Lambinum conjecisse jam video. Dav. — Quod dudum conjeceram *ea* pro *ex*, reperi in cod. A. idemque placet Ern. et Heindorfio, qui cur non in textum receperit, non timidus alibi, non video. Reciperem ego, si illud nobis propositum esset, ut novam textus recensionem ederemus potius, quam ei parandæ apparatum locupletissimum proferremus. Vir quidam doctus conjecit « idque ea forma », quo non opus est, si sequimur nostrum cod. A. Eidem viro docto visa sunt verba « quomodo ergo ... imagines? » glossemata. Mihi nihil minus, si cum Heind. ex cod. Glog. legamus « quæ ergo illæ ». Ma.

5. *Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse.* Hæc verba non significant nullum fuisse Orphea. Volunt tantum poemata, quæ sunt Orpheo tributa, falso nomen ejus præ se tulisse. Vide præstantiss. J. A. Fabric. Bibl. Græc. lib. I, cap. 18 (p. 143, ed. Harl. Ca.). Aristoteles certe lib. I de Anima, cap. 5, p. 386, non obscure docet, quæ fuerit ejus de Orphicis carminibus sententia. Τοῦτο δὲ πέπονθεν, inquit, καὶ ὁ ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΙΣ ἔπεσι λόγος. Locus tamen, ad quem respexit Noster, jamdudum periit. Dav. — De Orpheo quæ plurima disputarunt VV. DD. eorum summam exhibet Fabr. et Harles. l. l. Quibus adde quæ nuper protulerunt vir doctus in Bibl. crit. Amstel. II, 6, p. 81, et alter in Wieland. Museo Attic. I, pag. 231; Kannins in Analectt. philoll. p. 64; Fr. Schlegel in Hist. græc. poes. vernacule

Digitized by Google

Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis[6]. At Orpheus, id est, imago ejus, ut vos vultis, in animum meum sæpe incurrit. Quid, quod ejusdem hominis in 108
meum aliæ, aliæ in tuum? quid, quod earum rerum, quæ numquam omnino fuerunt[7], neque esse potuerunt, ut Scyllæ, ut Chimæræ? quid, quod hominum, locorum, urbium earum, quas numquam vidimus? quid, quod, simul ac mihi collibitum est, præsto est imago? quid, quod etiam ad dormientem veniunt invocatæ[8]?

XXXIX. Tota res, Vellei, nugatoria est. Vos autem

scripta, p. 17; Larcher. ad Herodot. II, 81, pag. 345, et Valckenaer. de Aristobulo Judæo, p. 83, seqq. Eorum haud pauci etiam nostrum locum attigerunt, ejusque sententiam vel interpretando vel conjectando lenire studuerunt. Quod equidem miror. Namque tribus quasi gradibus h. l. procedit disputatio. Primo ponuntur ii, qui, quum fuerint, non amplius sint; altero ii, qui nec umquam fuerunt; tertio, qui nec fuerunt, neque esse possunt. In primis illis censentur Homerus, Octavius, Gracchus, alii: in secundis *Orpheus*: in tertiis Scylla, Chimæra. Itaque dubitari nequit, quin h. l. dicatur certe Aristoteles negasse, fuisse unquam Orpheum. Haud absurde igitur librarius codicis G. in margine ita: « Orpheum fictum esse ». — De Scylla vid. Odyss. XII, 85, ibique Eustath. 478, Basil. Hygin. fab. 199, ibique interprr. De Chimæra Iliad. VI, 155, sqq. Hesiod. Theog. 319, sqq. et quæ plura posuimus ad Nonni narrat. VIII in opuscul. mytholl. p. 77. Ca.

6. *Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam fuisse Cercopis.* Plures MSS *Cerdonis;* alii *Certonis* et *Cercosis*. Leg. *Cercopis*, ut dudum viderunt eruditi. MS autem Med. exhibet « Orphicum carmen Pythagorei fertur cujusdam, etc. » ac ita legendum credo: alioquin enim non constat, utrum Pythagorei carmen Orphicum Cercopi tribuerint, an vero Cercops ipse fuerit Pythagoreus. Hoc autem modo tollitur orationis ambiguitas. Clemens Alexandrinus, Strom. lib. I, pag. 144: Ἐπιτίνης δὲ ἐν τοῖς περὶ τῆς εἰς Ὀρφέα ποιήσεως ΚΕΡΚΩΠΟΣ εἶναι λέγει τοῦ Πυθαγορείου τὴν εἰς ᾅδου κατάβασιν, καὶ τὸν ἱερὸν λόγον. Sic et Suidas in Ὀρφεύς. Dav.

7. *Quid, quod earum rerum, quæ numquam omnino fuerunt*, etc. His scrupulis occurrere conatur Lucretius, IV, 735, 780. Dav.

8. *Veniunt invocatæ?* Eliensis unus, *non vocatæ*, quod ex interpretatione natum. Corn. Nepos Cimone, cap. 4: « Quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret ». Terentius Eunuch. act. V, sc. IX, vs. 29: « tua domus, Te præsente, absente, pateat, invocato ut sit locus semper ». Eadem vocis potestas apud Plautum, Captiv. act. I, sc. 1, 2, et Arnobium, lib. V, p. 169. Dav. — Noster O. *venerunt;* E. *invocatæ veniunt;* G. ut Eliens. *non vocatæ*. Oxf. e. *quod etiam* pro *quod autem*. Ma.

Digitized by Google

non modo oculis imagines, sed etiam animis inculca-
109 tis[1]. Tanta est impunitas garriendi! At quam licenter? Fluentium frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur. Puderet me dicere non intelligere, si vos ipsi intelligeretis, qui ista defenditis. Quo modo enim probas, continenter imagines ferri? aut, si continenter, quo modo æternæ? Innumerabilitas, inquis, suppeditat atomorum. Num eadem ergo ista[2] facient, ut sint omnia sempiterna? Confugis ad æquilibritatem: sic enim ἰσονομίαν, si placet, appellemus; et ais, quoniam sit natura mortalis, immortalem etiam esse oportere. Isto modo, quoniam homines mortales sunt, sint aliqui immortales; et quoniam nascuntur in terra,

XXXIX. 1. *Non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis.* De hac Epicureorum sententia consule Lambin. ad Lucret. IV, 782, qui etiam nostrum locum adhibuit. Proxime conjectaveram: « garriendi. Aquarum instar fluentium continenter transitio fit visionum ». Nequedum me ejus conjecturæ pœnitet. — Ποταμοῦ δίκην. Pluralis *aquarum* legitur II, 46, et in hoc loco suam quamdam vim habet. Antoninus in simili re (lib. V, § 23) dicit οἷον ποταμός. Ad argumentum vid. quæ protulit Davisius. Adde Epicuri ipsius verba in epist. ad Herodot. § 48. Cf. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. III, 5, et Macrob. Saturn. VII, 14. E quibus locis mutilatum papyrr. Hercull. locum Epicuri περὶ φύσεως ita supplevit editor Neapolitanus, pag. 4: περᾶν δὴ συνεχῆ τὸν ῥοῦν, et reapse hujus vocis vestigia alia occurrunt ibid. v. c. column. IV, col. VII (p. 69.) Cr.

2. *Num eadem ergo ista facient.* Scripsit Heind. *faciet* pro *facient* ex codd. Glog. et Red. quod non displicet, quodque jam Walk. faciendum vidit. Nostri omnes vulgatam sequuntur, nisi quod est in codd. G. H. et I. *Num eadem? Ergo.* Sed nondum sanatum credit Heind. locum. Omnia, ait, esse sempiterna, nemo unquam Epicureus nec dixit, nec potuit dicere. Reponi igitur vult « num eadem ergo faciet, ut sint omnia ista (imagines istæ) sempiterna? » Ma. — *Innumerabilitas, inquis, suppeditat atomorum.* Al. malunt: *inquit;* vid. ad cap. 36. — *Num eadem ... facient,* Walkero corrigenti *facient* suffragatur Schneider. ad Epicuri physic. pag. 79. Mox lectioni *æquabilitatem* favent locus, I, 19, ubi ἰσονομίαν *æquabilem* tributionem explicat. Cf. de voce. « æquitas, æqualitas, æquabilitas » Wasse ad Sallustii Cat. cap. 2, 24, ed. Havere. De re consule Schneider. ad Epicuri physica, pag. 74 sqq. et quæ supra posuimus ad cap. 19. Idem a Davisii partibus stat conjectantis: *esse,* quæ conservent, pro *sint*, q. c. Vid. ad Epicuri phys. pag. 80. Noster G. in vulgata perseverat. Cr.

Digitized by Google

nascantur et in aqua[3]. Et quia sunt, quæ interimant, sint, quæ conservent. Sint sane: sed ea quæ conservent, quæ sunt[4]. Deos istos esse non sentio. Omnis tamen ista rerum effigies ex individuis quo modo corporibus oritur? quæ etiamsi essent, quæ nulla sunt, pellere se ipsa, et agitari inter se concursu fortasse possent; formare, figurare, colorare, animare non possent. Nullo igitur modo immortalem deum efficitis. 110

XL. Videamus nunc de beato. Sine virtute certe nullo modo. Virtus autem actuosa[1]; et deus vester nihil

3. *Nascantur et in aqua.* Heindorfius: « nascantur etiam in aqua ». Videlicet ex doctrina Laur. Vallæ negantis, Ciceronem *et* usurpasse pro *etiam*. Ei obtemperant Heusinger. ad Cic. Offic. I, 20, 2, et passim. Schütz. ad Cic. de Orator. pag. 121; Gœrenz. ad de Legg. pag. 30, et ad Acadd. pag. 42. Refragantur F. A. Wolfius, qui certe in Tuscull. III, 19, p. 145, intactum reliquit *et*. Hottinger. autem diserte et pluribus verbis ad de Divinat. pag. 154. Eis suffragatur Wagnerus Prof. Marb. V. C. in prolusione acad. pag. 5. Et sæpissime sic usurpari, pro certo posuit Facciolati in tot. Lat. Lex. II, pag. 199, ed. alter. Quocirca equidem a mutando abstineo. Ca. — *Et quia sunt, quæ int. sint, quæ conservent.* Leg. « esse quæ conservent ». Nam verba Velleii sunt, et a superioribus pendent. Vide c. 19. Dav. — Heind. scribit « sunt, quæ conservent », quia in his ipsius Epicuri sententia proferatur. Alterum *sunt* etiam præstant edd. Marsi et Ascens. Mr.

4. *Sed ea quæ conservent, quæ sunt.* Codd. exhibent: « ea conservent, quæ sunt ». Mihi sana videtur codicum lectio. Sint, inquit, quæ conservent: sed eæ res conservent quæ revera sunt et exsistunt: deos istos in rerum natura esse non sentio. Dav. — Quod jam Ern. dedit, *quæ*, recepit etiam Heind. sed cum Walkero interrogandi signum posuit post *sunt*, quod omisit Ern. Et exhibet illud *quæ*, quod ex conjectura posuerant Urs. et Walk. Codex Red. Ma.

XL. 1. *Virtus autem actuosa ... ita ne beatus quidem.* Hæc componenda cum locis geminis, I, 17, ubi Epicureus *providentiam* deorum ullam esse negat, ut quæ *beatam vitam* non admittat. Admonebo h. l. universe primarii loci Platonici de providentia, nimirum de Legg. X, 12 (p. 903), p. 403 Astii, et integri libri Plotiniani περὶ προνοίας (III, 2), ubi similia notantur. Sigillatim huc referendum illud Tauri, philosophi Platonici, apud Gellium, N. A. IX, 5, qui ita de Epicuro: Ἡδονὴ τέλος· πόρνης δόγμα. Οὐκ ἔστι πρόνοια· οὐδὲ πόρνης δόγμα. Adde Sallustium περὶ θεῶν καὶ κόσμου, IX, pag. 260 Galei. In eamdem mentem ita Plotinus, alio libro, adversus Gnosticos, p. 213, F. ὁ μὲν Ἐπίκουρος τὴν πρόνοιαν ἀνελὼν (alii ἀναιρῶν) τὴν ἡδονὴν καὶ τὸ ἥδεσθαι, ὅπερ ἦν λοιπὸν, τοῦτο διώκειν παρακελεύεται. Ca.

Digitized by Google

agens; expers virtutis igitur; ita, ne beatus quidem.
111 Quæ ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum, nullo malorum interventu. Quorum tandem bonorum? Voluptatum, credo; nempe ad corpus pertinentium. Nullam enim novistis, nisi profectam a corpore, et redeuntem ad corpus, animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum: quos pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille testatur, se ne intelligere quidem ullum bonum, quod sit sejunctum a delicatis et obscœnis voluptatibus, quas quidem non erubescens persequitur omnes nomina-
112 tim[2]. Quem cibum igitur, aut quas potiones, aut quas vocum, aut colorum varietates, aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, ut eos perfundas voluptatibus? Ac[3] poetæ quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Juventatem, aut Ganymedem pocula ministrantem : tu autem, Epicure, quid facies? Neque enim, unde habeat ista deus tuus, video; nec, quo modo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beate vivendum est, quam deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum.

113 At has leviores ducis voluptates, quibus quasi titillatio[4] (Epicuri enim hoc verbum est) sensibus adhi-

2. *Quas quidem non erubescens persequitur omnes nominatim.* In libro περὶ τέλους. Græca nobis servavit Athenæus, lib. VIII, pag. 280 : Οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν, ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ χυλῶν ἡδονὰς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις. Hæc et alibi repetit. Adi quæ notavimus ad Tusc. III, 18. Dav. — In seqq. dedit Heind. quam jam Ern. tacite recepit, Walkeri emendationem *colorum*, quum omnes libri exhibeant *florum*. Cod. Oxf. u. *et florum*. Ma.

3. *Ac.* Dedit Heind. quod Ern. ex conjectura posuit, *ac*, pro vulgato *at*. Conjecerat Walk. ex lectione *ut*, quam præstant permulti libri, *et*; sed illud magis est ex Ciceronis more. Ma. — *Juventatem.* Servius ad Virgil. Æneid. lib. V, 134 : « Græce Hebe est *Juventas*, filia Junonis, uxor Herculis »; ubi item libri aliquot exhibent : *Juventus*. De re cf. Ovid. Metam. VIII, 400, et Hesiod. Theogon. 921—950 seqq. Ca.

4. *Locupletior... quasi t. adhibetur.*

Digitized by Google

betur. Quousque ludis? Nam Philo etiam noster ferre non poterat, aspernari Epicureos molles et delicatas voluptates. Summa enim memoria pronuntiabat plurimas Epicuri sententias, his ipsis verbis, quibus erant scriptæ. Metrodori vero, qui est Epicuri collega sapientiæ[5], multa impudentiora recitabat. Accusat enim Timocratem, fratrem suum, Metrodorus, quod dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri: neque id semel dicit, sed sæpius. Annuere te video: nota enim tibi sunt. Proferrem libros, si negares. Neque nunc reprehendo, quod ad voluptatem omnia referantur; alia est ea quæstio: sed doceo, deos vestros esse voluptatis expertes; ita vestro judicio ne beatos quidem.

XLI. At dolore vacant. Satin' est id ad illam abun- 114
dantem bonis vitam beatissimam? Cogitat, inquiunt, assidue beatum esse se. Habet enim nihil aliud, quod agitet in mente. Comprehende igitur animo, et pro-

Locupletior, i. e. *instructior*, explicante Gœrenz. ad de Finib. II, 12, 38. Ibid. I, 11, 39, similiter de Epicuro: « nam si ea voluptas esset, quæ quasi titillaret sensus ». Cf. ibid. II, 12, pag. 180, II, 27, pag. 256; etiam de Legg. I, 17, extrem. ibique interprett. Cr. — *Titillatio*. Γαργαλισμός. Vide Cleomedem Κυκλ. Θεωρ. lib. II, pag. 250 edit. Basil. et Athenæum, Deipnosoph. lib. XII, pag. 548, E. Dav.

5. *Qui est Epicuri collega sapientiæ*. Reg. habet, « qui est Epicuri collega vel sapientior sapientiæ ». Ex archetypi codicis ora voces eas recepit librarius, quæ variam solum lectionem denotabant. Et uterque quidem Elicnsis ac Med. exhibent, « qui est Epicuri collega sapientior ». At vero longe præstat vulgata; quod ii demum intelligent, qui norunt, Epicurum sese pariter et Metrodorum sapientes nominasse. Vide Cicoronem Fin. lib. II, cap. 3. Dav. — Nostri autem loci fontem in Demosthenis oratione inesse monstravit magnus Tib. Hemsterhusius ad Luciani Nigrin. I, pag. 249 Bip. Ita enim Demosthenes, pag. 521, pag. 324: τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν. Adde Biblioth. Crit. I, 2, pag. 60, ubi aliorum etiam scriptorum imitationes indicantur. Cr. — Vide quoque fragmentum epistolæ Metrodori ad fratrem, quod occurrit in eo Plutarchi libro, ubi demonstrare aggreditur non posse suaviter vivere eos, qui secundum Epicuri decreta, vitam instituere susceperunt.

Digitized by Google

pone ante oculos, deum nihil aliud in omni æternitate, nisi, Mihi pulchre est, et, Ego beatus sum, cogitantem. Nec tamen video, quo modo non vereatur iste deus beatus, ne intereat, quum sine ulla intermissione pulsetur agiteturque incursione atomorum sempiterna, quumque ex ipso imagines semper affluant[1]. Ita nec beatus est vester deus, nec æternus.

115 At etiam de sanctitate, de pietate adversus deos, libros scripsit Epicurus. At quo modo in his loquitur? Ut Coruncanium, aut Scævolam, pontifices maximos, te audire dicas; non eum, qui sustulerit omnem funditus religionem, nec manibus, ut Xerxes[2], sed rationibus, deorum immortalium templa et aras everterit. Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, quum dii non modo homines non colant[3], sed

XLI. 1. *Imagines semper affluant.* Sic legit Augustinus Epist. 118, n. 30. Lambinus tamen ex conjectura reposuit, *semper ad nos affluant.* At hoc additamentum minime necessarium videtur; quid enim ad rem, de qua agitur, facit, ad nos an ad Nephelococcygiam affluant imagines? Vide supra cap. 18, 39. Dav. — Tum dedit Heind. ex ed. Marsi *effluant*, quod etiam est in ed. Th. et placet sane. Ma.

2. *Nec manibus, ut Xerxes.* Quum Græciam Xerxes invaderet, τὰ ἱρὰ καὶ τὰ ἴδια ἐν ὁμοίῳ ἐποιέετο, ἐμπιπράς τε καὶ καταβάλλων τῶν θεῶν τὰ ἀγάλματα, ut ait Themistocles apud Herodotum, lib. VIII, cap. 10. Vide et Ciceronem de Legg. lib. II, cap. 10. Dav.

3. *Homines non colant.* « Hominibus non consulant », magis probarem. Man. — Manutio suffragatur Lambinus. — Licet Manutii Lambinique conjecturam non probem; tamen imperite fecit Gruterus, qui eam esse præter auctoris mentem pronuntiavit; eumdem enim sensum fundit, ac vulgata lectio, quæ quidem omnino est retinenda. Augustinus, C. D. lib. X, cap. 1 : « Dicimur etiam colere homines, quos honorifica vel recordatione vel præsentia frequentamus ». Et illam quidem potestatem huic verbo passim tribuit Cicero. Vide pro Roscio Amerino, cap. 37, et pro Corn. Balbo, cap. 26 : « Colere vero et majoribus et minoribus convenit », ut monuit Donatus ad Terentii Adelph. act. III, sc. 11, vs. 54. Vide et act. V, sc. VIII, 4. Horatius de heroibus humano generi beneficis, lib. II, Ep. I, 7 : « Dum terras hominumque colunt genus . . . » Tacitus Annal. lib. III, pag. 95, B. « Nam etiam tum plebem, socios, regna, colere et coli licitum ». Adi sis et Suetonium Othone, cap. 2. At in primis huc facit Ovidii versus, a Gronovio jam laudatus, Metam. VIII, 724 : « Cura pii Dis sunt, et, qui co-

Digitized by Google

omnino nihil curent, nihil agant? At est eorum exi- 116
mia quædam præstansque natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem. An quidquam eximium potest esse in ea natura, quæ sua voluptate lætans, nihil nec actura sit umquam, neque agat, neque egerit? Quæ porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum sit, ei deberi potest? Est enim pietas, justitia[4] adversum deos: cum quibus quid potest nobis

luere, coluntur ». Gaudentius, Serm. VI, pag. 72 : « Semper deus cultor populi sui percutit Ægyptios ». Vide Virgilii Culicem, vs. 25, et Servium ad Æn. I, 20. Apud Josephum Iscanum, Bell. Troj. II, 471, Venus sic loquitur : « ... deprecor orbem, Quem colui ». Similiter apud Æschylum, Prom. Vinct. vs. 545, Prometheus, qui deus est, σέβεσθαι θνατοὺς ἄγαν dicitur. Sic θεραπεύειν tam de vilioribus, quam de diis, usurpant Græci. Vide, si nescis, Arrianum Epict. lib. I, cap. 19. Dav. — Heind. cum Dav. et Ern. recte tuetur *colant*. Mr.

4. *Est enim pietas, justitia.* Heind. delevit interpunctionem post *pietas*. Bene. Illud, credo, jam ab aliis animadversum est, Ernestum nimium esse in distinguendo; et Ciceronem aliquot millibus distinctionum minorum, quibus ille vir textum oneravit, commode carere posse. — Mirari licet, quod nullus editorum ante Heind. substulerit pravam lectionem *colendi sunt;* dedit ille ex cod. Glog. et ed. Marsi *col. sint*, idque confirmant et grammaticæ regulæ et nostri codd. A. D. E. I. H. (ex corr.) Oxf. e. et N. Mr. — Ad significationem vocc. *pietas ... sanctitas* vid. supra cap. 2, ibique annot. Cf. etiam Scholten. diss. de Divinat. nat. p. 73, ibique laudatt. Cic. Top. cap. 23; Part. orat. 22; pro Domo, 41; orat. ad Quir. post Red. cap. 8 (ubi consule Markland. et F. A. Wolf. p. 117, 118); pro Planc. 12. Ibidem cap. 32, *sanctitatem* Cicero ita definit, ut eos *sanctos* dicat, « qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvunt ». Cf. etiam Sext. Empir. adv. Math. IX, 124, ibique Fabr. « qui quamobrem colendi sunt ». Dudum miratus sum, Ernestum hoc intactum reliquisse, qui tamen alibi in consimilibus locis conjunctivum reponere soleat; v. c. ad Quir. post Redit cap. 1, ubi vid. F. A. Wolf. pag. 90, recte monentem, non hoc quæri, quid Plautus et prisca lingua tulerit, laudato Parei Mantiss. Lex. crit. pag. 59. Neque ego hac in causa facere velim cum Seyferto, grammat. lat. § 2758. Illud anquirendum, quid in locis integris constans Ciceronis usus ferat. At vide mihi, II, 2 : « haud sane intelligo, cur non idem ... possit », et cf. II, 37; II, 59; III, 14 et 27. Hoc judicium sequutus Davisius, II, 7, reposuit *habeamus;* Martyni etiam Laguna epist. ad Famil. I, 9 : « et attende, quæso, quæ sint consequuta ». Hinc judicandi quoque alii loci librorum de N. D. ubi libri similiter variant, ut II, 28, « poterunt intelligi,

Digitized by Google

esse juris, quum homini nulla cum deo sit communitas? Sanctitas autem est scientia colendorum deorum: qui quamobrem colendi sint, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec sperato bono.

117 XLII. Quid est autem, quod deos veneremur propter admirationem ejus naturæ, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberari, quum sustuleris omnem vim deorum. Nisi forte Diagoram, aut Theodorum, qui omnino deos esse negabant, censes superstitiosos esse potuisse. Ego ne Protagoram quidem; cui neutrum liquerit, nec esse deos, nec non esse. Horum enim sententiæ omnium, non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis deorum; sed etiam religionem, quæ deorum cultu pio continetur.

118 Quid? ii, qui dixerunt, totam de diis immortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reipublicæ causa[1], ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt? quid? Prodicus Ceus[2]? qui ea, quæ prodessent hominum vitæ, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit?

119 quid? qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros

qui qualesque *sunt* (sint)»; cf. II, 44, et II, 56. Cr.

XLII. 1. *Fictam esse ab hominibus sapientibus reip. causa.* Sextus Empiricus adv. Mathem. pag. 310: Ἔνιοι τοίνυν ἔφασαν τοὺς πρώτους τῶν ἀνθρώπων προστάντας, καὶ τὸ συμφέρον τῷ βίῳ σκεψαμένους, πάνυ συνετοὺς ὄντας, ἀναπλάσαι τὴν περί τε τῶν θεῶν ὑπόνοιαν, etc. Vide sis Plutarchum Plac. Philos. lib. I, cap. 7; Lactantium de Ira dei, cap. 10, 47, et Augustinum, C. D. IV, 32. Dav.

2. *Quid? Prodicus Ceus?* Sic leg. non *Chius*, ut vulgg. is enim Κεῖος, non Χῖος, ut satis notum. Similiter apud Basilium, Hom. XXIV, p. 575, scribendum, ὁ Κεῖος, non Χῖος, τοῦ σοφιστῆς, agit enim de Prodico. Quod autem istam de diis opinionem Persæo supra tribuerat Noster; Paullus Manutius reponendum censuit, «quid Perseus (debuit saltem, *Persæus*) Citieus?» Et sane *Perseus* legitur in Eliensium uno. Omnino tamen retinenda mihi videtur lectio vulgata. Vide Sextum Empiricum adv. Mathem. p. 111 et 317. Dav.

Digitized by Google

tradunt post mortem ad deos pervenisse, eosque esse ipsos, quos nos colere, precari, venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? quæ ratio maxime tractata ab Euhemero[3] est; quem noster et interpretatus, et sequutus est, præter ceteros, Ennius; ab Euhemero autem et mortes, et sepulturæ demonstrantur deorum: utrum igitur hic confirmasse religionem videtur, an penitus totam sustulisse?

XLIII. Omitto Eleusina[1], sanctam illam et augustam,

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ[2].

Prætereo Samothraciam, eaque,

Quæ Lemni
Nocturno aditu occulta coluntur,
Silvestribus sæpibus densa.

3. *Tractata ab Euhemero.* Vide Sextum Empiricum adv. Mathem. IX, 17, pag. 552. Inter alios, Arnobium, lib. IV, pag. 147; Lactantium, Div. Inst. lib. I, cap. 11, et Augustinum, C. D. lib. VI, cap. 7, lib. VII, cap. 26, ac de Cons. Evang. lib. I, cap. 23. Dav. — Adi Sevinii, Fourmontii et Foucherii commentatt. de Euhemero, quas exhibuit Hissmann. in Horreo histor. philos. I, p. 347, seqq. II, 291, sqq. III, 247, sqq. Consule etiam Meiners. vernac. libr. histor. crit. religionum I, pag. 27. Ca.

XLIII. 1. *Eleusina, sanctam.* Nonnulli codd. *Eleusinem*; alii *Eleusinam*: nec refert quam lectionem recipiamus, quum omnes bene se habeant. Nam lapsus est Cl. Boherius, qui *Eleusinam* ex Inscript. Gruter. pag. 309, eliminat. Hieronymus, de Viris Illustr. cap. 19: « Quumque Hadrianus Athenis exegisset hiemem, invisens Eleusinam, et omnibus pæne Græciæ sacris initiatus ». Ac in versione Chronici Euseb. pag. 167: « Hadrianus Athenis hiemem exigens Eleusinam invisit ». Et sane primum casum ex quarto Græcorum passim faciunt Latini. Vide nos ad Tuscul. I, 46. Dav. — Dedit Heind. ex codd. Glog. et Red. quod jam Dav. prætulit, *Eleusinam*, et ita est in nostris B. G. (a pr. manu) D. E. Fa. M. Oxf. o. ψ. et ed. Lamb. Ma. — Cic. de Legg. II, 14, § 35: « Iacchus Eumolpidæque vestri et augusta illa mysteria », i. e. σεμνά, ubi vid. interprr. adde Sanctocrucium *sur la religion secr.* pag. 238, ibique Villoison, et universe consule elegantem librum V. C. Ouwaroff, *Essai sur les mystères d'Eleusis, à Saint-Pétersbourg*, 1815, ubi de his initiis docte agitur. Ca.

2. *Ubi initiantur gentes orarum ultimæ.* Versus ille refragatur sententiæ Meursii, Eleusin. cap. 19, qui vult externos, et præsertim barbaros, numquam iis mysteriis initiari. Conjicit tamen ille hunccc versum spectare ad Anacharsim, qui ista lege exceptus fuit. — Argumentum vide Schellingii li-

Digitized by Google

Quibus explicatis, ad rationemque revocatis, rerum magis natura cognoscitur, quam deorum.

120 Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit, nutare videtur in natura deorum. Tum enim censet imagines divinitate præditas inesse universitati[3] rerum; tum principia mentis, quæ sunt in eodem[4] universo, deos esse dicit; tum animantes imagines, quæ vel prodesse nobis solent, vel nocere[5]; tum ingentes quas-

brum germanicum de diis Samothraciis, p. 28, 85, et passim; vid. quoque Diod. Sic. III, 55, et Strabo, Geogr. X, p. 326. Wytt.

3. *Inesse universitati rerum.* Victorius habet, « inesse in universitate rerum », cui favet Eliensis uterque. Et hæc et illa loquendi ratio æque est latina. Dav. — Dedit Heind. ut magis Ciceronianum, ex ed. Victor. et cod. Elien. « inesse in universitate rerum »; pluresque affert præcedentibus locos, quibus addi possunt ex lib. II, cap. 11 duo alii loci. Assentiunt nostri codd. A. B. C. D. E. I. M. (ex quo et Wirtius l. l. hanc lectionem protulit ut præferendam duxit) O. Oxf. e. et ed. Bas. Ma. — *Inésse in universitate* verum judicat etiam Drakenborch. ad Livium, XXVII, 14, et ad Præfat. § 11, docens Livium non minus quam Ciceronem hac constructione delectari, addenteque plura de hac elegantia congessisse Cortium ad Sallust. Cat. XV, 5, et Burmann. ad Quintil. Inst. II, 17, fin. Eamque lectionem et ipse potiorem habeo. Ca.

4. *Tum principia mentis, quæ sunt in eodem universo.* Augustinus Epist. CXVIII, n. 28: « Democritus sentit inesse concursioni atomorum vim quamdam animalem et spirabilem: qua vi eum credo et imagines ipsas divinitate præditas dicere non omnes omnium rerum, sed deorum, et principia mentis esse universis, quibus divinitatem tribuit, etc. » Hinc patet, Augustinum in suo codice reperisse, « tum principia mentis, quæ sunt in eodem universo », eamque lectionem merito, sicut arbitror, probat ampliss. Bohetius. Ille philosophus, haud secus ac Epicurus rotundas et minutas particulas mentis esse principia statuebat. Vide Lucretium, lib. III, 187, 243. Dav. — Dedit Heind. cum Ern. *principia mentis.* Bene; in eo vero fallitur, quod credit, in omnibus libris esse « pr. mentesque, quæ ». Illud *que* certe abest a nostris B. C. E. Fa. H. I. N. Oxf. e. Sed plane firmatur lectio *mentis* a codd. D. et M. Ma.

5. *Tum animantes imagines, quæ vel prodesse nobis solent, vel nocere.* Fr. Vigerus ad Eusebii Præp. Evang. lib. V, cap. 17, mavult « animatas imagines »; sed nihil opus est, quum *animans* idem denotet ac ἔμψυχον, et receptam lectionem servet Augustinus, Epist. CXVIII, n. 28. Democriti sententiam sic refert Sextus Empiricus adv. Mathem. p. 552, lib. IX, § 19: Δημόκριτος εἴδωλά τινά φησιν ἐκπελάζειν τοῖς ἀνθρώποις· καὶ τούτων τὰ μὲν εἶναι ἀγαθοποιά, τὰ δὲ κακοποιά· ἔνθεν

Digitized by Google

dam imagines, tantasque, ut universum mundum complectantur extrinsecus. Quæ quidem omnia sunt patria Democriti, quam Democrito digniora[6]. Quis 121
enim istas imagines comprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu, aut religione dignas judicare?

Epicurus vero ex animis hominum extraxit radicitus religionem, quum diis immortalibus et opem, et gratiam sustulit. Quum enim optimam et præstantissimam naturam dei dicat esse, negat idem[7] esse in deo gratiam: tollit id, quod maxime proprium est optimæ præstantissimæque naturæ. Quid enim est melius, aut quid præstantius bonitate et beneficentia? Qua quum carere deum vultis, neminem deo nec deum, nec hominem carum; neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. Ita fit, ut non modo homines a diis, sed ipsi dii inter se ab aliis alii negligantur.

XLIV. Quanto stoici melius, qui a vobis reprehenduntur? Censent autem, sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos. Nihil est enim virtute amabilius:

καὶ σύχεται ΕΥΔΟΓΩΝ τυχεῖν εἰδώλων. Εἶναι ταῦτα μεγάλα καὶ ὑπερφυῆ, etc. Hanc Democriti σύχην memorat Plutarchus in Æmilio Paullo, tom. I, pag. 255, et de Defect. Orac. tom. II, pag. 419, unde reponendum liquet, ΕΥΔΟΓΧΩΝ τυχεῖν εἰδώλων. Dav.

6. *Patria Democriti, quam Democrito digniora.* Democritus erat Abderites; is autem populus ob ingenii stuporem fuit insignis. Notum est illud Martialis Epigr. lib. X, 25: « Abderitanæ pectora plebis habes ». Vide Juvenalem, Satir. X, 48, et Hadr. Junium inter Adagia Des. Erasmi, pag. 279 ed. Hanov. Dav. — Democritum hac in causa a Ciceronis vituperio vindicare studuit Baylius in Diction. sub v. Democrit. pag. 984. Moshemius autem ad Cudworthi System. intell. pag. 848, ex hoc ipso loco est conatus efficere, in veterum philosophorum decretis referendis Ciceroni non ubivis fidem esse habendam. Idem duos insuper Ciceronis de Democriti εἰδώλοις locos apposuit, ad Attic. II, epist. 4, ad Famil. XV, epist. 16, quos contulisse neminem pœnitebit, utpote qui te optime de Democriti opinionibus monitum facient. Cr.

7. *Quum enim optimam et præstantissimam naturam dei dicat esse, negat idem.* Vel cum Walkero nostro legendum, « dicit esse, negat idem »; vel cum Cl. Boherio, « dicat esse, neget idem »: ut modorum servetur ra-

Digitized by Google

quam qui adeptus erit[1], ubicumque erit gentium, a
122 nobis diligetur. Vos autem quid mali datis, quum in imbecillitate gratificationem[2] et benivolentiam ponitis? Ut enim omittam vim, et naturam deorum, ne homines quidem censetis, nisi imbecilli essent, futuros beneficos et benignos fuisse? Nulla est caritas naturalis inter bonos? Carum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiæ nomen est ductum : quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus; non erit ista amicitia, sed mercatura quædam utilitatum suarum. Prata, et arva, et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex eis capiuntur : hominum caritas, et amicitia, gratuita est. Quanto igitur magis deorum? qui nulla re egentes[3], et inter se diligunt, et hominibus consulunt. Quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur deos? cur sacris pontifices, cur auspiciis augures præsunt? quid optamus a diis immortalibus? quid vovemus?

123 At etiam liber est Epicuri de sanctitate. Ludimur

tio. Ita sane semper elegantes scriptores, quidquid de Afris statuatur. De iis vide Des. Heraldum ad Arnobium, pagg. 112, 113. Dav.

XLIV. 1. *Quam qui adeptus fuerit.* Sic Eliens. et Reg. melius, quam *erit*, quod exhibent vulgati. Dav. — Dedit Heind. cum Ernestio *erit* ex suis codd. et edd. Idem præstant omnes libri nostri, excepto cod. O. qui cum Dav. facit. Alterum *erit* ante *gentium* abest a cod. C. — Cod. N. *quod mali.* Mr.

2. *Quum in imbecillitate gratificationem et benivol.* Sic restitui, parva mutatione facta. Nam ex *imbecillitatem*, quod erat corruptum, feci *in imbecillitate*, quod perspicue verum et rectum est. Quod si cui dubium est, argumento erit hujus libri versiculus ultimus, qui ita habet: « Quoniam, ut dicitis, omnis in imbecillitate est et gratia, et caritas ». Lamb. — De re ipsa vide Laertium, lib. X, § 77 Plutarchum, tom. II, pag. 1103, et Lactantium, de Ira dei, capp. 2 et 4. Dav. — Recepit Heind. cum Ern. certissimam Lambini emendationem, cui favet cod. Glog. in quo est *imbecillitate.* Mr.

3. *Qui nulla re egentes.* Eliens. uterque cum Reg. et Med. habent, « qui in nulla re egentes sunt »; et ultimam vocem repræsentarunt etiam MSS Victoriani. Si sit a vulgg. abeundum, legerim, « qui, ut nulla re egentes sint »; id est, quamvis nulla re egeant. Est hellenismus, qui apud optimos scriptores interdum reperi-

Digitized by Google

ab homine[4] non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quæ enim potest esse sanctitas, si dii humana non curant? Quæ autem animans natura, nihil curans? Verius est igitur nimirum illud, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in libro quinto de Natura deorum, nullos esse deos, Epicuro videri; quæque is de diis immortalibus dixerit, invidiæ detestandæ gratia[5] dixisse. Neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculi similem deum[6] fingeret, lineamentis dumtaxat extremis[7], non habitu solido;

tur. Noster infra lib. II, c. 8 : « Omnia enim hæc meliora sunt, quam ea, quæ sunt his carentia ». Lucret. III, 397 : « Et magis est animus vitai claustra coercens ». Vide quæ notavimus ad Tuscul. IV, 3. Dav.

4. *Ludimur ab homine.* Optime Plutarchus adv. Colot. p. 1112, D : Πῶς οὖν ἀπολείπουσι φύσιν καὶ ψυχὴν καὶ ζῶον; ὡς ὄρκον, ὡς εὐχὴν, ὡς θυσίαν, ὡς προσκύνησιν, ῥήματι καὶ λόγῳ καὶ τῷ φάναι καὶ προσποιεῖσθαι καὶ ὀνομάζειν, ἃ ταῖς ἀρχαῖς καὶ τοῖς δόγμασιν ἀναιροῦσιν. Vide et librum « non posse suaviter vivi secundum Epicurum » p. 1103, B. Dav.

5. *Invidiæ detestandæ gratia.* Huc respicit Lactantius, de Ira dei, cap. 4 : « Denique M. Tullius a Posidonio dictum refert, id Epicurum sensisse, nullos deos esse, sed ea, quæ de diis loquutus est, invidiæ depellendæ causa dixisse ». Sed sensum potius refert, quam verba numerat Ciceronis; libri enim nihil variant, nisi quod Bonon. 1494, *invidia detestante gratia* perperam exhibeat. Noster Philipp. IV, cap. 4 : « O dii immortales, avertite et detestamini, quæso, hoc omen ». Idem Catil. I, 11 : « Quamdam prope justam patriæ querimoniam detester ac deprecer ». Sic apud Macrobium, Saturn. lib. I, cap. 12, Hercules « detestatus esse dicitur præsentiam feminarum », quod idem valet, ac amoliri vel avertere. Dav. — De illo Posidonii libro vid. Bakii Posidonii Reliquiæ doctrin. pag. 235, qui in Lactantii loco conjicit *sed eum* pro *sed ea*. Adde eumdem de hoc Posidonii scripto περὶ θεῶν, p. 44. Cr.

6. *Ut homunculi similem deum fingeret.* Vulg. *homunculis*, quod MSS fide mutavimus. Dav. — Rejicit Heind. quod cum Dav. Ernestus etiam ex cod. Guelf. dedit, *homunculi*, et retinet vulgatam, explicatque *nobis homunculis*. Nam quod (ita pergit Heind.) alterum singulari *deum* convenientius judicat Ernestus, idem ego judicarem, si inter *homini* et *hominibus* h. l. fluctuaret oratio. *Homunculi* est in Oxf. e. o. u. et ed. Bas. cod. Glog. « homunculis simulacra deum fingisset », et plane ita cod. Fa. Sed G. « homunculus (ita et cod. Red. et ed. Th.) simulacra deum finxisset », cod. M. « homunculus similem deum finxisset » Mr.

7. *Lineamentis dumtaxat extremis.* Pari modo Noster Orat. cap. 56 : « Extrema lineamenta orationi attulit ». Et apud Augustinum C. D. lib. II, cap. 21, 3 : « Ut formam saltem

Digitized by Google

membris hominis præditum omnibus, usu membrorum ne minimo quidem; exilem quemdam atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem. Quæ natura primum nulla esse potest; idque videns Epi-
124 curus, re tollit, oratione relinquit deos. Deinde, si maxime talis est deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur; valeat[8]. Quid enim dicam, propitius sit? Esse enim propitius potest nemini, quoniam, ut dicitis, omnis in imbecillitate est et gratia, et caritas.

ejus et extrema tamquam lineamenta servaret». Vide et Lactantium de Ira dei, cap. 10, 26. Dav.

8. *Valeat.* Id est, «abeat et recedat, quandoquidem prodesse nulli potest», ut ait Lactantius, hunc locum laudans, de Ira dei, cap. 8. Agellius, N. A. lib. II, cap. 29: «Valeant ... amici cum propinquis». Terent. Andr. act. IV, sc. II, 13: «Valeant, qui inter nos dissidium volunt»; ubi renuntiationis et imprecationis esse verbum notat Donatus. Vide et act. V, sc. III, 18, nec non Servium ad Æn. V, 80, XI, 97. Sic Græci χαίρειν adhibent, ut notum. Ad argum. cf. Nemesium de Nat. hom. cap. 2, pag. 306, et Arrianum Epict. lib. I, cap. 12. Davis. — Non recordabatur Davisius, Græcos aliud etiam verbum habere, quod utrumque (et *valeat* et *propitius sit*) exprimat et quod sine dubio in mente habuit Cicero, quum hoc scriberet. Est illud verbum ἵλήκοις, ἵλαθι vel ἵλαθι, quamquam Schneiderus alteram significationem non nosse videtur. Sed ita occurrit apud Nonnum Dionys. VIII, 73, οὐρανὸς ἵλήκοι, μερόπων δόμος, ἔξονα βαίνω; XLIV, 173, οὐρανὸς ἀστερόφοιτος ἐμὴ πτόλις, ἵλατα θῆσαι. — Scribitur *est gratia*, omisso *et*, in codd. Fa. ex Oxf. o. Ma.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE NATURA DEORUM
AD M. JUNIUM BRUTUM
LIBER SECUNDUS

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI.

Hic liber continet Balbi disputationem de natura deorum, ex mente Stoicorum; qui totam istam quæstionem in partes quatuor dividebant. Primum enim docebant, esse deos: deinde, quales essent: tum, mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. His igitur quatuor tamquam capitibus tota Balbi disputatio continetur. Et prima quidem pars quamquam ne egere quidem oratione videri poterat, tamen argumentis confirmatur. Nam primo, quod omnium consentiens est de diis opinio, natura evidens sit necesse est; deinde, dii ipsi præsentia sua et apparitione eam rem confirmarunt: prædictiones item et præscusiones rerum futurarum, deos esse, clamant; omnium maxime autem mira totius mundi varietas, pulchritudo, ordo, rerumque omnium ad utilitatem humanam conspiratio. Quin ex ipsa hominum solertia colligi potest, esse aliquam divinam mentem. Nam si cetera, quæ in corpore sunt, sumpsimus aliunde, aliud a terra, aliud ab humore, aliud ab aere, aliud ab igni; rationem etiam aliunde habeamus necesse est: et quum cetera omnia mundus habeat, quod est omnium optimum, id quoque cur non habeat, nulla est ratio. Omnes porro concedunt, nil non modo esse mundo melius, sed ne cogitari quidem posse: quare, quum ratione nil melius, ea quoque mundo insit necesse est; qui profecto non posset ita omnibus partibus consentire, nisi uno divino et continuato spiritu contineretur, cap. 2–8. His rationibus subjiciuntur demonstrationes physicæ. Prima hujusmodi est: omnia quæ aluntur et crescunt, ea temperatione caloris oriuntur et augentur, omnesque partes mundi calore fultæ sustinentur; itaque et mundus simili parique natura servatur. Est igitur natura, quæ omnem mundum continet eumque tuetur; quæ quoniam mundi principatum (ἡγεμονικὸν), ut in homine mens, obtinet, et est adeo omnium optima, sensus quoque et ratio huic naturæ insint necesse est, quæ in partibus mundi sunt, et multo quidem acriora atque majora; ex quo mundum deum esse concluditur. Est præterea animans mundus; quod motu suo cietur; qui, vel Platone auctore, tantum in animos cadit, cap. 9–12. Altera ratio sic procedit: In omni rerum institutione est aliquid extremum atque perfectum, nisi quædam vis obsistat. Igitur in omni natura, s. universo, ac multo etiam magis, necesse est absolvi aliquid ac perfici; quod nil, ut in ceteris

Digitized by Google

naturis, obsistere potest: ergo quum in his, quæ gignuntur ex terra, nihil sit præter nutritionem; bestiæ præterea sensum et motum habent et appetitum: homini addita etiam est ratio, qua appetitus regantur. Ex quo efficitur, esse etiam quartum et altissimum gradum eorum, qui natura boni sapientesque gignantur, quibus ab initio insit recta constansque ratio, quæ deo tribuenda sit, hoc est, mundo. Eodem fere modo efficitur, esse in mundo summam virtutem et sapientiam, cap. 12-14. Sed mundi divinitate perspecta, astris etiam divinitas est tribuenda. Gignuntur enim ex mobilissima et purissima ætheris parte, nulla alia admixta natura, totaque sunt calida et pellucida. Absurdum autem esset, si res aere ortæ rationem haberent, quæ in multo puriore æthere nascuntur, sensu aut ratione carerent, quæ ibi multo acriora sint necesse est, et vel ordine eorum et constantia, motuque voluntario declarantur, c. 15, seq. Sed maxime astrorum sensum et intelligentiam divinitatemque declarat mirabilis ordo eorum et constantia, quæ neque naturam significat, quod est plena rationis, neque fortunam, quæ constantiam respuit. In quo Epicurus ridicule errat, qui humanam figuram diis attribuit, negatque rotundum et volubilem deum cogitari posse, cap. 16 seq. Sed multæ aliæ naturæ deorum ex magnis eorum beneficiis constitutæ sunt. Nam primo quod est a deo natum, id nomine ipsius dei nuncupatur; deinde res ipsa, in qua est vis major aliqua, sic appellatur; beneficiis porro excellentes viri in cælum fama ac voluntate sublati sunt; ac denique ex physica ratione multi fluxerunt poetici dii, cap. 23 seq. Constitutis duobus his, deos esse; et qualis eorum natura sit, sequitur disputatio de providentia deorum. Ea tribus argumentis asseritur, de Stoicorum more. Primum ab eo ipso, quod dii sunt, dicitur, c. 30, 31, seq. alterum inde, quod omnes res subjectæ sunt naturæ sentienti, ab eaque omnia pulcherrime gerantur, cap. 32; tertium autem ex admiratione rerum cælestium et terrestrium arcessitur, qui locus copiose admirabiliterque explicatur. Tertiæ huic disputationis parti subjicitur tandem ea, qua istam tantam rerum molitionem hominis causa factam esse, demonstrat, hominumque commodis mirifice esse a deo provisum: quod quidem quatuor argumentis fit; quorum primum ductum est a corporis humani structura; alterum a perfectionibus animi; tertium ab utilitate, quam res quum cælestes tum terrestres hominibus afferunt; quartum denique ab exemplis hominum illustrium, quibus dii consuluerunt.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE NATURA DEORUM,
AD M. JUNIUM BRUTUM,
LIBER SECUNDUS.

I. Quæ quum Cotta dixisset, tum Velleius: Næ ego, 1
inquit, incautus, qui cum academico, et eodem rhetore, congredi conatus sum[1]. Nam neque indisertum academicum pertimuissem, nec sine ista philosophia rhetorem, quamvis eloquentem. Neque enim flumine conturbor inanium verborum, nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. Tu autem, Cotta, utraque re valuisti: corona tibi et judices[2] defuerunt. Sed ad ista alias: nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. Tum Balbus: Eumdem equidem mal- 2
lem audire Cottam[3], dum, qua eloquentia falsos deos

L. 1. *Quæ ... conatus sum.* Dedit Heindorf. *conatus sim* ex cod. Glog. quem unum credit servasse genuinam scriptionem. At eam exhibent quoque nostri L. et Fd. Ma.

2. *Corona tibi et judices defuerunt.* «Corona dicitur circumstans in orbem populus», ut ait Lactantius, Div. Inst. lib. IV, cap. 26. Seneca, de Ira, lib. I, cap. 12: «Relicto judice, ad coronam venis». Iterum lib. II, cap. 7: «Corona pro mala causa, bona patroni voce, corrupta». Idem de Brev. vitæ, cap. 20: «Imperitæ coronæ assentationes captantem spiritus liquit». Eadem notione reperitur apud Nostrum quum alibi tum pro Milone, c. 1, et lib. II Fin. cap. 22. Vide sis et Agellium, N. A. lib. VII, cap. 4; Virgil. Æneid. lib. IX, vs. 508, 551, aliosque: nam passim obvia fit hæc vocis notio. Davis. — Cod. Red. et noster Fc. «coronam tibi et judices defuerunt». Ma.

3. *Eumdem equidem mallem audire Cottam.* Vox *equidem* deest in codd. Glog. E. Fa. Fb. Fd. La. Pro ea edd. Marsi, Ascens. Th. et Bas. et cod. Oxf. u. exhibent *inquit*, quod juxta illud more suo (neque vero h. l. incommode) recipi vult Heindorf. scribique «Eumdem, inquit, equidem malim», hunc enim conjunctivum sermonis lege requiri ait. Et ego velim eum in libro

Digitized by Google

sustulit, eadem veros inducat. Est enim et philosophi, et pontificis, et Cottæ, de diis immortalibus habere non errantem et vagam, ut academici, sed, ut nostri, stabilem certamque sententiam. Nam contra Epicurum satis superque dictum est. Sed aveo audire, tu ipse, Cotta, quid sentias.—An, inquit, oblitus es, quod initio dixerim, facilius me, talibus præsertim de rebus, quid non sentirem, quam quid sentirem, posse dicere? 3 Quod si haberem aliquid, quod liqueret, tamen te vicissim audire vellem, quum ipse tam multa dixissem.

Tum Balbus: Geram tibi morem, et agam quam brevissime potero. Etenim convictis Epicuri erroribus, longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino dividunt nostri totam istam de diis immortalibus quæstionem in partes quatuor. Primum docent, esse deos; deinde, quales sint; tum, mundum ab his administrari; postremo, consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone, quæ priora duo sunt, sumamus; tertium, et quartum, quia majora sunt, puto esse in aliud tempus differenda.—Minime vero, inquit Cotta: nam et otiosi sumus, et iis de rebus agimus, quæ sunt etiam negotiis anteponendæ.

4 II. Tum Lucilius: Ne egere quidem videtur, inquit,

quodam occurrere. Cod. Red. *malem*, quod ad utramque lectionem tuendam usurpari potest. Ma. — « Est enim et philosophi, et pontificis, et *Cottæ*... *vagam* ». Conferendus locus geminus, lib. II, cap. 67, ubi idem Balbus: «Tu autem Cotta, ait, ... teque et principem civem et pontificem cogites». Cui lib. III, cap. 2, initio Cotta respondet: « Ut meminissem, me et Cottam esse, et pontificem, quod eo, credo, valebat, ut opiniones, quas a majoribus accepimus de diis immortalibus ... religionesque defenderem ». Nec alienum fortasse fuerit suspicari, his locis etiam Lucium Cottam, Caii fratrem, respici; quo consule Jupiter Capitolium petierat ignesque injecerat (de Div. lib. I, cap. 12), quo facto patriarum religionum memoria instaurata fuerat; idemque L. Cotta *moris majorum* tenax reperitur apud ipsum Ciceronem in Orat. pro Sext. cap. 34. Ad voc. *vagam* adhibe Sueton. Vespas. cap. 1, p. 213, Wolf. quasi *vagum* imperium, ubi Ernestus Ciceroniani loci nos admonet. Mox pro *aveo* est *habeo* in edit. Th. Cr.

Digitized by Google

oratione prima pars. Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, quum cælum suspeximus, cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset assensu omnium dicere Ennius,

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem [1];

illum vero et Jovem, et dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et, ut idem Ennius,

.....Patrem divumque, hominumque [2],

et præsentem ac præpotentem deum? Quod qui dubitet, haud sane intelligo, cur non idem, sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Quid enim est hoc illo evidentius[3]? Quod nisi cognitum comprehensumque

II. 1. *Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.* Versus est trochaicus ex Ennii Thyeste desumptus, quem hoc in loco sic exhibent MSS, ut et infra cap. 25, et lib. III, cap. 4, 16. At Festus in Sublimem et Probus ad Virgilii Eclog. VI, pag. 70, legunt, *quem vocant omnes Jovem.* Non multum interest, hanc an illam scripturam recipias, licet præplaceat ea ratio, quæ in Tullii membranis invenitur; præsertim quum illam firmet Apuleius de Mundo, c. 6; Jos. quidem Scaliger ad Varronem de Re Rust. lib. III, pag. 235, testatur veteres illius scriptoris libros repræsentare *sublimen*, et ita reponendum pronuntiat. Sed Bon. Vulcanii MS vulgatam lectionem defendit, ut et res ipsa; nam in animo habuisse videtur illud Euripideum: Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἀπειρον αἰθέρα; Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα. Præterea vereor, ut *subiimen* unquam a Romanis fuerit usurpatum. Davis.

2. *Patrem divumque, hominumque.* Sic iterum hujusce libri cap. 25, et apud Varronem, L. L. lib. IV, p. 18. Hic autem loquendi modus ex Homero sumptus est, apud quem Jupiter passim vocatur πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Vide Dionem Chrysostomum, XII ac LIII; Iamblichum, Vit. Pythagor. § 39, et Philostratum, Vit. Apollon. lib. IV, cap. 30. Dav. — *Patrem divumque, hominumque.* Cf. inf. c. 25; adde Arnob. lib. II, cap. 25, ibique Elmenhorst. Ca.

3. *Quid enim? est hoc illo evidentius?* Leg. «Qui enim est hoc illo evidentius?» Id etiam olim monuisse video D. Lambinum; sed surdis cecinit. Davis. — Ed. Th. *hoc loco* pro *hoc illo.* Debebat Lambinus, ait Heind. scribere, *qui est enim;* de quo jam supra monuimus: scripsit vero Heindorfius, «Quid enim? est hoc illo evidentius?» cum Boherio credit tamen a Cicerone esse scriptum, «quid enim? num est hoc, etc.» Cod. Glog. *inveterari*, quod dedit Heind. quum activa forma

Digitized by Google

animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum fuisse, aut Chimæram putat? quæve anus tam excors inveniri potest, quæ illa, quæ quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? Opinionum enim commenta[4] delet dies; naturæ judicia confirmat. Itaque et in nostro populo, et in ceteris, deorum cultus religionumque sanctitates exsistunt in dies majores atque
6 meliores. Idque evenit non temere, nec casu, sed quod præsentiam sæpe divi suam declarant: ut et apud Regillum bello Latinorum[5], quum A. Postumius

inveterare hoc sensu non sit ex consuetudine optimorum scriptorum. Codicis Glog. scriptionem exhibet etiam noster La. Sed cod. G. *inveterascere*, quod æque probum est. In seqq. *diuturnitate* abest a cod. M. Ma. — *Inveterare*, i. q. durare. Similiter *canescere* usurpatur, docente Turnebo ad Cic. de Legg. lib. I, p. 253 ed. Davis. Ca.

4. *Opinionum... commenta* confirmat Sext. Empir. adv. Phys. lib. IX, cap. 62: Καὶ γὰρ ἄλλως αἱ ψευδεῖς δόξαι καὶ πρόσκαιροι φύσεις οὐκ ἐπὶ πλεῖον παραιτείνουσιν, ἀλλὰ συντελευτῶσιν ἐκείνοις ὧν χάριν ἐφυλάττοντο, κ. τ. λ. Ad sequentia: «deorum cultus religionumque sanct. exsistunt in dies majores, etc.» librarius codicis G. hæc in margine apposuit: *Hoc hodie dici non potest.* Ca. — *Sed quod ... declarant.* Dedit Heind. ex cod. Glog. ut significantius, «sed quod præsentes sæpe divi vim suam declarant», quod totidem verbis exhibent nostri E. Fa. La. (nisi quod in his est *dii*) M. Mn.

5. *Apud Regillum bello Latinorum.* Lactantius, Div. Inst. lib. II, cap. 7, 9: «Castor et Pollux bello Latino apud lacum Juturnæ visi sunt equorum sudorem abluentes». Nec inter se pugnant Noster et Lactantius, licet hic *lacum Juturnæ*, ille vero *lacum Regillum* memoret. Nam ad lacum Regillum commissa est pugna, qua victoriam fecerant Castores. Id inter alios docebunt Florus, lib. I, cap. 11, 2, et Valerius Maximus, lib. I, cap. 8. At «apud Juturnæ lacum secunda vulgarunt,» ut ait Symmachus, lib. I, epist. 95. *Juturnæ* vero *lacus* intelligendus est is, qui in urbe Roma positus erat, non alter, qui juxta fluvium Numicum. Diserte Valerius Maximus, lib. I, cap. 8: «Castorem vero et Pollucem etiam illo tempore pro imperio populi romani excubuisse cognitum est, quod ad lacum Juturnæ suum equorumque sudorem abluere visi sunt, junctaque fonti ædes eorum, nullius hominum manu reserata, patuit». Vide Plutarchum Coriolano,

Digitized by Google

dictator cum Octavio Mamilio Tusculano prælio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt; et recentiore memoria iidem Tyndaridæ Persen victum nuntiaverunt. P. enim Vatienus, avus hujus adolescentis [6], quum e præfectura [7] Reatina Romam venienti noctu duo juvenes cum equis [8] albis

p. 215, et in Paulo Æmilio, p. 268. Vide quoque Dionysium Halicarnassensem, lib. VI, cap. 13. Ut ad Nostrum redeam, licet eo quo dixi modo pessime loquantur auctores, vulgatam tamen lectionem non puto repudiandam: nam simili modo *Antiochi et Persei bellum* memorat Augustinus, Civ. dei, lib. III, cap. 11, ac *Pyrrhi bellum* Noster infra cap. 66. Vide et Agellium lib. XVII, cap. 21. Sic *Viriati bellum* dixit Noster in Bruto, cap. 21, qui locus cum Corrado et Lambino non est tentandus. Τὸν τῶν βαρβάρων πόλεμον, Thucydid. lib. I, pag. 18. Sic Κορινθίων πόλεμον, ibid. pag. 23. Vide et pag. 30, B. Dav.

6. *Hujus adolescentis.* I. e. illius qui adhuc vivit, quem novimus: ita persæpe usurpatur pronomen *hic*. Wytt.

7. *E præfectura Reatina.* Cic. Cat. lib. III, cap. 2: «Et ego ex præfectura Reatina complures ... adolescentes ... miserum». Sueton. Vespasian. I, p. 213 ed. Wolf. «T. Flavius Petro municeps Reatinus» (cf. Everard. Otto de Ædilibus municipior. et colonior. VIII, 7, p. 301): qui loci conferendi cum Cic. Famil. XIII, 11, pro Cæl. 2, et cum lege Gallicæ Cisalpinæ (in Hugonis civil. Magaz. II, 439, et in Dirksenii viri eruditi Observv. ad eam Leg. Berolin. 1812, p. 1) lin. 6, Præfectusve ejus municipii. Qua de re non meum est dicere; sed adhibe Livium, XXVI, 16, Festum in voc. *præfect.* et corrige hinc quæ de præfecturis minus subtiliter posuerunt Manutius ad Cic. Fam. lib. VII, c. 12, et nuper Mazochi ad Tabull. Heracl. pag. 392, 397, 407, atque Wielandus ad Horatii Satir. I, 5, p. 179. Ca.

8. *Juvenes cum equis albis.* Eliens. unus, «juvenes quum in equis albis». Utramque nimirum lectionem conjunxit librarius, quum quædam exemplaria legerent *juvenes cum equis*; alia vero, «juvenes in equis albis». Et ita legendum credo: nam Castores «albis equis insidentes» Vatinio obvios fuisse tradunt Valerius Maximus, lib. I, c. 8, et Lactantius, Div. Inst. lib. II, c. 7; Frontinus, Stratag. lib. I, cap. 11, 8, pag. 55. Renititur quidem doctissimus Boherius; quod, teste Floro, lib. II, cap. 12, 14, «eodem die quo victus est Perses in Macedonia Romæ cognitum est. Duo juvenes candidis equis apud Juturnæ lacum pulverem et cruorem abluebant. Hi nuntiavere, etc.» Sed scriptor ille gesta belli Latini cum Macedonico miscuit; quod etiam fecisse videtur Latinus Pacatus, Pan. XII, cap. 39, 4. Equos autem candidos Dioscuris mortuis assignavit antiquitas, quia vivi talibus uterentur. Ovidius, Metam. lib. VIII, vs. 372: «At gemini, nondum cælestia sidera, fratres, Ambo conspicui, nive candidioribus alba Vectabantur equis». Quapropter apud Lucianum, tom. I, pag. 256 ed. Amstel. ἵππος ἑκατέρῳ λευκὸς tribuitur. Hinc eos λευκοπώλους vocat Pindarus, Pyth. A, 127, et λευκίππους Euripides, Helen. vs. 646. Adi eis et Polyænum, Stratag. lib. II,

Digitized by Google

dixissent, regem Persen illo die captum, senatui nuntiavit, et primo, quasi temere de republica loquutus, in carcerem conjectus est: post, a Paullo literis allatis, quum idem dies constitisset, et agro a senatu, et vacatione donatus est. Atque etiam quum ad fluvium Sagram[9] Crotoniatas Locri maximo prælio devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiæ, memoriæ proditum est. Sæpe Faunorum voces exauditæ, sæpe visæ formæ deorum, quemvis non aut hebetem, aut impium, deos præsentes esse confiteri coegerunt.

7 III. Prædictiones vero, et præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ sint, ostendi, monstrari, portendi, prædici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. Quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum[1]; quos tamen augures ne ipsæ quidem fabulæ adscivissent, si res omnino repudiarent: ne domesticis quidem

cap. 31, 4. Davis. — Quod conjecit Dav. *in equis albis*, improbavit Boherius (laudans Florum, II, 12, 15); Heindorfius vero quod ad rem assentit Davisio, sed recte perinde exprimi illud ait, sive legamus *in equis*, sive *cum equis*. Cod. noster G. ut Eliens. exhibet *quum in equis*. Ma.—Ad Luciani locum classicum (vol. II, p. 88, Bip.) vide Hemsterhusium, qui nostri quoque loci admonet. Ca.

9. *Ad fluvium Sagram*. Historiam referunt Strabo, Plutarchus, Justinus, Suidas et alii. Vide Andr. Schottum ad Zenobii cent. II, adag. 17. Dav. — *Faunorum voce. exaud.* conf. Lucret. lib. IV, vers. 585 seq. Livium, lib. I, cap. 31, lib. II, cap. 7. Ca. — Vide de N. D. lib. III, cap. 6, et de Div. lib. I, cap. 45, tum Bibl. crit. IX, p. 56. Wytt.

III. 1. *Mopsum* ... *Helenum*. Cf. Cic. de Divinat. lib. I, cap. 40, ibique Davis. et quos laudavi in Mythol. lib. I, p. 195. De Mopso vide Hygin. fab. 128, ibique interprr. pag. 251; Staver. Apollodori Fragg. pag. 386; Heyn. Tzetz. ad Lycophron. 427, 439 seq. 980, ibique Mueller; de Tiresia, præter Davis. l. l. adhibe Eustath. ad Odyss. K, 492, et Zoegam de Obelisce. p. 301; de Amphiarao Davis. l. l. et Hygin. fab. 73, ejusque interpretes, pag. 145 seq. de Calchante vide interprr. ad Iliad. A, vs. 69, et Hygini locum classicum fab. 128, ibiq. Muncker. qui de re, ut solet, doctissime disputat. Ca.

Digitized by Google

exemplis docti, numen deorum comprobabimus? Nihil nos P. Claudii, bello Punico primo, temeritas movebit? qui etiam per jocum deos irridens, quum cavea liberati pulli non pascerentur[2], mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent. Qui risus, classe devicta, multas ipsi lacrymas, magnam populo romano cladem attulit. Quid? collega ejus Junius eodem bello nonne tempestate classem amisit, quum auspiciis non paruisset? Itaque Claudius[3] a populo 8
condemnatus est; Junius necem sibi ipse conscivit. C. Flaminium Cœlius religione neglecta cecidisse apud Trasimenum scribit[4] cum magno reipublicæ vulnere. Quorum exitio intelligi potest, eorum imperiis rempublicam amplificatam, qui religionibus paruissent. Et, si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur; religione, id est, cultu deorum, multo superiores. An Attii Navii 9
lituus ille, quo ad investigandum suem regiones vineæ terminavit[5], contemnendus est? Crederem, nisi ejus

2. *Quum pulli non pascerentur.* Cf. Burmann. ad Anthol. Latin. tom. I, p. 394. De Claudio Junioque eadem iisdem fere verbis narrat Noster de Divin. lib. II, cap. 33, pag. 247 ed. Hottinger. quem vide. Ca.

3. *Itaque Claudius.* Vulg. *P. Claudius.* Sed prænomen illud, jubentibus MSS, ablegandum censui. De re ipsa vide sis Valerium Maximum, I, 4, 3; Andr. Tiraquellum ad Alexandrum ab Alexandro, Gen. Dier. lib. I, cap. 29, et supplementa Liviana Joan. Freinshemii lib. XIX, cap. 30, 31. Dav. — Ed. Marsi et nostræ Bas. et Lamb. exhibent *P. Claudius;* sed prænomen abest ab omnibus libris, nisi quod noster N. pro eo superscriptum habet *pius.* Pro *necem* est *mortem* in cod. La. magis consueta loquendi formula. Ma.

4. *C. Flaminium Cœlius ... cecidisse... scribit.* Rem sic tradit Epitome Liviana, lib. XXII: «C. Flaminius, consul, homo temerarius, contra auspicia profectus, signis militaribus effossis, quæ tolli non poterant, et ab equo, quem conscenderat, per caput devolutus, insidiis ab Hannibale circumventus, ad Trasimenum lacum cum exercitu cæsus est». Inter alios vide Valerium Maximum, lib. I, cap. 6, 6; Nostrum de Div. lib. I, cap. 35, lib. II, cap. 33; denique Minucium Felicem Octav. cap. 7. Dav. — *Cœlius.* Is est Cœlius Antipater, romanæ Historiæ scriptor latinus, de quo diximus ad Cic. de Legg. I, 3. Wytt.

5. *Ad investigandum suem regiones vineæ terminavit.* Si ita scripsit Tullius, humani aliquid hic passus est:

Digitized by Google

augurio rex [Hostilius[6]] maxima bella gessisset. Sed negligentia nobilitatis, augurii disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta: itaque maximæ reipublicæ partes, in his bella, quibus reipublicæ salus continetur, nullis auspiciis administrantur; nulla peremnia servantur[7], nulla ex acuminibus[8]; nulli viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt[9]. Tum enim bella gerere nostri duces

non enim ad *suem* investigandum, sed inventa sue, ad *uvam*, quæ maxima esset, reperiendam vineæ regiones terminavit Navius. Vide Nostrum de Divinat. lib. I, cap. 17, et Dionysium Halicarnasseum, III, 70. Eliens. unus habet, *suam religionem vineæ*. Legi possit, «ad investigandam uvam maximam regiones vineæ terminavit». Hæc certe mutatio culpa Ciceronem liberat: forte tamen summum illum virum fefellit memoria. Dav. — Cod. Glog. *investigantem*. Dedit Heind. ex cod. Red. *investigandam*. Verba *ad... suem* cum Boherio deleri voluit Pearcius; sed retinet ea Heind. monetque Ciceronem h. l. rem obiter tantum neque accurate memorasse; quod et nota statim subsequens demonstrat. Kinderverterus Davisii conjecturam receptam malebat. Ma.

6. *Rex Hostilius*. Nullus hic quærendus est color, sed ἁμάρτημα μνημονικὸν ultro confitendum; nam quod olim monuit Xystus Betuleius, non Hostilius, sed Tarquinius Priscus, memorari debuit. Vide Nostrum de Div. lib. I, cap. 17, et Livium, lib. I, 36, ne Dionysium Halicarnasseum, Valerium Maximum, Florum, aliosque plurimos adducam. Davis. — A cod. Glog. abest *Hostilius*, quod deleri etiam voluit Ernest. Boherius conjecit *posterius*, ne scilicet (ait Heindorf.) memoriola vacillarit tumultuaria hac scribendi opera consularis senex. Ma.

7. *Nulla peremnia servantur*. Victor. et Eliens. uterque *salvantur*. Sed, quod notatu dignius est, *peremnia* fuerunt, non quum solam Petroniam, prout censuit Lambinus, sed quum alios quoque fluvios auspicato transirent. Hinc ex disciplinæ veteris neglectu proveniasse monet Cicero de Div. lib. II, cap. 36, «ut amnes non transeant auspicato». Id autem «flumen auspicatur, quod sua sponte in amnem influit», ut loquitur Festus in *Manalis fons*. Ita certe locum restituit Jos. Scaliger, quem de variis *peremnium* generibus vide sis ad vocem *peremne*. Davis.

8. *Nulla ex acuminibus*. Arnobius, lib. II adversus gentes, p. 91: «Numquid servatis de cælo, aut otiosas facitis obnuntiationibus actiones? Quum pacatis bella, signum monstratis ex arce? aut fetialia jura tractatis? per clarigationem repetitis res raptas? aut Martium discrimen obeuntes, spem prælii præsumitis, et ex acuminibus auspicatis?» M. Tullius, lib. II de Divin. c. 36: «Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur; nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, etc.» Lambin.

9. *Nulli viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt*. Quum olim delectus habebatur, primi citari

Digitized by Google

incipiunt, quum auspicia posuerunt. At vero apud majores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos diis immortalibus capite velato verbis certis[10] pro republica devoverent.

nominarique solebant, boni ominis gratia, Valerius, Salvius, Statorius, Victor, quo quidem et salutem et victoriam sibi ominabantur; quod idem, ut reor, milites in procinctu testamentum facturi imitabantur; nam etsi, impendente maximo mortis periculo, sic testari solebant: tamen, viris bonorum nominum vocatis, sibi et salutem et victoriam auspicabantur. Sed genus illud testamenti in desuetudinem abiisse et hic dicit Cicero, et Justinianus refert. *Viros* tamen *vocari* prisco genere orationis et religionis dixit, ut e Macrobio apparet, Saturn. lib. I, cap. 16, sic scribente: «Viros vocare feriis non oportet: si vocaverit, periculum est». Iterum: «Vitabant veteres ad viros vocandos etiam dies, qui essent notati rebus adversis». Turneb. Advers. lib. XXIII, cap. 12, col. 756. — *In procinctu testamenta.* Ita dicebantur ea quæ facta sunt, quum «viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur», ut verbis utar Agellii, Noct. Attic. lib. XV, cap. 27. Vide Festum vocibus *in procinctu* et *procincta classis*, ac Justinian. Inst. lib. II, tit. x, 1. Dav. — Verba *ex quo ... perierunt*, omittit cod. Red. et quum, ubicumque nos vertamus, sensus aptus non prodeat, Heind. ait, se vix abstinuisse, quin ea expungeret, uncis certe signanda putat. Ma. — *Testamenta in procinctu.* Vid. Davis. adde Plutarchi Coriolan. pag. 198, quem locum tractavit Trekell. de Testamentis, c. 2, pag. 20, et Velleii Paterculi lib. II, cap. 5, locum classicum, quem ab omnibus ad illustrandam § 1, Instit. de Testam. ordinandis, certatim adhibitum dicit Ruhnkenius, p. 88. Nec minus Ciceronis hunc locum adhibuerunt qui de Testam. militari egerunt, quorum aliquot sententias enumerat Heineccius in Syntagm. Antiq. Rom. Jurisprud. illustr. lib. II, tit. 10, § 3, p. 378. Adhibuit etiam Hugo in compend. vernac. Histor. Juris Romani Period. I, 2, § 81. Ca.

10. *Verbis certis.* D. Lambinus edidit *verbis conceptis;* at præproperum sane judicium tulit vir doctissimus, quum MSS fidem desereret. *Certa verba* sunt legitima et solemnia, quod ex Cicerone, Varrone et Festo docuit Barn. Brissonius, Form. lib. I, pag. 108. Nos alia proferemus exempla. Ovid. de sacris Annæ Perennæ, Fast. lib. III, vers. 675: «Nunc mihi cur cantent, superest, obscœna puellæ, Dicere; nam coeunt, certaque probra canunt». Pomponius, Digg. lib. I, tit. 2, Legg. II, 6: «Quas actiones... ne populus, prout vellet, institueret, certas solemnesque esse voluerunt». Justinianus, Inst. lib. IV, tit. 10, 1: «Procurator neque certis verbis, neque præsente semper adversario ... constituitur». Augustinus, Civ. Dei, lib. V, cap. 18: «Se occidendos certis verbis quodammodo consecrantes Decii devoverunt». Ipsam formulam, quam respicit Noster, suppeditabit Livius, lib. VIII, cap. 9. Adi et lib. X, cap. 28. Dav. — Ad proxima. De Sibyllinis vaticinationibus nemo nescit multa legi apud unum Livium, qui sæpiuscule patres prodit eas consultum iisse, ut lib. XXI, c. 62, lib. XXIX,

Digitized by Google

IV. Multa ex sibyllinis vaticinationibus, multa ex aruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmentur, quæ dubia nemini debent esse. Atqui et nostrorum augurum, et Etruscorum [1] aruspicum disciplinam P. Scipione, C. Figulo consulibus, res ipsa probavit: quos quum Tib. Gracchus, consul iterum,

cap. 10, ne plura apponam. De earumdem apud Romanos origine locus classicus est Dionysii Halicarn. A. R. lib. IV, cap. 62, cui jungendus Plinianus, Hist. Nat. lib. XIII, cap. 13, cum Salmasii Exercitt. Diodor. Sic. lib. IV, cap. 66, ibique Wessel. Virg. Æn. lib. VI, vs. 42 sqq. cum Heynii Excurs. Gell. N. A. lib. I, cap. 19, ibique Gronov. Quibus adjice scriptorem Mirabil. Auscultat. cap. 97, cum Bekmanni annotat. et Jo. Lydum de Menss. pag. 61, et præcipue pag. 79. Primum autem Sibyllarum meminit Heraclitus philosophus apud Plutarch. de Pythiæ oracc. vol. II, pag. 627; Wyttenb. Sequuntur Aristophanes, Equitt. 66, et Plato in Phædro, § 47, p. 241, Heind. quem locum in Orat. Platonn. expressit Aristides, pag. 13, ubi cod. Schellersh. veram Platonis lectionem προφῆτις conservavit. Scholion ad Platonis lib. I, pag. 60, ubi plura de Sibyllis debemus Photio; ipsi certe consimilia tribuuntur in Bibliothec. Coislin. p. 347 seq. Paucula in eamdem rem cod. Palat. nunc Heidelbergensis n° 129, fol. vers. 73; plura Eudocia in Violeto, p. 374. Cr.

IV. 1. *Et Etruscorum aruspicum.* Vulgo, *et Etruscorum, et aruspicum;* quæ quidem lectio, quamvis eam MSS retineant, absurda prorsus est et inficeta. Recte igitur fecit Aldus Nepos, qui vocem penultimam delendam pronuntiavit; non enim *Etruscum* ab *aruspice* diversum voluit Cicero; sed Etruscus nationem, aruspex scientiam denotat; quam Noster *Tuscam disciplinam* vocat, Fam. lib. VI, epist. 6. Idem mendum occurrit lib. II de Legg. cap. 9: «Prodigia, portenta ad Etruscos et aruspices (leg. *ad Etruscos aruspices*), si senatus jusserit, deferunto». Noster, Divin. lib. I, cap. 2: «Quum magna vis videretur esse... in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant». Iterum lib. II, cap. 35: «Quid enim scire Etrusci aruspices potuerunt?» Ovid. Metam. XV, vers. 577: «Quæ simul inspexit Tyrrhenæ gentis aruspex». Agellius, lib. IV, cap. 5: «Aruspices ex Etruria acciti... In Etruscos aruspices male consulentes animadversum». Sic passim Livius, aliique Veteres; nec mirum, quum Tages Etruscus primus hujus disciplinæ fuerit inventor. Vide sis Arnobium, lib. II, pag. 92, et Ammian. Marcellinum, lib. XXI, p. 179. Quum tamen omnes codd. illam particulam repræsentent, potius rescripserim, «et Etruscorum etiam aruspicum». Qui libros manu exaratos tractarunt, quam nullum fere discrimen sit inter eas voces, haud ignorant. Davis. — Quod deleverunt *et* ante *arusp.* Davisius, Ernestius et Heindorfius, abest a nostris D. et M. Mr. — *Etruscorum aruspicum* sine copula. Eam lectionem comprobavit etiam Gœrenz. ad de Legg. lib. II, 9, 21, pag. 134. Quam in rem ibidem Davisius laudavit M. A. Muretum ad Cic. Cat. III, cap. 8. Hunc locum adeas, si lubet. Cr.

Digitized by Google

recrearet[2], primus rogatorum[3], ut eos retulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus quum comitia nihilominus peregisset, remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum retulit. Senatus, quos ad soleret, referendum censuit. Aruspices introducti responderunt, non fuisse justum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus, ut e patre audiebam, incensus ira: «Itane 11
vero? Ego non justus, qui et consul rogavi, et augur, et auspicato? an vos Tusci, ac barbari, auspiciorum populi romani jus tenetis, et interpretes esse comitiorum potestis?» Itaque tum illos exire jussit. Post autem ex provincia literas ad collegium misit, se, quum legeret

2. *Quos quum Tib. Gracchus, consul iterum, recrearet.* Reg. et Eliens. uterque repræsentant « Gracchus consules iterum recrearet »; quod plane falsum est, non enim antea consulatum inierat. Haud melior est lectio vulgata; nam *recreatio* actus iterationem denotat. Erat quidem Gracchus tunc temporis secundum consul; sed eos non potuit *recreare*, quia jam primum creabantur. Editio Manut. habet, « quos quum Tiberius, consul iterum, crearet ». Recte quidem, nisi forte rescribamus, « quos quum Tiberius consules, consul iterum, crearet ». Excidere potuit vox illa, quod ei cum sequente tanta fuerit similitudo. Davis. — Dedit Heind. quod volebant Davis. et probabat Ernest. ex edd. Marsi et Manutii, et re ipsa postulante, *crearet*, et sic est in nostris B. M. Oxf. e. o. et u. Ma.

3. *Primus rogatorum.* Reg. cum aliis nonnullis, *primus interrogator.* Ambiguitatis vitandæ causa reponerem *primus rogator*, quod dant MSS Ursin. Med. Cantab. et Eliens. pro varia lectione; non enim is intelligitur, qui primus sententiam rogabatur, quemadmodum male statuit Aldus Nepos; sed qui centuriæ prærogativæ fuit rogator, ut liquido patet ex lib. II de Div. cap. 35, ubi sic Noster: « Quos (aruspices) quum Tiberius Gracchus, propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset ... Vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset; is enim erat mortuus ». Adi et lib. I, cap. 17; Valerium Maximum, lib. I, cap. 1, 3, ac Plutarchum in Marcello, pag. 300. Dav. — Dedit Heindorf. quod proposuerat Davisius, *rogator*, ambiguitatis vitandæ causa; in quo me non adsentientem habet. Primum enim Ciceronis lectoribus, qui nunc sunt, multa esse ambigua possunt, quæ quum scriberentur quumque omnes rem, uti evenerat, tenerent, non fuerunt ambigua. Deinde, si qua erat jam tum ambiguitas, ea statim tollebatur verbo, quod mox subsequitur, *rogatorem*. Mihi igitur scriptio *rogator* ex interpretamento orta esse videtur. Vulgatam, quam Ernestus quoque retineri vult, tenent nostri B. H. I. La. N. Oxf. u. ed. Th. et ed. Bas. Ma.

Digitized by Google

libros, recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortis Scipionis[4], quod, quum pomœrium postea intrasset, habendi senatus causa, in redeundo, quum idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus: itaque vitio creatos consules esse. Augures rem ad senatum; senatus, ut abdicarent consules; abdi-

4. *In h. Scipionis.* Leg. *tabernaculum .....aruspectionis.* Aruspectionis tabernaculum vocat, quod auspicandi causa ceperat Gracchus. Fœda autem macula locus hic in omnibus antea impressis libris deformatus fuerat, quum imperiti homines, ex antiqua voce *aruspectionis*, fecissent *in hortos Scipionis.* Quibus ex verbis quum idonea sententia nulla elici possit, quumque neque Cicero ipse in libris de Divinatione, ubi bis hanc historiam narrat, neque ceteri, qui eamdem literis prodiderunt, ullam *Scipionis hortorum* mentionem faciant; subesse mendum, facile equidem intelligebam; neque tamen prius manus admovere ausus sum, quam in vetustis libris hoc, quod nunc reposui, perspicue scriptum animadverti. Tueamur igitur antiquitatem, licet obscura rerum cognitio sit, ne, dum blandimur inscitiæ nostræ, longius a veritate discedamus. P. Manut. — *Vitio sibi tabernaculum captum fuisse hortos Scipionis.* Vulg. *in hortos;* D. autem Lambinus reponit *in hortis.* At quum præpositionis illius nullum sit in MSS vestigium, nos eam recepimus lectionem, quam præstant omnes Pall. nostrique codices, nisi quod Eliens. unus habeat *hortum.* Voces tamen, quas retinui, librariis adjudicandas censeo; quapropter a me sunt uncinis cinctæ. Nam *tabernaculum capere* est ὁ ἐπ' ὄρνισι καθεζόμενος ἔξω πόλεως ἔχων οἶκον ἢ σκηνὴν μεμισθωμένην, ut loquitur Plutarchus in M. Marcello, p. 300. Eamdem phrasin adhibent quum alii, tum Cicero de Divin. lib. II, cap. 35, et Livius, lib. IV, cap. 7. Quin et Valer. Maximus, lib. I, cap. 1, 3, hanc ipsam rem sic narrat: «A Tib. inquit, Graccho ad collegium augurum literæ sunt ex provincia missæ, quibus significabat, se, quum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animadvertisse vitio tabernaculum captum comitiis consularibus, quæ ipse fecisset, etc.» Is autem fere Ciceronis est exscriptor; adeoque *hortos Scipionis* legisse non videtur. Et quidem vel id, vel aliud additamentum prorsus est supervacaneum. Quod igitur P. Manutius e veteribus, ut ait, libris reposuerit, «tabernaculum captum fuisse aruspectionis»; aut quod ampliss. Boherius legendum conjecerit, «tabernaculum captum fuisse avispectionis» vel «avispicionis»; id mihi non recte factum videtur: neque enim voces illas probi commatis arbitror, licet *spectio* fuerit in auguralibus usitata. Vide Festum et Varronem, L. L. lib. V, § 8. Dav. — *Literas ad collegium misit.* Hottinger ad lib. II de Divinat. cap. 35, pag. 250, alterum locum lib. I, cap. 17, itemque hunc nostrum laudat. Proxima «quum ... auspicari esset oblitus» tangere videtur Arnobius, lib. IV, cap. 37, his verbis: «et propter quædam spatiola defanata». Vide ibi Herald. et Nourr. t. II, p. 260 ed. Orell. Lips. ubi non pauca de hac re occurrent. Ca.

Digitized by Google

caverunt. Quæ quærimus exempla majora? vir sapientissimus, atque haud scio an omnium præstantissimus, peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit, quam hærere in republica religionem[5]; consules summum imperium statim deponere, quam id tenere punctum temporis contra religionem.

Magna augurum auctoritas. Quid? aruspicum ars 12
nonne divina? Hæc innumerabilia ex eodem genere qui videat, nonne cogatur confiteri deos esse? Quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est. Deorum autem interpretes sunt: deos igitur esse fateamur. At fortasse non omnia eveniunt, quæ prædicta sunt. Ne ægri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicina est. Signa ostenduntur a diis rerum futurarum. In his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum conjectura peccavit[6].

V. Itaque inter omnes omnium gentium sententia constat. Omnibus enim innatum est, et in animo quasi insculptum, esse deos. Quales sint, varium est: 13
esse, nemo negat. Cleanthes[1] quidem noster quatuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. Primam posuit eam, de qua modo dixi, quæ orta esset ex præsensione rerum futurarum; alteram, quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quæ percipiuntur cæli temperatione, fecunditate ter-

5. *Hærere in republica religionem.* I. e. peccatum in religionem non expurgari, non tolli e republica. Wytt.

6. *Signa ostenduntur ... conjectura peccavit.* Simili fere modo astrologiam, quam *judiciariam* vocant, tuetur Faustus apud Clement. Hom. XIV, cap. 11. Adi sis et Julium Firmicum, Mathes. lib. I, cap. 2. Hanc autem Tullii ῥῆσιν laudat Ammianus Marcellinus, lib. XXI, cap. 1. Apud eum legitur, *in his si quis erraverit;* quam varietatem non tam codicum discrepantiæ, quam labili memoriæ tribuerim. Dav.

V. 1. *Cleanthes.* Ad *Cleanthis* theologumena consule Sext. Empir. adv. Math. IX, 88, ipsiusque hymnum in Jovem ap. Stob. Eclogg. I, 12, p. 30 sq. ed. Heeren. et quæ in eam rem disputavit Tennemanus in Hist. Philos. vol. IV, p. 234 seq. Cr.

Digitized by Google

rarum, aliarumque commoditatum complurium copia;
14 tertiam, quæ terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terræ motibus, et sæpe fremitibus, lapideisque imbribus, et guttis imbrium quasi cruentis; tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus[2]; tum, præter naturam, hominum pecudumque portentis; tum facibus visis cælestibus; tum stellis iis, quas Græci cometas, nostri crinitas vocant[3], quæ nuper bello Octa-

2. *Tum lapidibus, aut repentinis terrarum hiatibus.* Locus est vitiatus, nam *lapideorum imbrium* supra memineral Noster. Janus Gulielmius reponendum putabat *lapsibus* aut *labibus*. Ultima ratio mihi simul ac Jano Grutero vehementer placet; nam sæpe factum est, ut *terræ repentinis quassatæ molibus*, vel hiaverint, vel desederint (sic recte Cellarius ex MSS, non *descenderint*) *in abruptum*. Verba sunt Lactantii Div. Inst. lib. VII, cap. 3. Illa vero terræ ruina recte *labes* dicitur. Lactantius ad Statii Thebaid. lib. VIII, p. 356 ed. Cruceanæ: « Labes, violentia, seu ruina. Labes a labendo dicta ». Lucretius, lib. II, vs. 281: « Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi Expugnata dabunt labem, putresque ruinas ». Livius, lib. XLII, cap. 15: « Dextra pars labe terræ in aliquantum altitudinis diruta erat ». Cicero de Divinat. lib. I, cap. 33: « Multis locis labes factæ sint, terræque desederint ». Vide et c. 43. Loca jurisconsultorum huc pertinentia collegit Dionys. Gothofredus ad Digg. lib. XIX, tit. 2, l. 62. Davis. — Recepit Heind. certam, ut ait, Gulielmii conjecturam *labibus*. Quod subjicitur aptissime *aut*, mutari tamen in *et* voluit Walkerus. Conjecit vir quidam doctus *ignibus*, sc. montium ignivomorum, quod quidem non ineptum est; sed præstat Gulielmii conjectura. Mr.

3. *Nostri crinitas vocant.* Alii *cincinnatas*. Elicns. Lincoln. et veteres editi dant *crinitas*. Et « cometas Græci vocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidas », ut ait Plinius, Hist. Nat. lib. II, cap. 25. Servius ad Virgilii Æneid. X, vers. 272: « Cometas latina lingua crinitas appellamus ». Scriptor libri de Comp. apud Muratorium Anecdot. tom. III, pag. 193: « Cometes latine crinitus appellatur ». Eutropius, lib. X, cap. 4: « Denuntiata mors ejus (Constantini) est etiam per crinitam stellam... Græci cometen vocant ». Sic passim loquutus est Suetonius. Vide Jul. cap. 88, Neron. cap. 36, et Vespas. cap. 32. Attamen haud temere fit, ut Pall. Med. Reg. Cantab. aliique codices dent *concinnatus*. Scholiastes Juvenalis ad illud Satir. VI, vers. 207: « Instantem regi Armenio Parthoque cometen », ait: « Latine hæc stella cincinnata dicitur ». Dav. — Quod recepit Ernest. ex cod. Guelf. *crinitas*; dedit etiam Heindorf. ex edd. Marsi et Asc. et firmant nostri G. N. Oxf. u. edd. Th. et Bas. Hanc lectionem vere Tullianam esse affirmare non dubito. Mr.

Digitized by Google

viano[4] magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ; tum sole geminato, quod, ut e patre audivi, Tuditano et Aquillio[5] consulibus evenerat; quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est. Quibus exterriti homines vim quamdam esse cælestem et divinam suspicati sunt. Quartam causam esse, eamque vel maxi- 15
mam, æquabilitatem motus, conversionem cæli; solis, lunæ, siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem: quarum rerum adspectus ipse satis indicaret, non esse ea fortuita. Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit; quum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri judicare, sed esse aliquem intelligat, qui præsit, et cui pareatur: multo magis in tantis motionibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est, ab aliqua mente tantos naturæ motus gubernari.

VI. Chrysippus[1] quidem, quamquam est acerrimo 16
ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse reperisse videatur. «Si enim, inquit, est

4. *Bello Octaviano.* Id intelligit, quod, Octavio consule, contra Marium, Cinnam, aliosque gestum fuit. Vide, præter alios plures, Florum, lib. III, cap. 21, 9. Dav.

5. *Tuditano et Aquillio coss.* Vulgatam lectionem servant omnes nostri; sed codex Ursin. habuit, *M. Tuditano et Ap. Claudio coss.* Quod plane falsum; nam licet hi consules fuerint ann. U. C. 559, ut docebit Livius, lib. XXXIX, cap. 25; tamen ii sunt quærendi, qui consulatum gesserunt, quum P. Scipio Africanus Æmilianus mortem obierit. Hæc autem contigit ann. U. C. 625, M. Aquillio, C. Sempronio Tuditano coss. ut diserte testatur Velleius Paterculus, lib. II, cap. 4. Vide sis et Epitomen Livianam, LIX. Igitur sarta tecta maneat aliorum MSS auctoritas. Dav.

VI. 1. *Chrysippus.* De hac Chrysippi concludendi ratione conf. Sextum Empiricum adv. Math. lib. IX, c. 75 seq. Plutarch. de Stoicorum repugn. p. 1051 sq. p. 282 seqq. Wittenbach. itemque Nostrum supra, lib. I, c. 15, et adhibe Tennemanni disputata, et doctissime quidem, in Hist. Philos. vol. IV, p. 290. Cr.

Digitized by Google

aliquid[2] in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit; est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res cælestes, omnesque eæ, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam deum? etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse præstantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se putet, desipientis arro-
17 gantiæ est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto deus ».

An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut, etiamsi dominum non videas, muribus illam et mustelis ædificatam putes[3]: tantum

2. *Si enim est aliquid*, etc. Ad hunc locum respicit Lactantius de Ira Dei, cap. 10, 36; nec absimilis est ratiocinatio Cleanthis, quam refert Sextus Empiricus adv. Math. p. 234. Davis.

3. *Muribus illam et mustelis ædificatam putes*. Nimio archaismorum amore Janus Gulielmius in errorem ridiculum est abreptus; nam quum nonnulli codices habeant *mustelis ædificatam*, vir ille doctus locum de monstris spectrisque portentosis intellexit, unde Plauti Mostellaria. Sed Gruterus vocem hanc pro animalculis domos pererrantibus recte cepit. Ovidius de Galanthide in mustelam conversa, Metam. IX, vs. 233: «... nostrasque domos, ut et ante, frequentat». Idem animal hominem sic alloquitur apud Phædrum, lib. I, fab. 22: «Quæso, inquit, parcas mihi, quæ tibi molestis muribus purgo domum». Diogenes apud Antonium, et Maximum, Serm. LXVII, pag. 114: Τῶν οἰκιῶν, ἔνθα πλείστη τροφὴ πολλοὺς ΜΥΣ εἶναι καὶ ΓΑΛΑΣ. Vide et Plinium, Hist. Nat. lib. XIX, cap. 4. Davis. — Niminm fastidiosus h. l. reperitur Heindorfius, indigna Cicerone judicans illa *muribus... mustelis... putes*, et proxime pro *si tuum ac non* rescribens: *intuens si non hoc*, auctoritate codicis Glog. videlicet ne homines cum mustelis ac muribus comparentur. Refragatur Ang. Matthiæ, in Programm. ann 1816 edito, p. 6, et confert locum I, 9, ubi deus cum ædili comparatur, quem locum item sollicitarat Heind. Matthiæ autem commode exponit ita: Qui hunc mundum propterea, quod deos non videat, homines videat, hominum solum, ac non potius deorum domicilium putet, non minus errare quam eum, qui domum aliquam magnam et pulchram, quod in ea mures ac mustelas tantum videat, his tantum ac

Digitized by Google

vero ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum cælestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare? An ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aer? ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia[4] propter cæli pleniorem naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est, in crassissima regione mundi collocati sint. Et tamen ex 18
ipsa hominum solertia, esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem et divinam, existimare debemus. «Unde enim hanc homo arripuit[5]?» ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin et humorem, et calorem, qui est fusus in corpore, et terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quærat, unde habeamus[6], apparet: quod aliud a terra

non potius domino ædificatam putet. Neque magis M. A. Muretus, at quantus criticus, hunc locum vitii suspectum habuit. Vide ejus Scholia in Senecam, de Providentia, lib. III, p. 87 Ruhnk. quæ ipsa Senecæ verba cum nostro loco componi debent. Ca.

4. *Hebetiora ut sint hominum ingenia.* Est hoc observatum jam a veteribus physicis, homines in humilibus regionibus et crasso aere habitantes minus esse ingeniosos quam homines habitantes altioribus in regionibus et aere: atque hæc causa habebatur, quare Athenienses magis ingeniosi essent quam Bœotii. Wytt.

5. *Unde enim hanc homo arripuit?* Sic se habent verba Memorab. lib. I, cap. 4, 8: Νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα οἱ τύτυχῶς πῶς δοκεῖς συναρπάσαι. Hunc locum affert etiam Sextus Empiricus adv. Mathem. pag. 326. At in ejus libro scribebatur τύτυχῶς ΠΟΘΕΝ δοκεῖς συναρπάσαι; quod Xenophonti restituendum puto; illud enim vocabulum postulat Ciceronis interpretatio, quam repetit infra lib. III, cap. 11. Dav.

6. *Animum den. illum spirabilem, si quis... habeamus.* Olim *habemus*. Hæc patienter ferunt editores; at mihi nullo modo videntur sana: nam ipsa latinitas flagitat, ut legatur *habeamus*. Dav. —Dedit Heind. cum Ern. *habeamus*; cod. Red. exhibet *haberemus*. Vulgatam frustra defendit Wopkens. Lectt. Tull. 2, 3. Ma.—Unde *habemus* tuetur Burmannus ad Lucanum, pag. 17. Sed vide quæ supra posuimus ad I, 41 extrem. Mox in codd. MSS legi

Digitized by Google

sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aere eo, quem spiritu ducimus. Illud autem, quod vincit hæc omnia, rationem dico, et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus?

VII. An cetera mundus habebit omnia [1], hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius: nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest. Et, si ratione et sapientia nihil est melius, necesse est hæc inesse in eo, 19 quod optimum esse concedimus. Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non coget ea, quæ dicuntur a me, comprobare? Possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra [2]? aut, tot rebus ipsis se immutantibus, solis accessus discessusque solstitiis brumisque [3] cognosci? aut æstus maritimi, fretorumque angustiæ, ortu aut obitu lunæ commoveri [4]? aut una totius cæli conver-

quem spiritum ducimus, testatur etiam Jo. Frid. Gronovius in Diatriba ad Statii Silvv. lib. III, carm. 2, p. 276 ed. Hand. Ca.

VII. 1. *An cetera mundus habebit omnia*, etc. Tenendum Lucilium hic more Stoicorum mundum habere pro ipso deo, certe pro corpore et parte dei. Wytt.—Ad hujus loci argumentum adhibe Scholtenii diss. de Divin. nat. pag. 36, ibique landd. Cicer. de Legg. lib. II, cap. 7; de Div. lib. II, cap. 72; de Harusp. respons. cap. 9, cap. 30 seq. Sext. Empir. adv. Math. lib. IX, cap. 61, ibique Fabric. Ca.

2. *Possetne uno tempore florere, deinde vicissim horrere terra?* Hoc loco *uno tempore* significat primo vel altero: horrere autem terra dicitur hieme. Wytt.

3. *Solstitiis brumisque.* Licet duo sint *solstitia*, æstivum unum, alterum hiemale; usu tamen recipitur, ut *solstitium*, id quod θερινὸν est, denotet; *bruma* vero, χειμερινόν. Dein illud æstatem, hæc autem tempus hibernum significat. Agellius, Noct. Attic. III, 10: «In septimo signo fit solstitium a bruma; in septimo bruma a solstitio». Vide Senecam, Nat. Quæst. lib. III, cap. 29; Plinium, Hist. Nat. lib. II, cap. 97 et 70; Ovidium, Trist. lib. V, eleg. 10, 7, ac Varron. de Re Rustic. quum alibi, tum lib. I, cap. 39, nec non lib. III, cap. 10. Dav.

4. *Æstus maritimi, fretorumque angustiæ, ortu aut obitu lunæ commoveri?* Idem vult Noster, quod sic extulit de Div. lib. III, cap. 14: «Quid de fretis aut de marinis æstibus plura

Digitized by Google

sione cursus astrorum dispares conservari? Hæc ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno divino et continuato spiritu[5] continerentur.

Atque hæc quum uberius disputantur et fusius, ut mihi est in animo facere, facilius effugiunt academicorum calumniam. Quum autem, ut Zeno solebat, brevius angustiusque concluduntur : tum apertiora sunt ad reprehendendum. Nam ut profluens amnis, aut vix, aut nullo modo; conclusa autem aqua, facile corrumpitur : sic orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur[6]; angustia autem conclusæ orationis non facile se ipsa tutatur.

VIII. Hæc enim, quæ dilatantur a nobis, Zeno sic

dicam? quorum accessus et recessus lunæ motu gubernantur». Ea sane fuit multorum Veterum sententia. Vide Sextum Empiricum advers. Mathem. pag. 323; Philostratum, vita Apollonii, lib. V, cap. 2, et Senecam, de Provid. cap. 1, et Macrob. in Somn. Scip. lib. I, cap. 6, et Melam, lib. III, cap. 1. Davis. — *Concinentibus.* Cf. supra ad librum I, cap. 7, *concinere;* adde de Finibus, IV, 22, init. quibuscum re *concinebat.* Jungit autem Cicero voces concentus et consensus, ut de Orat. lib. III, cap. 6, 21. Unde nil mirùm, a librariis et substantiva inter se confundi et verba *concinere* ac *consentire;* observante etiam Schwarzio ad Plinii Paneg. XXXVI, p. 192. Cr.

5. *Uno divino et continuato spiritu.* MSS Reg. et Cantab. exhibent *uno et divino spiritu.* Et ipse quidem Cicero eandem vocem prætermittit infra III, cap. 11, eam tamen hic retinendam suadet potiorum codicum fides; nam Stoici certe animam mundi per omnia diffusam esse statuerunt. Athenagoras Leg. pro Christ. cap. 6, pag. 29, ait, secundum Stoicos, Πνεῦμα αὐτοῦ (θεοῦ) διήκειν δι' ὅλου τοῦ κόσμου. Celsus ap. Origenem, lib. VI, p. 324, Christianos putat μηδὲν ἐν τούτῳ διαφέρειν τῶν παρ' Ἕλλησι Στωϊκῶν, φασκόντων, ὅτι ὁ θεὸς πνεῦμά ἐστι διὰ πάντων διιὸν λυθὸς, καὶ πάντ' ἐν ἑαυτῷ περιέχον. Quod falsum probat vir doctissimus, veramque Stoicorum sententiam luculenter exponit. Plura suppeditabit Just. Lipsius Phys. Stoicæ lib. I, Diss. 7 et 8. Dav.

6. *Orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur.* Hoc mihi durisculum videtur. Melius, ut opinor, congruentiusque, «reprehensoris convicia diluuntur»; quemadmodum «conviciorum amarissimam labem verborum veracium flumine diluere», dixit Octavius apud Minucium Felicem cap. 16. Dav. — Bene Heind. recepit Davisii conjecturam *convicia;* frustra enim Ernest. vulgatam defendit. In cod. O. *vitia condiluuntur;* quod firmat Davisii conjecturam; voluit enim sine dubio *convicia diluuntur.* Ma.

Digitized by Google

21 premebat[1]: «Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. Ratione igitur mundus utitur». Similiter effici potest, sapientem esse mundum; similiter, beatum; similiter, æternum. Omnia enim hæc meliora sunt, quam ea, quæ sunt his carentia; nec mundo quidquam melius; ex quo efficitur, esse mundum deum. Idemque hoc modo: «Nullius sensu carentis[2] pars
22 aliqua potest esse sentiens. Mundi autem partes sentientes sunt. Non igitur caret sensu mundus». Pergit idem, et urget angustius: «Nihil, inquit, quod animi, quodque rationis est expers[3], id generare ex se potest animantem compotemque rationis. Mundus autem

VII. 1. *Zeno sic premebat.* Stoicæ rationis principes Zeno et Cleanthes respuebant in tradendis decretis suis, quidquid ornamenti lenociniique speciem habere videretur, teste Diogene Laertio, lib. VII, cap. 84. Inde, quo validius adversarios suos repellerent, qui sequuti sunt Stoici plus argutiarum subtilitatisque adhibuerunt. Cf. etiam Tennemannum meum in Histor. Philos. vol. IV, pag. 23 sq. Cr. — *Quod ratione utitur, id mel. est, quam id*, etc. Ipsam Zenonis ratiocinationem sic effert Sextus Empiricus adv. Mathem. p. 327 D. Εἰ τὸ λογικὸν τοῦ μὴ λογικοῦ κρεῖττόν ἐστι, οὐδὲν δέ γε κόσμου κρεῖττόν ἐστι· λογικὸν ἄρα ὁ κόσμος. Καὶ ὡσαύτως ἐπὶ τοῦ νοεροῦ καὶ ἐμψυχίας μετέχοντος. Τὸ γὰρ νοερὸν τοῦ μὴ νοεροῦ, καὶ ἔμψυχον τοῦ μὴ ἐμψύχου κρεῖττόν ἐστιν· οὐδὲν δέ γε κόσμου κρεῖττον· νοερὸς ἄρα καὶ ἔμψυχός ἐστιν ὁ κόσμος. Similiter alii quoque Stoici sunt ratiocinati. Vide Diogenem Laertium, lib. VII, § 143. Dav.

2. *Nullius sensu carentis pars*, etc. Hoc et sequens argumentum, quo mundum esse animantem contendebant Stoici, respicit ac refellit Lactantius, Div. Inst. lib. II, cap. 5, § 29 seqq. Dav.—*Mundus* vocabulum, tantopere frequentatum his in libris, quomodo a Stoicis accipiatur, nemo ambigere potest, qui hunc ipsum locum cum sequentibus, cap. 9 et 11, itemque lib. III, cap. 35, contulerit. Festus admonet: *Mundus*, inquit, appellatur cælum, terra, mare et aer. Pro cælo sigillatim usurpat, quamquam et ipse alio significatu (ut lib. I, 1053), Epicureus homo Lucretius. Cæli significatus crebro obvius in primis apud posterioris ætatis scriptores, in his Arnobium; vide Meursii not. ad eum, lib. I, cap. 2, p. 279 ed. Lips. Cr.

3. *Nihil, inquit, quod animi, quodque rationis est expers*, etc. Hæc sunt Zenonis verba: Τὸ προϊέμενον σπέρμα λογικοῦ, καὶ αὐτὸ λογικόν ἐστι· ὁ δὲ κόσμος προΐεται σπέρμα λογικοῦ· λογικὸν ἄρα ἐστὶν ὁ κόσμος. Ea fusius explicat, et eorum a Xenophonte τὴν ἀφορμὴν λαβεῖν monet Sextus Empiricus advers. Mathem. p. 327, A. Dav.

Digitized by Google

generat animantes compotesque rationis. Animans est igitur mundus composque rationis». Idemque similitudine, ut sæpe solet, rationem conclusit hoc modo: «Si ex oliva modulate canentes tibiæ nascerentur, num dubitares, quin inesset in oliva tibicinis quædam scientia? Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeres, in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans sapiensque judicetur, quum ex se procreet animantes atque sapientes?»

IX. Sed quoniam cœpi secus agere, atque initio 23
dixeram (negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum, deos esse): tamen id ipsum rationibus physicis confirmare volo[1].

Sic enim res se habet, ut omnia, quæ alantur et crescant, contineant in se vim caloris, sine qua neque ali possent, neque crescere. Nam omne, quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo. Quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur certo et æquabili: qui quamdiu remanet in nobis, tamdiu sensus et vita remanet; refrigerato autem et exstincto calore, occidimus ipsi et exstinguimur. Quod quidem 24
Cleanthes[2] his etiam argumentis docet, quanta vis

IX. 1. *Rationibus physicis confirmare volo.* Sic ex Reg. legendum, non *confirmari*, pront est in editis; id enim, quod pollicetur, statim agit Lucilius. Bonon. autem 1494, Victor. ac plerique omnes MSS exhibent «rationibus physicis, id est, naturalibus»; sed certo certius est, tres postremas voces glossematis loco ponendas esse. Dav. — Glossema, quod Heind. omnes libros occupare credit (i. e. naturalibus), abest a nostro cod. A. Davisii *confirmare*, quod nobis placet et amplissimi viri Ernest. et Heindorf. probarunt, est in cod. M. Ma.

2. *Quod quidem Cleanthes.* Ad marginem notat Lambinus in aliis ferri, *et quidem Cleanthes*; quod ego certe, si fide vel unius codicis nitatur, vulgatæ lectioni prætulerim: ea enim sequentia superioribus non apte connectit, et hiulcam reddit orationem. Legi quoque possit, «quid quod Cleanthes, etc.» Dav. — Defendit Heindorf. vulgatam *quod quidem* exemplis optimorum scriptorum, et romanorum et græcorum, contra Dav. et Ernestum.

Digitized by Google

insit caloris in omni corpore. Negat enim ullum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur: cujus etiam in reliquiis inest calor iis, quas natura respuerit. Jam vero venæ et arteriæ micare non desinunt, quasi quodam igneo motu; animadversumque sæpe est, quum cor animantis alicujus evulsum ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur, quod vivit, sive animal, sive terra editum, id vivit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intelligi debet, eam caloris naturam vim habere in se vitalem per omnem mundum pertinentem. Atque id facilius cernemus, toto genere hoc igneo, quod tranat[3] omnia, subtilius explicato.

Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultæ sustinentur. Quod primum in terrena natura perspici potest. Nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus; et recenti fossione,

Terram fumare calentem[4];

Kinderv. ejici volebat *quod*, et scribi *Cleanthes quidem*. Ma. — *Quod quidem Cleanthes ... docet, quanta.* Recte tuetur hæc Heindf. Tu confer infr. II, 37 : « Quod nescio anne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna ». Cæsar de B. Civ. III, 68 : « Quod quum esset animadversum, conjunctam esse flumini (munitionem) »; ubi vide Morum. Adde Manut. ad Cic. epist. famil. VIII, 14; Gesner. ad Heineccii Fundamm. styli, pag. 65; Ernesti Cl. Cic. in *Quod* et Ruhnken. ad Terentii Andr. I, 5, 54, pag. 56. Ad rem cf. Tennemanni Hist. philos. IV, p. 233 seq. Ca.

3. *Quod tranat omnia.* Eliens. et Cantab. perperam, *trahat omnia.* D. autem Lambinus scribendum conjecit, *trameat omnia.* Sed nihil opus est, ut quidquam mutemus; hanc enim metaphoram non refugerunt auctores optimi. Ennius apud Philargyr. in Georg. IV, 59 : « Transnavit cita per teneras caliginis auras ». Virgilius, Æn. X, 264 : « Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant Cum sonitu...» Vide Silium Italicum, lib. XIII, 238, et Lucretium, lib. IV, 178, et lib. VI, 1050. Dav.

4. *Terram fumare calentem.* MSS Reg. Med. Lincoln. et Eliens. habent « terram fumare recalentem »; ac ita scribendum puto; non enim est cur quis in re minime poetica poetam a Tullio laudatum fuisse credat. Vide Servium ad Æn. XII, 35, et Prudentium in passione Hippolyti, vs. 143. Dav. — Quæ expresserunt Dav. et Ern. ut poetæ hemistichium, Heind. cum contextu conjungit, ineptum hoc loco versiculum fore et illud hemisti-

Digitized by Google

atque etiam ex puteis jugibus aquam calidam trahi, et id maxime hibernis fieri temporibus, quod magna vis caloris terræ cavernis contineatur; eaque hieme sit densior; ob eamque causam, calorem insitum in terris contineat arctius[5].

X. Longa est oratio, multæque rationes, quibus 26
doceri possit, omnia, quæ terra concipiat, semina, quæque ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat, ea temperatione caloris et oriri, et augescere. Atque aquæ etiam admixtum esse calorem, primum ipse liquor, tum aquæ declarat effusio[1]: quæ neque conglaciaret frigoribus, neque nive, pruinaque concresceret, nisi eadem se, admixto calore liquefacta et dilapsa,

chium Ciceroni per imprudentiam excidisse existimans; cujus rei alia quoque exempla laudat, et de qua ipse Cic. in Orat. c. 56. Sed tamen voci *recalentem* locum non esse judicat. Scribitur *recalentem* in codd. A. B. C. D. E. Fa. Mn.

5. *Eaque hieme sit densior; ob eamque causam, calorem insitum in terris contineat arctius.* Pronomen ad *terram* dubio procul est referendum. Quod si sit, qualis quæso erit hæc locutio, « terra calorem insitum in terris contineat arctius? » De re ipsa agit Lucretius, lib. VI, v. 827. Dav. — Pro *in terris* placuit Ernesto Boherii *interius*, quod etiam Heind. in Addendis recipi vult. Statim dedit idem *continet* pro *contineat*; mutassem, ait, in *continent* (sc. cavernæ), præsertim quum hoc præbeat cod. Glog. (ita et nostri E. Fa. et M.), nisi post hæc «eaque (sc. terra) hieme fit densior», durissime ad prægressum *cavernas* sermo rediret. Mihi non admodum displicet *continent*, quamquam tum desiderem *eæ*. Mn.

X. 1. *Primum ipse liquor, tum aquæ declarat effusio.* Licet hæc sensu careant, ita tamen ante Gruterum exhibebant Manut. et Bonon. 1494, cum quibus faciunt Pal. tert. et Reg. noster. At Victorius edidit, « liquor aquæ declarat effusæ », nec aliter MS Eliens. Hoc vero non arridet, quia nihil ad rem facit, *effundatur* aqua necne. Pal. pr. « liquor aquæ declarat effusio »; et ita MS Med. Legerim, « primum ipse liquor aquæ declarat », ut *effusio* vox habeatur a librariis inutiliter adjecta. Dav. — Valde variant libri. Cod. Red. noster O. codd. Oxff. edd. Th. et Bas. adstipulantur vulgatæ. « Liquor aquæ declaret effusioque » est in cod. N. In cod. A. erat « liquor aquæ dederat effusio »; correxit serior manus *declarat*, eademque delevit *effusio*, quod volebat Davisius. Heind. se olim conjecisse ait « liquor aquæ declarat et effusio »; idque liquido scriptum exstare in cod. Glog. Amplectendum sane videtur; quamquam lectio *effusioque*, quam nonnulli libri exhibent, non sit multo deterior. Mn.

Digitized by Google

diffunderet. Itaque et aquilonibus, reliquisque frigoribus adjectis durescit humor[2]; et idem vicissim mollitur tepefactus, et tabescit calore. Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt, ut intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Nec enim ille externus et adventitius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod nostris quoque corporibus contingit, quum motu atque exercitatione recalescunt. Ipse vero aer, qui natura
27 est maxime frigidus[3], minime est expers caloris: ille vero et multo quidem calore admixtus est. Ipse enim oritur ex respiratione aquarum. Earum enim quasi vapor quidam aer habendus est. Is autem exsistit motu ejus caloris, qui aquis continetur. Quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quæ effervescunt subditis ignibus. Jam vero reliqua quarta pars mundi, ea et ipsa tota natura fervida est, et ceteris naturis om-
28 nibus salutarem impertit et vitalem calorem. Ex quo concluditur, quum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili parique natura in tanta diuturnitate servari: eoque magis, quod intelligi debet, calidum illud atque igneum ita in omni

2. *Reliquisque frigoribus adjectis durescit humor.* Sic vulg. At nos antepenultimam vocem delevimus; id quod suadebat MSS Lincoln. Reg. et Cantab. fides simul ac latini sermonis elegantia. Dav. — Ernestus quoque ejiciendam censuit vocem *adjectis*, neque Heind. eam retineri vult. Quæri tamen posse ait, quomodo ea irrepserit. Conjicit igitur a Cicerone scriptum fuisse *adstrictus*, cui in seqq. respondeat *tepefactus*. Haud incommode; quamquam hanc plane esse Cic. manum haud præstiterim. Omnes libri nostri vulgatam exhibent. Ca.

3. *Ipse vero aer, qui natura est maxime frigidus.* Plutarchus de Repugn. Stoic. pag. 1053, E: Τὸν ἀέρα φύσει ζοφερὸν εἶναι λέγει (ὁ Χρύσιππος) καὶ τούτῳ τεκμηρίῳ χρῆται τοῦ καὶ ΨΥΧΡΟΝ εἶναι πρώτως. Hinc Clemens, qui fere semper Stoicus est, ἀερνῇ ψυχρότητα tribuit aeri. Vide sis ejus Protr. pag. 5. Quod si quis etiamnunc de Stoicorum sententia dubitet, is adeat Just. Lipsium, Phys. Stoic. lib. II, Dissert. 15, aut Æg. Menagium ad Diogenis Laertii lib. VII, § 137. Dav. — *Ille vero et multo* non sibi placere ait Ernest. Ma.

Digitized by Google

fusum esse natura, ut in eo insit procreandi vis, et causa gignendi, a quo et animantia omnia, et ea, quorum stirpes terra continentur, et nasci sit necesse, et augescere.

XI. Natura est igitur, quæ contineat mundum om- 29
nem, eumque tueatur, et ea quidem non sine sensu atque ratione. Omnem enim naturam necesse est, quæ non solitaria sit [1], neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum appetitus. In arborum autem, et earum rerum, quæ gignuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quæ Græci ἡγεμονικὸν vocant: quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse præstantius. Itaque necesse est, illud etiam, in quo sit totius naturæ principatus, esse omnium optimum, omniumque rerum potestate dominatuque dignissimum.

Videmus autem, in partibus mundi (nihil est enim 30
in omni mundo, quod non pars universi sit) inesse sensum et rationem [2]. In ea parte igitur, in qua mundi inest principatus, hæc inesse necesse est, et acriora quidem atque majora. Quocirca sapientem esse mundum necesse est; naturamque eam, quæ res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere; eoque deum esse mundum, omnemque vim mundi natura divina contineri. Atque etiam mundi ille fervor, purior, perlucidior, mobiliorque multo, ob easque causas aptior ad sensus commovendos, quam hic noster calor,

XI. 1. *Omnem enim naturam necesse est, quæ non solitaria sit ... dominatuque dignissimum.* Illa Stoicorum ratiocinatio in amplius explicata exstat apud Sextum Empiricum, adversus Mathem. p. 329, 330. Dav.

2. *Videmus... in partibus... inesse sensum et rationem.* Conf. Plotin. Enn. III, 2, p. 256. Mox: « deum esse mundum ». Hoc nomine idem Plotinus Stoicos tangit, περὶ ὕλης cap. 1, p. 160. Cf. Ficinum, pag. 148. Ca.

Digitized by Google

quo hæc, quæ nota nobis sunt, retinentur et vigent.
31 Absurdum igitur est dicere, quum homines bestiæque hoc calore teneantur, et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu; qui integro, et puro, et libero, eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur: præsertim quum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neque externo pulsu, sed per se ipse, ac sua sponte moveatur. Nam quid potest esse mundo valentius, quod pellat atque moveat calorem eum, quo ille teneatur?

32 XII. Audiamus enim Platonem, quasi quemdam deum philosophorum [1]: cui duo placet esse motus, unum suum, alterum externum [2]; esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit [3], ab hisque principium motus esse ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulsu, sed sua sponte movetur: animus sit necesse est. Ex quo efficitur, animantem esse mundum.

Atque ex hoc quoque intelligi poterit, in eo inesse intelligentiam, quod certe est mundus melior, quam

XII. 1. *Platonem, quasi quemdam deum philosophorum.* Lactantius, Epit. cap. 38: « Platonem deum philosophorum Tullius nominat ». Augustinus in Julianum, lib. IV, cap. 15: « Platonem Cicero appellare non dubitat pæne philosophorum deum ». Ad hunc locum et hic et ille respexit. Dav. — *Platonem ... deum philosoph.* Cic. ad Attic. IV, 16: « Deus ille noster Plato ». Cf. Tuscull. I, 17, 39; de Legg. III, 1, et adhibe disputata Scholtenii in Diss. de Divin. nat. p. 15 seq. Ca.

2. *Duo placet esse motus, unum suum, alterum externum.* Causam equidem comminisci non possum, cur D. Lambinus reposuerit *alterum alienum*; idem enim est sensus receptæ lectionis, quam tuentur omnes MSS. Respicit autem Noster ad Platonis Phædrum, p. 344, ed. Lugd. quem locum latine vertit Tusc. lib. I, cap. 25. Dav.

3. *Hunc a. m. in solis a. esse ponit.* Latinitatis consuetudo postulabat, aut « in animis ponit », aut « in animis esse statuit, dicit, pronuntiat ». — *Ductum.* I. e. ortum. Ita dicitur: initium actionis ducere vel capere ab aliqua re. Wytt.

Digitized by Google

ulla natura. Ut enim nulla pars corporis nostri est, quæ non sit minoris[4], quam nosmet ipsi sumus : sic mundum universum pluris esse necesse est, quam partem aliquam universi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est. Nam ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse, quam mundum omnem, oporteret.

XIII. Atque etiam, si a primis inchoatisque naturis 33
ad ultimas perfectasque volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus necesse est. Primo enim animadvertimus, a natura sustineri ea, quæ gignantur e terra[1], quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur. Bestiis autem sen- 34
sum et motum dedit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum : homini hoc amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur[2], tum contine-

4. *Quæ non sit minoris.* Ursini codicem sum sequutus, lectioque, quam suppeditat, viro illi docto jure placuit. Noster, Acad. Quæst. lib. I, cap. 10 : « Quæ essent sumenda, ex iis alia pluris esse æstimanda, alia minoris ; quæ pluris, ea præposita appellabat ; rejecta autem, quæ minoris ». Offic. lib. III, cap. 12 : « Vendo meum non pluris, quam ceteri ; fortasse etiam minoris ». Seneca, Epist. 29 : « Propositum est aggredi illum, et ostendere, quanto pluris fuerit, quum multis minoris videretur ». Sic et passim. Vulgo « quæ non sit minor ». Absurde ; non enim de magnitudine loquitur Tullius, sed de dignitate. Dav. — Dedit Heind. cum Ern. quod et Walkerus voluit, « quæ non sit minoris ». *Minoris sit* est in cod. M. reliqui omnes *minor* exhibent. Mr.

XIII. 1. *Quæ gignantur e terra.* Sic Reg. Med. Linc. et Vict. non *gignuntur*, ut vulgo. Dav. — *Gignantur* dedit etiam Heind. ex edd. Marsi et Asceus. et ita nostri A. B. C. D. E. Fa. G. (superscr. in textu est *u*) M. Oxf. e. edd. Th. et Bas. Mr.

2. *Tum remitterentur, tum continerentur.* Interdum temperarentur, ne nimii fierent ; interdum prorsus excinderentur. Hunc sensum recte vidit ampliss. Boherius, et retinendam esse vulgatam lectionem merito statuit. Ut enim *funis*, sic appetitus *remittitur*, quum laxatur ejus intensio. Cicero Tusc. lib. II, cap. 22 : « Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt : simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere ». Plinius, lib. VII, Epist. 9 : « Nam mirum est, ut his opusculis animus intenda-

Digitized by Google

rentur. Quartus autem gradus et altissimus[3] est eorum, qui natura boni sapientesque gignuntur : quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quæ supra hominem putanda est, deoque tribuenda, id est, mundo; in quo necesse est perfectam illam atque ab-
35 solutam inesse rationem. Neque enim dici potest, in ulla rerum institutione[4] non esse aliquid extremum atque perfectum. Ut enim in vite, ut in pecude (nisi quæ vis obstitit) videmus, naturam suo quodam itinere ad ultimum pervenire; atque ut pictura, et fabrica, ceteræque artes habent quemdam absoluti operis effectum : sic in omni natura, ac multo etiam magis, necesse est absolvi aliquid ac perfici. Etenim ceteris naturis multa externa, quo minus perficiantur, possunt obsistere: universam autem naturam nulla res potest impedire; propterea quod omnes naturas ipsa cohibet et continet. Quocirca necesse est esse quartum illum et altissimum gradum, quo nulla vis possit accedere.
36 Is autem est gradus, in quo rerum omnium natura ponitur: quæ quoniam talis est, ut præsit omnibus, et eam nulla res possit impedire, necesse est, intelligentem esse mundum, et quidem etiam sapientem.

XIV. Quid autem est inscitius, quam eam naturam, quæ omnes res sit complexa, non optimam dici, aut, quum sit optima, non primum animantem esse, deinde rationis et consilii compotem, postremo sapientem? Qui enim potest aliter esse optima? Neque enim, si stirpium similis sit, aut etiam bestiarum, optima

tur remittaturque ». Pariter ἐπιτείνειν et ἀνιέναι opponunt Græci. Vide Clementem Alexandrinum, Pædag. lib. I, cap. 8; Iamblichum in vit. Pythagoræ, § 224; Photium cod. CLXIX, pag. 380, et Aristotelem Nicom. lib. VI, cap. 1. Dav.

3. *Altissimus est eorum.* Medium vocem suppeditarunt MSS Reg. et Cantab. nam ea carent editi. Dav.

4. *Institutione.* I. e. inceptione. Omnia enim quæ natura incipit, ea ad extremum atque ad perfectionem perducit. Wytt.

Digitized by Google

putanda sit potius, quam deterrima: nec vero, si rationis particeps sit, nec sit tamen a principio sapiens, non sit deterior mundi potius[1], quam humana conditio. Homo enim sapiens fieri potest: mundus autem, si in æterno præteriti temporis spatio fuit insipiens, numquam profecto sapientiam consequetur. Ita erit homine deterior. Quod quoniam absurdum est, et sapiens a principio mundus, et deus habendus est. Neque enim est quidquam aliud præter mundum, cui 37
nihil absit, quodque undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus.

Scite enim Chrysippus, ut clypei causa, involucrum; vaginam autem, gladii: sic, præter mundum, cetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animantium causa; animantes autem, hominum; ut equum, vehendi causa, arandi, bovem; venandi et custodiendi, canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum[2], nullo modo perfectus, sed est quædam

XIV. 1. *Deterior mundi potius.* Ultimam vocalem in Pal. primo non exstare notat et abesse posse censet Gruterus. Sed quum eam retineant reliqui codices, haud exsulare debet; licet enim παρῴχηται videatur, non tamen vi sua caret ac virtute. Terentius, Adelph. act. II, sc. 11, 14: « mallem auferre potius in præsentia ». Sulpicius Severus, Hist. Sacr. lib. I, cap. 39: « Cedere potius puero quam discerpi eum mallet ». Hujusce rei multa romanos græcosque scriptores legentibus occurrent exempla. Vide sis Justinum M. Apol. I, cap. 25; Heliodorum, Æthiop. lib. IX, pag. 419; Achillem Tatium, Ἐρωτ. lib. V, pagg. 191, 357, et Photium, cod. XXXVI. Dav. — Vocem *potius* retinent nostri omnes, exceptis codd. Fa. et M. v. Hermann. ad Viger. p. 719, ed. 2. Ma.

2. *Ad mundum contemplandum et imitandum.* Eliens. unus *mirandum*. Seneca, Cons. ad Helviam, cap. 8: « Animus contemplator admiratorque mundi ». Ac ita passim Stoici. Hinc apud Clementem Alexandrinum, qui ubique fere στωϊκίζει, Gnosticus ἁρξάμενος ἐκ τοῦ ΘΑΥΜΑΖΕΙΝ τὴν κτίσιν ... θεὸν καὶ πρόνοιαν ἐπίστευσεν, ἐξ ὧν ΕΘΑΥΜΑΣΕΝ. Vid. Strom. lib. VII, pag. 312. Boethius, Cons. Philos. lib. II, Pros. 5: « Sic cælum, sidera, solem, lunamque miramur ». Adi sis et lib. III, Pros. 8, ac Lactantium, Div. Inst. lib. VII, cap. 4, 16, cap. 5, 4, et de Ira dei, cap. 14. Hinc patet, illam lectionem non male se habere.

Digitized by Google

38 particula perfecti. Sed mundus, quóniam omnia complexus est, nec est quidquam, quod non insit in eo, perfectus undique est. Quid igitur potest ei deesse, quod est optimum? Nihil autem est mente et ratione melius. Ergo hæc mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adjungens, omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo, quam in equuleo; in cane, quam in catulo; in viro, quam in puero: item, quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto
39 esse debere. Est autem nihil mundo perfectius: nihil virtute melius. Igitur mundi est propria virtus. Nec vero hominis natura perfecta est: et efficitur tamen in homine virtus. Quanto igitur in mundo facilius? Est ergo in eo virtus. Sapiens est igitur; et propterea deus.

XV. Atque hac mundi divinitate perspecta[1], tri-

Vulgata tamen mihi non videtur deserenda, quum mundus pro Stoicorum mente sit deus, summeque perfectus; adeo ut mirabilem ejus ordinem incredibilemque constantiam nobis exprimendam esse non immerito statuerint. Ὁ γὰρ ἄγαταί τις, καὶ μιμεῖται, ὅσον αὐτῷ οἷόν τε, ut ait Hierocles in Aur. Carm. I, pag. 22. Omnino vide Ciceronem de Senect. cap. 21. Dav. — Doctissimus vir Sallierus egregie probat ex Platonis Timæo (ed. Steph. pag. 127), et ex Cicerone ipso (de Senect. cap. 21), lectionem *imitandum* retinendam esse. (*Hist. de l'Acad. des Inscript.* an. 1721.)

XV. 1. *Atque hac mundi divinitate perspecta,* Sic Reg. Lincoln. Med. Eliens. uterque, Cantab. Bonon. 1494, et anteriores editi. Infra hujusce libri cap. 53: « Si erit tota hominis fabricatio perspecta ». Seneca, Epist. XCII: « Si veritas tota perspecta est ». Macrobius in Somn. Scip. lib. I, cap. 19: « Totius spatii, quod septem sphæræ occupant, dimensione perspecta ». Vulg. « divinitate perfecta »; non male quidem, si sit addicentibus MSS. Vide lib. II de Fin. cap. 27. Sed ii, quantum constat, omnes renituntur. Dav. — Non placet Heiudorfio, quod Dav. posuit, *perfecta* bene se habere, si libri addicerent, docetque aliam esse rationem loci de Fin. II, 27. Et videtur certe recepta lectio esse genuina. Neque tamen typographi errori, ut dubitans ait Heind. sed librariis debetur lectio *perfecta;* eam totidem literis repræsentant codd. D. E. (ubi additur *est*) M. et N. Sequentia vir quidam doctus ita legi vult: « neque ulla præterea admixta natura, tota sunt calida, etc. » quod non displicet. Ma. — Ad initium capitis 15 adhibe Cic.

Digitized by Google

buenda est sideribus eadem divinitas: quæ ex mobilissima purissimaque ætheris parte gignuntur; neque ulla præterea sunt admixta natura, totaque sunt calida atque perlucida: ut ea quoque rectissime et animantia esse, et sentire atque intelligere dicantur. Atque ea 40
quidem tota esse ignea, duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus et oculorum. Nam solis candor illustrior est, quam ullius ignis, quippe qui immenso mundo[2] tam longe lateque colluceat; et is ejus tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam sæpe comburat. Quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. Ergo, inquit, quum sol igneus sit, Oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum atque ad victum; aut ei, qui corporibus animantium continetur. Atque hic 41
noster ignis[3], quem usus vitæ requirit, confector est

Somn. Scip. cap. 3, pag. 452, ed. Faeciolati. In proximis conjiciebat Tennemannus: « neque ulla præterea admista natura, tota sunt cal. atq. perl. » Ca.

2. *Qui immenso mundo.* Ex Reg. legendum « qui in immenso mundo ». Excidit *præpositio*, quia sequens vox ab eadem syllaba sumeret initium. Dav. — Reperit Heind. etiam in cod. Red. præpositionem *in*, ibique legitur « in mundo immenso »; recepit eam igitur, sed vulgato verborum ordine usus est. A nostris omnibus abest vocula illa, quam tamen Ciceronis esse credo. Ma. — *Quum sol igneus sit, Oceanique alatur humoribus.* Quibus junge quæ leguntur capite seq. « sideribus ... et marinis terrenisque humoribus alantur ». Vid. Lipsii physiol. Stoic. II, 14, pag. 568 seq. In primis conferendus Sextus Empir. adv. Physic. I, p. 568, ibiq. Fabric. Adde Plin. H. N. II, 6, 9; Sil. Italic. VII, 639. Illius opinionis etiam in Homero Hesiodoque vestigia indagavit nuper vir eruditus Dr. A. E. C. *Cless* in Dissert. hist. philol. sist. Quæstt. Homericc. atque Hesiod. Tubing. 1814, pag. 10 seq. Inde etiam explicandus Musonii philosophi locus ap. Stob. XVII, pag. 160: τοῖς θεοῖς ἀρκεῖ εἰς τροφὴν οἱ ἀπὸ γῆς καὶ ὕδατος ἀναφερόμενοι ἀτμοί, docente Nieuwland. in dissert. de Musonio Rufo, pag. 30. Ceterum confer locos geminos infra cap. 25 et 46. Proxime: « contra ille *corporeus* », i. e. corpore præditus explicat Gœrenz. ad de Finib. III, 14, 45. Ca.

3. *Atque hic noster ignis.* Leg. « Atqui hic noster ignis », licet editi simul ac MSS vulgatam repræsentent. Dav. — Quod conjecit Dav. *atqui*,

Digitized by Google

et consumptor omnium; idemque, quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. Contra ille corporeus, vitalis et salutaris, omnia conservat, alit, auget, sustinet, sensuque afficit. Negat ergo esse dubium, horum ignium sol utri similis sit, quum is quoque efficiat, ut omnia floreant, et in suo quæque genere pubescant. Quare quum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium: solem quoque animantem esse oportet, et quidem reliqua astra, quæ oriantur in ardore cælesti[4], qui æther, vel cælum nominatur.

42 Quum igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aere aliorum, absurdum esse Aristoteli videtur[5], in ea parte, quæ sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem æthereum locum obtinent: qui quoniam tenuissimus est, et semper agitatur, et viget; necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acer-

reperit Heind. in cod. Red. et in textum recepit. Merito. Mn.

4. *Et quidem reliqua astra, quæ oriantur in ardore cælesti.* In his Walk. legi vult *quia* pro *quæ*, ex MS Reg. Sed recte monet Heind. tum requiri *oriuntur*, et pronomen cum subjunctivo conjunctum idem valere, quod illud. Vocem *quia* habet ante *æther* cod. A. a pr. manu. Statim post reposuit Heind. cum Walkero sensu flagitante « Quum enim aliorum ». Mn.

5. *Absurdum esse Aristoteli videtur*, etc. Hic Philosophi locus injuria temporum periit. At in lib. II de Cælo, cap. 12, stellas πράξεως καὶ ζωῆς μετέχειν dicit. Plutarchus de Placit. Philos. lib. V, cap. 20: Ἔστι πραγματεία Ἀριστοτέλους, ἐν ᾗ τέσσαρα γένη ζώων φησὶ, χερσαῖα, ἔνυδρα, πτηνὰ, οὐράνια. Ex hoc, ut videtur, opere desumptum fuit id, quod refert Cicero. Huc etiam convenit, quod habet Stobæus, Ecl. Phys. lib. I, pag. 51. Achilles Tatius Is. ad Phænom. cap. 5: Ἐν γῇ καὶ ἀέρι καὶ ὕδατι ζῶά ἐστι· διὸ ἀκόλουθον καὶ ἐν οὐρανῷ καὶ αἰθέρι εἶναι. Idem autem cap. 13 docet, Stoicos decrevisse, ἁπαιδὴ πάντα τὰ στοιχεῖα ζῶα ἔχειν, ἄτοπον, τὸ κρεῖττον πάντων τῶν στοιχείων ζώων ἄμοιρον εἶπεῖν. Et pari sane modo ratiocinantur οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς apud Sextum Empiricum adv. Math. pag. 234, C. E contrario Schol. Pindari ad Olymp. 10: Ἡ μὲν θάλασσα, inquit, ἔχει τοὺς ἰχθύας, ἡ δὲ γῆ τὰ τετράποδα καὶ τὰ ἑρπετά· ὁ δὲ ἀὴρ τὰ πτηνά· ὁ μέντοι αἰθὴρ πυρώδης ὢν οὐκ ἔχει. Vide tamen Apuleium de deo Socratis, pag. 678. Dav.—Vocem *esse* omittit cod. N. Mn.

Digitized by Google

rimo, et mobilitate celerrima esse. Quare quum in æthere astra gignantur, consentaneum est, in iis sensum inesse et intelligentiam. Ex quo efficitur, in deorum numero astra esse ducenda.

XVI. Etenim licet videre acutiora ingenia, et ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis [1], quam illorum, qui utantur crasso cælo atque concreto. Quin etiam, cibo 43
quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem [2] putant. Probabile est igitur, præstantem intelligentiam in sideribus esse, quæ et ætheream mundi partem incolant, et marinis terrenisque humoribus, longo intervallo extenuatis, alantur. Sensum autem astrorum

XXVI. 1. *Etenim licet videre acutiora ingenia ... eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis.* Similiter Philo apud Eusebium, Præp. Evang. lib. VII, cap. 14, p. 399. Cicero de Fato, cap. 4: «Inter locorum naturas quantum intersit, videamus ... Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici». E contrario plenior aer hebetiora parit ingenia. Vide Nostrum supra, cap. 6; Tertullianum, de Anim. c. 20, et interpretes ad Horatii lib. II, Ep. I, 244. Dav.— Pro *acutiora* codd. E. Fa. M. *cautiora*. Cod. Glog. *cantiora* (sic), ex quo conjici posse ait Heind. *catiora*, quod vocabulum occurrit Tusc. II, 19, nisi ibidem legendum sit *cautus* pro *catus*, quum hoc vocabulum Sabinum Ciceronis ævo obsoleviase videatur ex loco de Legg. I, 16. Ma. — *Acutiora ingenia ... aer ... tenuis.* Locis a Davisio laudatis adde Hippocratem de aquis, aer. et loc. I, 85, p. 204—206, ed. Coray. Cf. etiam Herodot. I, 142, et Vitruvium, de Architect. IV, 1, p. 90, seq. Schneider. et quæ in hanc rem subtiliter disputarunt cf. Sprengel. in Apologia vernac. Hippocratis, II, pag. 578, et Winckelmannus in Histor. Art. vol. I, pag. 54, ed. Dresd. noviss. Proximis: «cibo quo utare» adhibe Heynii disputata in Opusce. acadd. III, p. 100, not. Ca.

2. *Quin etiam, cibo quo utare, interesse aliquid ad mentis aciem putant.* Nota est Pythagoricorum ab animantibus abstinentia, quæ quum ob alias causas, tum ad acuendam mentem et ingenium alendum fuit instituta. Vide Hieroclem in Aur. Carm. p. 222, seqq. et Iamblichum in vit. Pythag. § 89. Clemens Alexandrinus, Strom. lib. VII, pag. 305: Οἶνος γὰρ, φησὶν Ἀνδροκύδης, καὶ σαρκῶν ἐμφορήσεις, σῶμα μὲν ῥωμαλέον ἀπεργάζονται, ψυχὴν δὲ ναχαλαστέραν. Ibi Theopompi et Plutarchi dicta commode notavit Sylburgius. Vide Porphyrium περὶ ἀποχῆς, lib. IV, § 7, seqq. et Hieronymum adv. Jovinianum, lib. II, pag. 366, 367, ed. Victor. Dav. — Pro «quæ et ætheream» Walkerus scribi vult «quia et æth.» sed et h. l. stare potest vulgata. Ma.

Digitized by Google

atque intelligentiam maxime declarat ordo eorum atque constantia. Nihil est enim, quod ratione et numero moveri possit sine consilio : in quo nihil est temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. Ordo autem siderum, et in omni æternitate constantia, neque naturam significat; est enim plena rationis [3] : neque

3. *Neque naturam significat; est enim plena rationis.* D. Lambinus reponit, « est enim expers rationis »; et ob hanc conjecturam ei non ignoscit J. F. Gronovius, Observ. lib. II, cap. 2, ubi monet, verba ultima non ad *naturam*, sed ad *constantiam* fuisse referenda. Recte quidem et vere; nec hic tamen, nec ille satis videntur percepisse, quæ fuerit Stoicorum de *natura* sententia. Hi enim perpetuo, quum στωϊκῶς loquuntur, *naturam* esse statuunt « vim participem rationis atque ordinis ». Vide sis hujusce libri cap. 11, 22, ac Just. Lipsium, Phys. Stoicæ lib. I, Diss. 5, 6. Hoc igitur in loco Lucilius vulgarem sermonem forte sequitur, qui voce *naturæ* naturalem corporum motorum significat impetum; quemadmodum paullo post alt : « quæ natura moverentur, hæc aut pondere deorsum, aut levitate in sublime ferri ». Quin et ambiguum vel apud Philosophos est *naturæ* vocabulum. Adi sis infra cap. 31, et Lactantium, Div. Instit. lib. III, capp. 28, 29, adeo ut res difficultate careat, si Balbum ex aliarum disciplinarum opinione loqui ponamus. Alioqui lubens rescriberem, « neque necessitatem significat, est enim plena rationis ». *Necessitas* et *fortuna* rationi passim opponuntur. Cicero postea, cap. 35 : « Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur, et fiunt omnia, casune ipse sit effectus, aut necessitate, an ratione ac mente divina ». Plutarchus, de Plac. Philos. lib. I, cap. 18. Stoici dicunt, ἃ μὲν εἶναι κατ' ΑΝΑΓΚΗΝ, ἃ δὲ καθ' εἱμαρμένην, ἃ δὲ κατὰ ΠΡΟΑΙΡΕΣΙΝ, ἃ δὲ κατὰ ΤΥΧΗΝ, ἃ δὲ κατὰ τὸ αὐτόματον. Huc etiam pertinent, quæ habet Sextus Empiricus adv. Math. pag. 328. Dav. — Wyttenbachius in Bibl. Crit. III, pag. 20, ad hunc locum ait : « Quum hæc ex Stoicorum sententia dicantur, qui naturam fere *ratione* definiebant, facile intelligitur, vocem *naturam* stare h. l. non posse. Jer. Marklandus Ep. Crit. ad Fr. Hare, p. 25, dudum correxerat *temeritatem* pro *naturam*, quæ correctio non erat negligenda (Ernesto). Neque vero commemoranda erat conjectura Davisii reponentis *necessitatem* ». Marklando assentit et Kindervaterus (qui prius conjecerat « est enim aliena rationis ») monitus a Censore Jenensi (*Allg. Lit. Ztg.* 1794, 167). Heind. vero neque hanc aliam (v. c. Boberii, qui conjecit *materiam*) correctionem necessariam existimat, dicens nihil quidem profici, si dicta hæc sint ex Stoicorum sententia, quia ab his *necessitas* s. εἱμαρμένη dicatur æternus rerum ordo, secundum quem mundus administretur. Neque vero totam Balbi disputationem, pergit, pendere a Stoicis, sed a Platone eum quoque argumentum adhibuisse, cap. 12, ab Aristotele, c. 15. Durius tamen illud esse, quod statim post ad *constantiam* redeat sermo, quum de natura potius additum aliquid exspectetur. Lambinum vero Ciceronis potius, quam librarii ma-

Digitized by Google

fortunam, quæ amica varietati constantiam respuit. Sequitur ergo, ut ipsa sua sponte, suo sensu ac divinitate moveantur.

Nec vero Aristoteles non laudandus in eo, quod 44
omnia, quæ moventur[4], aut natura moveri censuit, aut vi, aut voluntate; moveri autem solem, et lunam, et sidera omnia; quæ autem natura moverentur, hæc aut pondere deorsum, aut levitate in sublime ferri: quorum neutrum astris contingeret, propterea quod eorum mŏtus in orbem circumferretur[5]. Nec vero dici potest vi quadam majore fieri, ut contra naturam astra moveantur. Quæ enim potest major esse? Restat igitur, ut motus astrorum sit voluntarius. Quæ qui videat, non indocte solum, verum etiam impie[6] faciat, si deos esse neget. Nec sane multum interest, utrum id neget, an eos omni procuratione atque actione privet. Mihi enim, qui nihil agit, esse omnino non videtur.

num castigavisse. Hæc quamquam sint acute disputata, nondum tamen plane displicet Marklandi ratio; ceterum in omnium librorum consensu textum explicatum quam mutatum malim. Mr. — *Neque naturam significat.* Etiam Bavio Voordæ Thes. controvers. illud *naturam* h. l. suspectum corruptelæ est. Cr.

4. *Quod omnia, quæ moventur*, etc. Intercidit is, ad quem Cicero respexit, locus; his tamen quædam non dissimilia tradit Aristot. de Cœlo, lib. II, cap. 8, et lib. III, cap. 2. Dav. — *Natura moveri.* Sic ab Aristotele ponebatur φύσις pro naturali necessitate, seu natura bruta, quem usum Aristotelis notavimus Biblioth. crit. l. c. Wytt.

5. *Motus in orbem circumferretur.* Nam quum terra et aqua deorsum ferantur, ignis autem sursum: hi motus proficiscuntur a natura, seu naturali necessitate. Sed tertium genus motus, quod fit in orbem et compositum est ex duobus prioribus, antiqui philosophi tribuerunt animis, per eumque motum effici volebant cogitationem: quod genus motus a recentioribus physicis magis illustratum est. Wytt.

6. *Impie faciat.* Med. noster, *facit.* Sed vulgatam lectionem servant quum reliqui libri, tum Lactantius, qui hunc locum laudat, ac laudatum refellit Div. Instit. lib. II, cap. 5. Dav. — Vulgatam *faciat* tuentur etiam libri Heind. et omnes nostri, exceptis E. Fa. La. et M. Hic etiam *ne sane* pro *nec sane.* Mox, « an eos horum procuratione atque actione privet. Mihi autem, qui, etc. » Mr.

Digitized by Google

Esse igitur deos ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix eum sanæ mentis existimem.

45 XVII. Restat, ut, qualis eorum natura sit, consideremus. In quo nihil est difficilius, quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit et vulgo imperitos, et similes philosophos imperitorum, ut, nisi figuris hominum constitutis, nihil possent de diis immortalibus cogitare[1]. Cujus opinionis levitas confutata a Cotta non desiderat orationem meam. Sed quum talem esse deum certa notione animi præsentiamus, primum, ut sit animans; deinde, ut in omni natura nihil eo sit præstantius : ad hanc notionem præsensionemque nostram, nihil video, quod potius accommodem, quam ut primum hunc ipsum mundum, quo nihil fieri excellentius potest,

46 animantem esse et deum judicem. Hic quam volet Epicurus jocetur, homo non aptissimus ad jocandum, minimeque respiciens patriam[2]; et dicat, se non posse intelligere, qualis sit volubilis et rotundus deus : tamen ex hoc, quod ipse etiam probat, numquam me

XVII. 1. *Ea difficultas induxit ... imperitos ... ut, nisi figuris hominum constitutis, nihil possent de diis immortalibus cogitare.* Vide Dion. Chrysostom. Orat. XXXI, p. 314, p. 573, Reisk. et in primis Maxim. Tyr. Diss. VIII, 2, p. 131, ed. Lips. Vide Protagoram pag. 200, 326, 524, Heindf. Alia omnia alii philosophi de simulacris deorum statuebant, ut Iamblichus περὶ ἀγαλμάτων. Quæ refutare studet Jo. Philoponus ap. Photium cod. CCXXV. Cf. etiam Arnobium, VI, 17. Contra simulacrorum patrocinium susceperant Julianus Imper. pag. 293; Procl. in Platon. Tim. pag. 83. Idem comment. MS in Plat. Cratyl. ita : καὶ χρὴ σέβειν αὐτὰ (τὰ ἀγάλματα) διὰ τὴν πρὸς θεοὺς αὐτῶν συγγένειαν. Ca.

2. *Minimeque respiciens patriam.* Legitur in MS, pro *respiciens*, *resipiens*; et ita omnino legendum est : est enim resipere redolere et præ se ferre. Ursinus. — Nos veram Ursiniani codicis lectionem repræsentavimus. Dav. — Pro *respiciens* Cicero scripsit *resipiens*, quod idem est ac redolens, i. e. in eo ne odor quidem apparet attici salis et festivitatis, etc. facetiæ. Wytt. — Probavit quoque Ern. scriptionem *resipiens*, et recepit eam Heind. quamquam nullus liber, præter Ursinianum, addicat. Ma.

Digitized by Google

movebit. Placet enim illi esse deos, quia necesse sit præstantem esse aliquam naturam, qua nihil sit melius. Mundo autem certe nihil est melius. Nec dubium, quin, quod animans sit, habeatque sensum, et rationem, et mentem, id sit melius, quam id, quod his careat. Ita efficitur, animantem, sensus, mentis, ra- 47
tionis mundum esse compotem. Qua ratione, deum esse mundum, concluditur. Sed hæc paullo post facilius cognoscentur ex iis rebus ipsis, quas mundus efficit.

XVIII. Interea, Vellei, noli, quæso, præ te ferre, vos plane expertes[1] esse doctrinæ. Conum tibi ais, et cylindrum, et pyramidem pulchriorem, quam sphæram videri. Novum etiam oculorum judicium habetis. Sed sint ista pulchriora, dumtaxat adspectu; quod mihi tamen ipsum non videtur: quid enim pulchrius ea figura, quæ sola omnes alias figuras complexa continet, quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum[2]? Quumque duæ formæ præstantes sint, ex solidis, globus (sic enim σφαῖραν interpretari placet); ex planis autem circulus, aut orbis[3], qui κύκλος græce dicitur: his duabus formis

XVIII. 1. *Vos plane expertes.* Vulgo *nos*: sed hanc lectionem reponendam vidit Cl. Walkerus, et ita sane dant Lincoln. Med. Ascens. et Victor. Id res ipsa clare postulat. Dav. — Omnes libri nostri, et editi et scripti (exceptis codd. E. et Fa.) veram lectionem *vos* exhibent. In codd. Heind. est *nos*; qui, quum dederit *vos*, reprehendit tamen Ernestum, qui verba «præ te ferre» notione simulandi intellexerit, quam nusquam habent. Ma.

2. *Nihil asperitatis ... nihil lacunosum. Asperitati* opponitur lævitas: *offensio* autem est aliquid impedimentum quod tactui resistit; *anfractibus*, i. e. quasi rupturis, aperturis; *eminens*, idem est quod exstans, quod item dicitur exsiliens: *lacunosum*, interruptum. Wytt.

3. *Quumque duæ formæ præstantes sint ex solidis, globus ... ex planis autem circulus, aut orbis.* Sic olim statuit Pythagoras: Τῶν σχημάτων τὸ κάλλιστον σφαῖραν εἶναι τῶν στερεῶν, τῶν δὲ ἐπιπέδων κύκλον, ut testatur Diogenes Laertius, lib. VIII, § 35, nec aliter uno ore Mathematici. Vide ais

Digitized by Google

contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimæ, a medioque tantum absit extremum, quan-
48 tum idem a summo[4]; quo nihil fieri potest aptius. Sed si hæc non videtis, quia numquam eruditum illum pulverem attigistis[5]: ne hoc quidem physici intelligere potuistis, hanc æqualitatem motus[6], constantiamque ordinum in alia figura non potuisse servari? Itaque nihil potest esse indoctius, quam quod a vobis affirmari solet. Nec enim hunc ipsum mundum pro certo rotundum esse dicitis: nam posse fieri, ut sit alia figura; innumerabilesque mundos, alios aliarum esse
49 formarum. Quæ, si bis bina quot essent[7], didicisset Epicurus, certe non diceret. Sed dum, palato quid

Cleomedem Κυκλ. Θεωρ. I, pag. 148; Quintilianum, Inst. Orat. lib. I, c. 10, p. 74, et Zachariam Scholasticum de Opif. Mundi, pag. 205 ed. Barthian. Hunc autem locum citat Nonius, c. 5, § 38. Ma.

4. *Quantum idem a summo.* Minima mutatione legendum puto, «quantum medium a summo»; nam hac ratione vitatur orationis ambiguitas, quæ sane permagna est, si retineatur *idem*. Davis. — Ernest. desiderari ait «quantum ab eodem summum», vel cum Davis. legendum esse *medium*, vel saltem «quantum ipsum a summo». Heind. dedit *medium*, ex certa Davisii conjectura. Ma. — *Idem* h. l. refertur ad accidens *medium*, itaque non erat opus, ut Davisius pro *idem* vellet scribere *medium*. Wytt.

5. *Quia numquam eruditum illum pulverem attigistis.* Mathematicis disciplinis operam non dedistis. Apul. Apol. pag. 21.: «Non modo campo et glebis, verum etiam abaco et pulvisculo te dedisses». Claudian. de Cons. Theodori, vs. 126: «Invenit æthereos signantem pulvere cursus». Noster de Archimede Tuscul. lib. V, cap. 23: «Humilem homunculum a pulvere et radio excitabo». Ibi nos plura. Locutionis ratio est, quia geometræ veteres in mensa pulvere conspersa figuras suas seu σχήματα describebant. Vide Aristophanem, Nub. vs. 177. Dav.

6. *Æqualitatem motus.* Puto *æquabilitatem*. Sic infra cap. 35: «Si vidissent motus ejus (mundi) finitos et æquabiles». Vide et supra cap. 5. Dav. — Reperit Heindorf. in cod. Red. et dedit ex eo, quod volebat Dav. *æquabilitatem*. Ma. — De mundi figura disputat Epicurus in fragg. libri XI, περὶ φύσεως (Vol. Herculann. Column. I, pag. 37), ubi Rosinius et hunc Ciceronis locum et Epicuri verba apud Diogenem, lib. X, § 88, commode adhibuit. Cr.

7. *Bis bina quot essent.* Sic jampridem emendavit Manutius, quum legeretur partim, «si bis bina quid essent, etc.» partim, «si bis bina quod essent, etc.» Lamb. — Probam lectionem «bis bina quot essent», exhibent codd. Glog. Red. et nostri A. B. C. E. Fa. M. O. Oxf. o. et ψ. Ma.

Digitized by Google

sit optimum, judicat, cæli palatum[8] (ut ait Ennius) non suspexit.

XIX. Nam, quum duo sint genera siderum; quorum alterum spatiis immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum umquam cursus sui vestigium inflectat; alterum autem continuas conversiones[1] duas iisdem spatiis cursibusque conficiat: ex utraque re et mundi volubilitas, quæ nisi in globosa forma esse non posset, et stellarum rotundi ambitus cognoscuntur: primusque sol, qui astrorum obtinet principatum, ita movetur, ut quum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis ex partibus opacet. Ipsa enim umbra terræ soli officiens, noctem efficit; nocturnorum autem spatiorum eadem est æquabilitas,

8. *Cæli palatum.* Huic loco illustrando pauca quædam monuit Hier. Columna ad Ennii Fragm. pag. 327. Sed rem plane conficiunt ab eo prætermissa verba Varronis apud Augustinum, Civit. Dei lib. VII, cap. 8: «Palatum, inquit, græce οὐρανὸν appellant: et nonnulli poetæ latini cælum vocaverunt palatum». Isidorus etiam Orig. lib. XI, cap. 1: «Palatum nostrum, sicut cælum, sursum est positum... sed Græci similiter palatum οὐρανὸν appellant». Quin et more suo lusit Clemens Alexandrin. quum Pæd. lib. II, cap. 1, ait: Ἡμῖν δὲ τοῦ θηρωμένης τὴν βρῶσιν τὴν ἐπουράνιον, ἄρχειν ἀνάγκη τῆς ὑπὸ τὸν ΟΥΡΑΝΟΝ γαστρός. Οὐρανὸς ibi *palatum* denotat, quod quum non animadverterent interpretes, elegantiam loci nullo modo ceperunt. Hac de re fertur elegans Theocriti Chii facetia. Exstat apud Athen. lib. VIII, cap. 34. Hinc abunde liquet, unde Tullius ansam arripuerit jocandi; simulque constat, eos codices inscientia librariorum temeratos esse, qui *cæli palatium* nobis exhibent. Dav.—Omnes libri nostri (exceptis A. et E. quorum ille tamen veram lectionem in textu, *palatium* vero nonnisi superscriptum habet) exhibent *palatum*. Ma.

XIX. 1. *Continuas conversiones duas.* Eliens. et Lincoln. habent *continua conversione sui.* Sed, quod vidit amplius. Boherius, bene se habet recepta lectio: denotatur enim duplex planetarum motus: unus, quo ab ortu in occasum; alter, quo ab occasu in ortum feruntur. Vide Cleomedem, Κυκλ. Θεωρ. lib. I, pag. 77, et Geminum, Elem. Astron. cap. 10. Dav. — Dedit Heind. ex conjectura, quam primus protulit Gesnerus Chrest. Ciceron. pag. 425, probavitque Kindervaterus: «ipsa enim umbra terræ soli officientis», quia non umbra terræ, sed terra ipsa officiat soli, i. e. lumini ejus se opponat, unde oriatur umbra. Argute quidem; sed fortasse leniori medela legi possit, «ipsa enim umbra terra soli officiens noctem efficit». Eligat lector. Ma.

Digitized by Google

quæ diurnorum; ejusdemque solis tum accessus modici, tum recessus, et frigoris, et caloris modum temperant: circuitus enim solis orbium V et LX et[2] CCC, quarta fere diei parte addita, conversionem conficiunt annuam; inflectens autem sol cursum tum ad septemtriones, tum ad meridiem, æstates et hiemes efficit, et ea duo tempora, quorum alterum hiemi[3] senescenti adjunctum est, alterum æstati. Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium, quæ terra marique gignuntur, initia causæque ducuntur. Jam solis annuos cursus spatiis menstruis luna consequitur: cujus tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Neque solum ejus species ac forma mutatur tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo, sed etiam regio, quæ tum est aquilonaris[4], tum australis. In

2. *Circuitus enim solis orbium V et LX et CCC.* Sic legendum esse et ratio et libri omnes MSS, in quibus vocis *defectibus*, quæ reperitur in vulgatis post *V*, nullum exstat vestigium, pervincunt. Sententia autem hæc est, quinque et sexaginta et trecenti circuitus solis circulorum, sex circiter horis additis, conficiunt annuum spatium. Quum ex auctoritate librorum MSS ita hunc locum hac secunda editione emendassem: admonitus sum a Cl. Puteano J. C. sic pridem esse a Jac. Cujacio emendatum libro de diversis tempor. præscriptionibus, sive conjectura ducto, sive auctoritate librorum veterum freto. LAMB.—Optima videtur lectio quam Cujacius excogitavit et probat Boherius, quamque repræsentant MSS Lambiniani, Pal. tert. Lincoln. et Med. DAV.

3. *Hiemi senescenti.* Provectæ et ad exitum vergenti, cui ver succedit. Corn. Severus Ætnæ vs. 238: «... cur æstas ipsa senescit». Ammianus Marcellinus, lib. XXI, cap. 15: «Autumno jam senescente, profectus». Vide ais Hadr. Junium, Anim. lib. I, c. 19. DAVIS.

4. *Tum est aquilonaris.* Manutio Lambinoque placuit *Aquilonaris*. Codices autem Pall. Lincoln. Mediol. et Buslid. dant *Aquilenta*, quorum fide hanc lectionem recepit Jac. Gronovius. *Aquilenta* gradu non movimus et ἁπάξ εἰρ licet. Magna nihilominus est suspicio, pro *Aquilonia* dormitantes librarios hic *Aquilenta* scripsisse. Plinius, Histor. Nat. lib. II, cap. 97: «Eadem Aquilonia et a terris longius recedente, mitiores, etc.» Columell. pag. 378; Martianus Capella, VIII, pag. 282. Certe tam similis est literarum ductus, ut in iis exprimendis facile labi potuerint. DAV.—Edd. Marsi et Th. et cod. G. *aquilonalis*; edd. Ascens et Bas. rectius *aquilonaris*; dedit Heiud. ex cod. Glog. quod legi

Digitized by Google

lunæ quoque cursu est brumæ quædam, et solstitii similitudo; multaque ab ea manant et fluunt, quibus et animantes alantur augescantque, et pubescant maturitatemque assequantur, quæ oriuntur e terra.

XX. Maxime vero sunt admirabiles motus earum 51
quinque stellarum, quæ falso vocantur errantes. Nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus et regressus, reliquosque motus constantes et ratos. Quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum adeunt, tum recedunt[1], tum antecedunt, tum subsequuntur[2], tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, quum solis, et lunæ, et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem[3] confectis omnium spatiis est facta conversio. Quæ quam 52

volebat Davis. *aquilonia;* bene; sed stare potest etiam Ernesti lectio. Reliqui omnes libri in *aquilenta* conspirant. Ma.

XX. 1. *Tum adeunt, tum recedunt.* Vulg. *abeunt;* sed Ursiniani codicis lectionem recepi, quam res ipsa locique sensus postulant. Dav. — Ed. Asc. *tum obeunt.* Reliqui omnes *abeunt,* excepto cod. O. in quo est *adeunt.* Heind. in tanto codicum consensu Ciceronem scripsisse suspicatur, «tum abeunt a sole, tum accedunt»; verba *a sole* certe supplenda esse dicens. Sed si a codicum auctoritate standum ei videtur, cur contra omnium librorum fidem corrigere mavult, quam cum uno aut altero codice literam *b* mutare in *d*? Ma.

2. *Tum autem subsequuntur.* Deest in vulgatis vox media, quam suppeditarunt Eliens. uterque, Med. Lincoln. Victor. et Ascens. Dav. — Mox: *insistunt* absolute i. e. quiescunt, ut *insistens,* de Divinat. lib. II, cap. 62, ubi vide Hottinger. pag. 309. Supra lib. I, cap. 10: «In qua non video ubinam... vita beata possit insistere». Proxime ad *magnum annum* conf. Somn. Scip. cap. 7, et Macrobium in Somn. Scip. cap. 11. Ca.

3. *Ad eamdem inter se comparationem.* Eliens. unus habet *compositionem,* quæ quidem lectio videtur amplectenda. Græce dixeris, εἰς τὸν αὐτὸν συσχηματισμόν. Vide Sextum Empiricum adversus Mathem. pag. 126, C. Dav. — Jure Heind. explicatoris esse eam lectionem ait, quam probat Dav. *compositionem;* neque unus ex nostris libris ei favet. Retinendam igitur esse vulgatam procul dubio est. Ma.

Digitized by Google

longa sit, magna quæstio est[4]: esse vero certam, et definitam, necesse est.

Nam ea, quæ Saturni stella dicitur, φαίνωνque a Græcis nominatur[5], quæ a terra abest plurimum, xxx fere annis cursum suum conficit: in quo cursu multa mirabiliter efficiens, tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinis temporibus delitescendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil immutat sempiternis sæculorum ætatibus, quin eadem iisdem temporibus efficiat. Infra autem hanc propius a terra Jovis stella fertur, quæ φαέθων dicitur: eaque eumdem XII signorum orbem annis XII conficit, easdemque,
53 quas Saturni stella, efficit in cursu varietates. Huic

4. *Quæ quam longa sit, magna quæstio est.* Malim, «qui quam longus sit... esse vero certum et definitum, necesse est»; ut ad annum magnum referantur. Hunc autem «solis, lunæ, vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, quum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, una referuntur», ut verbis utar Censorini, de die nat. cap. 18, unde patet etiam varias de eo fuisse Veterum sententias; ac idem ex aliis auctoribus abunde manifestum, quorum locos indicabunt Henr. Lindenbrogii notæ. Licet autem Noster hoc in loco caute loquatur; tamen definito prorsus et diserte scripserat in Hortensio: «Is est magnus et verus annus, quo eadem positio cæli siderumque, quæ quum maxime est, rursum exsistet; isque annus horum, quos vocamus, annorum XII M. DCCCLIV complectitur». Exstat apud auctorem de Causis corrupt. eloquent. cap. 16. Ad idem fragmentum respicit Servius ad Virgilii Æneid. I, vs. 273, III, vs. 284, quibus ex locis, addito numero centenario, legendum XII M. DCCCCLIV. Dav. — De planetis conf. Somn. Scip. cap. 4, et quæ de eorumdem locis, intervallis, vi et efficacitate copiosius disputat Plotinus, pag. 139 seq. Cui junge Psellum de omnifar. Doctrin. § 100, pag. 140 Fabric. ubi septem planetæ numerantur, nimirum adjuncto sole et luna. Ca.

5. *Quæ Saturni stella dicitur, φαίνωνque a Græcis nominatur.* Scriptor libri de Computo, § 142, quem Cl. Muratorius edidit Anecd. tom. III, pag. 193: «Planetarum nomina græca sunt Phaeton, Phaetonta, Phyrious asperum, Stelbom (lege Phaethon, Phænon, Pyrois, Phosphorus, Stilbon.) Has Romani nominibus deorum suorum, id est, Jovis, Saturni, Martis, Veneris atque Mercurii sacraverunt». Vide sis, inter alios, Firmicum, Mathes. lib. II, cap. 2; Hyginum, Poet. Astr. lib. II, cap. 42, ac lib. IV, cap. 15 seqq. Chalcidium in Platonis Timæum, pag. 804; Cleomedem, Κυκλ. Θεωρ. lib. I, pag. 79; Marcianum Capellam, lib. VIII, pag. 287; denique Achillem Tatium, Isag. ad Arati Phæn. cap. 17. Dav. — Cf. Jo. Malelam in Chronographia, p. 27 ed. Oxf. Ca.

Digitized by Google

autem proxime inferiorem[6] orbem tenet πυρόεις, quæ stella Martis appellatur : eaque III et XX mensibus, VI, ut opinor, diebus minus, eumdem lustrat orbem, quem duæ superiores. Infra hanc autem stella Mercurii est : ea στίλβων appellatur a Græcis; quæ anno fere vertente signiferum lustrat orbem, neque a sole longius umquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens, tum subsequens. Infima est quinque errantium, terræque proxima, stella Veneris, quæ φωσφόρος græce, Lucifer latine dicitur, quum antegreditur solem; quum subsequitur autem, Hesperos[7]. Ea cursum anno conficit, et latitudinem lustrans signiferi orbis, et longitudinem; quod idem faciunt stellæ superiores : neque umquam ab sole duorum signorum intervallo longius discedit, tum antecedens, tum subsequens.

6. *Proxime inferiorem.* Recte emendavit Walkerus pro *proximum inferiorem*. Heind. restituit hanc lectionem, quam Ern. Walkerum sequutus ejecerat, sed eam satis stabilivit Wopkensius in Lectt. Tull. II, 6. *Proximum* tuetur Gœrens. ad de Legg. I, 9, 26.

7. *Stella Veneris, quæ φωσφόρος... quum antegreditur solem; quum subsequitur autem, Hesperos.* Luciferum et Vesperum eamdem esse stellam primus vidit Pythagoras, vel, ut alii volunt, Parmenides. Adi Plinium, Hist. Natur. lib. II, cap. 8, et Diogenem Laertium, lib. VIII, § 14, ac lib. IX, § 23. Eos tamen interdum diversos faciunt auctores. Corn. Severus in Ætna, vers. 241 : « Lucifer unde micet, quave Hesperus, unde Bootes ». Eumenius, Paneg. IV, c. 4, 2 : « Duobus cæli luminibus adjuncti Vesper et Lucifer ». Cyrillus, Hieros. Cat. VI, § 2 : Ὅταν τὸ καθ' ἕκαστον διηγήσασθαι βουληθῇ τις, τί μέν ἐστι ΦΩΣΦΟΡΟΣ, τί δὲ ΕΣΠΕΡΟΣ... πολλῶν ἐπιδεῖται τῶν ῥημάτων. Ad hunc autem modum sunt loquuti, vel ex vulgi sententia, vel ex ignorantia doctrinæ sideralis. Dav. — *Stella Veneris* φωσφόρος. Vide Davisium. Adde Platonem Epinom. pag. 987, pag. 513 Astii et quos plures laudavi ad Plotinum, de Pulchrit. pag. 209, 552 seq. in primis Aristot. Ethic. Nicom. lib. V, cap. 1, unde profecit Beda Venerabilis tom. II, p. 245, « nec Lucifer, nec Vesperus », pro « Hesperos s. Vesper ». Jo. Lydus d. m. VIII, 24 : Τὴν δὲ ἕκτην (ἡμέραν) ἀναφέρουσι Φωσφόρῳ... οὗτος δὲ ἂν εἴη ὁ Ἀφροδίτης, ὁ καὶ Ἕσπερος, ὡς Ἕλλησι δοκεῖ. Quem ipsum nemo nescit ab Homero τὸν κάλλιστον dici. Jo. autem Malelas l. l. antiquitus τὸν κάλλιστον vocatum prodit Manethonem laudans, eaque nomina a Sotade exposita esse addit. Malelam ipsum adeas, et de re optime monitum te faciet. Ca.

Digitized by Google

54 XXI. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio. Quæ quum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere.

Nec vero stellæ eæ, quæ inerrantes vocantur, non significant eamdem mentem atque prudentiam; quarum est quotidiana, conveniens, constansque conversio: nec habent æthereos cursus, neque cælo inhærentes, ut plerique dicunt physicæ rationis ignari. Non est enim ætheris ea natura, ut vi sua stellas complexa contorqueat: nam tenuis ac perlucens, et æquabili calore suffusus æther, non satis aptus ad stellas con-
55 tinendas videtur. Habent igitur suam sphæram stellæ inerrantes, ab ætherea conjunctione secretam et liberam. Earum autem perennes cursus atque perpetui, cum admirabili incredibilique constantia, declarant in his vim et mentem esse divinam: ut, hæc ipsa qui non sentiat deorum vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur.

56 Nulla igitur in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest [1]; contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia. Quæque his vacant, ementita et falsa, plenaque erroris, eunt circum terras, infra lunam, quæ omnium ultima est, in terrisque versan-

XXI. 1. *Nec erratio, nec varietas inest.* Vulg. *vanitas;* sed nos egregiam viri præstantissimi Joan. Clerici conjecturam recepimus, quam diserte firmat MS Eliensis. Ratio est, quod *constantiæ*, non *vanitas*, at *varietas* opponatur. Supra cap. 16: «Fortuna, amica varietati, constantiam respuit». Item, de Div. lib. II, cap. 53: «Ipsa varietas, quæ est propria fortunæ, fortunam esse causam, non naturam esse docet». Dav. — Restituit Heind. et bene defendit lectionem *vanitas*, quam Kindervat. quoque ferri posse putabat; neque enim *vanitati* in seqq. opponitur *constantia*, sed *fortunæ* ea opponitur, «temeritati ratio, erationi ordo, vanitati veritas». Ex nostris habent *varietas* codd. D. I. et M. Vulgat. interea retinemus. Ma.

Digitized by Google

tur[2]. Cælestium ergo admirabilem ordinem, incredibilemque constantiam, ex qua conservatio et salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est.

XXII. Haud ergo, ut opinor, erravero, si a prin- 57
cipe investigandæ veritatis hujus disputationis principium duxero. Zeno igitur ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum[1] ad gignendum progre-

2. *Infra lunam, quæ omnium ultima est, in terrisque versantur.* Vulg. *versatur;* sed hardus est, qui dixerit «lunam in terris versari». Ea de causa nos scripturam codicis Eliens. et Bonon. 1494 repræsentavimus; adeo ut postrema vox de iis sit intelligenda, quæ multo infra lunam, non procul a terræ superficie, semet ostendunt. Hoc etiam absque MSS ope sagaciter odoratus est vir eximius Joan. Clericus. Hujusmodi sunt *faces, trabes*, aliique ignes aerii, de quibus adi is Plinium, Hist. Nat. lib. II, cap. 26 seqq. Græcis proprie μετάρσια dicuntur, ut observavit Achilles Tatius, Isag. ad Phæn. cap. 32. Dav. — Davis. *bardum* sit «qui dixerit lunam in terris versari». Legi vult *versantur*, et intelligi de ignibus aeriis. Quæso: ignes aerii an versantur in terris. «Multo infra lunam, inquit, non procul a terræ superficie semet ostendunt». Non magis ergo in terris versantur quam luna, etsi absunt a terra propius. Si aeria illa phænomena ob terræ vicinitatem dici possunt in terris versari, cur id in luna non licebit, quæ, ut ait Cicero (Somn. Scip. cap. 3), est ultima cælo, citima terris.—Probum illud *versantur* exhibent nostri A. D. E. Fa. G. H. (ex corr.) La. M. Oxf. e. o. u. edd. Th. et Bas. Ma.

XXII. 1. *Ignem esse artificiosum.* Græce, Πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν. Vide Diogenem Laertium, lib. VII, § 156. Hanc Stoicam φύσεως definitionem, præter Plutarchum, Eusebium et Stobæum, refert Athenagoras, Leg. pro Christ. cap. 6, pag. 28. Vide Marium Victorin. in lib. I Rhet. Cicer. pag. 143. Dav. — *Zeno... ita naturam definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum... progred. via... viam quamdam et sectam, quam sequatur... natura artifex.* Constructioni primorum verborum adhibe Academ. lib. II, cap. 23, pag. 134 seq. ibique Gœrenz. Argumento: Cicer. Acad. lib. I, cap. 11, § 39, ibique interprr. Mox *progr. via*, i. e. certa ratione, est græcum ὁδῷ βαδίζειν. Vide Gœrens. ad de Finib. lib. II, cap. 14, pag. 189. Conf. Fabricium ad Sextum Empiricum, lib. I, cap. 3, pag. 188, qui in medium profert hanc artis definitionem a Zenone traditam: ἕξις ὁδοποιητικὴ sive δι' ὁδοῦ καὶ μεθόδου ποιοῦσα. Similia ex Cleanthis libris memorat Quintilianus, I. O. lib. II, 18, ubi vide Spalding. p. 392. Stoicorum autem placitum de natura artifice et de λόγῳ σπερματικῷ componendum est cum simillimo decreto Heraclitii, qui λόγον διοικοῦντα ponebat. Vide Clement. Alexandr. tom. II, pag. 712 Potter. et quæ plura collegit Gataker. ad Marc. Antonin. p. 141. Cf. etiam Spalding. ad Quintilianum, Inst. Or. lib. II, cap. 17, 41, p. 392. Plotinus,

Digitized by Google

dientem via. Censet enim artis maxime proprium esse, creare et gignere; quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quam-
58 dam et sectam[2], quam sequatur. Ipsius vero mundi, qui omnia complexu suo coercet et continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex ab eodem Zenone dicitur, consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium. Atque ut ceteræ naturæ suis seminibus quæque gignuntur, augescunt, continentur: sic natura mundi omnes motus habet voluntarios, conatusque, et appetitiones, quas ὁρμὰς Græci vocant, et his consentaneas actiones sic adhibet, ut nosmet ipsi, qui animis movemur et sensibus. Talis igitur mens mundi quum sit, ob eamque causam vel prudentia, vel providentia[3] appellari recte possit (græce enim πρόνοια dicitur), hæc potissimum providet, et in his maxime est occupata, primum ut mundus quam

p. 344 : Τοὺς λόγους εἶναι τοὺς ποιοῦντας, καὶ τὴν φύσιν εἶναι λόγον. Conf. ibidem Ficin. pag. 339, et quæ ipse posui supra ad lib. I, cap. 14. Ca.

2. *Viam quamdam et sectam.* Non erat cur amplissimus Boherius suspicaretur, *semitam* a Cicerone scriptum fuisse. Cicero in Verrem, lib. V, cap. 70 : « Hæc eadem est nostræ rationis regio et via : horum nos hominum sectam atque instituta persequimur ». Et pro Cœlio, cap. 17 : « Hanc sectam rationemque vitæ re magis quam verbis sequuti sumus ». Quintilian. III, cap. 8 : « Ne videamur exprobrare diversam vitæ sectam, cavendum est ». Davis.

3. *Vel prudentia, vel providentia.* Tres primas voces, quas suasu Pall. suorum reduxit Gruterus, omittunt Reg. et Bonon. 1494. Eas tamen retinendas censeo ; tam enim *prudentia*, quam *providentia* πρόνοιαν satis exprimit ; quippe *prudens* dictus, tamquam *providens*. Noster Acad. Quæst. lib. I, cap. 7 : « Quam vim... deum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quamdam procurantem cælestia maxime ». Ibi tamen impressi nonnulli *providentiam* repræsentant. Davis. — Heind. cum Davisio retinenda censet verba, « vel prudentia vel », utpote Ciceroni convenientia, eaque tuentur omnes nostri libri, exceptis codd. G. O. Oxf. u. et edd. Th. et Bas. Ma.

Digitized by Google

aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulchritudo sit, atque omnis ornatus.

XXIII. Dictum est de universo mundo; dictum est 59
etiam de sideribus : ut jam propemodum appareat multitudo nec cessantium deorum, nec ea, quæ agant, molientium cum labore operoso ac molesto. Non enim venis, et nervis, et ossibus continentur, nec iis escis aut potionibus vescuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant, nec iis corporibus sunt, ut aut casus, aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum. Quæ verens Epicurus monogrammos deos [1] et nihil agentes commentus est. Illi autem pulcherrima forma præditi, 60
purissimaque in regione cæli collocati, ita feruntur, moderanturque cursus, ut ad omnia conservanda et tuenda consensisse videantur.

Multæ autem aliæ naturæ deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa, et a Græciæ sapientissimis, et a majoribus nostris constitutæ, nominatæque sunt. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant : ut quum

XXIII. 1. *Monogrammos deos.* Sic eos describit Lucretius, lib. V: « Tenuis enim natura deum, longeque remota Sensibus ab nostris, animi vix mente videtur ». Eadem ratione λόγῳ θεωρητοὺς appellabat, id est, qui ratione tantum cernuntur. Sed hac de re plura in commentariis Lucretianis. *Monogrammum* autem appellant pictores id, quod solis lineis informatum ac descriptum est, nullisdum coloribus adhibitis. Hinc *homines monogrammi* per translationem, ut docet Nonius, homines macie prætenues, et quasi decolores. Lamb. — Hunc locum fusius explicatum vide apud Cœlium Rhodig. Lectt. Antt. V, 19. Ma. — *Monogrammos deos.* Conf. locum geminum, I, 35, et consule Ernesti Archæolog. liter. II, 7, 4, et Martinii Excursum ad eum librum, pag. 311; adde Bœttigeri libr. vernac. Archæologiam pictoriæ I, p. 143, qui vertit: *nur mit Linien skizzirte Götter.* Cr.

Digitized by Google

fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum; ex quo illud Terentii[2],

Sine Cerere et Libero friget Venus.

61 Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur deus[3], ut Fides, ut Mens; quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Æmilio Scauro[4]; ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata[5]. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum; quod

2. *Illud Terentii, Sine Cerere et Libero friget Venus.* Exstat Eunucho, act. IV, sc. 5, 6. Athenæus, lib. VI, cap. 20, pag. 270: Πανῶσι γὰρ ἡ Κύπρις πικρά, Ἀχαιός φησιν ἐν Αἴθωνι Σατυρικῷ. Παρ' οὗ ὁ σοφὸς Εὐριπίδης λαβὼν ἔφη, Ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πανῶντι δ' οὔ. Vide Clement. Alexandrinum, Protr. pag. 7, et Lucretium, lib. II, pag. 228. Hujusmodi sane locutiones apud poetas sunt proletariæ, nec carent apud philosophos. Vide Theodoretum de Provid. Serm. lib. I, pag. 10. Vide et Therap. III, p. 45, ac Sextum Empiricum adv. Mathem. pag. 311. Davis.

3. *Ut ea ipsa res nominetur deus.* Vulg. «ut ea ipsa vis nominetur deus»; plane contra mentem Ciceronis, qui de *re* ipsa, non de vi ejus, hic agit. Idcirco vocem controversam prætermittunt Eliens. Buslid. aliique nonnulli MSS, cum quibus facit Jac. Gronovius. At quum Noster perspicuitatis ubique sit studiosissimus, recepi lectionem, quam suppeditavit Bonon. 1494. Aliter enim ἀμφιβολία quædam remaneret, quæ lectorem non satis attentum posset decipere. Dav. — Expunxit vocem controversam Heindorf. cujus codd. cum nostris A. C. E. Fa. G. H. I. M. N. et O. Edd. Th. et Bas. exhibent *vis* post *ipsa*, pro qua Dav. receperat *res*. Neutram cum codd. Eliens. et Buslid. habent nostri B. et D. Mr.

4. *M. Æmilio Scauro.* Hic princeps senatus cognominatus, consul fuit paullo ante Ciceronem natum an. 638. Idem Menti templum dicavit, ut refert Plutarchus de Fort. Rom. p. 318, ubi vide nostras annotationes. Wytt.

5. *Ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata.* D. Lambinus rescribendum censuit, «erat Spes consecrata». Hujus conjecturæ fundus videtur esse lib. II de Legg. cap. 11, ubi ait Noster: «Recte etiam a Calatino Spes consecrata est». Sed nihil impedit, quo minus templa diversis numinibus idem vir consecrarit. Monebo dumtaxat, etiam *Menti* centum plus minus annos, antequam Scaurus id præstaret, ædem fuisse dedicatam. Vide Livium, XXII, 10; XXIII, 31, et Ovidium, Fast. lib. VI, vers. 241. Quin et *Fidem* primus consecravit Numa. Adi sis Livium, I, 21; Clementem Alexandrinum, Strom. lib. V, p. 234; Cyrillum in Julian. lib. VI, p. 194, A, et Plutarchum in Numa, p. 70. Dav. —Quod jam conjecerat Lambinus, recepit Heindorf. *Spes* pro *Fides*, recte dicens, si Cicero ex historia hoc loco aliquid, licet alienum, inferre voluisset, dicendum fuisse: «quum jam ante ab Attil. Cal. Fides esset consecrata»; ceterum h. l. desiderari *spei* mentio-

Digitized by Google

multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum [6]. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis

nem, et Numam primum, neque vero Attilium *Fidei* templum consecravisse. Ma. — *Ut Fides... dedicatas... erat Fides consecrata.* Etiam Gœrenz. ad locum geminum de Legg. lib. II, c. 11, pag. 144, legi jubet: «erat *Spes* consecrata». Ceterum, præter ea, quæ Davisius ad hunc locum de his rebus apposuit, conf. Augustinum de Civit. Dei, III, 25, IV, 21; Lactant. I, 20; Arnob. IV, 1, ibique Elmenhorst. et Noorr. tom. II, pag. 184 ed. Orell. — *Consecrata.* Conf. Dav. ad Cicer. de Legg. l. l. De voce solemni *consecrare* ejusque varia potestate docte agit Schwartz. ad Plin. Paneg. LXIII, 3, pag. 307. Adde Frontonem de differentiis vocabulorum, p. 470 ed. Maii. Universe autem tenendus hic Tulli locus est ad discrimen, quod inter *consecrationem* ac *dedicationem* intercedere docuerunt Grævius et Hottomannus. Quibus quum obloquutus esset Ernestus in Cl. Cic. in *consecratio*: illorum causam rursus defendit F. A. Wolfius ad Cicer. pro Domo, cap. 46, pag. 270. De *Fide* in Romanorum religionibus adhibe nummos, quorum recensum præstat Raschius in Lexic. rei Nummar. II, 1, pag. 107. — *Virtutis.* Hinc explicandum *Collegium Virtutis* apud Gruterum in Thes. Inscript. 106. Conf. etiam Van Dale de antiquitatt. et marmorib. lib. IX, pag. 738. — *Honoris.* Vide de Legg. II, 23, 58. Tu conf. Ovidium, Fast. V, 23; Augustinum de Civ. Dei, IV, 21, et Beckii comment. in Actis sacr. æcul. Acad. Lips. 1800. Adde Thorlacii Prolus. de æde Honoris atque Virtutis ap. Romanos opuscull. p. 177 seqq. Universe autem consule Jablonskii Spicileg. animadd. de cultu virtutum sacro ap. gentes profanas; quo de *fide* in primis disseritur. Traject. ad Viadr. 1752 — *Concordiæ.* Conf. Raschii Lex. rei numm. lib. II, c. 1, p. 743 seq. Ca.

6. *Quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum.* Merito mireris, hoc «multis ante annis» tribui, siquidem ab initio belli Ligustici ad annum, quo cæsus est M. Marcellus, vigiuti tantum fluxerant anni. Id quum Cl. Boherium non fugeret, amplissimus ille vir Ciceronem reliquisse putat, «quod haud multis... ante annis, etc.» Malim tamen, «quod nonnullis ante annis». De hoc Marcelli facto vide Valerium Maximum, lib. I, cap. 1, 8, et Lactantium, Div. Inst. lib. I, cap. 29. Dav. — Defendit Ern. vulgatam, dicens verbum *multi* esse σχετικὸν, dicique etiam de annis, qui alio respectu pauci dicantur, ut contra *nuper* de longo tempore; de sæculis infra incunte cap. 50. Heindorfius retinet vulgatam, sed ait, vix multos annos dicturum fuisse Ciceronem, si hæc scribenti ei satis de temporum illorum ratione constitisset; recte enim multos dici annos, si vigiuti anni uni duobusve opponerentur. Ma. — Wesseling. in Observ. II, 5, p. 159 seq. qui quum Ernesto vulgatam tueretur, illud «multis ante annis» accipiebat, ut Plautinum: *complusculos annos*, laudabatque Ciceronem ad Famil. VII, 1, et Livium, XXVII, 34. Idem vir doctus manifestum hac in re Ciceronis Liviique dissensum monstrat, quum soli Honori ædem Q. Fabius consecraverit. Cf. etiam Vitruvii præfat. VII, 16, ibique

Digitized by Google

erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. Quo ex genere Cupidinis, et Voluptatis, et Lubentinæ Veneris[7] vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum, neque naturalium: quamquam Velleius aliter existimat; sed tamen ea ipsa
62 vitia naturam vehementius sæpe pulsant. Utilitatum igitur magnitudine constituti sunt ii dii, qui utilitates quasque gignebant. Atque his quidem nominibus, quæ paullo ante dicta sunt a me, quæ vis sit, in quoque declaratur deo.

XXIV. Suscepit autem vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent[1]. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber etiam: hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri majores auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt; quod quale sit, ex mysteriis intelligi potest. Sed quod ex nobis natos li-

Schneid. p. 16. Cr. — *Q. Maximo.* Id est, Q. Fabio Maximo, qui postea Cunctator cognominatus est: primo consulatus sui anno de Liguribus triumphavit. Vide Plutarchum in ejus vita, item Freinshemium in Supplem. Livian. XX, 18. Wytt.

7. *Voluptatis, et Lubentinæ Veneris.* Voluptas sub *Volupiæ* nomine consecrabatur. Hinc *Volupiæ fanum* memorat Varro de Lingua Latina, lib. IV, pag. 39, et *Volupiæ aram* Macrobius, Saturn. lib. I, cap. 10. Augustinus, Civit. Dei lib. IV, cap. 8: «Neque enim ... audent aliquas partes ... tribuere, aut Volupiæ, quæ a voluptate appellata est, aut Libentinæ, cui nomen a libidine». Hanc etiam etymologiam præstat Varro de Ling. Latin. lib. V, pag. 53. Dav. — *Lubentinæ.* Vide, præter ea quæ Davis. congessit, Arnobium adv. g. IV, 9, ibique interprr. tom. II, pag. 197 edit. nov. Lips. et ad sequentia, *vitia ... pulsant* Heraldum ad Arnob. IV, 1, p. 186 ed. Lips. Cr.

XXIV. 1. *Ut... excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent.* Cic. Catil. III, 1: «Romulum ad deos immortales *benivolentia famaque* sustulimus». Plutarch. Romul. tom. I, p. 63, B: Ῥωμύλον μὲν οὖτοι θεῶν παῖδα ὑμνοῦσι φήμαις. Est rumor de re humana divinitus exsistens, docente Wyttenbachio ad Juliani Orat. lib. I, pag. 58 (pag. 157 sq. ed. Schæferi), qui ad sequentia de Romulo plura contulit. Ceterum hunc Tullii locum ante oculos habuit Arnobius, quum ea scriberet, quæ leguntur lib. III, cap. 39 init. Conf. etiam Servii locum ad Æn. VIII, vs. 187. Cr.

Digitized by Google

beros appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera; quod in Libera servant, in Libero non item [2]. Hinc etiam Romulus, quem quidem eumdem esse Quirinum putant : quorum quum remanerent animi, atque æternitate fruerentur[3], dii rite sunt habiti; quum et optimi essent, et æterni.

Alia quoque ex ratione, et quidem physica, magna 63
fluxit multitudo deorum : qui induti specie humana fabulas poëtis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni referserunt. Atque hic locus a Zenone tractatus, post a Cleanthe et Chrysippo pluribus

2. *Quod in Libera servant, in Libero non item.* Sic Victorii, sic Gruteri, sic etiam nostri codices. At uterque Manutius edidit, « quod in Libero servat, in Libera non item ». Hunc ordiem sequitur, et absurde prorsus de sole lunaque capit Pet. Lescaloperius. Mihi recepta lectio multo videtur melior, quod *Libera* passim de Proserpina dicatur; at *Liberum* de solo Semeles filio usurpat sermo vulgaris, nisi quum mentio fiat ædis sacrive cujusdam Cereri, Libero, Liberæque dicati. Sic apud Livium, lib. III, cap. 55 : « Familia ad ædem Cereris, Libri, Liberæque venum iret ». Idem lib. XXXIII, cap. 25 : « Ex argento tactatilio tria signa ænea Cereri, Liberoque, et Liberæ posuerunt ». Item lib. XLI, cap. 33 : « Supplicatio ad Cereris, Liberi, Liberæque fuit ». Tacitus, Ann. lib. II, cap. 49 : « Ædem dicavit Libero Liberæque et Cereri juxta Circum maximum ». In hisce locis Liber Cerere natus intelligitur. Dirs. — Scripsit Heind. « quod in libro servatur, in libera non item » (libris minusculis); explicatque, servar in *libero*, i. e. filio (illud enim usu pro hoc usurpatum est), neque vero in *libera*, quia filia numquam libera dicta est. Præstant illam scriptionem codd. Glog. et Red. Mr. — *Liberum Semele natum, non eum*, etc. Vid. *Villoison* ad Sanctocrucii librum gallicum de mysteriis, pag. 242, et quæ ipse disputavi in Mytholog. tom. III, pag. 387 seqq. « Quod in Libera servant, in Libero non item ». De formula in exitu sententiæ *non item* vide Gœrenz. ad de Legg. I, cap. 17, p. 73, qui plures locos Tullii congessit. In lectione constituenda Davisio plurimi recentiorum suffragantur, et nuper V. C. *Millin* in *Peintures des vases antiques*, pag. 74 seq. nec ipse meum qualecumque judicium sejungendum ab hac auctoritate censui. Vide Mythol. III, pag. 394. Nunc tamen me advertit Heindorfiana lectio, et ampliandum existimo. Jo. Laurent. Lydus de Mensib. pag. 81, universe pronuntiat ita : Αἴδης παρὰ Ῥωμαίοις ὁ Διόνυσος. Ca.

3. *Æternitate fruerentur.* Stoici animos non omnino immortales credebant, sed longissime mansuros. « Stoici, inquit Noster, Tusc. lib. I, cap 21, usuram nobis largiuntur, tamquam cornicibus; diu mansuros aiunt animos, semper negant ». Conf. Vossium de Idololatria, lib. I, cap. 10.

Digitized by Google

verbis explicatus est. Nam vetus hæc opinio Græciam opplevit, exsectum Cælum a filio Saturno, vinctum
64 autem Saturnum ipsum a filio Jove. Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabulas. Cælestem enim, altissimam, æthereamque naturam, id est, igneam, quæ per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ conjunctione alterius egeret ad procreandum.

XXV. Saturnum autem, eum esse voluérunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus græce id ipsum nomen habet. Κρόνος enim dicitur; qui est idem χρόνος[1], id est, spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis[2]. Ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit ætas temporum spatia, annisque præteritis insaturabiliter expletur. Vinctus[3] est autem

XXV. 1. Κρόνος *enim dicitur; qui est idem* χρόνος. Hæc sic interpolavit Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 12 : «Κρόνος enim dicitur, quod est idem quod χρόνος». Arnobius, III, p. 117 : «Si tempus significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod Chronos est, habeatur Cronos, nullum est Saturnium numen». Vide sis, inter alios, Dionysium Halicarnassenum, lib. I, cap. 38; Augustinum de Civit. Dei lib. VI, cap. 8, lib. VII, cap. 19, ac de Cons. Evang. lib. I, cap. 23; Themistium, Orat. XXXII, p. 363; Paullinum in Anecd. Muratorii, tom. I, pag. 127, et Fulgentium Mythol. lib. II, cap. 4. Dav. — Ad rem conf. Opuscull. mytholog. nostr. pag. 45. Ca.

2. *Saturnus... quod saturetur annis.* Alii nomen ducunt a *satu*. Adi Varronem de Ling. Latin. IV, p. 18; Isidorum, Orig. VIII, 11, et Macrobium, Saturn. I, 10. At idem supra cap. 8, παρὰ τὴν σάθην dici contendit. «Apollophanes vero in epico carmine scribit Saturnum quasi sacrum Νοῦν. Νοῦς enim græce sensus dicitur; aut Satorem Νοῦν, quasi divinum sensum creantem omnia». Verba sunt Fulgentii, Mythol. lib. I, cap. 2. Adeo parum inter se convenit nugivendulis. Omino videndus est Augustinus de Cons. Evang. I, 23. Dav. — Vide Jo. Lydum de Mensib. pag. 26. Alias etymologias sectati sunt alii. Vide Plateis Cratyl. pag. 46, ibique Heind. adde pag. 66. Ad priorem Cratyli locum multa disputat in Comment. Procli; in his monet etiam de triplici nomine etymologia, ubi memorat : Τὸν ὑπὸ τῶν πολλῶν κακιζόμενον κόρον καὶ πλεονεξίαν. Ca.

3. *Vinctus est autem a Jove.* Saturnum alligatum haud uno modo explicant Veteres. Vide Apollodori Fragg. pag. 403 Heyn. Macrob. Sat. I, 4, et quæ plura posuimus in Mythologia,

Digitized by Google

a Jove, ne immoderatos cursus haberet, atque ut eum siderum vinclis alligaret.

Sed ipse Jupiter, id est, juvans pater, quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem[4], a poetis pater divumque hominumque dicitur; a majoribus autem nostris optimus maximus[5]; et quidem ante optimus, id est, beneficentissimus, quam maximus, quia majus est, certeque gratius, prodesse omnibus, quam opes magnas habere. Hunc igitur Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens, 65

Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Planiusque alio loco idem[6],

Cui, quod in me est[7], exsecrabor hoc, quod lucet, quidquid est.

p. 241 seqq. Adde Plotinum, p. 554. Pluribus verbis haec eadem explicat Proclus in Cratylum Platon. quae apponere longum est. Ca.

4. *Quem conversis casibus appellamus a juvando Jovem.* Forsan, *quem plerumque conversis*, etc. nam non modo *Jovem*, sed et *Jupiterem* nonnunquam dicebant. Tertullian. Apol. cap. 14 : « Varro trecentos Joves sive Jupiteres ... inducebat ». Vide sis Agellium, V, 12; Lactantium, Div. Instit. I, 11, 40. Jovem enim Junonemque a *juvando* esse dictos Cicero interpretatur. Et Jupiter, quasi juvans pater, etc. Dav. — Placet Heindorfio Davisii conjectura. Ma. — *Jupiter ... juvans pater.* Veram agnoscit hanc etymologiam Gœrenz. ad de Fin. II, 4, 14, pag. 133. Quam equidem non praestiterim. Monumenta Etrusca exhibent has formas : *Jovei* et *Jupetal*; de quibus vide *Lanzi* in *Saggio di ling. Etrusc.* p. 528, 786. Ca.

5. *A majoribus autem nostris optimus maximus*, etc. Hoc observavit Lactantius, Div. Instit. I, 10, et Epit. cap. 10. Vide Nostrum pro Domo sua ad Pontifices, cap. 57, et Plinium in Paneg. cap. 88, 8. Similis ἔννοια plus una vice reperitur apud Themistium. Vide sis Orat. I, pag. 8; XI, p. 146, 147, et XIX, pag. 229. Davis. — *Pater divumque hominumque ... optimus max ... ante optimus.* Cf. supra II, 2; Diodor. Sic. I, 12. Et de formulis, quas h. l. attigit Cic. vide Marini, *gli Atti de' fratelli Arvali*, p. 160, 230. De Jovis vi ac dignitate plura disputat Proclus in Plat. Cratyl. Ca.

6. *Planiusque alio loco idem.* Absurde prorsus : Ennius enim superiore versu quam sequente rem dilucidius expressit. Leg. « planius quam alio loco idem », uti quidam dant Eliens. et Victor. Dav. — Dedit Heind. Davisii sententiam sequutus, *planius quam*, quod totidem literis exhibent nostri B. C. D. E. Fa. I. et M. Ma.

7. *Cui, quod in me est, exsecrabor hoc, quod lucet, q. est.* Sententia haec est : cui omne quod in me est et lucet, i. e. vitam exsecrabor i. e. consecrabo. Dixit more Graecorum, qui

Digitized by Google

Hunc etiam augures nostri, quum dicunt, « Jove fulgente, tonante [8] » : dicunt enim, « cælo fulgente, tonante ». Euripides autem, ut multa præclare, sic hoc breviter [9],

Vides sublime fusum, immoderatum æthera [10],
Qui tenero terram circumjectu amplectitur [11] :
Hunc summum habeto divum ; hunc perhibeto Jovem.

66 XXVI. Aer autem [1], ut stoici disputant, interjectus

verbum ἀξιεροῦν nonnumquam eodem sensu usurpant. Wytt.

8. *Jove fulgente, tonante... cælo fulgente, tonante.* Allegorr. nomm. deor. in Opuscull. meis mythologg. pag. 47 e cod. Palatino : ὁ Ζεὺς γὰρ σημαίνει καὶ ὅλον τὸν οὐρανόν. Conf. Cic. de Divin. II, 18, p. 212, ibique Hottinger. Ad rem consule Plinium, Hist. Natur. lib. II, cap. 52. Senecæ Nat. quæstt. lib. II, cap. 41 ; Acron. ad Horat. Carm. I, 12, 18, et quæ in eam rem copiose disputaverunt Spanhem. ad Callimach. Jov. 69, et Burmannus in Diss. Ζεὺς καταιβάτης c. 9, pag. 289. Nimirum ex Etruscorum disciplina Jupiter omnium auguriorum erat præses, et præcipuus *auguralis deus*, inque fulminibus primam, secundam et tertiam potestatem solus tenebat. Hinc etiam in formulis antiquis solemnibus marmoribusque illud *Jupiter Fulgur*, de quo vide Marini Acta fratrr. Arvalium, pag. 687, 696. Cr.

9. *Sic hoc breviter.* Quomodo *breviter?* inquit Cl. Boherius : quum tribus versibus id efferat Euripides, quod Ennius uno dixerat. Quapropter amplissimus ille vir legit, *sic hoc graviter.* Statuerem potius, ultimam vocem a librariis additam fuisse : quam propterea cinximus uncinis. Dav.—Quod uncis inclusit Davisius *breviter*, Heindorf. plane omisit, adscripsisse quemdam margini suspicans locum ex libro II de Divin. cap. 18, ita : « breviter : dicunt enim, Jove fulgente, tonante comitia, etc. » Hoc vero est hariolari. Me quidem non ita offendit vox *breviter*, non enim ea opponitur versui Ennii, qui unus certe brevior est tribus Euripideis ; sed ipsi Euripidi, qui multa quidem præclare, sed sæpe prolixius, hoc vero *breviter* pronuntiasse a Cicerone dicitur. Ma.

10. *Vides sublime fusum, immoderatum æthera.* Immensum, ἄπειρον. Lucretius, lib. II, p. 125 : « Simplice natura et pateat tantum immoderatum ». Græcos autem Euripidis versus, quos latine transtulit Cicero, præter Lucianum Jove Trag. tom. II, p. 151, nobis servarunt Stobæus, Ecl. Phys. cap. 3 ; Athenagoras, Leg. pro Christ. cap. 6 ; Heraclides Ponticus Allegor. Homer. pag. 441 ; auctor vitæ Arati, pag. 273 ed. Petav. ne Plutarchum et Clementem Alexandrinum memorem. Davis.

11. *Qui tenero terram circumvectu amplectitur. Circumjectu* habet liber MS ; quod magis placet, confirmantibus græcis Euripidis versibus, unde translati sunt latini, quos hic addecit Cicero : Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα, Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις · Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ θεόν. Ursin.

XXVI. 1. *Aer autem, ut Stoici dis-*

Digitized by Google

inter mare et cælum, Junonis nomine consecratur; quæ est soror, et conjux Jovis, quod ei[2] similitudo est ætheris, et cum eo summa conjunctio. Effeminarunt autem eum, Junonique tribuerunt, quod nihil est eo molliùs[3]. Sed Junonem a juvando credo nominatam. Aqua restabat, et terra, ut essent ex fabulis tria regna divisa. Datum est igitur Neptuno, altero Jovis, ut volunt, fratri[4], maritimum omne regnum; nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando[5], paullum primis literis immutatis.

putant... a juvando credo nominatam. Hanc ῥῆσιν laudat Probus in Virgilii Eclog. VI, p. 70. Dav. — Vide Cornutum de N. D. 3, pag. 143; Eudociæ Violet. pag. 206 sq. Allegorr. nomm. Deorr. in Opuscull. nostrr. mythologg. pag. 46; Arnobium, III, 30; ibique Elmenhorst. et Nourr. et Oudendorpium ad Lucanum, I, 405. De *Junonis* autem, vel potius *Junonum* cultu et religionibus apud veteris Italiæ populos consule Lanzium in *Saggio di lingua Etrusc.* pag. 238 et 578, et Marinium in Actis fratrr. Arvall. pag. 160, 174, 386, 414, 500 seqq. et 686. Latissime enim patebat *Junonum* nomen et dearum, velut Cereris, adeoque matronarum genios complectebatur. Ca.

2. *Quod ei similitudo.* Vulg. «quod et similitudo»; sed lectionem, quam recepimus, ex Probo dudum asseruerat Hadr. Junius, Anim. IV, 20. Dav. — Ern. cum Dav. facit. Ma.

3. *Effeminarunt autem eum, Junonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius.* Sic etiam Heraclides Ponticus, Allegorr. Homer. pag. 429, et Julius Firmicus de Err. prof. Rel. p. 9. Ma.

4. *Altero Jovis... fratri.* Ita Med. ac Bonon. 1494, et sic ex Pall. suis recte dedit Gruterus. De ea dativi forma vide G. J. Vossium, Anal. IV, 6. Dav.—Antiquiorem dativi formam *altero* præbent edd. Marsi, Ascens. Th. et Bas. codd. Vratisl. et nostri C. E. Fa. M. O. Oxf. o. u. et ψ. Ma. — De forma dativi *altero* vide Hotting. ad Ciceronem de Divin. lib. II, c. 13, pag. 199, et Lucan. IV, 110, ibique interprr. Ca.

5. *Neptunus a nando.* Just. Lipsius Saturn. lib. I, cap. 2, legit, *Neptunus a nubendo*, vel *a nuptu;* et priorem conjecturam certissimam judicat G. J. Vossius in Etymol. voce *nuptæ.* Huic quidem etymologiæ patrocinantur Varro de Lingua Latina, IV, p. 20, et Arnobius, III, pag. 118. Quin et ea veri multo est similior. Quum vero quæratur, non quod probabile sit veriverbium, sed quid scripserit Tullius, inanem esse illam hariolationem fidenter assevero; nam Cotta, III, 24, ita Lucilium ridet: «Quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis una litera explicare, unde ductum sit». Dav. —*Neptunus... Portunus.* Ad Arnobii locos (III, 23 et 31) vide Elmenhorst. adde Fulgentii Mytholog. I, 3, ibique Muncker. et Staver. pag. 630, et rursus pag. 961, et adhibe locum primarium Ovidii, Fast. VI, 54. In forma

Digitized by Google

Terrena autem vis omnis, atque natura, Diti patri dedicata est : qui Dives, ut apud Græcos Πλούτων, quia et recidant omnia in terras, et oriantur e terris. Is rapuit Proserpinam [6], quod Græcorum nomen est; ea enim est, quæ Περσεφόνη græce nominatur : quam frugum semen esse volunt, absconditamque quæri a
67 matre fingunt. Mater autem est a gerendis frugibus Ceres, tamquam Geres; casuque prima litera itidem immutata, ut a Græcis : nam ab illis quoque Δημήτηρ, quasi Γημήτηρ, nominata est. Jam qui magna verteret, Mavors; Minerva autem, quæ vel minueret, vel minaretur [7].

XXVII. Quumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt [1] : quod ab eundo nomen est

Portumnus, quam alii Veterum libri, vel librariorum scripturæ, præstabant, refragantem habebis Oudendorpium in copiosa disputatione ad Apuleii Metam. p. 307 seq. Cr.

6. *Proserpinam*... Περσεφόνη... *frugum semen*. Quæ de Proserpinæ nomine disputant vett. philosophi, adumbrata legas in Mythолog. nostr. IV, 345 seqq. Alia reperias in Procli Comm. ad Plat. Cratyl. (p. 72 Heind.) quæ h. l. apponi non attinet. Vide sis etiam Arnobium, lib. III, cap. 33, ibique interprr. Eadem autem fuit *Feronia*, a fratribus Arvalibus sancte coli solita. Vide Opuscull. mythologg. ex cod. Palat. p. 29, et Marinium in fratrr. Arvall. Actis, p. 395. Cr.

7. *Qui magna verteret, Mavors; Minerva autem, quæ vel minueret, vel minaretur*. Martis etymon Oscum potius vel Sabinum volunt grammatici, ut Festus et Varro de Lingua Latina, lib. IV, cap. 10, fin. a *Mamers*. Conf. etiam Dionys. Halic. I, 16; Livium, XXII, 9; Gell. N. A. XIII, 22; et adhibe Lanzium in *Saggio di lingua Etrusc.* pag. 723 seq. pag. 740. Ad locum de *Minerva* cum Tullio comparandus est Arnobius, III, 31, ibique Elmenhorst. Tenendum autem vetus verbum *meneo* pro moneo, a μένος, docente G. J. Vossio de Orig. et Progr. Idololat. p. 199; indidemque Etruscam nominis originem repetiit Lanzius in *Saggio di lingua Etrusc.* p. 199 sq. 203, 205, 209, ubi Etrusca monumenta exhibentur, in quibus ejus deæ nomen nunc *Menrfa*, nunc lenius *Menerfa* scriptum legitur. Cr. — Minervæ nomen a verbo *minari* verisimile fit per aliud nomen deæ Pallas, quod nomen est a πάλλειν, vibrare hastam. Wytt.

XXVII. 1. *Principem in sacrificando Janum esse voluerunt*. Paullinus in Anecdot. Muratorii, I, t. p. 122 : « Sacra Jovi faciunt, et, Juppiter optime, dicunt, Huneque rogant, et Jane pater, primo ordine ponunt ».

Digitized by Google

ductum; ex quo transitiones perviæ[2], Jani; foresque in liminibus profanarum ædium, januæ[3] nominantur: nam Vestæ nomen a Græcis est: ea est enim, quæ ab illis Ἑστία dicitur. Vis autem ejus ad aras et focos pertinet. Itaque in ea dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis et precatio, et sacrificatio extrema[4] est. Nec longe absunt ab hac vi dii penates, sive a penu 68
ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus), sive ab eo, quod penitus insident: ex quo etiam penetrales a poetis vocantur. Jam Apollinis nomen est græcum; quem solem esse volunt; Dianam

Hanc ob causam *Janus* dictus est *initiator* apud Augustinum in Civ. Dei, lib. IV, cap. 11. Hæc adde testimoniis, quæ congessit Barn. Brissonius, Form. I, p. 45, 46. Dav.—*Pr. in s. Janum... Jani.* De Jano quædam adumbravi in Mytholog. II, pag. 450 seqq. adde de hoc deo universe ejusque nomine Censorinum de die natal. c. 22, ibique interpr. et Van Goens ad Porphyr. de antr. Nymph. p. 113. De principatu in sacrificiis adde Ovidium, Fast. I, v. 171; Aurel. Victor. cap. 3. Cum Cicerone hac in re non usquequaque facit Jo. Lydus de Mens. p. 57. Ca.

2. *Ab eundo nomen est ductum; ex quo transitiones perviæ, Jani.* Ab eundo, i. e. a verbo *ire*, quod antiquitus Græci *io*, item *jao*, unde *Janus* deus; *janua* et mensis *januarius*, annum aperiens. Wytt. — Ad hunc locum respicit, et hanc *Jani* simul etymologiam ridet Cornificius apud Macrobium, Saturn. lib. I, cap. 9. De *Janis* autem vide quæ collegit Is. Casaubonus ad Suetonii Augustum, c. 31. Davis.

3. *Januæ nominantur.* Sic etiam Servius ad Æneid. I, 453. Alii vero *Janum* a *janua* dictum statuunt. Ovidium, Fast. I, 125, in hac sententia fuisse monuit G. J. Vossius in Etymologico. Adde Tertullian. de Idololatr. cap. 15; de Corona, cap. 13, et Isidorum, Orig. VIII, 11. Dav.

4. *Omnis et precatio, et sacrificatio extrema est.* In Vesta autem sacrificia desiisse perpauci testantur; et ab hac dea factum fuisse sacrificandi principium, bene multi; sic Ovidius, Fast. lib. VI, vers. 503, et Falernus apud Silium Italicum, VII, 184. Vide Hesychium in ἀφ' ἑστίας ἀρχόμενος; Zonobium, Adag. Cent. I, 40, et Scholiasten in Aristophanis Vespas, v. 842. Davis. — *Dii Penates... a penu penitus... penetrales.* Vide Ernesti Cl. Cic. in *Penates*, ibique laudatt. in his præcipue J. Fr. Gronov. ad Statii Silvv. (IV, 8, p. 450 seqq. ed. Hand.) adde Jer. Mueller. de diis Romm. Laribûs et Penatibus Havn. 1811, p. 10, et Marini Act. fr. Arv. I, p. 120 seq. — *A penu.* De hac voce consule Dukeri libr. de Latin. vett. Jurecons. pag. 202, et eumdem de voc. *penitus*, pag. 189; adde Dionysium, p. 153, ubi plura in eam rem disputavi. — *Penetrales.* Vide Ern. Cl. Cic. et cf. Lucretium, II, 382, «fulmineus multo penetralior ignis». Ca.

Digitized by Google

autem, et lunam[5], eamdem esse putant: quum Sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, quum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet[6]; Luna a lucendo nominata sit. Eadem est enim Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam[7], sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant: quæ eadem Diana omnivaga[8] dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur tam-
69 quam vagantibus. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ii maturescunt, aut septem nonnumquam, aut, ut plerumque, novem lunæ cursibus[9]: qui quia mensa spatia confi-

5. *Apollinis... lunam.* Vide Gisb. Cuperi Harpocr. p. 106, et quæ posui in Mythol. II passim. De Apollinis nomine græco probabiliter est disputatum a nonnullis: alii non græcum esse volunt. Vide Selden. de diis Syr. II, p. 144, et Hesychii interprr. in voce ἀέλιος. Ca.

6. *Obscuratis omnibus solus appareret.* Ad hunc locum respicit Lactantius, Div. Inst. lib. II, cap. 9, 12. Boethius, Cons. Phil. lib. V, metr. 2: « Quem, quia respicit omnia solus, Verum possis dicere solem ». Ad quem locum videatur Theod. Sitzmannus: ut et Th. Munck. ad Fulgentii Mythol. lib. I, c. 11. Quin et Ἀπόλλων, μυστικῶς κατὰ στέρησιν τῶν πολλῶν νοούμενος, ὁ εἷς ἐστι θεὸς, ut ait Clemens, Strom. lib. I, pag. 151. Idem etiam etymon, notante Sylburgio, tradit Plutarchus. Hesychius: Ἀπόλλων ... ἐτυμολογεῖται ὁ μὴ μετὰ πολλῶν συναριθμούμενος. Aliæ vero aliis placuerunt etymologiæ. Dav.

7. *Dianam, eamque Luciferam.* Græcis enim φωσφόρος epitheton est Dianæ. Vide sis Ezech. Spanhemium ad Callimachi Hymn. in Dian. v. 11; Valerium Flaccum, Argon. lib. VII, vers. 179.

8. *Diana omnivaga.* Sic omnes MSS. Sed vulgo legitur *annivaga*; quam scripturam ex Probo primus laudavit Hadr. Junius, Anim. IV, 20; eamque receperunt Lambinus, Gruterus, alii. Sed quum mihi lateret, cur grammatici illius auctoritatem cunctis Tullii membranis prætulerint, a codicibus manu exaratis standum putavi; præsertim quod *annivaga*, cui sit etymo fidendum, planius faceret, quam ut ullus dubitationi reliquus esset locus. Dav. — Heindorfii quoque libri tuentur lectionem *omnivaga*, et nostri omnes, excepto cod. O. in quo est « Diana tamen vaga »; quod criticorum virorum attentione haud indignum videtur. Mr.

9. *Aut septem nonnumquam, aut, ut plerumque, novem lunæ cursibus.* Vulgo, omissa vocula, legunt: « aut plerumque novem lunæ cursibus ». Scripturam a nobis datam repræsentant Eliens. Mediol. Lincoln. Bonon. 1494, et Victor. MS vero Reg. habet, « aut novem, ut plerumque, lunæ cursibus ». Hanc in rem testimonia Ve-

Digitized by Google

ciunt, menses nominantur: concinneque, ut multa, Timæus [10]: qui quum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravisse, adjunxit, minime id esse mirandum, quod Diana, quum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo. Quæ autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt, atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate.

XXVIII. Videtisne igitur, ut a physicis rebus, bene atque utiliter inventis, tracta ratio sit ad commentitios et fictos deos? Quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones pæne aniles. Et formæ enim nobis deorum, et ætates, et vestitus, ornatusque noti sunt; genera præterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ. Nam et perturbatis animis inducuntur; accipimus enim deorum cupiditates, ægritudines, iracundias: nec vero, ut fabulæ ferunt, dii bellis 70

terum collegit Henr. Lindenbrogius ad Censorini de Die natal. cap. 7. Dav. — Vocem *ut* exhibet etiam cod. Glog. et nostri A. D. E. Fa. M. Oxf. e. o. n. et ed. Bas. Kinderv. verba *ut plerumque*, ut glossema, ejici volebat. Mn.

10. *Concinneque, ut multa, Timæus*, etc. Hoc dictum Hegesiæ Magnesio tribuit, ac aliud plane de eo judicium fert Plutarchus. Hæc ejus verba sunt in Alexandro, tom. I, cap. 3, p. 665: Ἐγεννήθη δ' οὖν ὁ Ἀλέξανδρος ἑκταμένου μηνὸς ἑκατομβαιῶνος... ἕκτῃ, καθ' ἣν ἡμέραν ὁ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἐνεπρήσθη νεώς· ὡς Ἡγησίας ὁ Μάγνης ἐπιτεφώνημεν ἐπιφώνημα κατασβέσαι τὴν πυρκαϊὰν ἐκείνην ὑπὸ ψυχρίας δυνάμενον· εἰκότως γὰρ ἔφη κατασβεσθῆναι τὸν νεών, τῆς Ἀρτέμιδος ἀσχολουμένης περὶ τὴν Ἀλεξάνδρου μαίωσιν. A sententia Ciceronis invitissimus discedo; jubet tamen τὸ φιλάληθες, ut mihi saniorem videri philosophi Chæronensis κρίσιν hic profitear. Idem etiam statuit Bohnrsius, non inelegantis ingenii vir, de modo recte cogitandi Disl. I, pag. 50, ac multo ante doctissimus Turneb. Advers. XXVII, 4. Facetiarum nimius amor, quem in Tullio notarunt Veteres, eum egit transversum. Dav. — Mox: «quæ... ad omnes veniret, Venerem». Arnobius, lib. III, cap. 33, ex Cicerone: «quod ad cunctos veniat, Venerem cognominatam esse», ubi Elmenhorst. et Nourr. alias quoque etymologias collegerunt. Illa Stoicorum ratio non prorsus displicuit eruditis. Vide Vossii Etymol. I. lat. p. 546; Lennep. Etym. p. 221 seq. in verbo ἵνω, unde ipsum *venio* ducatur, *Veneris* etymon inesse suspicatur. Cn.

Digitized by Google

præliisque caruerunt; nec solum, ut apud Homerum, quum duo exercitus contrarios alii dii ex alia parte defenderent, sed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigantibus, sua propria bella gesserunt. Hæc et dicuntur, et creduntur stultissime, et plena sunt futilitatis, summæque levitatis. 71 Sed tamen, his fabulis spretis ac repudiatis, deus pertinens per naturam cujusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia, poterunt intelligi, qui, qualesque sint[1], quoque eos nomine consuetudo nuncupaverit, hos deos et venerari, et colere debemus. Cultus autem deorum est optimus, idemque castissimus atque sanctissimus, plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente, et voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri super- 72 stitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati : quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi, ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso. Ita factum est in superstitioso et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis.

XXIX. Ac mihi videor satis, et esse deos, et quales

XXVIII. 1. *Qui, qualesque sint.* Pro *sjnt*, *sunt* reperitur in compluribus codd. — *Deus pertinens... per terras Ceres, per maria Neptunus.* Cf. infra III, 25, et adhibe de *Cerere*, tamquam terra, Diodor. Sic. I, 12, et Jo. Lydum de Mens. pag. 32 seq. Plotinus, pag. 419. De *Neptuno* autem Maximus Tyrius, Diss. X, 8, vol. I, pag. 183, loquitur. Cujus verba ex parte ad verbum Ciceronianis congruunt III, 25 : «Neptunum esse animum cum intelligentia per mare pertinentem». Cornutus de N. D. 22, p. 192, de eodem deo. Allegorr. nomm. deorr. in opusc. mythol. pag. 46, στοιχειακῶς Ποσειδῶν θάλασσα. Ibidem p. 32, alia apposui ex Proclo in Cratyl. Ca.

Digitized by Google

essent, ostendisse. Proximum est, ut doceam deorum 73
providentia mundum administrari[1]. Magnus sane locus, et a vestris, Cotta, vexatus: ac nimirum vobiscum omne certamen est. Nam vobis, Vellei, minus notum est, quemadmodum quidque dicatur. Vestra enim solum legitis, vestra amatis; ceteros, causa incognita, condemnatis. Velut a te ipso, hesterno die dictum est, anum fatidicam πρόνοιαν a stoicis induci [id est, providentiam[2]]. Quod eo errore dixisti, quia existimas ab his providentiam fingi, quasi quamdam deam singularem, quæ mundum omnem gubernet et regat: sed id præcise dicitur. Ut, si quis dicat, Atheniensium rem- 74
publicam consilio regi, desit illud, Areopagi: sic, quum dicimus, providentia mundum administrari, deesse arbitrator, deorum. Plene autem et perfecte sic dici existimato, providentia deorum mundum administrari. Ita salem istum, quo caret vestra natio, in

XXIX. 1. *Deorum providentia mundum administrari.* Conf. II, 66, fin. III, 35, et præcipue III, 39. Epicureorum providentiam tollentium conatus naviter item repellere studet Simplicius in Epictetum (p. 222 seqq.), p. 356 seqq. ed. Schweigh. et (p. 237 seqq.) pag. 328 seq. In eamdem rem disputat etiam Fronto de Nepote amisso, tom. I, pag. 203 ed. princ. quæ idem ita concludit (pag. 205 seq.): hæc ego fas esse facilius crediderim, «quam cuncta humana aut nulla aut iniqua providentia regi». Ca.

2. *Anum fatidicam* πρόνοιαν... *induci, id est, providentiam.* Hæc tria postrema verba, *id est, providentiam*, non sunt in vetere libro: olent autem sine dubio glossema ab imperitis librariis in seriem receptum. Quod autem sequitur, «velut hesterno die», vel Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα, vel librarii lapsum esse credendum est: non enim *hesterno die* Velleii disputatio cum Cotta instituta fingitur, sed eodem; atque in ipso secundi libri initio ita contexitur dialogus, ut nullus dies interceserit inter Epicureorum et Stoicorum confutationem. Idem error est in illis lib. III: «Quæ a te nudius tertius dicta sunt; quum docere velles, deos esse». Sunt autem verba Cottæ ad Balbum, quæ non *nudius tertius*, sed eodem die finguntur esse dicta. Credi potest, Ciceronem in animo habuisse tribus libris trium dierum disputationem referre voluisse: mox id mutasse, relictis prioris cogitationis vestigiis. Ursin. — Voces *id est, providentiam* delendas censuit, ut glossema manifestarium, Davisius; cum eo faciunt Heindorfius et Ernestus. Ego in meo exemplo dudum expunxi: *id est, providentiam.* Ca.

Digitized by Google

irridendis nobis nolitote consumere; et mehercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. Non decet; non datum est; non potestis. Nec vero hoc in te unum convenit, moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum[3]; sed quum in reliquos vestros, tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem sine arte, sine literis, insultantem in omnes, sine acumine illo, sine auctoritate, sine lepore.

3. *Nec vero hoc in te unum convenit... nostrorum hominum urbanitate limatum.* Habent veteres edit. *uno... limato.* Doctissimi viri, communi consensu, *unum ... limatum*, quod flagitabat latinitas, codicum nonnullorum auctoritate freti, reposuerunt. Primus autem Lescaloperius ipsam sententiam gravi vitio laborare perspexit: idemque non male reposuit, «nec hoc in te convenit... nostrorum hominum urbanitate limatum». Certe fieri non potest, ut hoc quod vult Noster in Velleium omnino conveniat, quum fuerit Romanorum *urbanitate limatus.* An *urbanus* esse potest, qui salibus caret? Si nescis, adi Quintilianum, Inst. Orat. lib. IV, cap. 3. Quin et ab horum interlocutorum cultu et elegantia tales abhorrent contumeliæ. Quum tamen codices vulgatam lectionem servent, minima mutatione legerim, «nec vero hoc in te una convenit... nostrorum hominum urbanitate limatum». Ita Tullius Velleium ab ea stupiditate quam reliquis impegit Epicureis, immunem præstabit. Dav. — Non recepit Heindorf. Ernesti correctionem, quamquam eam a latinitate ipsa flagitari existimet, quia ex ceterorum Epicureorum grege ita eximi debuerit: «hoc vero in te unum non convenit». Neque tamen probat, et jure quidem, Davisii *una*, quia id pro *etiam* poni non potest. Probabilior ei videtur Walkeri conjectura *omnino* reponentis; mavult tamen voce illa ejecta scribi, «nec vero hoc in te convenit... limatum». Kindervaterus vel ejiciendam credit eam vocem, vel scribendum, «neque vero hoc in te convenit, unum moribus... limatum»; quem verborum ordinem probat ejus Censor Jenensis (1794, 167), sed scribit *uno moribus... limato.* Vulgatam defendere laborat Wopkens. Lectt. Tull. 2, 7, frustra, ut videtur. Ma.—Vulgatam quoque defendit Wytt. si ita simpliciter sumatur, ait, repugnabit propositio Balbi, qui continuo dicit Velleium esse urbanitate limatum. Hæc repugnantia ut tollatur, particula *nec*, ut alibi sæpe, debet accipi pro *et non*, et constructio sic ordinanda: «et vero hoc in te unum non convenit»; i. e. hoc vitium in te uno Epicureorum non habet locum. — Et ipse enotaveram mihi Suetonii locum, Octav. 25, p. 139, Wolf. «Nihil autem minus in perfecto duce quam festinationem temeritatemve convenire arbitrabatur». Quo in loco Schefferus in Miscellan. Observv. novis, vol. IX, p. 338, annotat ille quidem var. lectionem *venire*, sed tamen continuo Ciceroniani loci similitudine utitur. Contra Ernesto uterque locus displicet. Wolfius autem nihil novandum judicavit. Neque magis in loco Ciceronis novandum arbitror. Ca.

Digitized by Google

XXX. Dico igitur providentia deorum mundum, et 75
omnes mundi partes et initio constitutas esse, et omni tempore administrari : eamque disputationem tres in partes nostri fere dividunt. Quarum pars prima est, quæ ducitur ab ea ratione, quæ docet esse deos : quo concesso, confitendum est, eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quæ docet, omnes res subjectas esse naturæ sentienti, ab eaque omnia pulcherrime geri : quo constituto, sequitur ab animantibus principiis [1] eam esse generatam [2]. Tertius locus est, qui ducitur ex admiratione rerum cælestium atque terrestrium.

Primum igitur aut negandum est deos esse, quod 76
et Democritus simulacra, et Epicurus imagines inducens, quodam pacto negat; aut, qui deos esse concedant, iis fatendum est, eos aliquid agere, idque præclarum. Nihil est autem præclarius mundi administratione. Deorum igitur consilio administratur. Quod si aliter est, aliquid profecto sit necesse est melius, et majore vi præditum, quam deus [3]; quale id cumque

XXX. 1. *Ab animantibus principiis.* Id est, a causis efficientibus, animo præditis; hanc autem divisionem theologiæ Stoicorum tradit Sextus Empiricus, adv. Phys. IX, sect. 15-194, ubi rationes Stoicorum et contrarias exponit. Wyttenbach.

2. *Eas esse generatas.* Legendum *ea*, scil. omnia, *esse generata*, quod recte statuit Cl. Boherius. Certe pronomen ad *naturam sentientem* referri non potest. Davisius. — Ernestus si *omnia* est a Cicerone (de quo ambigitur), legi vult, *eaque... generata;* quum vero illud spurium ei videatur, dedit, ut est in textu. Heindorfio magis placet Boherii et Davisii ratio, et ita est in cod. Glog. et nostro Th. In cod. Red. est *esse omnia generata*, unde dedit Heind. *omnia esse gen.* Walkero placebat *eum* (mundum) *esse generatum.* Ca.

3. *Majore vi præditum, quam deus.* Vulgo *deos*, nec aliter MSS. Quum tamen ea lectio solœcam reddat orationem, nos, non minus ac Lambinus, huic vitio medendum censuimus. Dav. — Ernestus *deos* scriptum esse dicit pro *deus*, quasi antiqua nominativi forma; quod accipere non est necessarium, si Heindorfii rationem, «aliquid profecto necesse est esse melius quam, etc.» sequimur, quæ optima videtur. Mox abest *deorum* ab ed. Th. et a codd. G. Oxf. e. et u. Eadem vox a sec. manu deleta est in cod. La. Oxf.

Digitized by Google

est, sive inanima natura, sive necessitas vi magna incitata, hæc pulcherrima opera efficiens, quæ videmus.

77 Non est igitur natura deorum præpotens, neque excellens, siquidem ea subjecta est ei vel necessitati, vel naturæ, qua cælum, maria, terræque regantur [4]. Nihil autem est præstantius deo. Ab eo igitur necesse est mundum regi. Nulli igitur est naturæ obediens, aut subjectus deus. Omnem ergo regit ipse [5] naturam. Etenim si concedimus, intelligentes esse deos, concedimus etiam providentes; et rerum quidem maximarum. Ergo utrum ignorant, quæ res maximæ sint, quoque hæ modo tractandæ et tuendæ; an vim non habent, qua tantas res sustineant et gerant? At et ignoratio rerum aliena naturæ deorum est; et sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas, minime cadit in majestatem deorum. Ex quo efficitur id, quod volumus, deorum providentia mundum administrari.

78 XXXI. Atqui necesse est, quum sint dii, si modo sint, ut profecto sunt [1], animantes esse, nec solum

e. pro *siquidem* habet *sed quidem*. Ma. — Non absurda videtur h. l. quo generalia tractantur, illa omissio vocis *deorum* post vocab. *natura*. Certe me advertit. Ca.

4. *Terræque regantur. Terræ regantur*, omisso *que*, vult legi Lambinus. Ait: non est dubium, quin lectio vulgata, *terræque regantur*, sit ejicienda, quia sententia desinat in clausulam versus heroici; quod in oratione soluta esse vitiosum docet ipse Cicero in perfecto Orat. Ed.

5. *Nihil autem est præstantius... regit ipse naturam*. Hæc Tullii verba citant Lactantius, Divin. Instit. I, 5, § 24, et Salvianus de Gubern. lib. I, p. 4, quod non animadverterunt hujusce patris editores. Davis. — Dedit Heind. ex cod. Red. «Omnem igitur ipse naturam regit». Hoc quidem loco libens accedo Heindorfio, hunc ordinem potiorem vulgato esse contendenti; sed ut in lectionibus codicis Glog. ita in verborum ordine ex cod. Red. recipiendo nimis videtur cupidus fuisse nonnumquam Heind. quum ex pluribus locis manifestum sit, scriptorem codicis Red. sæpissime proprio Marte et fere petulanter verborum ordinem immutasse iis in locis, ubi Ciceronis manum in vulgato facile agnoscas. Noster cod. O. cum Red. exhibet *igitur* pro *ergo*. Ma.

XXXI. 1. *Si modo sint, ut profecto sunt*. Novi virum eruditum, cui abun-

Digitized by Google

animantes, sed etiam rationis compotes, inter seque quasi civili conciliatione et societate conjunctos, unum mundum, ut communem rempublicam, atque urbem aliquam, regentes. Sequitur, ut eadem sit in his, quæ in 79
genere humano, ratio, eadem veritas utrobique [2] sit, eademque lex: quæ est recti præceptio, pravique depulsio. Ex quo intelligitur, prudentiam quoque et

dare videntur hæc verba. Mihi non eadem stat sententia. Lactantius, Div. Instit. lib. I, cap. 3: «Deus vero, si perfectus est (nam perfectus est, ut esse debet), non potest esse, nisi unus». Theodoretus, serm. IX de Provid. pag. 205 ed. Rom. Εἰ δὲ δίκαιος (ὥσπερ οὖν καὶ δίκαιος) ὁ τῶν ὅλων ἔφορος, καὶ ὁρᾷ τὰ γιγνόμενα, καὶ κρίνει δικαίως. Apud hosce scriptores inclusæ parenthesibus voces eodem jure possent deleri. Davis. — *Quum sint dii... modo sint.* Horum alterutrum videtur delendum. Wytt. — *Animantes... rationis compotes... quasi civili conciliatione et societate unum mundum... rempublicam.* De hac locutione *civil. conc. et societ.* dixerunt Davisius et Gesenius ad Cic. de Legg. I, 7, § 23. Ad argumentum cf. eumdem locum itemque Academic. lib. I, cap. 5, 21, ibique interprr. de Finib. lib. III, cap. 19, 64. Præsertim hoc faciunt Chrysippea, apud Plutarchum, de Stoic. Repugnn. p. 1050, p. 279, Wyttenb. ubi et alia et hoc: Οὐθὲν γάρ ἐστιν ἄλλως τῶν κατὰ μέρος γενέσθαι οὐδὲ τοὐλάχιστον, ἢ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν καὶ κατὰ τὸν ἐκείνης λόγον, quam communem naturam Plutarchus, ex Chrysippi mente, Jovem dicit. Similia legas apud Plotinum, pag. 707, de amicitia, quæ in hac rerum universitate inest (περὶ τῆς ἐν τῷ παντὶ φιλίας), pag. 557, de forma, quam hoc universum ab anima mundi impressam recipit, p. 404, de Jove, mundi artifice, indeque profecto mundi ordine (τάξει); qui idem artifex sit: τὸ ἡγεμονοῦν τοῦ παντός. Sunt enim longiores hi loci, quam qui h. l. apponi queant. Adhibe etiam Diogen. lib. VII, c. 139; Stobæi Eclogg. Phys. I, p. 180. Ca.

2. *Eadem veritas utrobique sit.* In MS Eliens. legitur «eadem virtus hæc ubique sit». Unde scribendum videtur, «eadem virtus utrobique sit». Hinc «mentem, fidem, virtutem et concordiam» statim memorat Noster. Sed nec vulgatam lectionem omnino damnarim; nam Stoici dixerunt εἶναι τὴν αὐτὴν ΑΡΕΤΗΝ καὶ ΑΛΗΘΕΙΑΝ ἀνδρὸς καὶ θεοῦ, ut ait Themistius, Or. II, pag. 27. Dav. — Heind. ex codicis Eliens. lectione et Themistii loco, quem laudat Davisius, conjici posse ait «eadem virtus et veritas utrobique sit». Quod sequitur *eorum*, Boherius animadvertens non ad *deos* pertinere, sed ad illa *mentem... concordiam*, ambiguitatem tollere voluit, conjiciens «quas qui convenit... cum earum»; quam emendationem ab attento lectore non desiderari recte ait Heind. Ma. — Equidem, qui istud *utrobique* languere sensissem, quum e codicum vestigiis, tum ex proxime sequentibus Tullii verbis: «mens, fides, virtus, concordia, etc.» ita conjiciebam: sequitur, ut eadem sit in his, quæ in humano genere, ratio, eadem «veritas, fides virtusque sit». Ca.

Digitized by Google

mentem a diis ad homines pervenisse: ob eamque causam majorum institutis mens, fides, virtus, concordia, consecratæ et publice dedicatæ sunt. Quæ qui convenit penes deos esse negare, quum eorum augusta et sancta simulacra veneremur? Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia, unde hæc in terras[3], nisi a superis, defluere potuerunt? Quumque sint in nobis consilium, ratio, prudentia; necesse est, deos hæc ipsa habere majora, nec habere solum, sed etiam his uti in maximis et optimis
80 rebus. Nihil autem est nec majus, nec melius[4] mundo. Necesse est ergo, eum deorum consilio et providentia administrari.

Postremo quum satis docuerimus, hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videremus, solem dico, et lunam, et vagas stellas, et inerrantes, et cælum, et mundum ipsum, et earum rerum vim, quæ inessent in omni mundo cum magno usu et commoditate generis humani; efficitur, omnia regi divina

3. *Unde hæc in terras*, etc. Confer de Legg. I, 8 : « . . . animum tamen esse ingeneratum a deo, etc. » Ca. — Idem argumentum paucioribus et acerrimis verbis expressit prælti ingenii vir, noster *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, c. 1, hoc sensu : Qui dixerunt a causa non intelligente intelligentes creaturas procreatas esse, dixerunt rem magnopere absurdam.

4. *Nihil autem est nec majus, nec melius mundo.* MS Reg. habet « vel majus, vel melius ». Deserenda tamen non est vulgata lectio; hunc enim ἰλληνισμὸν passim imitantur Latini. Vide G. J. Vossium de Constr. cap. 61. Dav. — Scripsit Heindorfius lege jam sæpius demonstrata *nihil est autem.* Ma. — De primario hoc Stoicorum decreto, nimirum providentia divina administrari mundum, plura disputavi in prolus. de Provid. et Fato, pag. 6, ubi Chrysippi admonui, qui hæc ipsa singulari libro tractaverat (Diogen. Laert. lib. VII, cap. 138), itemque Æliani Prænestini (vide Suidam in voc. et Eustath. ad Iliad. Z, p. 523), prætereaque laudavi Epictet. vol. I, p. 86, p. 426 ed. Schweigh. et Stobæi Eclogg. Physs. vol. I, pag. 70, 132, Heeren. Conf. etiam Plotinum περὶ εἱμαρμένης, p. 229, E. Alia suppeditare potest J. Lipsius de Physiologia Stoicorum, lib. I, dissert. 11. Ca. — Quomodo autem hanc Stoicorum sententiam refellere laboret Academicus Cotta, vide infra lib. III, cap. 9, et sequentibus.

Digitized by Google

mente atque providentia [5]. Ac de prima quidem parte satis dictum est.

XXXII. Sequitur, ut doceam, omnia subjecta esse 81
naturæ, eaque ab ea pulcherrime regi [1]. Sed quid sit ipsa natura, explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus [2], intelligi possit. Namque alii naturam censent esse vim quamdam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios; alii autem, vim participem rationis atque ordinis, tamquam via progredientem, declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat, quid sequatur, cujus solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando. Seminis enim vim esse tantam [3], ut id, quamquam sit perexiguum, tamen si inciderit in

5. *Divina mente atque providentia. Prudentia* exhibent Eliens. Mediol. Ascens. et Vict. eosque codices, quum sint optimi, sum sequutus. Vulgo *providentia*, quod eodem redit; nam vel hoc vel illo modo πρόνοιαν licet vertere. Vide supra cap. 22. Dav.—Scripsit Heind. cum Dav. ex suis quoque libris *prudentia* pro *providentia*, firmantque eam scriptionem nostri codd. A. B. C. D. G. (a sec. manu) et ed. Bas. Mr.

XXXII. 1. *Ab ea pulcherrime regi.* Dedit Heind. cum Dav. *geri* pro *regi*, eique favent nostri codd. A. B. C. D. E. Fa. l. et O. Mr.

2. *Quo facilius id, quod docere volumus.* Quidam libri veteres habent *volimus;* unde suspicari quis possit, scriptum esse a Cicerone *velimus:* quamquam *volimus* non est rejiciendum, quum Veteres dixisse *volim* pro *velim* constet. Hac re tantum me suboffendit, quod scenam olet. Lamb.—Diserte tamen Priscianus, lib IX, col. 848: «Volim pro velim proferebant antiqui. Cicero in lib. II de Natura Deorum: Quo facilius id, quod docere *volimus*, intelligi possit». Eam igitur rationem non rejeci. Dav. — Merito non recepit Heindf. cum Ern. horridum illud *volimus*, quod neque ullus liber habet, quem noverimus, neque ex Ciceronis usu est, qui alibi semper scribit *velim*, *velimus*. Mr. — *Quod docere volumus.* Sic etiam cod. meus G. ac licet Priscianus *volimus*, tamquam Tullianum laudet, et in loco de Finibus, V, 13, 37, etiam codex Monac. *volimus* præstet, neutri tamen obtemperandum censuit Gœrenz. ad l. l. sed indicativum tuetur; neque nostro loco ulla conjunctivi ratio idonea apparet. Ad proxima adhibe Cic. Academ. II, 18, 58. Cr.

3. *Seminis enim vim vim esse tantam.* Lucilius spectat λόγον σπερματικὸν Stoicorum, i. e. rationem seminalem, per quam natura, quum in minimo semine primo omnia futura semina posuit, reliqua deinde producit per hanc vim seminibus compositam: quod hodierni vulgo vocant *Systema evolutionis.* Wytt.

Digitized by Google

concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat et efficiat in suo quidque genere, partim ut tantummodo per stirpes alantur suas, partim ut moveri etiam, et sentire, et appetere possint, et ex sese
82 similia sui gignere. Sunt autem, qui omnia naturæ nomine appellent, ut Epicurus, qui ita dividit, omnium, quæ sint, naturam esse corporа[4], et inane, quæque his accidant. Sed nos quum dicimus, natura constare administrarique mundum; non ita dicimus, ut glebam, aut fragmentum lapidis, aut aliquid ejusmodi, nulla cohærendi natura[5], sed ut arborem, ut

4. *Omnium, quæ sint, naturam esse corpora, et inane.* Sextus Empir. adv. Mathem. lib. VIII, p. 363, sic infit: Ὁ δὲ Ἐπίκουρος ἀδιαφόρως τήν τε τῶν σωμάτων καὶ τὴν τοῦ κενοῦ φύσιν ΟΛΟΝ τε καὶ ΠΑΝ προσαγορεύειν εἰώθεν· ὅτε μὲν γάρ φησιν, ὅτι Η ΤΩΝ ΟΛΩΝ ΦΥΣΙΣ ΣΩΜΑΤΑ ἐστι ΚΑΙ ΚΕΝΟΝ. Conf. Plutarchum adv. Colot. pag. 1112; Lucretium, lib. I, v. 420. Vide sis et Diogenem Laertium, lib. X, § 39, 40. Hoc autem a Democrito Leucippoque sumpsit; quod patet ex Aristotele, Metaph. lib. I, c. 4. Dav. — Epicurus naturam omnium rerum quæ sunt, id est, universi, τοῦ παντὸς, dixit constare tribus his rebus, corporibus, vacuo et horum duorum accidentibus. Wytt.

5. *Nulla cohærendi natura*, etc. Quid sibi velit hoc, *nulla cohærendi natura*, fateor ingenue me non videre. Quid enim? nonne lapidis aut glebæ aut ligni partes, quæ constituunt totum lapidem, totam glebam, totum lignum, inter se cohærent? an hoc dicit, fragmenta lapidis jam non cohærere cum toto lapide? neque fragmenta glebæ cum tota gleba? et ita ordine carere et arte? Quorsum hæc? videtur enim constituere velle discrimen inter res insnimas, et res animatas, ut in his sit aliquis ordo, et artis quædam similitudo, id est, rationis: in illis nullus ordo, nulla ratio. Quare videtur pro *cohærendi* legendum vel *arescendi*, vel *coalescendi*, vel aliquid aliud tale. Contra nihil videtur mutandum; nam perpicue discrimen constituit inter totam terram, et particulam terræ: quod terra tota ordinem quemdam et artem præ se ferat, non item terræ fragmenta. Lamb. — Non incommoda videtur Cl. Walkeri conjectura, cui placet *sola cohærendi natura*. Nos malamus *una* vel *nuda cohærendi natura*. Ovidius, Trist. II, vs. 407: «Tempore deficiar, tragicos si persequar ignes, Vixque meus capiat nomina nuda liber». Docebant philosophi, «materiam ipsam cohærere non potuisse, si nulla vi contineretur». Quæ verba sunt Ciceronis Acad. lib. I, cap. 6. Vide porro Gatakerum ad Antonini VI, 14, et Fabricium in Sexti Empirici lib. VII adv. Mathem. § 102, et lib. IX, § 81. Dav.—Ern. ad h. l. «Ego intelligo, non tali na-

Digitized by Google

animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet, et artis quædam similitudo.

XXXIII. Quod si ea, quæ a terra stirpibus conti- 83
nentur, arte naturæ vivunt et vigent : profecto ipsa terra eadem vi continetur et arte naturæ[1], quippe quæ gravidata seminibus, omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat, ipsaque alatur vicissim a superis externisque naturis : ejusdemque

tura, ut opera alia partibus apte structis et nexis, et absolutionem habentis». Quod tamen non exprimi *cohærendi* voce monet Heindorfius, probabiliterque Walkerum conjicere *sola* pro *nulla*, quam conjecturam vel recipiendam censet, vel scribendum «nulla nisi coh. natura»; et hoc quidem magis placet, quam quæ Davisius excogitavit. Marklandus, Epist. Crit. pag. 25, non optimis rationibus hæc verba a mala manu invecta existimat. Ma. — *Nulla cohærendi natura.* Cf. Bibl. Crit. lib. IV, cap. 3, p. 21, ubi Wyttenbachius tamen de h. l. non vult decernere. Walkerus, quocum facit Heindorf. Davisianis exemplis adjecit locum Origenis περὶ εὐχῆς, pag. 19 Oxon. *Cohærendi* autem vocabulum varie usurpant Veteres, docente Ernesto in Cl. Cicer. in voc. et Pareo in Lex. crit. quem etiam novissimus editor de Legg. lib. I, c. 8, 24, adhibuit. Adde Facciolati tot. Latin. Lex. in voc. *Natura* autem proprie est id, quo plantæ similiaque continentur, cf. Tuscul. lib. I, cap. 34, ut Græcorum φύσις. Vide Gatackerum ad Antonin. pag. 226. Ego, posteaquam h. l. *Epicureos* tangi vidissem, in quos itidem supra lib. I, cap. 24, de atomis usurpatur illud «nulla cogente natura», et iterum : «nulla moderante natura, nulla ratione», igitur quum hæc legissem, utriusque loci similitudine commotus, etiam h. l. reponendum suspicabar : «nulla cogente natura», scil. artifice et rationis participe. Sed tamen advertit me nec minus locus cap. 34 post init. «... an eo statu, quo cohærere nullo modo potuerint». Itaque manum abstineo. Ca. — *Nulla cohærendi natura.* I. e. expers mechanismi et compositionis. Wytt.

XXXIII. 1. *Eadem vi continetur et arte naturæ.* Elienses Reg. Lincoln. Med. Cantab. Bonon. 1494 et Victor. particulam copulantem prætermittunt; unde non difficulter intelliget is qui Criticæ litavit, quid de vocibus *arte naturæ* sit sentiendum. Nimirum glossema sunt, quod orae codicis adscriptum, ne nescii essemus, qua de *vi* ageretur, in ipsum, ut fit, orationis contextum invasit. Nos igitur eas pro adscititiis habemus, quam ob causam uncinis sepsimus. Davis. — Concedit Heind. moleste redundare illa *et arte naturæ*, neque vero cum Davisio ea uncinis inclusit, sed ex cod. Glog. dedit «eadem vi continetur naturæ», quam lectionem etiam præstat cod. noster La. Sed quum reliqui omnes libri habeant vocem *arte*, plerique vero negligant voculam *et*, ex nostris A. B. C. D. E. Fa. H. I. M. N. conjiciat aliquis scriptum fuisse «eadem omnino continetur arte naturæ», vel «eadem vivit et continetur arte naturæ». Ma.

Digitized by Google

exspirationibus aer alitur, et æther, et omnia supera. Ita, si terra natura tenetur et viget, eadem ratio in reliquo mundo est: stirpes enim terræ inhærent; animantes autem adspiratione[2] aeris sustinentur; ipseque aer nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat: nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quin etiam movetur nobiscum: quacumque enim imus, quacumque movemur, videtur quasi locum dare, et cedere.

84 Quæque in medium locum mundi, qui est infimus, et quæ a medio in superum, quæque in conversione rotunda circum medium feruntur, ea continentem mundi efficiunt unamque naturam. Et quum quatuor sint genera corporum[3], vicissitudine eorum mundi continuata natura est. Nam ex terra, aqua[4]; ex aqua, oritur aer; ex aere, æther: deinde retrorsum vicissim ex æthere, aer; ex aere, aqua; ex aqua, terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum, deorsum, ultro, citroque commeantibus, mundi par-
85 tium conjunctio continetur. Quæ aut sempiterna[5] sit necesse est, hoc eodem ornatu, quem videmus; aut certe perdiuturna, permanens ad longinquum et im-

2. *Adspiratione*. H. l. idem quod respiratione. Wytt.

3. *Quatuor genera corporum*. I. e. quatuor elementa. Nihil enim insuper admittebant Stoici. Vide Acad. lib. I, cap. 11: «De naturis (Zeno) sic sentiebat, primum in quatuor initiis rerum illis, etc.»

4. *Ex terra, aqua*, etc. Hoc autem de rerum mutatione dogma tenuit, inter alios, Heraclitus, id ab Orpheo mutuatus, si Clementi fides Strom. lib. VI, pag. 265. Hanc in rem multa Veterum loca congessit vir doctissimus Thom. Gatakerus ad Antonini lib. IV, § 46. Davis. — Conf. infra lib. III, cap. 12 fin. ubi gemina leguntur. Adde Lucretium, lib. I, v. 792, qui de his rerum vicissitudinibus ita cauit: « Nam quodcumque suis mutatum finibus exit, Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante». Ubi adhibe Lambinum. Ca.

5. *Quæ aut sempiterna*, etc. Hæc sententia Platonis et Aristotelis: Platonis quidem mundum a deo creatum, sed in omnem æternitatem conservatum iri, Aristotelis autem mundum semper fuisse et fore. De re illa utriusque philosophi libros passim adeas. Wytt.

Digitized by Google

mensum pæne tempus[6]. Quorum utrumvis sit[7], sequitur, natura mundum administrari[8].

Quæ enim classium navigatio, aut quæ instructio exercitus, aut rursus (ut ea, quæ natura efficit, conferamus) quæ procreatio vitis aut arboris, quæ porro animantis figura, conformatioque membrorum, tantam naturæ solertiam significat, quantam ipse mundus? Aut igitur nihil est, quod sentiente natura regatur; aut mundum regi confitendum est. Etenim 86
qui reliquas naturas omnes, earumque semina contineat, qui potest ipse non natura administrari? Ut, si qui[9] dentes, et pubertatem natura dicat exsistere;

6. *Immensum pæne tempus.* Hæc est sententia Stoicorum, qui statuebant mundum alternis vicibus modo igne, modo aqua consumptum iri, scilicet elementis vel in ignem, vel in aquam conversis: hoc autem tempus, per quod tempus duret, dicebatur annus magnus Stoicorum. Diogenes Babylonius eum censuit CCCLXV annis Heracliteis, quorum unusquisque constitit 18,000 annis vulgaribus, igitur 6,570,000 annis vulgaribus. Vide Stobæum, Eclogg. Physs. pag. 21; Plut. de Placit. Philos. lib. II, cap. 20, et Bruck. Hist. Phil. t. I, p. 946. WYTT.

7. *Quorum utrumvis sit, sequitur,* etc. Olim *Quorumvis utr. sit.* Vulg. «quorum utrumvis ut sit»; at vocem penultimam omittit Regius noster, eamque, quum omnino sit supervacanea, delendam censuimus. Joan. autem Pricæus ad Apulei Metamorph. lib. V, pag. 270, dubitat, an non legendum, «utrum utrum sit». Verum, cur in hoc potius, quam in aliis omnibus Veterum locis, *utrumvis* in *utrum utrum* mutetur, nulla prorsus est ratio. DAV. — Retinuit quidem Heind. *ut* ante *sit*, quod est in plerisque codd. et nostris A. B. C. D. E. G. I. Heind. si sana est lectio, ait, idem hæc valent, ac si diceret, «quorum vel hoc vel illud si s. ut ponatur»; sed Ciceronis stylum se neque in vulgata, neque in Davisii lectione agnoscere dicit, et vult «quorum utrovis posito, sequitur», vel, «quorum utrumcumque est: sequitur». In cod. Glog. nihil nisi hoc comparet: «quorum utrumvis, sequitur». MR. — *Quorum utrumvis ut sit* legendum censet Gœrenz. ad Ciceronem, de Legg. lib. I, cap. 14, p. 60, explicans: *utut sit.* CR.

8. *Natura mundum administrari.* Id est, natura sentiente et cogitante, seu providentia divina. WYTT.

9. *Si qui dentes.* Pro *si qui* (ita Heind. recte scribit separatis vocibus) est in codd. Glog. Red. et nostris Fa. G. La. et O. *si quis;* ita etiam edd. Th. et Bas. Tum Heind. ex suo cod. Red. notat *natura dicat exsistere;* sed quum ita legatur vulgo, credo, eum voluisse scribere, ut est in nostro cod. D. «dicat natura exsistere». Post sequens *aliquid* sine interruptione pergunt codd. quos supra ad cap. 5 finem et ad cap. 6 initium indicavimus la-

Digitized by Google

ipsum autem hominem, cui ea exsistant, non constare natura: non intelligat, ea, quæ efferant aliquid ex sese [10], perfectiores habere naturas, quam ea, quæ ex iis efferantur.

XXXIV. Omnium autem rerum, quæ natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor est mundus; omniaque, sicut membra et partes suas, nutricatur et continet. Quod si mundi partes natura administrantur, necesse est mundum ipsum natura administrari: cujus quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. Ex iis enim naturis, quæ erant, quod effici
87 potuit optimum, effectum est [1]. Doceat ergo aliquis potuisse melius. Sed nemo umquam docebit; et, si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus, utrum ea fortuitane sint, an eo statu,

cunam habere vel potius multis omissis ad hunc locum transire, eaque inferunt, quæ sunt inter cap. 34 et 62, quo deinde loco ea sequuntur, quæ inde a cap. 6 usque ad cap. 34 omissa videbantur. Neque est, quod hoc loco varios modos repetamus, quibus nostri codices vel adjectis aliquot verbis ex cap. 62, vel repetitis ex capitibus superioribus, ea conjungunt, quæ, ut videtur, conjungi nequeunt. Ma.

10. *Quæ efferant aliquid ex sese.* Nititur hoc argumentum illo decreto, causam efficientem semper præstantiorem esse quam effectum, seu nullam causam efficientem posse aliquid efficere quod præstantius sit quam ipsa: porro notatur præs. conjunct. «si quis dicat, is non intelligat», pro quo vulgo ponunt «si quis diceret...is non intelligeret». Wytt.

XXXIV. 1. *Ex iis enim naturis... effectum est.* Ex ea materia quam deus ut architecta habuit, et e qua mundum composuit, nihil melius effici potuit. Est hoc Chrysippi argumentum, cujus locum servavit Plutarchus de Rep. Stoicorum, p. 1051. Wytt. — Nonne manifesto patet materiam non creatam, sed æterne exsistentem admittere philosophos istos? «Providentia, aiunt illi, in melius naturam ordinavit; si quid mali in mundo, non ex ordinante providentia, sed ex ordinata materia effluxit. Nihil querelæ in providentiam recinamus». Ita dei bonitatem, non salva ejus potentia incolumem præstant.

Digitized by Google

quo cohærere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante, divinaque providentia[2].

Si ergo meliora sunt ea, quæ natura, quam illa, quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quidquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam quum adspexeris, scire adhibitam esse artem; quumque procul cursum navigii videris[3], non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur; aut quum solarium vel descriptum, aut ex aqua[4], contemplere,

2. *Fortuita... providentia.* Est hæc interrogatio negans, ut facile appareat, quid statuatur, hac veluti formula: Si omnes mundi partes et ad usum optimæ et ad speciem pulcherrimæ sunt, non mundus ortus est *fortuito*, i. e. *casu*, prout Epicurei volunt, sed mundus in eo est statu, in quo cohærere nullo modo potuerit, nisi ab eo gubernaretur et conservaretur. De mundi autem perfectione quod ab initio hujus capitis positum est dogma Stoicorum, hoc item ornavit poeta Sotades ap. Stobæum in Flor. Tit. 96, p. 528, et jam ante Stoicos sic pronuntiavit Ephantus Pythagoricus ap. eumdem Stobæum, tit. 46, pag. 333. Cf. Lipsium de Phys. Stoicorum, I, 7, 8. Wyttenbach.

3. *Cursum navigii videris.* Similiter Theophilus Antiochenus, I, pag. 13 ed. Oxon. Πλοῖον θεασάμενός τις ἐν θαλάσσῃ κατηρτισμένον καὶ τρέχον καὶ κατερχόμενον εἰς λιμένα, δῆλον ὅτι ἡγήσεται εἶναι ἐν αὐτῷ κυβερνήτην τὸν κυβερνῶντα αὐτό. Vide et Theodoretum, Serm. II de Prov. p. 29. Nescio vero quid sibi velint Eliens. unus, Reg. Cant. Lincoln. Med. et Bonon. 1494, qui repræsentant, «sursum navigium agi videris». Vulgatæ quidem scripturæ sensus est planus et apertus; igitur ea, per me licet, immota maneat. Davis. — Etiam Heindorf. edidit «quumque procul cursum navigii videris»; quem miror abjecisse lectionem codicis Red. *procul sursum*. Quod non eo dictum velim, quasi eam unice veram existimem, verumtamen *sursum* elegantius videtur quam pro librarii invento. Est enim *in alto*. Et possit fortasse illud *procul* pro explicatione vocis *sursum* haberi. Neque displicet lectio cod. G. «quumque procul rursum navigium agi videris». Etenim ut græcum αὖ, ita *rursus* inservit repetitis exemplis. Cap. 33: «Quæ enim classium navigatio, aut quæ instructio exercitus, aut rursus... quæ procreatio vitis... significat...» Igitur quid Tullius scripserit, non dixerim: hoc dixerim: in promptu fore unicuique *cursum*, neque vero aut *sursum* aut *rursum*. Cr.

4. *Solarium... ex aqua, contemplere.* Clepsydram dicit, quam *ex aqua mensuram* vocavit Cæsar, Bell. Gall. lib. V, cap. 13. Apposite Censorinus de Die Nat. c. 22: «P. Corn. Nasica censor ex aqua fecit horarium, quod et ipsum ex consuetudine noscendi a sole horas, solarium cœptum vocari». Vide et Plinium, Hist. Nat. lib. VII, cap. 60. Davis. — *Solarium... descriptum... ex aqua.* Davisianis adjice

Digitized by Google

intelligere declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui et has ipsas artes, et earum artifices, et cuncta complectatur, consilii et rationis esse exper-
88 tem putare? Quod si in Scythiam, aut in Britanniam, sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in sole, et in luna, et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cælo singulis diebus et noctibus: quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione?

XXXV. Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casune ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione ac mente divina; et Archimedem arbitrantur plus valuisse[1] in imitandis sphæræ conversionibus, quam naturam in efficiendis, præsertim quum multis partibus sint illa perfecta,
89 quam hæc simulata, solertius. Atqui ille apud Attium pastor, qui navem nunquam ante vidisset, ut procul divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte

quæ Martini in Comment de Solariis et I. A. Ernestus in Opuscul. critic. pag. 22 seqq. exposuerunt. Quibus jungi debent Paciaudii disputata ad Monumenta Peloponn. vol. I, cap. 3, p. 36 seqq. Jo. Beckmannus in Symbolis ad Histor. rerum inventt. libro vernac. lib. I, cap. 2; Uckert. item in libro germano de Geographia Græcorum et Romanorum, lib. II, pag. 66 seq. et quæ proxime a peregrinatoribus per Græciam hujus generis reperta sunt. De clepsydris in foro locus luculentus est apud Jo. Lydum de magistratibus Romanis, lib. II, c. 16. Qui idem lib. III, cap. 35, de ὡρολογίῳ τῆς πόλεως loquitur. De *sphæris* vide Gemini elementa Astronom. in Petavii Uranolog. et quæ plura collegit Fabricius in Biblioth. gr. vol. III, p. 455. Conf. etiam Leontium in Arateis ed. Buhlii vol. I, p. 257 seqq. et Uckert. in libro laud. II, p. 203 seq. Ca.

XXXV. 1. *Archimedem arbitrantur plus valuisse.* Stoici apud Sextum Empiricum adv. Mathem. p. 329: Τὴν γοῦν Ἀρχιμήδειον σφαῖραν σφόδρα θαυμάζοντες ἐκπλαττόμεθα, ἐν ᾗ Ἥλιός τε καὶ Σελήνη κινεῖται καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἄστρων, οὐ μὰ Δία ἐπὶ τοῖς ξύλοις οὐδ' ἐπὶ τῇ κινήσει τούτων τεθηπότες, ἀλλ' ἐπὶ τῇ τεχνίτῃ καὶ ταῖς κινούσαις αἰτίαις, etc. unde sua mutuatus est Cicero. Porro de Archimedis sphæra, præter alios multos, adeundi Noster Tusc. lib. I, cap. 25; Lactantius, Div. Instit. lib. II, cap. 5, et Claudianus, Epigr. XVIII. Dav.

Digitized by Google

conspexit [2], primo admirans et perterritus, hoc modo loquitur :

Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti sonitu et spiritu [3];
Præ se undas volvit; vortices vi suscitat;
Ruit prolapsa; pelagus respergit; profluit [4].
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublime [5] ventis expulsum rapi
Saxum, aut procellis, vel globosos turbines
Exsistere ictos [6] undis concursantibus :

2. *Ille apud Attium pastor ... ut ... vehiculum Argonautarum e monte conspexit.* Non multo aliter pastores, apud Apollonium, naves esse monstra maritima sunt arbitrati. Sic igitur ille, lib. IV, 316 : ... Εἰαμεναῖοι δ' ἐν ἴοντα πώεα λαῖτμον Ποιμένες ἀγραυλοι, νῶϊν φόβῳ, εἰά τε θῆρας Ὀσσόμενοι πόντου μεγακήτεος ἐξανιόντας. Οὐ γάρ πω ἐλίας γε πάρος ποτὲ νῆας ἴδοντο. Ad rem, quam Tullius agit, inter alios præclare Eustathius in Hexaem. p. 33. Miro tamen errore pastorem Actii degentem hinc fecit Cl. Derhamus Astro-Theol. lib. IV, cap. 2, pag. 68. Dav. — Scribitur *Aetium* in cod. Reg. et nostris A. B. C. D. E. Fa. G. H. Oxf. ψ. et ed. Th. In ed. Bas. *Accium*. Ma. — *Accius* est in Quintil. Inst. Or. X, 1, 97, pag. 84, sine ulla varietate lectionis. De hoc poeta cf. Horat. Epist. II, 1, 55, ibique interpr. Mox *ex alto*. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. I, 109. Cu.

3. *Ingenti sonitu et spiritu.* Omnes, quod sciam, MSS habent « ingenti sonitu et strepitu ». Quum autem metro repugnet hæc lectio, scribendum conjecit G. J. Vossius ad Fragm. Trag. p. 135, « ingenti sonitu atque strepitu ». Sed quum Priscianus de Metr. Com. col. 1325, receptam lectionem retineat, eam sane non deseruerim. Nam voces *spiritus* et *strepitus* sunt συμετάβολοι. Sic in his Ennii versibus apud A. Gellium, N. A. IV, 17 : « Per ego deum sublimas subices, humidus Unde oritur imber sonitu sævo et spiritu »; codices exhibent « sonitu sævo et strepitu », quod auctoritate Festi in *subices* recte mutatum. Dav. — Lectio *strepitu* metro invito est etiam in codd. Glog. et Red. et nostris omnibus, nisi quod ex codd. La. et Oxf. ψ. pravam illam lectionem non enotatam reperimus. Ma.

4. *Pelagus respergit; profluit.* Vocem dissyllabam flagitat metrum, quapropter ex Prisciano reponendum *reflat*; ut olim etiam D. Lambinus ediderat. Dav. — Vox *respergit* deest in cod. Glog. Heind. ferri posse credit *profluit*, si pro bisyllabo accipiatur, ut apud comicos nonnumquam *fuisse*, per crasin; frigere tamen existimat vocabulum illud, conjicit igitur *proflat*, haud incommode. Cod. H. *profluit ita*. Ma.

5. *Ita dum interruptum ... Dum quod sublime.* Cum doctiss. Boherio legerim, « Ita tum interruptum ... tum quod sublime, etc. » Dav. — Scripsit Heind. ex cod. Glog. quem veram scripturam servasse ait, « ita num interr. ... num quod subl. » et post *concursantibus* signum interrogandi ponit. Quæ placent sane. Ma.

6. *Ictos.* Amplissimus Boherius re-

Digitized by Google

Nisi quas terrestres pontus strages conciet;
Aut forte Triton fuscina evertens specus [7]
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad cælum eruit [8].

Dubitat primo, quæ sit ea natura, quam cernit ignotam; idemque, juvenibus visis, auditoque nautico cantu [9],

Sicut inciti atque alacres rostris perfremunt [10]
Delphini.....

Item alia multa:

Silvani melo
Consimilem ad aures cantum et auditum refert.

ponit *aetos*. Dav.—Cod. Glog. « Exsistere aut ventos concursantibus ». Codd. D. et M. *et concursantibus*. Boherii *actos*, quod etiam Ernesto placet, ut in prioribus ejusdem *tum ... tum*, ideo non recepit Heind. quia *ictos* plane idem est, sed poetæ convenientius. Ma.

7. *Evertens specus*. Quidam legi volunt *everrens specus*. Ego in omnibus libris MSS reperi scriptum *evertens*. Lamb.

8. *Ad cælum eruit*. Prisciani codices « ad cælum vomit », quod, ut ἀρχαϊκώτερον, ei prætulerim lectioni, quam præ se ferunt Ciceronis exemplaria. Sic græcus poeta dixit πρὸς οὐρανὸν ΕΞΕΡΜΕΙΝ, quam loquendi rationem quasi παραπράγματον damnat Longinus περὶ ὕψους, § 3. Ambrosius, Hexaem. lib. III, cap. 2, n. 9: « Quomodo fit, ut ima soli ora undam vomant ». Vide et cap. 5, 23. Dav. — Davisio adstipulatur Toupius ad locum Longini, pag. 277 ed. Oxon. De Tritone *vomit* absurdum dicit Heindorfius. Ca.

9. *Nautico cantu*. Mos erat apud Veteres, ut constat præcipue ex compluribus locis poetarum, dum ferrentur per altum navigia, canendi, ut remiges ad numerum brachia moverent.

10. *Sicut inciti atque alacres rostris perfremunt*. Laborat versus, quapropter P. Manutius et D. Lambinus reponunt *sicuti citi*, et ita fere edidit Pet. Scriverius, Fragm. Trag. pag. 98. Sed facilior et rectior est medela, quæ viris illis doctis in mentem non venit; legendum enim videtur, « auditoque nautico cantu, sic (videlicet *cit*, quam vocem facile subintelligendam expressit MS Cantabr.) : Ut inciti atque alacres rostris perfremunt » : adeoque *sic* non erit Attii, sed Ciceronis; et recte se habebunt omnia. Dav. — Ernestus sese Davisii partibus applicabat, sed, fortasse operarum vitio, eum velle *ut citi* dixit in notis. Melius tamen multo Heind. ex cod. Glog. dedit *sic incitati* et ex cod. Red. *et* pro *atque*. Illud præstat etiam noster La. Ma. — *Inciti ... delphini*. Velocitatem delphinorum prædicant alii quoque poetæ, ut Pindar. Pyth. II, 92. Hinc pro felicis cursus navigantibus tessera accipiebant, ibid. IV, 29; Euripid. Helen. 1467, Electr. 433; cf. etiam Spanhem. de Us. et Pr. Numism. I, p. 224. Ca.

Digitized by Google

Ergo ut hic primo adspectu inanimum quiddam, sen- 90
suque vacuum, se putat cernere; post autem signis certioribus, quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari : sic philosophi debuerunt, si forte eos primus adspectus mundi conturbaverat, postea quum vidissent motus ejus finitos et æquabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantia, intelligere inesse aliquem non solum habitatorem in hac cælesti ac divina domo, sed etiam rectorem, et moderatorem, et tamquam architectum tanti operis tantique muneris.

XXXVI. Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas cælestium rerum atque terrestrium.

Principio[1] enim terra, sita in media parte mundi, 91
circumfusa undique est hac animabili spirabilique natura[2], cui nomen est aer, græcum illud quidem, sed perceptum jam tamen usu a nostris : tritum est enim pro latino. Hunc rursus amplectitur immensus æther, qui constat ex altissimis ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum, dicaturque tam æther latine, quam dicitur aer; etsi interpretatur Pacuvius,

Hoc, quod memoro[3], nostri cælum, Graii perhibent æthera.

XXXVI. 1. *Principio... terra, sita in media parte mundi.* Cf. Tuscul. I, 17; Academm. II, 38, 120; Ovid. Fastor. I, 110; Plin. H. N. II, 64. Fons autem doctrinæ in Platonis Phædone est, cap. 46, ubi vid. Wyttenbachii annott. pag. 296 seqq. etiam Diogen. Laert. VII, 155. Cr.

2. *Hac animabili spirabilique.* Idem, quem supra commemoravi, Junius ex Probo legit *animali*. Contra Servius apud Virgilium ad illum locum, lib. III Æneid. « per hoc cæli spirabile lumen », legit, *spiritabile;* sic enim ille :« spirabile, id est, vitale, quo spiramus; et est sermo Ciceronis; quamquam ille dixit spiritabile in libris de Nat. Deor. » Lamb. — *Animabili spirabilique natura.* Natura rursus sumitur pro materia, substantia. *Spirabilis* i. e. qua respiramus; *animabilis*, i. e. qua animum, seu vitam ducimus : nam animus oritur a græco ἀνεμόω, haurio. Quædam editiones habent *animali*, quod non opus est. Wytt.

3. *Hoc, quod memoro*, etc. Versus est trochaicus, quod ideo moneo,

Digitized by Google

Quasi vero non Graius hoc dicat. At latine loquitur. Si quidem nos non quasi græce loquentem audiamus. Docet idem alio loco :

Grajugena de isto aperit ipsa oratio [4].

92 Sed ad majora redeamus. Ex æthere igitur innumerabiles flammæ siderum exsistunt : quorum est princeps sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus major atque amplior, quam terra universa; deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis. Atque hi tanti ignes, tamque multi, non modo nihil nocent terris, rebusque terrestribus, sed ita prosunt, ut, si mota loco sint [5], conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus, moderatione et temperatione sublata.

93 XXXVII. Hic ego non mirer esse quemquam, qui

quia Pet. Lescaloperius se nequiit expedire, sed iambici carminis speciem hic apparere somniavit. Hunc aut huic persimilem Pacuvii locum adducit Varro, L. L. lib. IV, pag. 8. Dav. — Versus est ex tragœdia Chryse apud Vossium, pag. 34; qui utrum sit iambicus an trochaicus dubitatur. Alter ex incerto dramate ibidem, pag. 80; in priore autem versu Pacuvius sui oblitus græcum hominem inducit loquentem latine, ita ut non cogitet, se Græcum debere esse. Wytt.

4. *Grajugena de isto aperit ipsa oratio.* In editt. Lambinianis perperam legitur *ipsa ratio;* nam et metrum et veteres codices adversantur. At H. Grotius ingeniose reposuit : « Grajugenam ted' esse aperit ipsa oratio »; ejusque conjecturam probat G. J. Vossius ad Fragm. Trag. p. 114. Ego sane de hujusmodi ἀποσπασματίοις nihil audacter pronuntiandum censeo. Dav. — Heind. conjicit « Grajugena de isto aperit ista ipsa oratio ». Duriuscule certe. Ernesto placebat Grotii ratio. Eligat lector prudens, interea vulgatam non deserimus. Mr.

5. *Mota loco sint.* Leg. *moti*, quod recte vidit Cl. Walkerus : patet enim vocem illam ad nihil aliud quam ad *ignes* referri posse. Dav. — Ern. cum Wopkensio, Lectt. Tull. II, 7, retinet vulgatam, et hic eam sic defendit, ut ad *mota* intelligat *sidera*. Recte monet Heind. ni statim subjiceretur « a tantis ardoribus ». Recepit igitur Walkeri conjecturam *moti*, ut correctum reperit in cod. Red. Neque vero eumdem sequitur Walkerum, interpungentem « ut conflagrare terras necesse sit, a tantis ardoribus moderatione et temperatione sublata ». Ceterum hæc omnia, inde ab *Atque* usque ad *sublata*, negligenter et nimis contracte esse a Cicerone dicta existimat. Mr. — *Si mota loco sint.* Videtur h. l. excidisse *propius ad nos*, vel simile quid : nam si mota sint loco remotius a nobis, tunc non conflagrare, sed conglaciari aut frigore corrumpi terras necesse sit. Wytt.

Digitized by Google

sibi persuadeat, corpora quædam solida, atque individua, vi et gravitate ferri, mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formæ literarum vel aureæ, vel quales libet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis Annales Ennii [1], ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. Isti autem quemadmodum as- 94
severant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua [2], quam ποιότητα Græci vocant, non sensu præditis, sed concurrentibus temere atque casu, mundum esse perfectum? vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire? Quod si mundum efficere potest concursus atomo-

XXXVII. 1. *Formæ literarum ... Annales Ennii.* Celeberrimus locus, et a nonnullis ad typographicæ artis antiquitatem monstrandam male adhibitus. Quam rem nuper etiam attigit F. A. Wolfius in Prolegg. Homerr. pag. 81. Cr. — *Annales Ennii.* I. e. ejus carmen de historia romana. Simile argumentum habet Cicero de Div. I, 13. Wyrr.

2. *Non colore, non qualitate aliqua.* Epicurus statuit, μηδὲ ΠΟΙΟΤΗΤΑ τινα περὶ τὰς ἀτόμους εἶναι, πλὴν σχήματος καὶ μεγέθους καὶ βάρους· τὸ δὲ ΧΡΩΜΑ παρὰ τὴν θέσιν τῶν ἀτόμων ἀλλάττεσθαι. Vide Diogenem Laertium, lib. X, § 44. Dav. — Delevit Heind. cum Boherio interrogandi signa post *perfectum* et *interire* et illo loco distinctionem minorem posuit, hoc majorem, recte frigidam esse h. l. interrogationem statuens; ita vero construi orationem, quasi non præcessisset *quemadmodum*, Græcorum more, neque illo latinis scriptoribus inusitato. Et plane, ut Heind. dedit, exhibet cod. noster G. Mr. — *Isti autem ... ex corpusculis ... mundum esse perfectum.* Mox ad verba: « qui locus est proximus » jam Ald. Manutius in comment. Venet. 1583, pag. 55, retrahere a turpi lapsu Kinderveterum poterat. Recte enim accipit de ordine atque dispositione disputationis: in explicatione tamen ipsa errat. Neque enim dum oratio versatur in secunda disputationis parte, utpote quæ jam absoluta fuerit, cap. 36 (cf. etiam cap. 30), sed in tertia, quæ ducitur ex admiratione rerum cælestium atque terrestrium. Transitur autem ad cælestium rerum explicationem, cap. 40. Unde suspicatus eram, verba « qui locus est prox. » glossatoris esse. Nunc codicem Glog. adstipulari video. Cr.

Digitized by Google

rum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa, et multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem cæli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur.

95 Præclare ergo Aristoteles: «Si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram; accepissent autem fama et auditione, esse quoddam numen et vim deorum; deinde aliquo tempore, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent: quum repente terram, et maria, cælumque vidissent; nubium magnitudinem, ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem, ejusque tum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam [3] efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffusa; quum autem terras nox opacasset, tum cælum totum cernerent astris distinctum [4] et ornatum, lunæque luminum varietatem

3. *Etiam.* Pro *etiam* in cod. Oxf. e. est *et* contra Ciceronis morem; Heind. hoc *etiam* incommodum esse judicat et natum credit ex seq. *efficientiam*; tum dedit idem ex codicis Glog. scriptione «ut is diem efficere», latinitate, ut ait, postulante. Ego vero in scriptione *ut* librarii manum agnosco, qui Ciceronem corrigere, quam ejus loquendi usum observare, mallet. Et frequentissima sunt in illo codice istiusmodi correctionum exempla, non ineptarum quidem, sed earum, quæ sæpe imponerent Heindorfio; cujus rei jam specimina aliquot dedimus et dabimus nonnulla in sequentibus. Mn.

4. *Cælum totum cernerent astris distinctum.* Quamvis locus Aristotelis, quem vertit Cicero, jam periit; tamen inanis est eorum suspicio, qui philosophum illum similia non tradidisse confirmant. Sextus Empir. adv. Mathem. pag. 311, 312: Ἀριστοτέλης ἐπὶ δυοῖν ἀρχῶν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, ἐπό τε τῶν περὶ τὴν ψυχὴν συμβαινόντων, καὶ ἀπὸ τῶν μετεώρων ... θεασάμενοι γὰρ μεθ' ἡμέραν μὲν ἥλιον περιπολοῦντα, νύ-

Digitized by Google

tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus, atque in omni æternitate ratos immutabilesque cursus : hæc quum viderent[5], profecto et esse deos, et hæc tanta opera deorum esse arbitrarentur ». Atque hæc quidem ille.

XXXVIII. Nos autem tenebras cogitemus tantas, 96
quantæ quondam eruptione Ætnæorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo[1] agnosceret; quum autem tertio die sol illuxisset, tum ut revixisse sibi viderentur. Quod si hoc idem ex æternis tenebris contingeret, ut subito lucem adspiceremus ; quænam species cæli videretur? Sed assiduitate quotidiana et consuetu-

κτωρ δὲ τὴν εὔταχτον τῶν ἄλλων ἀστέρων κίνησιν, ἐνόμισαν εἶναί τινα θεὸν τὸν τῆς τοιαύτης κινήσεως καὶ ἀταξίας (leg. εὐταξίας) αἴτιον. De re ipsa præclarus est Dionis Chrysostomi locus Orat. XII, pag. 201. Dav.

5. *Hæc quum viderent.* Quantum constat, hanc lectionem ne unus quidem repræsentat MS; nam Wover. Pal. tert. Elienₛ. Med. Reg. et Bonon. 1494, exhibent, « quæ quum viderent ». Pal. sec. « que quæ quum viderunt ». Repone « quæque quum viderent »; non enim erat cur Grutero tria ista verba viderentur adscititia. Certe post longiorem orationis ductum crebræ sunt hujusmodi ἀνακεφαλαιώσεις, et si varietates, quas causatur vir ille doctus, ratio sint idonea, cur locos scriptoribus abjudicemus, nihil fere non in Veterum monumentis νόθον et κίβδηλον censebitur. Dav. — Restituit Heind. librorum fere omnium (nam *hæc* est in codd. H. La. Oxf. e. et ψ.) scriptionem « quæ quum viderent »; scriptumque monet esse hoc, quasi Aristotelis verba incepissent : « Fingamus esse homines, qui, etc. » *Hæc quum* jam est in ed. Bas. at Heind. codd. et edd. omnes habent *quæ*. Mr.

XXXVIII. 1. *Nemo hominem homo.* Conf. cap. 66, « nemo vir magnus », et consule Sanctii Minerv. II, pag. 83, ibique Perizon. et Baver. Proxime supra : « Ætnæorum ignium ». Vid. Aristotel. qui fertur de Mundo, IV, 25, pag. 148, ibique Kappium, Justinum, IV, 1 (probabiliter ex Theopompo, qui rerum scriptor in hujus rei causas inquisierat), et quæ Heynius copiosius disputat in Excurs. ad Virgil. Æneid. III, 571 seqq. Cf. etiam Lucret. de R. Nat. I, 723, ibique Lambinum. Ca.—*Ut revixisse sibi viderentur.* Elienₛ. habet, « revixisse sensus viderentur », eaque forte non inelegans haberi possit metaphora. Utcunque sit, hoc in loco vix admitti debet illa lectio; licet enim visum eripiant tenebræ, nihil tamen impediunt, quo minus integra sit reliquorum *sensuum* usura. Dav. — Cod. Glog. et noster Fa. « tum reluxisse sibi ». Cod. Red. « tum revixisse sibi ». Et commode carere posse, ait Heind. sermonem voce *ut*. Mr.

Digitized by Google

dine oculorum assuescunt animi; neque admirantur, neque requirunt rationes[2] earum rerum, quas semper vident: proinde quasi novitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Quis enim hunc hominem dixerit[3], qui quum 97 tam certos cæli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An quum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, ut alia permulta; non dubitamus, quin illa opera sint rationis: quum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium; dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam

2. *Neque requirunt rationes.* MS Regius a prima manu, *adquirunt.* Lego *anquirunt.* Seneca Hippolyto, vs. 1278: « At vos per agros corporis partes vagas Anquirite ». Illic etiam in plerisque libris *acquirite.* Florus, lib. IV, cap. XII, 12: « Quod (anrum) alioquin gens omnium cupidissima, studiosa diligentia anquirat ». Sic ex Nazarii codice Salmasius. In aliis perperam *acquirit;* ut plane videas, istas voces a librariis passim confusas esse. *Anquirendi* verbo utuntur Lucretius, Sallustius, Livius, et sæpissime Cicero. Vide sis interpretes ad lib. I Offic. cap. 3, ac de Amic. capp. 22 et 24. Dav. — Retinet Heind. codicum plerorumque scriptionem *requirunt,* quam etiam præstant nostri omnes. Pro *proinde* recepit Heind. ex cod. Reg. *perinde,* recte monens, hoc sensu illam vocem antiquitus non fuisse in usu, sed pro *igitur* cum exhortatione quadam. *Perinde* exhibent quoque nostri codd. O. et Oxf. ψ. cum ed. Bas. quæ in vett. edd. haud ultimum locum tenet. Pro *exquirendas* in Oxf. ψ. est *exequendas,* quo vocabulo nonnumquam eodem sensu, quo illo, utuntur auctores; unde hoc a Cicerone profectum, illud ab interpretibus inductum conjici possit. Sed nihil muto; nam Ciceronem eo verbo sic usum non memini. Ma.

3. *Quis enim hunc hominem dixerit,* etc. Profert hunc locum Nonius in voce *aptus;* ubi animadversione dignum est, legi pro « tam ratos astrorum ordines », quomodo habent omnes libri et MSS et impressi, « tam statos astrorum ordines ». Lamb.—*An quum machin. moveri . . . ut horas.* Cf. annot. nostram supra ad II, 34, sub fin.

Digitized by Google

divinaque ratione[4]? Licet enim jam, remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. 98

XXXIX. Ac principio terra universa cernatur, locata in media mundi sede[1], solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus[2], herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur.

Nostro loco adhibe Lambinum ad Lucret. lib. II, vs. 166, pag. 114, et, quam h. l. recte laudat Kindervat. copiosam Hindenburgii disputationem ad Xenoph. Memor. lib. III, cap. 3, pag. 170. Cr.

4. *Excellenti quadam divinaque ratione?* Secunda vox haud est necessaria; eamque prætermittunt Eliens. Reg. Lincoln. Med. Bonon. 1494, ac Victor. quapropter nos MSS fidem sequendam duximus. Dav. — Scripsit Heind. ex observatione Bentleii ad Hor. Carm. I, 25, 17, *excellente*, et cum Dav. omisit *quadam*, quod abest etiam a codd. Glog. Red. et edd. Marsi et Ascens. neque habent nostri fere omnes, et ed. Th. Mr.

XXXIX. 1. *Terra..... in media mundi sede*, etc. Platon. Phæd. pag. 83, ed. Wyttenb. ... καὶ τῆς γῆς αὐτῆς ἰσορροπίαν, ad quem locum vid. Wyttenb. annot. quum in Phædone, p. 297, tum præsertim Philomathiæ part. III, p. 105 seq. — *Undique... congl.* Nutus a Græcis νεῦσις, ab hodiernis dicitur *tendentia*, quia omnes partes terræ in ipsam tendunt. In medio debent convenire earum pulsus et efficere earum vim centripetam, quam hodierni ita vocarunt. Diximus de hac re ad Plat. Phæd. in fin. Wytt.

2. *Vestita floribus.* Elegans metaphora. Livius, XXI, 54: « Obsitus palustribus herbis, et quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque ». Idem XXII, 28. Iterum XXXII, 13. Ovidius, Fast. IV, 707: « Qui fugit, incendit vestitos messibus agros ». Ambrosius, Hexaem. lib. I, cap. 7, § 27: « Quasi non potuerit... floribus ac fructibus terra vestiri ». Et lib. III, cap. 11, § 47: « Nemoribus terra vestita est ». Infra cap. 53; Sallust. Jugurth. cap. 48, pag. 635, et ibi Cortius. Plura suppeditabit Joan. Savaro ad Sidonii Apollinaris lib. I, Epist. VI, pag. 32. Davisius. — *Vestita floribus.* Vid. Davis. Adde Plotinum περὶ προνοίας, pag. 257, B. — *Arb. frugibus.* Voces *frugum* et *fructuum* jungit Noster infr. III, 36; ubi posteriùs ad arbores pertinet. Cf. etiam de Offic. II, 3, 14, ibique Heusinger. p. 397. — Proxime cod. G. *perennitates*, ut Davis. Quæ scriptura etiam Facciolato placuit. Neque ab ea discesserim. *Perennis* autem proprie de fontibus, fluminibus. Hinc Numicii amnis Nympha ap. Ovid. Fast. III, 654: « Amne perenne latens, Anna Perenna vocor ». Hinc in ejus festis diebus illa formula in propinando: « ut annare et perennare (al. peranare) prospere liceat ». Ap. Macrob. Sat. I, 12. Cr.

Digitized by Google

Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines [3], immensitatesque camporum; adde etiam reconditas auri argentique
99 venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero, et quam varia genera bestiarum vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus? quæ vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur eam nec immanitate belluarum efferari, nec stirpium asperitate vastari; quorumque operibus agri, insulæ, litoraque collucent, distincta tectis et urbibus. Quæ si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens ter-
100 ram de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo? quæ species[4] universi? quæ multitudo et varietas insularum? quæ amœnitates orarum et litorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhærentium? Ipsum autem[5] mare sic

3. *Speluncarum concavas altitudines.* Ex conjectura nonnulli *latitudines* reponunt, quia quatuor abhinc vocibus *altitudines* repetit Noster et alio quidem significatu, quod durum videtur. Hujusmodi tamen negligentia viris summis interdum obrepit, ut hanc ob causam forte non mutanda sit lectio vulgata. Vide quæ diximus ad Minucii Felicis cap. 8, pag. 51. Si tamen a codicibus sit abeundum, malim « speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium celsitudines ». Dav. — Heindorfius quoque ferri non posse censet *altitudines*; neque vero ei placet Lambini *latitudines*, neque Boherii *solitudines*; conjecit igitur *amplitudines*, quod certissimum credit, quodque nobis quoque placet. Verba *saxorum... altitudines* in cod. La. deerant, eaque alia manus margini adscripsit. Ma. — *Speluncarum concavas altitudines.* Vid. Davis. Plura locutionis exempla congessit Oudendorpius ad Apuleii Metam. V, 88, pag. 319. Ca.

4. *Quæ species universi.* non præbet J. V. L. editio; hunc locum restituimus.

5. *Ipsum autem mare*, etc. Putaveram olim pro *cludit* seu *claudit* legendum *clauditur*. Sed quum libri veteres habeant *litoribus eludit*, quid est opus conjectura? Nam sic fere loquitur Topicis, cap. 7: « Aquilius, quærentibus iis ad quos id pertineret, quid esset litus, ita definire:

Digitized by Google

terram appetens litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aer, 101
die et nocte distinguitur: isque tum fusus et extenuatus sublime fertur [6]; tum autem concretus, in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus; tum effluens huc et illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum et calorum facit varietates; idemque et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit [7] et sustentat animantes.

XL. Restat ultimus, et a domiciliis nostris altissimus [1], omnia cingens et coercens cæli complexus, qui

qua fluctus alluderet»; alias *eluderet*. Omnino *litoribus cludit* aut *claudit* ferri non potest: *litoribus clauditur* probarem, nisi tam longe abesset ab antiqua scriptura. Lamb. — *Mare ... eludit*. Eleganter et poetice dicitur pro mare quasi petens terram et ad eam alludens, ludendi finem facit in litoribus. Wytt. — Nonnulli MSS *cludit*, quam lectionem, licet ineptam et insulsam, probat Lescaloperius. Mare quidem non magis litoribus, quam flumen ripis, terram claudit. Si dubites, exemplorum affatim suppeditabunt Josu. Wawerius et Des. Heraldus ad Minucii Felicis cap. 3, p. 27. Davis. — Ernesto placet *eludit*, quidquid priores contra dicant, et explicans per «ambit, circumdat», melius convenire sequentibus «ut una duabus naturis conflata videatur» existimat, quam *eludit* et *alludit*. In quo me adsentientem habet. Recepit idem jam Gesnerus in Chrestom. Cicer. p. 415. Heind. dedit *alludit* ex cod. Glog. qui tamen superscriptum habet *allnit*. Ma. — *Cludit* etiam propter sequentia placet, et legitur in Ciceronis Top. cap. 7. Ca.

6. *Sublime fertur*. Sic eleganter Lincoln. Med. Victor. et Bonon. 1494; nam plerique codices tam MSS quam typis excusi habent, «in sublime fertur». Absque causa sontica. Lucretius, lib. IV, pag. 433: «Quæ multis formata modis sublime feruntur». Virgil. Eclog. IX, 29: «Cantantes sublime ferent ad sidera cycni». Vide et Georg. III, 28, ac Silium Italicum, IV, 144, VI, 235, XI, 232. Dav. — Heind. quoque voculam *in* delevit ante *sublime*, quamquam eam exhibeat cod. Glog. Ma.

7. *Spiritu ductus alit*. In Victor. Bonon. 1494, nonnullisque MSS est, «spiritus ductus alit»; quam lectionem non male se habere censet Gruterus. Immo sensum nullum facit et constructionem turbat, quum altera locutio Ciceroni sit frequens. Sic infra cap. 54: «Excipiatque animam eam, quæ ducta sit spiritu». Et cap. 55: «Quæ spiritu in pulmones anima ducitur». Dav. — Pravam lectionem *spiritus* habent cum cod. Glog. nostri codd. fere omnes, et habent quoque edd. Th. et Bas. Neque vero hanc lect. plane sine sensu esse cum Davisio dixerim; introducta autem videtur ab aliquo, qui ad verbum subjectum non attenderet. Ma.

XL. 1. *Et a domiciliis nostris altis-*

Digitized by Google

idem æther vocatur, extrema ora et determinatio mundi : in quo, cum admirabilitate maxima, igneæ
102 formæ cursus ordinatos definiunt. E quibus sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur. Isque oriens et occidens diem noctemque conficit ; et modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit : quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim læti-
103 ficat[2], ut cum cælo hilarata videatur. Luna autem, quæ est, ut ostendunt mathematici, major, quam di-

simus. Horum nihil habet codex unus Wowerii ; Graterique animo non placent. At in reliquis omnibus MSS comparent, et omnino morosum nimis hic se præstitit vir ille doctus. Noster, lib. I, cap. 14 : « Ultimum et altissimum, et undique circumfusum, et extremum, omnia cingentem atque complexam ardorem, qui æther nominatur, certissimum deum judicat ». Qui locus huic, quem præ manibus habemus, geminus est germanus. Vide et lib. II, cap. 36. Dav. — *Domiciliis ... altissimus.* Per breviloquentiam dictum, i. e. e domiciliis nostris longissime in altitudinem remotus. Wytt.

2. *Tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim lætificat.* Si firma maneat hæc lectio, necesse est, « tristitia quædam terram vicissim lætificet », quod prorsus est absurdum. Eliens. Med. Victor. et Bonon. 1494 habent, « tristitia quadam contrahit terram ». Hoc tamen soli non convenit. Quid verbis opus est ? Totum locum sic emendarim : « tum quasi tristitia quadam contrahitur terra, tum vicissim lætificatur, ut cum cælo hilarata videatur ». Dav. — Lectionem *quædam* Gesnerus quoque in Chrest. Cic. pag. 436, ita absurdam existimat, ut non ab editoribus ea, sed ab operarum errore orta esse ei videatur. Ernestus, quamquam non cum eo vulgatam retinuerim, quam respuunt libri optimi, id tamen recte contra Davisium monet, eam sensu non plane carere. Cur enim ad sequens *lætificat* in hac styli negligentia, quam sæpe in his libris observare licet, non possit suppleri *sol* ? Ceterum recte Heindorfium recepisse credo *quadam*, quod habent codd. Glog. et Red. et nos jam dudum ex codd. B. et C. correximus ; cum quibus faciunt codd. nostri fere omnes, et faciunt quoque edd. Th. et Bas. Plane cum Davisio facit cod. A. ubi est « quadam contrahitur terra ». Ma. — *Tristitia quadam contrahit terram ... lætificat.* Ita diserte codex G. quem iterum tracto ; eaque lectio placet etiam Gœrenzio ad de Legg. II, 15, pag. 161, qui ibidem de vocabulo Stoicorum : *contractio* (συστολή), sc. animi contristati, bene monet. Frenzel. in Commentt. Societ. philol. Lips. IV, 1, pag. 104 seq. conjectat : « tum vicissim lætificatur », quod verbum significationem mediam habeat, et ad *tristitiam* referendum sit. Mihi vulgata placet : *lætificat.* Elige, lector. Cr.

Digitized by Google

midia pars terræ[3], iisdem spatiis vagatur, quibus sol; sed tum congrediens cum sole, tum digrediens[4], et eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras, et varias ipsa mutationes lucis habet; atque etiam tum subjecta atque opposita soli, radios ejus et lumen obscurat; tum ipsa incidens in umbram terræ, quum est e regione solis, interpositu interjecturaque terræ, repente deficit. Iisdemque spatiis hæ stellæ, quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur et occidunt : quarum motus tum incitantur, tum retardantur, sæpe etiam insistunt. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur 104
stellarum inerrantium maxima multitudo : quarum ita descripta distinctio est[5], ut ex nota figurarum similitudine nomina invenerint.

XLI. Atque hoc loco me intuens[1], Utar, inquit,

3. *Luna.... major, quam dimidia pars terræ.* Immo terra minor est plusquam XLV vicibus. Stoicorum vero diversa fuit sententia, qui σελήνην μείζονα τῆς γῆς ἀποφαίνονται, ut ait Plutarch. de Placit. Philos. lib. II, cap. 27. Stobæus, Eclog. Phys. p. 59: Ποσειδώνιος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν Στωϊκῶν (σελήνην ἔφασαν) μικτὴν ἐκ πυρὸς καὶ ἀέρος, ΜΕΙΖΟΝΑ δὲ ΤΗΣ ΓΗΣ, ὡς καὶ τὸν ἥλιον. Adeo ut Cicero, licet hic Lucilii Stoici personam gerat, non tam immaniter errarit, ac solebant e porticu philosophi. Ipsis tamen Stoicis gravius fallebantur alii. Sic Anaximander lunam dixit κύκλον εἶναι ἐννακισδεκαπλασίονα τῆς γῆς, ut testantur Plutarchus, II, 25, et Stobæus, Ecl. pag. 159. Lactant. Div. Inst. lib. III, cap. 23, 12 : « Xenophanes dicentibus mathematicis, orbem lunæ duodeviginti partibus majorem esse quam terram, stultissime credidit ». Sed et Plinius non dubitavit, quin luna major esset quam terra. Vide Hist. Nat. lib. II, cap. 11. Non tamen est dissimulandum, Stoicos recentiores ab hoc errore sibi cavisse. Vide Cleomedem, Κυκλ. Θεωρ. lib. II, pag. 266. Dav.

4. *Tum digrediens*, etc. Ad rem quod attinet, conf. Lucret. de Rer. Nat. lib. V, vs. 462, ibique Lambin. pag. 424. Ca.

5. *Descripta distinctio est.* Id est, earum divisio ita notata est, ut nomina habeant ex similitudine nota figurarum, veluti piscium, capricorni, ursæ, etc. Wytt.

XLI. 1. *Me intuens.* Id est, in Ciceronem, qui controversiæ inter Balbum, Velleium et Cottam habitæ, ut auditor aderat. Cicero admodum juvenis Arati carmen græcum de astronomia in vernaculam linguam traduxerat : pauca temporis edacitatem effugerunt, quæ invenias inter *fragmenta* Ciceronis, in editione nostra.

Digitized by Google

carminibus Arati, eis, quæ a te admodum adolescentulo conversa, ita me delectant, quia latina sunt, ut multa ex iis memoria teneam. Ergo, ut oculis assidue videmus, sine ulla mutatione aut varietate,

> Cetera labuntur[2] celeri cælestia motu,
> Cum cæloque simul noctesque diesque feruntur.

105 Quorum contemplatione nullius expleri potest animus, naturæ constantiam videre cupientis.

> Extremusque adeo[3] duplici de cardine[4] vertex
> Dicitur esse polus.

Hunc circum ἄρκτοι duæ[5] feruntur, numquam occidentes.

> Ex his altera apud Graios[6] Cynosura vocatur,
> Altera dicitur esse Helice;

2. *Cetera labuntur.* Arat. Phænom. vs. 19 : Οἱ μὲν δμως πολίες τε καὶ ἄλλυδις ἄλλοι ἰόντες Οὐρανῷ ἔχονται πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί. Dav. — *Cetera.* Designat sidera errantia : in præced. carm. quæ non refert Cicero, de stellis fixis mentionem fecit Aratus; unde ad alias transiens, ait *Cetera.*

3. *Extremusque adeo.* Vers. 24 : Καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν. Dav.

4. *Duplici de cardine.* Pro *duplicis cardinis*, ut *fulgor ab auro* pro *fulgor auri.* Phrasis est Gallis et Belgis communi usu frequentata. Simile est illud « dicitur esse polus », illi quod infra est « dicitur esse Helice », et « dicitur esse Bootes », et « esse Catenæ ». Grotius. Cod. A. exhibet *duplice.* Ma.

5. *Hunc circum ἄρκτοι duæ. Arctoe* habet vetustissimus codex, et recte: eodem enim modo *Adelphoe* apud Terentium, et *Canephorae* alibi scriptum reperitur. Uns. — Dedit Heind. antiquam, quam voluit Dav. scriptionem *Arctoe*, quam firmant plerique codd. nostri, quamquam verbum a librariis nonnullis non intellectum, discerptum exhibeant et mutilum. Ma. — Codex G. *Artoæ duæ.* Mirum ni etiam *Arcoe* in codice aliquo scriptum sit ex vulgari posterioris græcitatis consuetudine, qua ducti ἄρκοι dicebant. Vide quæ monuimus in Opuscull. myth. pag. 86. — Ad argumentum loci nostri adhibe Lucanum in Phars. VIII, 175; Odyss. V, 273, cum Eustath. pag. 223 Basil. Iliad. XVIII, 487, ibique Heyn. et præsertim J. Frid. Pfaffii Comment. de ortibus et occas. siderum ap. auctorr. class. Gotting. 1786, cap. 4, ubi universe de Aratea astrorum doctrina copiose exponitur. — De *ursis*, sive ἄρκτοις, sigillatim vid. Hygini poet. astronom. II, 2, p. 423 ed. Staveren. et præcipue Eratosthen. Cataster. 1 et 2, ibique Schaubach. p. 67-75. Ca.

6. *Ex his altera apud Graios.* Vs. 36 : Οἱ τὴν μὲν Κυνόσουραν ἐπί-

Digitized by Google

cujus quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

Quas nostri[7] septem soliti vocitare Triones.

Paribusque stellis similiter distinctis eumdem cæli 106
verticem lustrat parva Cynosura.

Hac fidunt duce[8] nocturna Phœnices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte videtur.
Hæc vero parva est : sed nautis usus in hac est.
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.

XLII. Et quo sit earum stellarum admirabilior adspectus,

κλησιν καλέουσι, Τὴν δ' ἑτέρην Ἑλίκην. Dav.

7. *Quas nostri*, etc. Versus hic extra Aratum est, a Cicerone adjectus. Simile est illud infra, « nostrique Latini Orbem signiferum perhibebunt nomine vero ». Gaot.— Censet Heind. hunc versum alieno positum esse loco; Boherio recte monente, non Helices tantummodo stellas a Latinis *septemtriones* esse vocatas, sed utrique ursæ hoc tributum esse nomen; debuisse igitur hunc versum inferri statim post illa : « Hunc circum Arctoe duæ feruntur, numquam occidentes », et post hunc demum versus illos « Ex his altera », quum sine dubio Cicero illo expresserit, quod est apud Aratum, τὸ δὴ καλέονται ἅμαξαι. In quo quod ad rem ipsam me assentientem habet; neque tamen ego ausim transponere hos versus contra omnium librorum auctoritatem, neque ausus est Heind. præsertim quum sint nonnulla Veterum loca, quibus Helice ursa tantummodo major vocatur. Vid. Phil. Cæsii Cælum astronomicorum poeticum, pag. 107. Ma.

8. *Hac fidunt duce.* Vers. 39 : Τῇ δ' ἔρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν. Ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ, καὶ ἐπιφράσσασθαι ἑτοίμη, Πολλὴ φαινομένη Ἑλίκη πρώτης ἀπὸ νυκτός· Ἡ δ' ἑτέρη ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων· Μειοτέρῃ γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι. Paucis Ovidius, Trist. lib. IV, Eleg. III, 5 : « Magna minorque feræ; quarum regit altera Graias, Altera Sidonias, utraque sicca, rates ». Paucioribus autem Seneca, Med. vs. 697 : « Major Pelasgis, apta Sidoniis minor ». Vide et Fast. lib. III, 106; Manilium, I, pag. 10, ac Arrianum de Exped. Alex. lib. VI, cap. 26. Ursæ minoris inventionem Thaleti tribuit Callimachus apud Diogenem Laertium, lib. I, § 23, et Achillem Tatium, Isag. in Phænom. cap. 1, pag. 123. Vide et Scholia in Iliad. Σ, 487. Dav. — Hinc Eratosthenes, c. 2, προσηγορεύθη δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων Φοινίκη, nimirum Ursa minor, seu Cynosura. Cf. Schaubach. ad eum locum, pag. 72, et Hygin. pag. 424 ed. Stavér. Extremus versus : « Nam... convertitur orbe », legitur etiam in Cicer. Acad. II, 20, 66, ubi aliquot libri perperam *convehitur*, notante Gœr. Ca.

Digitized by Google

Has inter, veluti rapido [1] cum gurgite flumen,
Torvu' Draco serpit, subter superaque revolvens [2].
Sese, conficiensque sinus e corpore flexos.

107 Ejus quum totius est præclara species, in primis suspicienda est figura capitis, atque ardor oculorum.

Huic non una modo [3] caput ornans stella relucet;
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput [4], et tereti cervice reflexum,
Obtutum in cauda [5] majoris figere dicas.

XLII. 1. *Has inter, veluti rapido.* Vers. 45: Τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας, οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥὼξ, Εἰλεῖται, μέγα θαῦμα, δράκων, περί τ' ἀμφί τ' ἰαγὼς Μυρίος, etc. Seneca, Thyeste, vs. 869: « Et qui medias dividit Ursas Fluminis instar lubricus Anguis ». Serpentis lapsum cum flumine primus comparavit Hesiodus, quem sequuti sunt Virgilius aliique. Vide Servium ad Georg. I, 245, et Pet. Victorium, Var. Lect. lib. XXXIII, c. 15. Dav. — Cod. La. *Tortus draco*, quod perplacet; nihil tamen muto, quum idem dicatur versu seq. Ma.

2. *Subter supraque revolvens.* Scripsit Heind. cum Dav. *superaque*, quamquam in cod. Glog. repererit « serpit subterque rev. » et vulgatam in cod. Red. Quod est in codd. E. et Fa. « subter superque », jam quodammodo fulcit lectionem ab illis duumviris receptam; magis etiam cod. La. qui in textu habet « serpit supterque rev. » in marg. vero *superaque*. Ed. quoque Bas. quum in textu habeat « subter supraque », in varr. lectt. exhibet « subter superaque ». Pro *conficiensque*, quod frigere ait Heind. dedit ex cod. Red. *conspiciensque*, addens melius etiam fore *respiciensque*. Sit ita; neque tamen mutanda fuit vulgata; nam neque Arati verba hoc jubent, neque semper assurgit ejus poetæ et Ciceronis vertentis oratio, immo sæpe orationi pedestri propior est in his speciminibus. Ma. — *Draco.* Vid. Eratosth. cap. 3, ibique Schaubach. pag. 75; cf. Schol. Apollonii, IV, 1396 (in Scholiis Parisin. pag. 325 seq. ed. Schæf. ibique Pherecyd. adhibe Sturz. ad ejus fragg. pag. 141 seqq.) et Hygin. poet. astr. II, 3, pag. 424, et pag. 499 seq. — Mox: *sinus* e corp. fl. explicat Oud. ad Apul. Metam. II, 26, p. 1106. Ca.

3. *Huic non una modo.* Vs. 45: οὐ γὰρ ἐκείνῃ Οἰόθεν οὐδ' οἵῃς κεφαλῇ ἐπιλάμπεται ἀστὴρ, Ἀλλὰ δύο κροτάφοις, δύω δ' ὄμμασιν, εἷς ὑπένερθεν Ἐσχατιὴν ἐπέχει γένυος δεινοῖο πελώρου, Ἀξὼν δ' ἐστὶ κάρῃ, νεύοντι δὲ πάμπαν ἐοικὼς Ἄκρην εἰς Ἑλίκης οὐράν, etc. Dav.

4. *Obstipum caput.* Id est, reversum et rigidum. Wytt. — Ad voc. *obstipum* consule Ernestum ad Suet. Tiber. cap. 68, p. 317 ed. Wolf. Ca.

5. *Obtutum in cauda.* H. Grotius reponit *in caudam;* quod eodem redit: hæc enim præpositio tam sextum, quam quartum, casum recipit, ut innumeris exemplis Vossius, Munkerus, nonnullique alii demonstrarunt. Dav.

Digitized by Google

Et reliquum quidem corpus draconis totis noctibus 108
cernimus;

Hoc caput hic paullum sese [6], subitoque recondit,
Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una [7].

Id autem caput

Attingens defessa velut [8] mœrentis imago
Vertitur;

6. *Hoc caput hic paullum sese.* Vs. 61 : Κείνη που κεφαλὴ τῇ νήχεται, ἧχί περ ἄκραι Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσιν. Sensus est, Caput Draconis horizontem, quem Oceanum poetæ vocant, radere, qua meridianus cum eodem horizonte committitur, ut observat D. Petavius, Var. Diss. lib. III, cap. 5. At ob brevitatem noctium dierumque longitudinem ita loquuti sunt Aratus et Cicero, si sit Hygino fides, Poet. Astr. lib. IV, cap. 3, ubi huncce cum levi variatione versum profert. Theon utramque profert interpretationem. H. quidem Grotius emendandum putat, « Hoc caput hic paullum sese subito æquore condit ». Ut subito sit participium, non ἐπίῤῥημα. Malim, « Hoc caput hic paullum sese summo æquore condit » ; ut intelligatur caput Draconis Oceano se non penitus immergere, sed ejus tantum stringere superficiem. Dav. — Boherius legi volebat « se subjecto æquore condit » ; cum aliis videns, illud *subito* tolerari vix posse, præsertim si græca conferamus; Davisii lectionem in annotatione Heindorfius præ ceteris probat, ita ut in textum eam recipiendam fuisse dicat; sed in Addendis, p. 13, fidenter, nunc demum video, ait, a Cicerone scriptum fuisse « sese subit æquore condens », qua certe emendatione meliorem excogitatum iri vix credimus. Ma.

7. *Parte admiscentur in una.* Arati versus notus : Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσι. Eliens. Reg. Med. et Victor. dant « partim admiscetur in una ». Lambinus edidit, « partem admiscentur in unam ». Lectionem a nobis retentam præstat Hygin. Poet. Astron. lib. IV, cap. 3. Dav.—Codd. nostri A. B. C. E. M. N. Oxf. e. o. et u. « partim admiscetur ». Eb habet singularis numerus, quo se defendat; cujus rei exempla afferre putidum sit. Heind. conj. « partim admiscentur in uno (ἐν ταυτῷ) ». Sed ipse parum fidit suæ conjecturæ, addens, forsitan natum esse illud *partim* ex ea lectione, quam habet ed. Marsi, « partim immiscentur in una ». Ed. Bas. « partim miscetur in una », quæ item suffragatur singulari. Ma.

8. *Attingens defessa velut.* Vs. 63 : Τῆς δ' αὐτοῦ μογέοντι κυλίνδεται ἀνδρὶ ἐοικὼς Εἴδωλον, etc. Theon : Πρὸς τὴν θέσιν ἀποβλέπει· καὶ γὰρ ἐκλάσας καὶ καταπεσών ἐστιν ὡς ἀπό τινος ΚΑΜΑΤΟΥ. Hinc patet, versionem Ciceronianam τοῦ μογέειν non esse cum Grotio vituperandam. Varias hac de fabula sententias refert Hygin. Poet. Astron. lib. II, cap. 6. Hoc observavit ampliss. Boherius; cui placet, « Attingens defessa velut morientis imago ». Non autem sollicitanda videtur *mœrentis* vox; siquidem cuncti labore fatigati mœstitiam vultu præferunt. Dav. — Scripsit Heindorf. cum

Digitized by Google

Quam quidem Græci

Engonasin vocitant [9], genibus quia nixa feratur.
Hic illa eximio[10] posita est fulgore Corona.

109 Atque hæc quidem a tergo; propter caput autem Anguitenens,

Quem claro perhibent[11] Ophiuchum nomine Graii.
Hic pressu duplici palmarum continet anguem,
Ejus et ipse manet religatus corpore toto[12]:

Dav. vulgato more *mærentis*, sed recte Ern. *mærentis*, quum Varro, de L. L. id cum verbo *marceo* comparet; itaque scribi in cod. Virg. Mediceo monet Noltenius, Lex. Antibarb. h. v. — Neque Heindorfio probantur suspiciones Grotii et Boherii. Ma.

9. *Engonasin vocitant.* Vers. 66: Ἐν γόνασιν καλέουσι· τὸ δ' αὖτ' ἐν γούνασι κάμνον Ὀκλάζοντι ἔοικεν. Dav. — *Engonasin.* Vid. Eratosth. cap. 4, ibique Schaub. Hygin. Poet. Astron. II, 6, pag. 435 Stav. ibique interprr. Scholiast. ad Arati locum (pag. 94 Oxon.); et de fabulis Herculis *ingeniculi* artiumque operibus Winckelm. Hist. art. I, 79 ed. Dresd. noviss. et quæ ipse posui in Mythologia, II, pag. 238. Ca.

10. *Hic illa eximio.* Vers. 71: Αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ΑΓΑΥΟΝ Βάκχε Σῇμ' εἶναι Διόνυσος. Sic enim melius et versioni Ciceronis accommodatius legitur, quam ἀγαυὸς, ut in vulgatis. Theon utriusque scripturæ meminit. Dav.

11. *Quem claro perhibent.* Vss. 76, 82 sqq. Αὐτὸν ἐπιφράσσοιο φαεινόμενον Ὀφιοῦχον... Ἀμφότεραι (χεῖρες) δ' ὄφιος πεπονείαται, ὃς ῥά τε μέσσον Δινεύει ὀφιοῦχον· ὁ δ' ἱμαινὶς εὖ ἐπαρηρὼς Ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον ἀμφοτέρῃσι Σκορπίον, ὀφθαλμῷ τε καὶ ἐν θώρηκι βεβηκὼς Ὀρθὸς, etc. Male quidem, ut ostendit Hipparchus ad Phænom. I, cap. 8, pag. 183. Dav. — *Ophiuchus.* Hygin. Poet. Astron. cap. 450 seqq. Eratosth. c. 6, ibique Schaub. pag. 78 seq. Quæ etiam attigimus in Mythologia, III, p. 569. Ca.

12. *Religatus corpore toto.* Reg. a prima manu, « religatus corpore torto ». Catullus in Epith. Thetidis et Pelei: « Pars sese tortis serpentibus incingebant ». Virgil. Georg. III, 38: « tortosque Ixionis angues ». Nisi forsan *axes*, non *angues* reponas. Claudian. in Rufin. II, 508: « voluucer te torquesat axis ». Sed exemplis haud opus; nihil enim serpenti frequentius tribuitur. Vide sis Nic. Heinsium ad Claudiani in Rufin. I, 66. Manilius tamen, lib. I, pag. 11: « Serpentem magnis Ophiuchus nomine signis Dividit, et toto mergentem corpore corpus Explicat ». At ibi *torto* recte legit Jo. Scaliger, quem loci Ciceroniani non meminisse miror. Hæ certe voces alibi sunt a librariis permixtæ. Sic apud Corn. Severum, Ætn. vers. 103: « deseditque infima tellus, Sed totis rimosa cavis ». Quid sibi vult terra *totis* cavis rimosa? Sed aliquis emerget sensus, si modo legatur, « tortis rimosa cavis »; quemadmodum diserte repræsentat MS qui fuit in bibliotheca præstantissima Joannis Mori, nuper Eliensis episcopi, de me quam optime meriti. Dav. — Quod dudum ex codd. A. et B. recipiendum

Digitized by Google

Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit,
Atque oculos urget pedibus, pectusque Nepai [13].

Septem autem Triones sequitur

Arctophylax, vulgo [14] qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adjunctam præ se quatit Arctum.

Dein quæ sequuntur. Huic enim Booti [15]

subter præcordia fixa videtur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.

Cui subjecta fertur

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo [16].

censueram *torto*, postea quoque Davisio probari vidi et jam ab Heindorfio receptum video. Præstant *torto* etiam codd. C. (a pr. manu, altera enim correxit *toto*) O. D. E. H. et N. et ed. Bas. quæ *torto* in varr. lectt. habet. Ma.

13. *Nepai* i. q. *Nepæ*, i. e. Scorpii. Vide Aratum in Davisii annot. vs. 81. De sidere consule præterea Hyginum P. A. cap. 26, p. 478 sq. et Eratosth. cap. 7, et ad eum Schaub. p. 80 seqq. — Cicero infra, III, 16, « ut Nepam »; item de Fin. V, 15, 42, « Cornibus uti videmus boves, nepas aculeis », ubi alii *vespas* male. Ca.

14. *Arctophylax*, *vulgo*. Vers. 92 : Ἀρκτοφύλαξ, τόν ῥ' ἄνδρες ἐπικλείουσι βοώτην, Οὕνεκ' ἀμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται Ἄρκτου. Vide Manil. lib. I, pag. X, 31. Dav. — *Arctophylax*. Vid. Eratosth. 8, ibique Schaub. p. 88 seqq. Hygin. Poet. Astr. II, 4, p. 425 seq. et pag. 501 seq. Adde de Arcturo Hygini fab. CCXXIV, p. 345 ed. Staver. Ca.

15. *Hnic enim Booti*. Arat. vs. 94 : ὑπὸ ζώνῃ ΔΕ οἱ αὐτὸς Ἐξ ἄλλων Ἀρκτοῦρος ἱλίσσεται ἀμφαδὸν ἀστήρ. Ma.

16. *Cui subjecta fertur Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo*. In Victor. est, « cujus subjecta », nec aliter Eliens. Reg. Med. Ascens. et Bonon. 1494. Ita, sicuti quidem videtur, et reliqui MSS; sed hujus varietatis nullam mentionem fecerunt editores, quod aperte solœcam redderet orationem. Forte tamen vox ob ὁμοιοτέλευτον excidit, legendumque, « cujus pedibus subjecta ». Aratus certe, vs. 96 : Ἀμφοτέροισι δὲ ΠΟΣΣΙΝ ὑποσκίψαιο βοώτου Παρθένον, ἥ ῥ' ἐν χερσὶ φέρει στάχυν αἰγλήεντα. Hygin. Poet. Astr. lib. III, cap. 24 : « Virgo infra pedes Bootis collocata ». Versiculi vero Ciceroniani meminit Servius ad Georg. I, 111, ubi sic loquitur : « Dicimus autem hic spicus, et hoc spicum ». Cicero in Arato : « Spicum illustre ferens insigni corpore Virgo ». Has autem lectionis diversitates non tam libris veteribus, quam labili memoriæ, tribuendas censeo. Dav. — Vulgatum *cui* retinet Heind. cum Ern. præeunte cod. Glog. Ma. — *Spicum*. Cic. de Senect. c. 15 : « fundit frugem spici, ordine structam ». Ita leg. Nonius, III, 230,

Digitized by Google

XLIII. Atque ita demetata signa sunt, ut in tantis descriptionibus divina solertia appareat.

Et natos Geminos[1] invises sub caput Arcti.
Subjectus mediæ est Cancer [2], pedibusque tenetur
Magnu' Leo, tremulam quatiens e corpore flammam.

Auriga [3]

Sùb læva Geminorum [4] obductus parte feretur.
Adversum caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra lævum humerum clara obtinet [5].

eamque lectionem comprobat Facciolatius. *Spicum* neutre apud eumdem Nonium l. l. usurpat Varro. Grammatici MS fragm. in libris meis ita : « Spicam de maturis frugibus abusive dicimus ; nam proprie spica est, quam per culmi folliculum in extremum tumorem aristæ adhuc tenues in modum spiculi eminent, sicut dicit ysidorus (Isidorus) eth. (etymologg.) XVII, ubi agit de frumentis ». Subjicitur etymologia a *spicio*, quoniam promineat atque appareat stipula. *Spica*, tamquam feminino, usus est ipse Cicero de Finib. IV, 14, V, 30; ut ne plura congeramus in re satis expedita. — De *Virgine* adde Hygin. Poet. Astr. cap. 25, p. 477; Eratosth. c. 29, ibique Schaub. p. 82 seq. Ca.

XLIII. 1. *Et natos Geminos*, etc. Vers. 147 : Κρατὶ δὲ οἱ δίδυμοι· μέσση δ' ὑπὸ καρκίνος ἐστὶ, Πᾶσσι δ' ὑπ' ἀμφοτέροισι λέων ὑπὸ καλὰ φαείνει. Dav.

2. *Subjectus media est Cancer.* (Sic olim.) Latinior erit oratio, si rescribas « Subjectus mediæ est Cancer », videlicet Arcto. Sed et Grotius ita dedit. Dav. — Dedit Heind. quod jam dederat Grotius *mediæ;* et ita codd. Oxf. e. o. et u. Ma.

3. *Auriga.* Eratosth. cap. 13, et Schaub. ad eum, pag. 87-89; Hygin. Poet. Astr. c. 13, p. 446 seq. Ca.

4. *Sub læva Geminorum.* Vs. 100 : Αὐτὸν μέν μιν ἅπαντα μέγαν διδύμων ὑπὸ λαιᾷ Κεκλιμένον δήεις· ΕΛΙΚΗΣ ΔΕ ΟΙ ΑΚΡΑ ΚΑΡΗΝΑ ΑΝΤΙΑ ΑΙΝΕΥΕΙ, σκαιῷ δ' ὑπολίλαται ὤμῳ Αἴξ ἱερή, etc. Hinc patet in Ciceronis versione corrigendum, « Helices truculenta tuetur », vel *Helicæ*, ut voluit H. Grotius. Sensus est, caput Helices Aurigæ adversum truculente tueri. Ovid. in Epist. Hermiones Orestæ, vs. 107 : « Nox ubi me thalamis ululantem et acerba gementem Condidit ». Virgil. Georg. III, 149 : « Asper, acerba sonans; quo tota exterrita silvis Diffugiunt armenta ». Iterum Æn. VI, 467. Ex imitatione Græcorum multa sunt hujusce generis apud Latinos. Adi, si nescis, Servium ad Æn. V, 19. Dav. — Cod. La. quodammodo cum Grotio facit, ibi enim est, « Sub Geminorum læva adductus parte tenetur ». Sed merito non assentit Heind. Davisio scribenti cum Grotio *abductus*. Versu seq. vero dedit Heind. ut voluit Grotius, *Helicæ*, secundum Arati verba; nihil autem usitatius in libris MSS, quam literarum *ae* et *e* confusio. Ma.

5. *At Capræ lævum humerum clara obtinet.* Hanc lectionem retinent nostri codices, nisi quod Med. Bou. 1494 et Victor. repræsentent, « claro obtinet ». Verum, si Grotio fides, in nonnullis MSS est, « humero clara

Digitized by Google

Tum quæ sequuntur,

Verum hæc est magno[6] atque illustri prædita signo.
Contra Hædi exiguum jaciunt mortalibus ignem.

Cujus sub pedibus

Corniger est valido connexus corpore Taurus[7].

Ejus caput stellis conspersum est frequentibus. 111

Has Græci stellas, Hyadas vocitare suerunt:

a pluendo; ὕειν[8] enim est pluere. Nostri imperite su-

obtinet », unde scribendum pronuntiat, « At Capra lævo humero clara obnitet ». Quod quamvis præclare factum judicet Gruterus, emendatio tamen haud est necessaria; non enim fuit, cur ejus *clarum fulgorem* hic prædicaret, quum versus quidem proximus huic rei sit destinatus. Mihi minima mutatione reponendum videtur, « lævum humerum sacra obtinet », ut Arato dicitur αἷξ ΙΕΡΗ. Dav. — Cod. Glog. plane ut Grotius voluit. Heind. Davisii rationem inutilem censens conj. « At Capra lævum humerum clara obtinet illa nitore »; haud incommode; sed eadem certitudine etiam alia excogitari possit ratio. Ma.

6. *Verum hæc est magno.* Vs. 165: Ἀλλ' ἡ μὲν πολλή τε καὶ ἀγλαή· οἱ δέ οἱ αὐτοῦ Ἀστὰ φασίνονται ἔριφοι καρπὸν κατὰ χειρός. Dav.

7. *Corniger est valido connexus corpore Taurus.* Lambino Grotioque placet *connixus*, Malim, « Corniger est val. convexus corpore Taurus ». Hujus emendationis auctor est Aratus ipse, vs. 167, Παρ ποσὶ δ' Ἡνιόχου κεραὸν ΗΕΠΤΗΟΤΑ ταῦρον. Nam *convexus* est curvus, ac cadenti similis. Isidor. Orig. lib. III, cap. 38: « Convexum enim curvum est, et quasi conversum seu inclinatum ». Servius ad Virgil. Eclog. IV, 50: « Convexo, curvo, inclinato ». Eumdem grammaticum vide sis et ad Æn. I, 314. Dav. — Dedit Heind. ut πεπτυκώτερον *connixus* cum Lambino Grotioque, et ex Ciceronis versione Arateorum, vs. 290. Et ita codd. Oxf. e. o. et u. Ma. — *Connixus* Wyttenb. probatior videtur, ut Arato magis congruens. — *Taurus... Hyadas.* Hygin. Poet. Astr. cap. 21, ibique interprr. p. 469; Eratosth. Catast. cap. 14, ibique Schaub. Pherecyd. et Sturz. pag. 115. Adde Jo. Lydum de Mensib. pp. 86 et 124. Ca.

8. Ὕειν *enim est pluere.* Hæc, judice Grutero, scribæ glossam resipiunt. Sed inanis videtur ea suspicio. Tullius Tiro apud Agellium, N. A. lib. XIII, cap. 9: « Pluere autem et græca lingua ὕειν dicitur ». Hygin. Fab. CXCII: « Est autem græce ὕειν, pluere ». Isidor. Orig. lib. III, cap. 70: « Hyades dictæ ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est... a pluviis. Nam pluviæ græce ὑετὸς dicuntur ». Hæc ex locis ipsis, ubi de Suculis agitur, deprompsimus. Opiniones Veterum de Hyadum et Suculorum veriverbio congessit G. J. Vossius in Etymologico; quibus addi potest nova Jac. Perizonii conjectura, quam protulit ad Sanctii Minerv. lib. I, cap. 10, p. 71. Dav. — Walkerus Gruteri suspicionem probat;

Digitized by Google

culas : quasi a subus essent [9], non ab imbribus nominatæ. Minorem autem septentrionem Cepheus passis palmis tergo [10] subsequitur.

Namque ipsum ad tergum [11] Cynosuræ vertitur Arcti.

Hunc antecedit

Obscura specie stellarum Cassiopea.....[12]
Hanc autem illustri [13] versatur corpore propter
Andromeda, aufugiens adspectum mœsta parentis.

merito eam cum Dav. improbat Heind. In plerisque nostris scribitur latinis literis *hyin*. Mr.

9. *Quasi a subus essent.* Vulgo *suibus*. Nos eam formam recepimus, quam præstant Med. et Lincoln. Vide G. J. Vossium, Anal. lib. II, cap. 15. Dav. — Ern. quoque in cod. Guelf. reperit *subus*, et nos in codd. B. C. M. et O. In cod. A. est *sucibus*. Mr.

10. *Tergo.* Dedit Heind. *a tergo* cum Davisio, idque etiam Ernesto placuit. *Tergo* habet cod. Glog. itemque codd. La. Oxf. e. o. et u. Mr. — *Cepheus.* Hygin. Poet. Astron. cap. 9, p. 443; Eratosth. Catast. cap. 15, ibique interprr. Cr.

11. *Namque ipsum ad tergum.* Aratus, vs. 182 : ΑΥΤΟΣ μὲν κατόπισθεν ἰὼν Κυνοσουρίδος Ἄρκτου Κηφεύς. Dav. — Dedit Heind. quod legi jussit Dav. *ipse*. Mr.

12. *Obscura specie stellarum Cassiopea.* Vs. 188 : οὐ μάλα πολλὴ Νυκτὶ φαεινομένῃ παμμηνίδι Κασσιέπεια. Nobis autem, pro perpetua Græcorum consuetudine, *Cassiepea* cum Grotio placuit, non *Cassiopea*. Videatur Jos. Scaliger ad Manilium, pagg. 52 et 459. Ita certe vox illa legitur in Aratels Germanici Cæsaris et Avieni. Dav. — Scripsit Heindorf. cum Dav. *Cassiepēa*. Codd. M. et I. habent *Cassipeta*, ut habet noster cod. N. quod natum credit Heind. ex *Cassiepea*, sed erat sine dubio *Cassiepia* (confluente puncto, literæ *i* superscripto, cum litera ipsa, ut frequentissime), quod exhibent nostri codd. A. B. C. H. et ed. Bas. et Hygin. Poet. Astr. cap. 10, pag. 443, ibique interprr. Cr.

13. *Hanc autem illustri.* Vs. 192 : Αὐτοῦ γὰρ κἀκεῖνο κυλίνδεται αἰνὸν ἄγαλμα Ἀνδρομέδης, ὑπὸ μητρὶ κεχασμένον, ubi Theon, inter alias interpretationes, notat κεχασμένον dici posse quasi κεχωρισμένον. In hunc certe sensum Ciceroni vocatur « aufugiens aspectum mœsta parentis »; nam reprobanda prorsus est duorum Pall. scriptura, quibus est « haud fugiens ». Tum vero dare debuit Aratus κεχασμένον ἀπὸ τοῦ χάζεσθαι, *a recedendo*; siquidem τῷ κάζεσθαι talis non competit potestas. Dav. — Dedit Heind. ex codd. Glog. et Red. *Andromede fugiens*, quam scriptionem certissimam credo. Codd. complures ex meis habent *haud fugiens*, quod ortum est ex ea, quam cod. C. exhibet, scriptione *hanfugiens*; adspirans vero litera quam sæpe in codd. verbis a vocali incipientibus præponatur, non est quod doceam exemplis. De scriptione *mœsta* vid. not. cap. 42 sup. Mr. — *Andromeda.* Adde Eratosth. cap. 17; Hygin. Poet. Astr. cap. 11, pag. 444, ibique interprr. Cr.

Digitized by Google

Huic Equus ille jubam[14] quatiens fulgore micanti,
Summum contingit caput alvo[15]: stellaque jungens
Una, tenet duplices communi lumine formas,
Æternum ex astris cupiens connectere nodum.
Exin contortis[16] Aries cum cornibus hæret.

Quem propter

Pisces, quorum alter[17] paullum prælabitur ante,
Et magis horriferis aquilonis tangitur auris.

XLIV. Ad pedes Andromedæ Perseus[1] describitur, 112

Quem summa ab regione aquilonis flamina pulsant.
At propter lævum[2] genus omni ex parte locatas

14. *Huic Equus ille jubam*, etc. Vs. 205: Ἀλλ' ἅρα οἱ καὶ κρατὶ πίλωρ ἐπελήλαται ἵππος ΓΑΣΤΕΡΙ ΝΕΙΑΙΡΗι· ξυνὸς δ' ἐπιλάμπεται ἀστὴρ, Τοῦ μὲν, ἐπ' ὀμφαλίῳ· τῆς δ', ἰσχατόωντι καρήνῳ. Vide sis Hyginum, Poet. Astr. lib. III, cap. 10. Dav. — Scripsit Heind. ex cod. Glog. *jubas*; cui lectioni favet quodammodo cod. Fa. in quo est «hic equis ille jubar». Ma.— *Equus*, etc. Eratosth. cap. 18, ibique Schaub. p. 95 seq. Hygin. Poet. Astr. cap. 18, pag. 462, ibique Muncker. et Staver. Ca.

15. *Summum contingit caput alvo.* Grotius edidit *summa*: forsan ut Arateorum γαστέρι νειαίρῃ responderet. Sicut arbitror, haud male. Dav. — Scriptionem *summum*, quam retinet cum Dav. et Ern. Heindorfius, bene Boherius contra Grotium defendit. Ma.

16. *Exin contortis.* Vers. 224: καί τοι παρὰ θηήσασθαι Αὐτοῦ καὶ κριοῖο θοώτατοί εἰσι κέλευθοι. Dav. — *Aries.* Eratosth. c. 19, ibique Schaub. p. 97 seq. Hygin. Poet. Astr. c. 20, et ad eum interprr. pag. 465 seqq. Hygin. fab. 3, pag. 20, cui adde quæ laudavi in Mythol. I, pag. 297 seq. et opus gallicum *Descript. de l'Égypte* Antiqq. vol. II, pag. 165 seqq. Ca.

17. *Pisces, quorum alter.* V. 240: Ἰχθύες· ἀλλ' αἰεὶ ἕτερος προφερέστερος ἄλλου, Καὶ μᾶλλον βορέαο νέον κατιόντος ἀκούει. Dav. — Ne redundaret *ante*, Boherius præferebat in codd. aliquot teste Ursino et Grotio repertum *prolabitur*. Sed commodis exemplis allatis Heind. defendit vulgatam. Ma. — *Pisces.* Vid. Hygin. Poet. Astr. cap. 30, pag. 482; Eratosth. cap. 21, cum interprete. Ovid. Fast. II, 458 seq. Adde de Piscium ortu Endoxum apud Jo. Lydum de Mens. pag. 80. Ca.

XLIV. 1. *Perseus.* De Perseo vid. Eratosth. cap. 22, coll. 15, ibique Schaub. Hygin. Poet. Astron. cap. 12, pag. 445; Tzetz. ad Lycophr. pag. 296 ed. Mueller. Jo. Lydum de Mens. pag. 96. Ca.

2. *At propter lævum genus.* Ἄγχι δέ οἱ σκαιῆς ἐπιγουνίδος ἧλιθα πᾶσαι Πληϊάδες φορέονται· ὁ δ' οὐ μάλα πολλὸς ἀπάσας Χῶρος ἔχει, καὶ δ' αὐταὶ ἐπισκέψασθαι ἀφαυραί. Hos Ciceronis versus laudat Priscianus, lib. VI, col. 685, ubi *genus* pro *genu* poni multis demonstrat exemplis. Vide sis et Nonium in *genu* ac Servium ad Virgilii Æn. III, 22. Ma.

Digitized by Google

Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Inde Fides[3] leviter posita, et convexa videtur.
Inde est ales avis lato sub tegmine cæli.

Capiti autem Equi proxima[4] Aquarii dextra, totusque deinceps Aquarius.

Tum gelidum valido[5] de pectore frigus anhelans,
Corpore semifero[6] magno Capricornus in orbe.
Quem quum perpetuo vestivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.

113 Hinc autem adspicitur,

Ut sese ostendens emergit Scorpius alte[7],
Posteriore trahens flexum vi corporis arcum[8];

3. *Inde Fides leviter posita, et convexa videtur.* Vulgo *connexa.* Vers. 268, 272 : Καὶ χέλυς, ἥτ' ὀλίγη ... Ἀντιπέρην ὄρνιθος ἑλίσσεται, etc. Dav.

4. *Proxima.* Dedit Heind. ex cod. Glog. *proxima* sc. *est* pro verbo minime Ciceroniano *proximat;* illud exhibent etiam nostri codd. E. Fa. M. et Oxf. e. Mr. — *Fides ... ales avis.* Eratosth. cap. 24 et 25, ibique Schaub. p. 102—104; Hygin. P. Astr. cap. 7 et 8 (in : *Lyra* et *Olor*), pag. 438 seqq. ibique interprett. Cr.

5. *Tum gelidum valido.* Vers. 284, 292 : ὁ δ' ὀπίσθερος Αἰγοκερῆος Τέλλεται ..... Ὁπότ' Αἰγοκερῆι Συμφέρετ' Ἠέλιος, τότε δὴ κύος ἐκ Διός ἐστι. Dav.

6. *Corpore semifero* Ampliss. Boherio legit *setifero :* quod Avienus dixerit, « Hispida setosi marcet facies Capricorni ». Prætulerim tamen aliorum sententiam, qui Capricornum *semiferum* dici contendunt, quoniam ex hirco et pisce componatur; hircus autem mansuetum sit animal. Quin et receptam lectionem servat Priscianus, lib. VI, col. 685. Dav. — Bene monet Heind. *setigero*, quod conjecit Ern. non potuisse, nisi de sue, dici. Mr. — *Capricornus.* Hygin. Poet. Astron. cap. 28, pag. 480 seq. Eratosth. Catast. cap. 27, cum Schaub. pag. 106 seq. Cr.

7. *Ut sese ostendens emergit Scorpius alte.* Vers. 305, 312, 315 : Ἤτοι γὰρ μέγα τόξον ἀνέλκεται ἐγγύθι κέντρου Τοξευτὴς, ὀλίγον δὲ παροίτερος ἵσταται αὐτοῦ Σκορπίος ἀντέλλων ... Ὁ δέ οἱ παραπέπταται ὄρνις Ἀσσότερον βορέω· σχεδόθεν δέ οἱ ἄλλος ἀήτης, ... καί μιν καλέουσιν ἀητόν. Prima vox a quam plurimis exsulat MSS. Lægerim « et sese ostendens ». Tamen ut verum fatear, non erat, cur Balbus aliquid versibus hisce prætermitteret. Dav. — *Scorpius.* Eratosth. cap. 32 (in signo *Orionis*), ubi vid. interpr. pag. 112. Cf. Hygin. cap. 34, pag. 485 seq. Adde Schol. Palat. ad Odyss. V, 121, et Nonni narratt. ad Gregor. Naz. in Opuscc. mythologg. pag. 51 et 69, et quæ plura ibi posuimus. — *Aquilu.* Hygin. cap. 16, pag. 458, sqq. Eratosth. cap. 30, ibique Schaub. pag. 111. Cr.

8. *Flexum vi corporis arcum.* Quatuor Gruteriani totidemque nostri « plexum vi corporis arcum ». Quod

Digitized by Google

Quem propter nitens pennis convolvitur ales.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat.

Deinde Delphinus.

Exinde Orion[9] obliquo corpore nitens.

Quem subsequens,

Fervidus ille Canis[10] stellarum luce refulget.

Post Lepus subsequitur,

Curriculum numquam defesso corpore sedans[11].

noto, quia Lescaloperius in ullis codicibus hanc lectionem negat inveniri. Quin et ita dat editio Ascensiana. Dav. — Quum non propter Sagittarium, sed propter Sagittam apud Aratum conspiciatur Cygnus, Boherius unum versum, qui in Arateorum Ciceronis versione est, h. l. excidisse putat, ut legendum sit : « Hic missore vacans fulgens jacet una sagitta, Hanc propter, etc. » Sed recte monet Heind. Ciceronem in nostro libro in reddendis Arateis fuisse indiligentiorem, ideoque forte illum versum ab ipso auctore esse prætermissum. Sed quamvis bene hoc monuerit Heind. idem tamen versu sequente ad unguem expolitum vult Ciceronis librum, ex codd. suis scribens *plumis* pro *pennis*, quia scilicet non convolvitur, sed expanditur pennis cygnus. Ma. — Mox, ad verba : *se ... portat* Joseph. Scaliger in notis ad Manil. p. 408, ita : « Cicero eleganter : *se portat*, i. e. ἄγεται, *movetur*. De motu agili et expedito proprie dicitur, qualis in bene valentibus, aut in Satyra de eo cui constabat valitudo : « Et pedibus me porto meis », h. e. bene valeo. Quis neget hodie in Gallia nos ita loqui ? » Sequuntur plura Scaligero digna. — *Delphinus*. Eratosth. cap. 31, ibique annot. pag. 460 seqq. Ca.

9. *Exinde Orion*. Vers. 322 : Ἀξὺς μὲν Ταύροιο ὑποκέκλιται αὐτὸς Ὑρίων, etc. Dav. — In cod. Oxf. e. est *Oriens* pro *Orion*. Qualia subinde notamus, ut appareat, quæ sit alicujus libri auctoritas in aliis rebus ; librarius enim, qui tam inepte sæpe hallucinatur, ubi notabili quodam et impedito loco sensum præstat commodum et lectionem probabilem, certe non ex ingenio correxisse credendus est, quod ei vel perexiguum vel nullum fuit, sed in libro vetustiore reperisse, quæ proferat. Ma.

10. *Fervidus ille Canis*. Vers. 327 : Φαίνεται ἀμφοτέροισι Κύων ὑπὸ ποσσὶ βεβηκώς. Dav. — *Fervidus ... Canis*, Plinius, H. N. II, 40, § 40 : « Fervent maria exoriente eo (Cane) ». Plura vid. in Eratosth. cap. 33, Hyginoque, cap. 35, pag. 487 seqq. eorumque interprett. — *Lepus*. Eratosth. cap. 34 ; Hygin. cap. 33, pag. 484, ibique annott. Ca.

11. *Curriculum numquam defesso corpore sedans*. Eliens. repræsentat *defecto corpore*. Lucanus, lib. IV, 600 : « Jam defecta vigent renovato robore membra ». Seneca, Epist. LVIII : « Integri senectus animum juvant, nec defectum et præmortuum corpus est ». Tacitus, Annal. lib. IV, c. 29 : « Lentulus senectutis extremæ, Tubero

Digitized by Google

At Canis ad caudam[12] serpens prolabitur Argo.....
Hanc Aries tegit[13], et squamoso corpore Pisces,
Fluminis illustri tangentem corpore ripas.

Quem longe serpentem et manantem adspicies,
proceraque Vincla videbis[14],
Quæ retinent Pisces caudarum a parte locata.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis[15] acumen,
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri.

Propter quæ Centaurus[16]

defecto corpore ... turbandæ reip. arcesserentur». Hæc de voce multis egerunt Nic. Heinsius ad Ovidii Fast. III, 674, et Marq. Gudius ad Phædri lib. I, Fab. XXI, nec dubitari potest, quin sit nitidissimæ latinitatis. Attamen si *defectum* vel *defessum* fuisset corpus, aliquo modo *sedaretur curriculum*. Reponendum credo: « Curriculum numquam, indefecto corpore, sedans »; vel potius *indefesso*: nam secundum Aratum, vs. 339: Ἐμμενές ἥματα πάντα διώκεται, etc. Germanicus in Arateis, vs. 17: « Cetera, quæ toto fulgent vaga sidera mundo, Indefessa trahit proprio cum pondere cælum». Ultima litera vocis præcedentis initium sequentis, ut fit, absorpserat. Sic apud Silium de Hannibale, lib. VII, 154: « Hæc secum; mediam somni quum buccina noctem Divideret». Quæ sensu carent: at si legas *mediam insomni*, locus fiet integer. Dav. — Dedit Heind. *defecto*, ut est in cod. Eliens. vulgatum *defesso*, ut magis notum, a librariis substitutum existimans; deinde *servans* pro *sedans* ex cod. Glog. scripsit, quo supervacanea etiam redditur Davisii correctio. Ma.

12. *At Canis ad caudam.* Vers. 342: Ἡ δὲ Κυνὸς μεγάλοιο κατ' οὐρὴν ἵλκεται Ἀργώ. Dav. — *Argo* Eratosth. cap. 357, ibique Schaub. pag. 116; Hygin. P. A. cap. 37, p. 489 sq. Ca.

13. *Hanc Aries tegit.* Vers. 357: ... ὑπὸ κριῷ τε καὶ ἰχθύσιν ἀμφοτέροισι Βαιὸν ὑπὲρ ποταμοῦ βεβλημένον ἀστερόεντος. Hæc autem de Pistrice, non Argo, dicuntur: quapropter excidit *hinc Pistrix*, vel simile quiddam; prout bene monuerunt Lescaloperius et Boherius. Hinc etiam scribendum liquet, « Fluminis illustris tangentem corpore ripas », quemadmodum notavit Grotius: ac ita diserte repræsentat Bonon. 1494. Dav. — Heind. quoque cum Boherio ante hunc versum aliquid excidisse putat. — *Fluminis.* Vide Hyginum, P. A. cap. 38, pag. 483; Eratosth. cap. 37 (utrumque in: *Eridanus*), ibique interpretes. Ca.

14. *Proceraque Vincla videbis.* Vers. 362: Δεσμοὶ δ' οὐραῖοι, τοῖς ἰχθύες ἄκροι ἔχονται, Ἄμφω συμφορέονται ἀπ' οὐραίων κατιόντες. Dav.

15. *Inde Nepæ cernes propter fulgentis.* Aratus, vers. 402: Αὐτὰρ ὑπ' αἰθομένῳ κέντρῳ τέραος μεγάλοιο Σκορπίου, ἄγχι Νότοιο θυτήριον αἰωρεῖται. Dav. — *Nepæ.* I. e. monstri ceu scorpii. Sensus est: prope Scorpii fulgentis acumen videbis Aram, quam vetus auster flatu permulcet. Wytt.

16. *Centaurus.* Hygin. P. A. cap. 38, pag. 490; Eratosth. cap. 40, ibique Schaub. pag. 120 sq. Ca.

Digitized by Google

Cedit, equi partes properans submergere Chelis[17],
Hic dextram porgens[18], quadrupes qua vasta tenetur,
Tendit, et illustrem truculentus cedit ad Aram.
Hic sese infernis de partibus[19] erigit Hydra:

cujus longe corpus est fusum;

In medioque sinu fulgens Cratera relucet[20].
Extremam nitens[21] plumato corpore Corvus

17. *Cedit, equi partes properans submergere Chelis.* Vs. 438 : Ἱππούραια δ' ὑπὸ σφίσι Χηλαὶ ἔχουσιν. Αὐτὰρ ὁ δεξιτερὴν αἰεὶ τανύοντι ἐοικεν Ἀντία δυσμετίου θυτηρίου ... Ἀλλ' ἔτι γάρ τε καὶ ἄλλο περαιόθεν ἕλκεται ἄστρον. Ὕδρην μιν καλέουσι, etc. Pall. Med. Lincoln. Cantabr. Eliens et Reg. habent *subjungere Cetis;* hoc quidem male. Dav. — Utrum scribas *submergere* an *subjungere*, Ernestus nihil interesse dicit. Ma.

18. *Hic dextram porgens. Porgam* pro *porrigam* Veteres dixisse Festus testatur, ut *surgo* pro *surrigo*. Sed Aldina editio non habet *porgens*, sed *pergens*. Id ego non improbo; nam simili modo et alibi *labens*, et *serpens*, et *se portans* dicit. Sed dices, unde regitur τὸ *dextram?* Nimirum a sequentibus *tendit* et *cedit*. Nam *cedere dextram* eleganter dicimus, unde celebre illud in Fabulis, *Cedo manum*. Possis tamen *cædit* legere κατὰ δίφθογγον, ut ad Feram referatur, quæ Hostia dicitur Hygino. Et hoc veri simile est, licet pugnent codices, quia addit *truculentus*, hoc est, σφαγεὺς, ab eo fonte, a quo et *trucidare* dicimus. Grotius. — In seq. versu Ern. ex cod. Guelf. correxit *cedit*, quum antea esse *cædit;* in quo cum eo faciunt codd. M. et Oxf. ψ. et ed. Asc. Sed Heind. correxit proprio Marte *ut ... cædat*. Haud incommode. Ma.

19. *Infernis de partibus.* Illud quod apud Aratum est περαιόθεν, Tullius interpretatur « infernis de partibus » : Avienus *desuper*. Theon περαίαν vocari ait τὴν ἀνατολήν, qui eodem loco etiam pro occasu sumi asseverat. Ita vox una non tantum diversas, sed et contrarias habet significationes. Ego *ulterius* transtulerim. Grot. — *Hydra.* Vid. in « Corvo sive Hydra » Eratosth. Cataster. cap. 41, cum Schaub. pag. 121 seq. et Hygin. Poet. Astr. cap. 40, p. 492 sqq. Ca.

20. *In medioque sinu fulgens Cratera relucet.* Vers. 448 : Μέσσῃ δὲ σπείρῃ Κρητῆρ· πυμάτῃ δ' ἐπίκειται Εἴδωλον Κόρακος σπείρην κόπτοντι ἐοικός· Καὶ μὴν καὶ Προκύσιν διδύμους ὑπὸ καλὰ φαείνει. Primum Ciceronis versum laudat Nonius in *Cratera*, cap. 15. Vide et Servium ad Æn. I, 728. Ma. — *Cratera* codex G. Facciolat. in tot. Lat. Lexico sub voc. *crater* ita : « Sunt qui *cretera* vel *creterra* dici volunt, quum de signo sermo est, ut in Cicer. de Nat. Deor. Vett. Glossæ, *creterra*, ὑδρία ». *Craterra* scribi jubet Pighius in Annalib. laudatus a Drakenborch. ad Liv. V, 25. *Cratera* tamen nunc editur in Hygini Poet. Astron. 40, pag. 493 ed. Staver. et Drakenborchius etiam in Livii l. l. codicum consensui obtemperans *crateram* rescripsit.—De re vid. quæ disputavimus in Dionyso, p. 89, sqq. Ca.

21. *Extremam nitens.* Sic codices nostri. Sed cum MS Ursin. malim, « extremum nitens », videlicet *sinum*. In Arateis certe, vs. 220, sic editur.

Digitized by Google

Rostro tundit : et hic Geminis est ille sub ipsis
Ante-Canem, graio Procyon qui nomine fertur.

115 Hæc omnis descriptio siderum, atque hic tantus cæli ornatus, ex corporibus huc et illuc casu et temere concursantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? aut vero alia quæ natura, mentis et rationis expers, hæc efficere potuit, quæ non modo ut fierent, ratione eguerunt, sed intelligi qualia sint, sine summa ratione non possunt?

XLV. Nec vero hæc solum admirabilia; sed nihil majus [1], quam quod ita stabilis est mundus, atque ita cohæret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes ejus undique medium locum capessentes, nituntur æqualiter. Maxime autem corpora inter se juncta permanent, quum quodam quasi vinculo circumdato [2] colligantur : quod facit ea natura, quæ per omnem mundum omnia mente et ratione conficiens funditur, et ad medium rapit et
116 convertit extrema [3]. Quocirca si mundus globosus [4] est,

Dav. — Dedit Heind. cum Ern. *extremam* sc. hydram; recte. Ma.

XLV. 1. *Sed nihil majus*. Legendum videtur *magis*, ut etiam doctissimus Walkerus animadvertit. Dav. — Pro *majus* scripsit Heind. ex Walkeri emendatione *magis*, quod in nullo libro esse credebat; at est in cod. D. a prima manu. Wopkensius in Lectt. Tull. 2, 7, frustra, ut videtur, defendit vulgatam. Ma. — *Nec vero... aptius*. I. e. non solum ipse mundus, ejus creatio et ordinatio est admirabilis, sed admirabilior etiam est ejus conservatio et perpetuitas. Wytt.

2. *Vinculo circumdato*. Licet hæc lectio satis sit latina, tamen scribendum suspicabar *vinculo circumdata*; nec inanis fuit hæc suspicio, prout ostenderunt Bonon. 1494, et Manut. in quibus ita diserte legitur. Davis. — Dedit Heind. quod placebat Davisio, *circumdata*, ex edd. Marsi et Ascens. et suffragatur non tantum ed. Bas. sed etiam codd. nostri E. G. M. Oxf. e. o. et n. Ma.

3. *Ad medium rapit et convertit extrema*. Hæc item Stoica sunt, secundum quæ deus in medio mundo quasi habitans, omnia ad centrum ejus trahit, quæ vero sunt in superficie ejus globi, « vinculo circumdato colligat », i. e. vincit et convertit. Illud sane, « vinculo circumdato colligantur », fluxit a Platonis opinione de anima extrinsecus mundum cingente in Tim. pag. 529, A, de qua diximus *ad Enapium*, p. 64, 65. Wytt.

4. *Quoc. si mundus globosus est*. Vide Wyttenb. in Philomathia, part. III,

Digitized by Google

ob eamque causam omnes ejus partes undique æquabiles, ipsæ per se, atque inter se continentur : contingere idem terræ necesse est, ut, omnibus ejus partibus in medium vergentibus (id autem medium, infimum in sphæra est), nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum: eademque ratione mare, quum supra terram sit, medium tamen terræ locum expetens, conglobatur undique æquabiliter, neque redundat umquam, neque effunditur. Huic autem continens aer, fertur ille quidem levitate sublimis[5], sed tamen in omnes partes se ipse fundit. Itaque et mari continuatus et junctus est, et natura fertur ad cælum : cujus tenuitate et calore temperatus, vitalem et salutarem spiritum præbet animantibus. Quem complexa summa pars cæli, quæ æthra dicitur[6], et suum retinet ardorem tenuem et 117

p. 106, et conf. quæ supra posuimus ad cap. 39 init. Ca.

5. *Fertur ille quidem levitate sublimis.* Recepi scripturam, quam nonnulli codd. dant pro varia lectione; mirumque prorsus est, editores in *levitate sublimi* consensisse : quum *levitas sublimis* nihil omnino significet, at alteram locutionem præstent optimi quique scriptores. Ovidius, Metam. IV, v. 720 : « Vulnere læsa gravi modo se sublimis in auras Attollit . . . » Virgilius, Georg. I, v. 404, et multis aliis locis exempla suppeditabit. Vide Lucretium, lib. II, v. 608. Dav. — Pro *sublimi* dedit Heind. cum Dav. *sublimis*, frustra defendi illud ab Ernesto existimans. Bene quidem dicitur *sublime* pro *in sublime*, neque vero *sublimi* pro *in sublimi; sublime* enim tum adverbium est, *sublimi* numquam. Ceterum et hoc loco, ut cap. 16 et 39, not. 5, *sublime* præferrem, nisi præcedere: *levitate*. Amplector igitur *sublimis*, quod habet noster cod. Fa. Mr.

6. *Summa pars cæli, quæ æthra dicitur.* Grutero post Victorium placuit *æthra*, quod ejus codices dederint partim *ætherea*, partim *æthera*. Quin et in Reg. Ascens. ac Bonon. 1494, diserte legitur *æthra*. Ac ita persæpe loquitur, inter alios, Festus Avienus. Sed hominis est judicio pollentis, rationi potius quam librariorum lapsibus fidem habere. Nam si Tullius hic *æthram* posuisset, cur initio c. 46 dixit : « in æthere », non « in æthra, astra volvuntur? » Et paullo post : « Quibus altæ renovatæque stellæ, atque omnis æther », non « æthra? » Deinde cælum non *æthram*, sed *ætherem* perpetuo vocat. Vide I, 14, et II, 15, 16 et 40. Præterea, licet hæ voces, apud poetas, interdum misceantur, proprie tamen « æther est ipsum elementum, æthra vero splendor æthe-

Digitized by Google

nulla admixtione concretum, et cum aeris extremitate conjungitur.

XLVI. In æthere autem astra volvuntur; quæ se et nixu suo conglobata continent, et forma ipsa, figuraque, sua momenta sustentant[1]. Sunt enim rotunda: quibus formis, ut ante dixisse videor, minime noceri
118 potest. Sunt autem stellæ natura flammeæ. Quocirca terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur[2] iis, qui a sole ex agris tepefactis, et ex aquis excitantur: quibus altæ renovatæque stellæ, atque omnis æther, refundunt eadem, et rursum trahunt indidem, nihil ut fere intereat, aut admodum paullulum, quod astrorum ignis et ætheris flamma consumat. Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panætium addubitare dicebant[3], ut ad extremum omnis mundus ignesceret,

ris», ut monet Servius ad Æn. III, vs. 585. Pari modo Scholiastes Homeri ad Iliad. II, v. 646, Αἰθὴρ ὁ ἀνέφελος καὶ εὔδιος ἀήρ. Non est autem, ut Ciceronem ἀκύρου reum sine necessitate statuamus. Postremo, lectionem, quam repræsentavimus, firmant Eliens. et Probus ad Virgilii Eclog. VI, p. 72, ubi ex hoc loco bene longam ῥῆσιν adducit. Dav. — Iisdem, quibus Davisius, motus rationibus Heiudorf. quoque dedit *æther*, et recte, meo judicio. In eo vero Ernestus verum vidit, tum scribendum esse «qui æther dicitur», quod etiam dedit Heind. Codd. E. et G. *æther*. Mr.

XLVI. 1. *Qui se nixu suo... sustentant.* I. e. astra ipsa conglobata et rotunda sunt, itaque etiam nituntur versus centrum suum atque hac forma et figura sustentant suam gravitatem. Wyttt.

2. *Sunt autem stellæ ... aluntur.* Lucretius, lib. I, vs. 232, contra ita quærit: «... unde æther sidera pascit?» ubi vide Lambinum, pag. 26 seq. De illa sententia plura annotavimus supra ad cap. 15 et 16. Cr. — *Ex agris tepefactis.* Has voces omittit MS Grutero memoratus; sed eas postulat ratio, Probusque cum reliquis codicibus admittit. De re ipsa vide Just. Lipsium, Phys. Stoicæ lib. II, Diss. 14. Dav.

3. *De quo Panætium addubitare dicebant.* Panætius nimirum cum Boetho, Posidonio, et aliis quibusdam Stoicis ἀφθαρσίαν mundi propugnabat. Adi Lipsium, Phys. lib. II, Diss. 23. Davis. — *Ex quo eventurum nostri putant... Panætium... ut... omnis mundus ignesceret.* Decretum ἐκπυρώσεως, ut nonnulla alia, ab Heraclito duxerant Stoici. Vide quæ apposui in Dionyso, pag. 80. De ipsa Stoicorum sententia vide Senecæ Nat. Quæst. III, extrem. ibique Muretum in Scholiis, p. 33 ed. Ruhnk. Stobæi Eclog. Phys. lib. I, pag. 313 Heeren. Diogen. Laert. VII, 142; Arnobium adv.

Digitized by Google

quum, humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aer; cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil præter ignem; a quo rursum animante ac deo[4] renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur[5].

Nolo in stellarum ratione multus vobis videri, maxi- 119
meque earum, quæ errare dicuntur. Quarum tantus est concentus ex dissimillimis motibus, ut, quum summa Saturni refrigeret[6], media Martis incendat, his interjecta Jovis illustret et temperet, infraque Martem duæ soli obediant, ipse sol mundum omnem sua luce

g. II, 9; ibique Orell. p. 15 seq. et quæ Tennemannus disputavit in Hist. Phil. vol. IV, pag. 67, 232, 296. Diversam *Panætii* sententiam, qui cum Posidonio mundum æternum volebat, exposuit Philo Jud. tom. II, p. 297; quem locum tractavit Van Lynden de Panætio, pag. 68 seq. qui plura laudavit. Cf. etiam Bakium ad Posidonii reliqq. pag. 53 seq. De æternitate mundi pluribus etiam agit Plotinus, pag. 96 seq. itemque pag. 201, ubi tangere videtur Stoicos, ita rationem suam concludens: Οὔτε φθαρήσεται ἀλλ' ἢ ὅσα ἔχει εἰς ἄ· ὃ δὲ μὴ ἔχει εἰς ὃ, οὐδὲ φθαρήσεται. Ca.

4. *A quo rursum animante ac deo.* Sic Reg. Med. Lincoln. Bonon. 1494, pluresque libri. At Probus, cum paucis codicibus, exhibet *de deo*, nec aliter legendum censuit D. Lambinus. Miror equidem viro doctissimo tam horridam loquendi rationem placere potuisse. Sana prorsus est lectio vulgata: nam Stoici ignem «animantem esse ac deum» statuerunt. Porphyrius apud Eusebium, Præp. Evang. XV, 16: Τὸν δὲ θεὸν οὐκ ὀκνοῦσι (Στωϊκοὶ) πῦρ νοερὸν εἰπόντες. Plutarch. de Rep. p. 1051, F: Χρύσιππος οὐδὲν οἴεται πλὴν τοῦ ΠΥΡΟΣ ἄφθαρτον εἶναι τῶν θεῶν. Vide et p. 1052 seqq. ac Just. Lipsium, Phys. Stoic. lib. II, Diss. 12. Nisi constaret apud Stoicos ignem animantem ac deum esse, neque optimi libri exhiberent *ac deo*, Heind. mallet «a quo rursus animante denuo renov.» quod *denuo* positum inter *rursum* et *renovatio* etiam absque illis rationibus supervacaneum foret. Ca.

5. *Renovatio mundi fieret, atque idem ornatus oriretur.* Simplicius in Aristot. de Cælo, I, 9: Καὶ δὲ ὁ Ἡράκλειτος ποτὲ μὲν ἐξάπτεσθαί φησι τὸν κόσμον, ποτὲ δὲ ΕΚ ΠΥΡΟΣ ΑΥΘΙΣ ΣΥΝΙΣΤΑΣΘΑΙ. Ταύτης δὲ τῆς δόξης ὕστερον ἐγένοντο οἱ Στωϊκοί. Numenius, ap. Eusebium, Præp. Evang. lib. XV, cap. 18: Ἀρέσκει γὰρ τοῖς Στωϊκοῖς φιλοσόφοις, τὴν ὅλην οὐσίαν εἰς πῦρ μεταβάλλειν, οἷον εἰς σπέρμα, καὶ πάλιν ἐκ τούτου αὐτὴν ἀποτελεῖσθαι τὴν διακόσμησιν, οἷα τὸ πρότερον ἦν. Adi sis et Plutarchum contra Stoicos, p. 1075. Davis.

6. *Quum summa Saturni refrigeret.* Hoc ex antiquo errore traditum, nam planeta quivis ita est calidus aut frigidus, ut minus magisve a sole distat. Wytt.

Digitized by Google

compleat, ab eoque luna illuminata graviditates et partus afferat, maturitatesque gignendi. Quæ copulatio rerum, et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturæ, quem non movet; hunc horum nihil umquam reputavisse certo scio.

120 XLVII. Age ut a cælestibus rebus ad terrestres veniamus; quid est in his, in quo non naturæ ratio intelligentis appareat? Principio, eorum, quæ gignuntur e terra, stirpes, et stabilitatem dant iis, quæ sustinent, et ex terra succum trahunt, quo alantur ea, quæ radicibus continentur; obducunturque libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. Jam vero vites sic claviculis adminicula, tamquam manibus, apprehendunt, atque se ita erigunt, ut animantes. Quin etiam a caulibus [brassicisque[1]], si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus, refugere dicuntur,
121 nec eos ulla ex parte contingere. Animantium vero

XLVII. 1. *A caulibus* [*brassicisque*]. Eliens. uterque, Reg. Mediol. et Victor. omissa conjunctione, repræsentant *a caulibus*, *brassicis;* unde liquido patet, postremam vocem prioris esse glossema, quapropter eam cinximus uncinis. Nam caulis non modo nomen est generale, sed interdum κατ' ἐξοχήν pro brassica ponitur. Plinius, Histor. Nat. lib. XVII, cap. 24 fin. «Odit (vitis) et caulem, et olus omne». De hac re vide sis eumdem lib. XX, cap. 20; Palladium, lib. IX, tit. 5, et Athenæum, lib. I, pag. 34. Juvenalis, Sat. V, vs. 87: «Pallidus adfertur misero tibi caulis». Isidorus, Orig. lib. XVII, cap. 10: «Caulis est generaliter herbarum et olerum medius frutex, qui vulgo tyrsus dicitur, quod a terra sursum conscendat; ex quo derivatum est, ut specialiter quoddam genus olerum caulis diceretur, quia tyrsus ipsius amplius ceteris oleribus coalescit, id est, crescit». Similiter, brassicam *olus* vocari, notavit Jos. Scaliger ad Varronis de Re Rust. lib. I, cap. 16, pag. 198. Davis. — Quod uncinis incluserat Dav. τὸ *brassicisque*, non debebat iis liberare Ernestus, quum tam manifesta glossematis signa gerat. Accedit, quod abest ea vox ab Oxf. e. Reliqui sic habent: cod. Glog. *a caulibus et brassicis;* codd. mei fere omnes repræsentant, et cum iis editiones Marsi *a caulibus brassicis*, quod magis etiam arguit, spuriam esse alteram vocem. Ma. — *A caulibus brassicisque... si... satis sint.* Conf. Arnobium advers. g. lib. IV, cap. 10, ibique Salmasium, et eumdem ad Solini Polyhist. p. 583. De hoc zeugmate vide etiam Sanctii Minervam, II, p. 354 ed. docti viri Bauer. Ca.

Digitized by Google

quanta varietas est? quanta ad eam rem vis, ut in suo quæque genere permaneant? quarum aliæ coriis tectæ sunt[2], aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ; pluma alias, alias squama videmus obductas; alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit[3]. Enumerare possum ad eum pastum capessendum, conficiendumque, quæ sit in figuris animantium, et quam solers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quæ quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura belluis et sensum, 122
et appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando; cibumque partim oris hiatu, et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum; alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est hu-

2. *Quarum aliæ coriis tectæ sunt*, etc. Vide Maximum Tyrium, Diss. 10; Phocylidem apud Stobæum in Floril. tit. III, pag. 23 ed. Grotian. et Anacreontem, Od. II, ubi, postquam varias hominum bestiarumque dotes memorarat, addidit: Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν. Τί οὖν δίδωσι; κάλλος. Dav.

3. *Pastum... comparavit.* Ed. Th. «natura large et copiose eum»; absunt verba *et* et *eum* a cod. Oxf. e. qui codex nisi tam multa, quæ abesse non possunt, omitteret, suspicetur aliquis, a Cicerone scriptum fuisse, «Pastum autem animantibus large natura, qui cuique aptus erat, comparavit»; ita ut *copiose* pro glossemáte habeatur. Sed, quamquam alius fortasse scriptor ita dicat, Ciceronem tamen etiam in libris philosophis uberius dicendi genus amare reputandum est. Ma. — *Enumerare possum.* Talia non sollicitanda sunt. Præsens indicativi tuetur b. l. etiam cod G. tuentur loci Ciceroniani multi: II, 49: «Multa ejusmodi proferre possum». Conf. II, 52 fin. de Divinat. II, 24, p. 225 Hotting. «Quid ego haruspicum responsa commemorem (possum equidem innumerabilia) quæ aut nullos habuerunt exitus». Alia suppeditabit Hensinger. in Præfat. ad Offic. p. 58. Ca.

Digitized by Google

militas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant:
123 quæ autem altiora sunt, ut anseres, ut cycni, ut grues, ut cameli, adjuvantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis[4], quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum[5].

XLVIII. At, quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit, aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quædam atque solertia: ut in araneolis[1], aliæ quasi rete

4. *Manus etiam data elephantis.* Ita proboscidem vocat, quod ea utitur elephas χειρὸς δίκην, ut loquitur Philes, cap. 39, 11. Plinius, Hist. Nat. lib. VIII, cap. 10: «Spirant et bibunt odoranturque haud improprie appellata manu». Curtius de iis agens, lib. VIII, cap. 14: «Præcipua, inquit, terribilis illa facies erat, quum manu arma virosque corriperent». Ac paullo post: «Queis appetebant belluarum manus». Hinc eos *anguimanos* dixit Lucretius, lib. II, p. 214, et lib. V, pag. 714. Rem ipsam tractant Lactantius de Opif. Dei, cap. 5, 13; Ambrosius, Hexaem. VI, 5, § 31. Vide sis et Achillem Tatium, Ἐρωτ. IV, p. 227. Davis.

5. *Difficiles aditus habebant ad pastum.* Quæ præcedunt, verba sunt præsentis temporis. Ergo legendum *habeant*, ut diserte Bonon. 1494. Sic etiam Med. nisi quod is *habeat*. Certe nunc pariter, ac olim, *manus* iis pascendis est commoda. Davis. — Quod placebat Davisio, *habeant*, Heindorf. ne latinum quidem esse censet, quum præcedat *data*, scil. est, et sequantur præterita *erat*... *vescerentur*... *dedit*. Priorem vero rationem nullam esse probatum ivimus ad cap. 56, in not. posteriorem si quis non magni momenti esse credet, nos adsentientes habebit. Exhibent illud *habeant* ed. Marsi et codd. G. Oxf. e. et u. Ma. — Heusinger. Præfat. ad Offic. p. 53, per enallagen accipit *habebant*, ut sit *habituri fuissent*, laudans patris sui annotat. ad Mall. Theodor. pag. 55. Equidem, ut non nego, latinum esse *habeant*, etiamque elegans ac Ciceronianum: ita amplector lectionem alteram *habebant*. Venuste enim fingitur elephas fuisse ea corporis magnitudine, antequam manum adsciscceret. Quod commentum, quo naturæ quasi fabrica ante oculos ponitur, continuatur etiam in seqq. «At quibus bestiis erat is cibus, etc.» Lucretii loco nostrum locum adhibuit Lambinus, p. 144. Cr.

XLVIII. 1. *Ut in araneolis, aliæ quasi rete texunt.* De iis Ælianus, Var. Hist. lib. I, cap. 2; Xenophon. Mem. lib. III, cap. 9, 6. Vide et Senecam, Ep. 121. Dav. — Nimis, credo, offenditur hac constructione Heindorf. negligentiore quidem illa, neque vero plane inaudita. Neque acceptum esse *in* pro *inter*, vel *ex* ab interpretibus crediderim. Suppleri potest absque nimia difficultate, vel duritie ad verba *ut in araneolis* vel *est*, vel *videmus*. Latinius certe procederet oratio, si scriptum esset «ut araneolis: aliæ enim, etc.» hoc facile damus Heindorfio. Sed

Digitized by Google

texunt, ut, si quid inhæserit, conficiant; aliæ autem ex inopinato observant, et, si quid incidit, arripiunt, idque consumunt. Pinna vero[2] (sic enim græce dicitur), duabus grandibus patula conchis, cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi. Itaque quum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum admonita squillæ pinna morsu, comprimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum est, congressune aliquo 124
inter se, an jam inde[3] ab ortu naturæ ipsæ congregatæ sint. Est etiam admiratio nonnulla[4] in bestiis

cur Ciceronem semper corrigamus? Quod item fecit Boherius corrigens: «ut in aran. alias quasi rete texunt, ut si quid inhæserit, conficiant, alias autem ex inop. observant, etc.» ubi recte offenditur Heind. verbis *alias... alias*; a qua correctione parum apta Wopkensium, Lect. Tull. II, 10, vindicare locum voluisse ait ineptiore explicatione, quasi araneæ, ut formicæ, gregatim operarentur, ut alia hoc, alia illud ad laborem communem conferret. Nihil tamen mutandum; quidni enim (si Aristotelem sequi voluit Cicero, Hist. An. 9, 27, Schneid.) primum *aliæ* de feminis, alterum de maribus intelligi possit? Ma. — *Ut in araneolis, aliæ.* De hac constructione monui supra ad I, 36. Ca.

2. *Pina vero.* Tam πίνη quam πίννη Græcis dicitur. Adi sis Origenem, Comment. in Matthæum, p. 211, D. E. Historiam referunt Plinius, Hist. Nat. lib. IX, cap. 42; Plutarchus, de Solert. Anim. tom. II, p. 980; Ælianus, Histor. Anim. lib. III, cap. 29; denique Chrysippus apud Athenæum, lib. III, p. 89, E. a quo sua mutuavit Cicero, si verax est M. A. Muretus, Var. Lect. lib. V, cap. 10. Davis. — *Pina vero cum parva squilla.* Nobilissimum Chrysippi locum, qui pro fonte est, græce servavit nobis etiam Athenæus a Davisio laudatus. Tu vide lib. III, vol. I, p. 349 ed. Schweigh. *Pina* est etiam in Gœrenzii libris omnibus de Finibus, III, 19, 63. Sicut autem nostro loco Kindervat. ita ibidem Gœrenz. recentiorum naturæ exploratorum auctoritate utitur, quo eam narrationem explodat. Schneiderus ad Æliani Hist. Anim. lib. III, cap. 29, cautius in ea re agi voluisse videri potest. Ac recens Veterum fidem, interpositis experientiæ firmamentis, tueri conatus est Josephus Capece-Latro, Tarenti archiepiscopus. Vide Appendicem itinerarii vernaculi, itineris per Germaniam et Italiam facti, auctore Elisa a Recke, vol. III, pag. 331 seqq. Ca.

3. *In quo admirandum est, congressune aliquo inter se, an jam inde,* etc. Hanc litem solverunt ii, qui φασὶ συγγεννᾶσθαι αὐτὰ αὐτοῖς καὶ ὡς ἂν ἐξ ἑνὸς σπέρματος γίνεσθαι. Vide Athen. Deipnos. lib. III, pag. 89, E. et 93, F. Dav.

4. *Est etiam admiratio nonnulla in bestiis.* Passive accipiendum de eo, quod istæ bestiæ admirandum habent. Ejus significationis exempla collegit

Digitized by Google

aquatilibus iis, quæ gignuntur in terra : veluti crocodili, fluviatilesque testudines, quædamque serpentes ortæ extra aquam, simul ac primum niti possunt, aquam persequuntur. Quin etiam anatum ova gallinis sæpe supponimus; e quibus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus, a quibus exclusi fotique sunt; deinde eas relinquunt, et effugiunt sequentes, quum primum aquam, quasi naturalem domum, videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam!

XLIX. Legi etiam scriptum, esse avem quamdam, quæ platalea nominaretur[1], eam sibi cibum quærere advolantem ad eas aves, quæ se in mari mergerent: quæ quum emersissent, piscemque cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum illæ captum amitterent; id quod ipsa invaderet: eademque hæc avis scribitur conchis se solere complere[2], easque,

Gœrenz. ad de Legg. II, 12, p. 146. Mox : « veluti crocodili... persequuntur » expedivimus suprà ad I, 36, *velut ibes*. Cr.

XLIX. 1. *Platalea nominaretur*. *Platea* appellatur ab Aristotele, VIII, cap. 12, et Plinio, lib. X, cap. 40, ut fortasse hic quoque ita scribendum sit. Ursin. — Non ipsum Aristotelem, sed ejus interpretem latinum consuluerat Ursinus; *Plateas* enim non memorat Philosophus : sed Πελεκᾶνας *Plateas* vertit Metaphrastes. Dav.

2. *Conchis se solere complere*. Hanc pelicanorum technam memorant bene multi, quorum testimonia congessit Sam. Bochartus, Hieroz. part. II, lib. II, cap. 24. At erodiis eam adscribit Plutarchus, Solert. Anim. p. 967, D. qua in re philosophum Chæronensem lapsum censet Ferd. Pintianus ad Plinii Hist. Nat. lib. X, cap. 40. At Bochartus ἐρωδιῶν *ardearum* nomine *pelicanos* eum censet intelligere. Verum tamen ardeas cum pelicanis confusas non esse patet ex Æliani Hist. Anim. lib. III, cap. 24, quem locum laudavit ipse vir summus : alium vero prætermisit, qui rem plane conficit. Is exstat Hist. Anim. lib. V, cap. 35 : Ὁ ἐρωδιὸς, inquit, τὰ ὄστρια ἐσθίειν δεινός ἐστι, καὶ μεμυκότα αὐτὰ καταπίνει, ὥσπερ οἱ Πελεκᾶνες τὰς κόγχας. Hinc inanes esse tam Bocharti quam Pintiani suspiciones liquet. Vide et Philen de Anim. c. 9. Plutarchus ostrea tantum et conchas miscuit. Davis.— *Platalea... invaderet. Eademque hæc avis... esculenta*. Vide Davis. Aristotelis locus est Hist. Anim. X, 10 (11); Plinii, Histor. Natur. X, 40, vol. I, p. 576 Hard. Cui et ipsi ea avis dicitur *platea*. Cf. Aristotelem, qui fertur, in Mirabb. Auscult. cap. 13, ibique

Digitized by Google

quum stomachi calore concoxerit, evomere, atque ita eligere ex iis, quæ sunt esculenta. Ranæ autem marinæ 125
dicuntur[3] obruere sese arena solere, et moveri prope aquam: ad quas, quasi ad escam, pisces quum accesserint, confici a ranis atque consumi. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo. Ergo alter alterius, ubicumque nactus est, ova frangit. Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo[4] pleraque,

Beckmann. p. 38. Ad priorem autem ipsius Aristotelis locum Schneiderus, tom. IV, p. 79, ita: «Originem latini nominis diverse scripti in Plinio et Cicerone indagare hodie vix licet; videtur tamen ab ardea latirostri ductum esse, et ipsa narratio ad hanc avem fuisse a pelecane translata. Altera, id est, prior Ciceronis narratio, eidem avi, plataleæ vel plateæ appellatæ, convenire non videtur, sed diversæ, quam nescio qua similitudine nominis vel rei inducti scriptores cum πελεκᾶνι confudisse videntur». Hæc Schneiderus V. C. Beckmannus autem l. l. similia iis, quæ prior Tullii narratio habet, de *Laro parasitico* Linnæi narrari, monet; quæ avis aliis *Cataractes parasitus* dicatur. Idem vir doctus fabulas attigit de pelecane, qui pullos suos suo sanguine in vitam revocare tradatur. Ca.

3. *Ranæ autem marinæ dicuntur.* Antigonus Carystius, Histor. Mirab. cap. 52: Τῶν ἰχθύων δὲ τὸν ἁλιέα καλούμενον βάτραχον θηρεύειν τὰ ἰχθύδια τοῖς ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀποκρεμαμένοις, ὧν τὸ μὲν μῆκός ἐστι ΤΡΟΧΟΕΙΔΕΣ, ἐπ' ἄκρου δὲ προσκείμενον, ὥσπερ δέλεαρ, στρογγύλον· ταῦτ' οὖν, κρύψαντα ἑαυτὸν, προτείνειν. Quid sit μῆκος τροχοειδὲς, nemo dixerit. Leg. ὧν τὸ μὲν μῆκός ἐστι ΤΡΙΧΩΔΕΣ, prout est apud Aristotelem, Histor. Animal. lib. IX, cap. 37. Vide sis et Plinium, Histor. Nat. lib. IX, cap. 42, et Ælianum, Hist. Anim. lib. IX, cap. 24. Dav.— *Ranæ... marinæ... consumi.* Antigonus Carystius, p. 96, ibique Beckmannus, Schneider. ad Æliani locum a Davisio laudatum. Idem vir doctus ad Aristotel. Hist. Anim. (ipsi c. 25) pag. 168, ex loco Ciceronis quædam excidisse suspicatur. Ceterum eam ranam *Lonchum piscatorium* dicunt harum rerum periti. Ca.

4. *A quo pleraque.* Nimirum *sunt animadversa.* Hoc ob J. Fr. Gronovium adnoto, qui deleto commate legit, «a quo pleraque quis potest non mirari»; et addit, hoc est, *cujus pleraque.* Vide doctissimum virum ad Livii lib. XXVII, cap. 5. Apertus quidem est error, sed primario reipubl. literariæ civi non exprobrandus, uti nec Cl. Cortio, qui eumdem errorem erravit ad Sallustii Jugurth. cap. 31. Dav. — Valde variant h. l. nostri libri; quod miror nulli editorum hucusque in suis libris occurrisse. Cod. K. «pleraque vis non potest nominari», unde frustra, ut videtur, vir quidam doctus hunc sensum extorquere studuit: vis s. copia animadversionum non potest s. licet nominari. Mihi jam dudum suspicio orta est, excidisse in prioribus voculam *non*, quam auxit annotatio sequens Davisii, animadvertentis, Aristotelis locum, ad quem respexerit Cicero, injuria temporum

Digitized by Google

quis potest non mirari? Grues, quum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam[5]. Ejus autem summo angulo aer ab iis adversus pellitur; deinde sensim ab utroque latere, tamquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi, ventis adjuvatur: hæque in tergo prævolantium colla et capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit ex iis, quæ acquiernnt[6]: eaque vicissitudo in omni cursu conservatur.

periisse. Quid si neque Cicero illud ab Aristotele animadversum reperisset? Tum certe rescribendum esset: «illud (sc. quod sequitur) vero ab Aristotele non animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari?» Ma. — In margine editionis Aldinæ, Ven. 1583, qua ego utor, vir doctus manu sua adscripsit notulam, qua illa verba: «quis potest non mirari», pro glossatoris fœtu habentur. Ego ex codicum vestigiis conjectabam: «... a quo pleraque, quivis non mirari non potest», expuncto interrogandi signo. Proxime ad locum de *milvo*, Schneiderus in Animadv. ad Aristotelem, Hist. Anim. lib. IX, cap. 2, posteaquam Ciceronis de milvo verba in medium protulit, ita pergit: «Repetiit etiam Ælianus, Hist. Anim. lib. V, cap. 48. Sed causam vel effectum odii falsum edidit Cicero». Subjicitur locus Alberti Magni. De milvo autem rapace Veterum opiniones attigit etiam Tib. Hemsterhus. ad Luciani Timon. lib. I, p. 435 Bip. et ab eo laudatus Burmannus ad Petronium, pag. 193. Alia de milvo infra apponam ad lib. III, cap. 22 sub init. Cr.

5. *Grues... trianguli efficere formam.* Injuria temporum periit Aristotelis locus, ad quem respexit Cicero; sed ejus vicem supplet Plutarchus de Solert. Anim. p. 967. Plures Veterum locos huc pertinentes attulit Cl. Bochartus, Hieroz. part. II, lib. I, c. 11, p. 73, 74. Dav.

6. *Quæ acquierunt.* Lamb. edidit, *quæ acquieverunt*, *proxima;* sed ultimam vocem respuunt omnes codd. Basilium, Ambrosium et Cassiodorum hujusce rei testes vocavit eruditissimus Bochartus, Hieroz. part. II, lib. I, cap. 11, p. 74. Addas licet hæc Eustathii in Hexaem. p. 28: Οἱ δὲ γέρανοι ὁμοῦ πᾶσαι ἐξ ἴσου ἵπτανται, μία δὲ προηγεῖται αὐτῶν, καὶ τακτόν τινα χρόνον προηγησαμένη, εἰς τὸ κατόπιν παριελθοῦσα τῇ μετ' αὐτὴν (leg. μεθ' αὐτὴν) τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὁδοῦ παραδίδωσιν. Dav.— Quæ sequuntur, Heindorfio non sana videntur; desiderat certe transposita verba sic: «Atque ea mirabilia. Quid illa, etc.» Boherius conjecit *atque illa mirabilia;* minus bene. Variant libri nostri. Ma. —Proxime: *quod quia* explicat Bauerus ad Sanctii Minervam, lib. I, p. 249 seq.

Digitized by Google

Multa ejusmodi proferre possum : sed genus ipsum videtis. Jam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiæ, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant. Atque illa mirabilia. 126

L. Quid ea, quæ nuper, id est paucis ante sæculis, medicorum ingeniis reperta sunt? vomitione canes; purgatu autem alvos ibes Ægyptiæ curant[1]. Auditum est, pantheras, quæ in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere[2]; quo quum es-

Volatum autem grum imagine etiam adumbravit librarius in margine elegantis codicis G. Ca.

1. *Vomitione canes, purgatione autem alvos ibes Ægyptiæ curant.* Vulgo « purgante autem alvos » ; Pal. sec. « purgantur autem alvos » : Med. et tert. « purgare autem alvos » : Reg. omissa vocula media, *purgare alvos*. Nos autem lectionem dedimus, quam repræsentant Lincoln. et Pal. prim. licet vel ea non ex omni parte sincera videatur. Scribo, « vomitione canes, purgatione autem alvi se ibes Ægyptiæ curant ». Multi sane Veteres bestias quasdam hominibus medendi magistras exstitisse censebant. Vide modo Plutarchum de Solert. Animal. pag. 974, et Plinium, Histor. Natur. lib. VIII, cap. 26, 27, ac lib. XXV, cap. 8. Hanc conjecturam P. Manutii, multoque magis D. Lambini, sententiæ prætulerim. Dav. — Ernestus ad h. l. qui omnes interpretes exercuit, ita : « *Alvos* commune est vomitioni et purgationi. Forte et transponendum est post *Ægyptiæ*, aut legendum *alvi*, ut vomitio et purgatio alvi sint duo diversa remedia curationis. Mire in h. l. variant libri ». Heindorfius totum hunc locum ita vult constitui : « Atque illa mirabilia, quod, quæ nuper... reperta sunt, vomitione canes, purgatione alvi ibes se Ægyptiæ curant ». Quæ quamquam satis placent, tamen nondum displicet priorum verborum emendatio, quam proxima annotatione proposuimus. Ceterum etiam ex lectione cod. G. paucis mutatis commoda elici possit posteriorum verborum lectio, a Manutii lectione parum abhorrens. In textu Heindorf. Ernesti lectionem retinuit. Ma. — De *ibibus* conf. supra lib. I, cap. 29, et lib. I, c. 36, et quæ annotavimus. Hoc loco admonere juvat Joannis Lydi de Mens. pag. 38, præsertim pag. 102 seq. ubi et alia memorabilia de hac ave legas et vero etiam hæc : Ὅτε γὰρ οὐρανὸς ἀσέληνος ... ἅπτοι ἐγκαρτεροῦσι τὸ συγγενὲς στοιχεῖον ἀναμένουσαι. Quæ ad hæc Ciceroniana quodammodo facere videntur. Ca.

2. *Pantheras, quæ in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere.* Pall. Lincoln. Reg. Bonon. 1494, *carperentur*, quod Grutero non displicet. At carne venenata non « paullatim debilitantur » (hæc enim *carpendi* vis est. Vide Senecam, Epist. 26 et 150); sed cibus aconito sparsus mortem affert præsentissimam, nisi forte præsto sit stercus humanum, quo sumpto, convalescunt. Adi Plinium, Hist. Nat. lib. VIII, cap. 27, lib. XXVII, c. 2, ac Ælianum, Hist.

Digitized by Google

sent usæ, non morerentur : capras autem in Creta feras[3], quum essent confixæ venenatis sagittis, herbam quærere, quæ dictamnus vocaretur; quam quum
127 gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore : cervæque paullo ante partum[4] perpurgant se quadam herbula, quæ seselis dicitur.

Jam illa cernimus, ut contra metum et vim suis se armis quæque defendat[5]. Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliæ fuga se, aliæ occultatione tu-

Anim. lib. IV, cap. 49. Dav. — *Non morerentur.* Krebsium professorem gymnas. Weilburg. virum mihi amicissimum, male habebat hic locus. Quem expedire studuit conjectura : *non mori rentur*, i. q. opinantur homines. Mihi ex antecedentibus imperfecti conjunctivi ratio intelligi videtur posse. Ca.

3. *Capras autem in Creta feras.* Sic Aristoteles, Histor. Animal. lib. IX, cap. 6, et Mirab. Auscult. pag. 702; Virgilius, Æneid. XII, v. 414; Valerius Maximus, lib. I, cap. 8, 18 ext. Ælianus, V. H. lib. I, cap. 10; Theon ad Arati v. 33; Eustathius in Hexaem. pag. 37; Antigonus Carystius, Histor. Mirab. cap. 36; Ambrosius, Hexaem. lib. VI, cap. 4, § 26, aliique. At Plinius, Hist. Nat. lib. VIII, cap. 27; lib. IX, cap. 8, dictamno cervarum curandarum vim tribuit. Tertullianus, de Pœnit. cap. 12 : « Cervus sagitta transfixus, ut ferrum et irrevocabiles moras ejus de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum ». Ab hac opinione stant etiam Solinus, cap. 19; Servius ad Æn. IV, 73, ac Isidorus, Orig. lib. XII, cap. 1. At hic 17, 9, et ille ad Æn. XII, 412, hanc dictamni vim cunctis animantibus utilem esse confirmant. Davis. — *Capras in Creta feras... dictamnus.* Vide Dav. De hujusmodi nominibus herbarum vide Ruhnk. et Mitscherlich. ad Homeri h. in Cer. vs. 229, et de re cf. Heynii Excurs. IV ad Æneid. XII; Beckmann. ad Antigonum Carystium, p. 66, in primis ad Aristotelem, Mir. Auscult. p. 17, atque Schneiderum ad Aristotelis Hist. Anim. lib. IX, cap. 6 (cap. 7) pag. 39. Plurimi in eo consentiunt, esse *Origanum Dictamnum* Linnæi. Mox : *Cervæque... seselis.* Vide Davisium, et adde Perizonium ad Æliani V. H. lib. XIII, cap. 55 fin. Ca.

4. *Cervæque paullo ante partum.* Hoc *post partum* fieri docet Aristoteles, Hist. Anim. lib. IX, c. 5. Utrumque verum. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. VIII, cap. 32, et lib. XXV, c. 8. Hæc loca, quæ perperam tentarat Cl. Salmasius, recte vindicavit Sam. Bochartus, Hieroz. part. I, lib. III, cap 17, pag. 890, quem vide. Davis. — A Tullio profecerunt in his Lactantius de Opif. Dei, cap. 2, § 3, et Minucius Felix, cap. 17. Ca.

5. *Quæque defendat.* Malim *defendant*, nempe *bestiæ*, quæ vox longo intervallo præcessit. Dav. — Recepit Heind. ex suis codd. quod conjecerat Davisius, *defendant;* placebat idem Ernesto, quia sequitur pluralis; itaque exhibent nostri codd. Fa. G. M. et Oxf. c. Ma.

Digitized by Google

tantur; atramenti effusione sepiæ[6], torpore[7] torpedines. Multæ etiam insectantes odoris intolerabili fœditate depellunt[8].

LI. Ut vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera, et arborum, omniumque rerum, quæ altæ aut radicibus a terra, aut stirpibus continerentur[1]. Quæ quidem omnia eam vim seminis

6. *Atramenti effusione sepiæ.* Vide Philen de Anim. cap. 90; Ælianum, Hist. Animal. lib. I, cap. 34; lib. V, cap. 44. Dav.

7. *Torpore torpedines.* De torpedine vide Claudianum, Idyll. III; Plinium, lib. IX, cap. 24; Oppianum, Halieut. lib. II; Ælianum, Hist. Anim. lib. I, cap. 36; Philen de Animalib. lib. XXXV, c. 1; Chalcidium in Platonis Timæum, § 235, p. 365. Dav. — *Torpore torpedines.* Vide locum classicum Platonis in Menone, p. 80, A. p. 29, Buttmanni, hujusque et Gedickii annot. Græcis est νάρκη, quæ νάρκην ποιεῖ contrectantem: physicis, qui hodieque hæc explorarunt: *Raja torpedo.* De qua singulari libello egit laudatus a Kindervater. *Langguth:* de raja torpedine Viteberg. 1777. Proxime de *sepia* adde Beckmann. ad Scriptorem Mirab. Auscult. pag. 12, ubi alia quoque exempla mire se tutantium bestiarum memorantur. Cr.

8. *Multæ etiam insectantes odoris intolerabili fœditate depellunt.* Idem Beckmann. ibidem pag. 11: « Animal a Linnæo *putorium*, a Buffono *le conepate* dictum, quod in America septemtr. degit, quando ab hominibus, vel canibus, vel hoste quocumque exagitatur, primum se in pedes dat et fuga salutem petit; sed deinde viribus defectum, quando effugium omne præclusum videt, urinam cum halitu fœtidissimo subito et vehementer in insequentem emittit, atque hoc modo hostem effugere conatur ». Idem vir doctus nec Tullii nostri locum neglexit. Cr.

LI. 1. *Quæ altæ aut radicibus a terra, aut stirpibus continerentur.* Sic vulgati: sic Med. Lincoln. Ascens. Victor. et Bonon 1494, Reg. quidem noster exhibet, « quæ aut radicibus, aut stirpibus a terra continerentur ». Paullo quidem melius, quia supervacaneum negligitur *altæ* particípium. At Pal. pr. et P. dant: « quæ a terræ stirpibus continentur ». Recte: si modo ductu Pal. secundi legas, « quæ a terra stirpibus confinentur ». Nam cetera mihi simul ac Grutero sordes videntur librariorum. Sic etiam loquutus est Noster supra, cap. 33. Vide Cl. Clerici Bibl. Antiq. et Hodiern. XX, p. 348. Davis. — Controversæ lectionis lenissimum remedium putabat Ernest. si *a terra* adjungatur verbo *altæ:* quæ *altæ a terra*, quum adolevere terræ nutrientis succo, « aut radicibus, aut stirpibus continentur ». *Radicibus* continentur plantæ, olera et similia, *stirpibus* arbores: nisi pro *aut* malis *ac*, quod sequentia videntur suadere, in quibus tantum stirpium mentio. Heindorfius vulgatam incommodam credit, quod ad vocem *altæ*, et absurdam, quod ad verba « aut radicibus aut stirpibus », quasi non, quæ plantæ

Digitized by Google

habent in se, ut ex uno plura generentur; idque semen inclusum est in intima parte earum baccarum, quæ ex quaque stirpe funduntur; iisdemque seminibus et homines affatim vescuntur, et terræ ejusdem
128 generis stirpium renovatione complentur. Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conservationem earum generis appareat? Nam primum aliæ mares, aliæ feminæ sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde partes corporis et ad procreandum, et ad concipiendum aptissimæ; et in mare et in femina commiscendorum corporum miræ libidines. Quum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese, eoque cœptum[2] fingit

radicibus a terra continentur, eædem *stirpibus* quoque continerentur. Pro *altæ* ed. Marsi habet *altæ*. Cod. Red. cum cod. Reg. facit, omittens hanc vocem, et ita noster cod. O. Verba «altæ aut radicibus», et alterum *aut* Davisius uncinis circumdedit, Heind. plane delevit, deditque «quæ a terra stirpibus continerentur», monens *radicibus* esse explicatoris cujusdam, et *altæ* ortum esse posse, quia forte verbo *stirpibus* superscripserit *al. radicibus*. Probam lectionem a Davisio propositam et ab Heindorfio receptam, habent nostri codd. B. C. D. H. I. La. (a pr. manu, nam secunda vulgatam adscripsit) et N. Ma.

2. *Eoque septum fingit animal*. Leg. *cœptum*, quod olim monuit Jan. Gruterus. Hanc emendationem loci sensus flagitat, quamvis renitantur MSS. Dav. — Defendit Ernest. vulgatam *septum*, referens *eoque* ad uterum, quo sepiatur embryo ad maturitatem usque; præsertim quum *cœptum* non bene conveniat verbo *fingit*. Acerbe in eum invehitur Heindorfius, quia non viderit, tum hoc loco desiderari *utero septum*; in posterioribus autem verba *ex utero* esse addita crediderit, ubi non requirantur. In quo nolim imitatus esset Heindorf. pravam nostratium quorumdam juvenum, qui soli sibi in literis sapere videntur, consuetudinem. Quasi non intelligi possit id, quod Cicero paullo negligentius posuit, a lectoribus parum etiam attentis, præsertim quum præcedat, «in locis semen insedit». Bene quidem prolatum esset, ut vult Heindorfius, «eoque septum utero fingit animal, quod quum ex eo elapsum excidit, etc.» neque incommode conjecit, vel potius reponere nos jubet, «eoque conceptum fingitur animal»; sed nobis ampliandum videtur. Pro Grutero et Davisio stat quodammodo cod. O. in quo est *ceptum animal*, quod etiam Heindorfius in suas partes trahere possit. Tum in verbis *elapsum excidit* pleonasmum esse ait Ernestus vultque *elapsum exiit*, quo merito non opus esse dicit Heindorf. Ma. — *Elapsum excidit* recte tuetur Heind. Tu vide Virg. Æneid. VII, vs. 310: «Lapsa cadunt folia». Proxime supra attende illa:

Digitized by Google

animal : quod quum ex utero elapsum excidit, in iis animantibus, quæ lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit; eaque, quæ paullo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt, earumque ubertate saturantur. Atque, ut intelligamus, nihil horum esse fortuitum, et hæc omnia esse opera providæ solertisque naturæ : quæ multiplices fœtus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo; quas easdem paucas habent eæ bestiæ, quæ pauca gignunt.

LII. Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in 129
educandis custodiendisque iis, quæ procreaverunt, usque ad eum finem, dum possint se ipsa defendere[1]? Etsi pisces, ut aiunt, ova quum genuerunt, relinquunt. Facile enim illa aqua et sustinentur, et fœtum fundunt. Testudines autem et crocodilos dicunt[2], quum

« Partes corp. et ad procreandum et concipiendum aptissimæ ». Honeste; ut *genitalia membra*, quæ æque honeste dicuntur, docente Ruhnkenio ad Rutil. Lup. pag. 61. Ad locum Arnobii ab eo laudatum, III, 10, p. 105 ed. Lips. consule interprtt. et adhibe etiam Ciceronis locum infra, lib. III, cap. 22 : « obscenius excitata natura ». Ca.

LII. 1. *Dum possint se ipsa defendere.* Aristoteles, Polit. lib. I : Τὰ μὲν συνιστίκτει τῶν ζώων τοσαύτην τροφὴν, ἐως ἱκανὴν εἶναι, μέχρις οὗ δύνηται αὐτὸ αὐτῷ πορίζειν τὸ γεννηθέν. Ursin. — Voces *ad eum finem* supervacaneæ Grutero videntur, nec, iis omissis, latinam fore orationem diffiteor. Nullo tamen modo sunt delendæ; nam noster id extulit plene, quod alibi passim ἐλλειπτικῶς dicitur. Sic rursus in Verrem, Act. I, cap. 6 : « Eamansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt ». Ibi quoque eadem verba « profani quiddam resipere » statuit ille vir eruditus. Sed hi loci se mutuo tuentur. Cornelius Nepos, XV, 2 : « Exercebatur... ad eum finem, quoad stans complecti posset ». Non dispari ratione Hyginus, Poet. Astron. III, 40 : « Quæ ad figurationem siderum pertinent, ad hunc finem nobis erunt dicta ». Dav.

2. *Testudines autem et crocodilos dicunt, quum*, etc. Hisce consentanea tradunt Plutarchus de Solert. Anim. pag. 982, et Ælianus, V. H. lib. I, cap. 6. Tam vero testudines quam crocodilos *ovis incubare* tradunt Aristoteles, Histor. Anim, lib. V, cap. 33, et Plinius, Hist. Nat. lib. IX, cap. 10, ac lib. X, cap. 62. Insuper notarim, MS Reg. *corcodilos* exhibere : quod haud temere damnandum; licet Græci semper κροκοδείλους dicant. Certe nonnullorum poetarum latinorum versus sine hac literarum transpositione non

Digitized by Google

in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere. Ita et nascuntur, et educantur ipsa per sese. Jam gallinæ, avesque reliquæ et quietum requirunt ad pariendum locum, et cubilia sibi nidosque construunt, eosque quam possunt mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur: ex quibus pullos quum excluserint, ita tuentur, ut et pennis foveant, ne frigore lædantur; et, si est calor a sole, se opponant. Quum autem pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur; reliqua cura liberantur. Accedit ad nonnullorum animantium [3], et earum rerum, quas terras gignit, conservationem et salutem, hominum etiam solertia et diligentia. Nam multæ et pecudes [4], et stirpes sunt, quæ sine procuratione hominum salvæ esse non possunt.

Magnæ etiam opportunitates ad cultum hominum, atque abundantiam, aliæ aliis in locis reperiuntur. Ægyptum Nilus irrigat [5], et, quum tota æstate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam

constant. Omnino vide Marq. Gudium ad Phædri lib. I, fab. 25. Davis. — Cod. M. habet *ut earum rerum*. Cod. H. distinctionem minorem non ponit post *salutem*, sed post *hominum*. Cod. O. *hominis etiam*. Frustra vulgatam defendere studuit Wopkens. Lectt. Tull. 2, 10. Ma.

3. *Nonnullorum animantium*. Gœrenz. ad Cic. de Legg. lib. I, cap. 9, 26, tuetur, *nonnullarum*, quod Tullius animantes femineo genere dixerit, ac sic fere loqui soleat, ubi bestias hominibus opponat. Cod. noster G. tuetur h. l. masculinum. Mox: « hominum etiam sollertia... magnæ etiam opport. » Vide eumdem V. D. ad de Legg. lib. III, cap. 2, p. 219, et ad Acad. lib. II, cap. 18, pag. 110. Ca.

4. *Nam multæ et pecudes*, etc. Sic Lucretius, lib. V: « At levisomna canum fido cum pectore corda, Et genus omne quod est veterino semine partum, Lanigeræque simul pecudes, et bucera sæcla, Omnia sunt hominum tutelæ tradita... » Lambin.

5. *Ægyptum Nilus irrigat*. Vide sis interpretes ad Plinii Paneg. cap. 30, p. 150; Hegesippum, lib. IV, cap. 27, p. 451. Davis. — De argumento vide laudata a Davisio. Conf. Schwarzium ad Plinii Paneg. l. l. p. 101 seq. adde *Description de l'Égypte* Antiqq. vol. I, pag. 13 seq. pag. 57. Plura ea de re disputabimus ad Herodotum, lib. II, cap. 19. Ca.

Digitized by Google

fertilem [6] efficit Euphrates : in quam quotannis [7] quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus [8], non aqua solum agros lætificat et mitigat, sed eos etiam conserit : magnam enim vim seminum secum, frumenti similium, dicitur deportare. Multaque alia in aliis locis commemorabilia [9] proferre possum; multos fertiles agros, alios aliorum fructuum. 131

LIII. Sed illa quanta benignitas naturæ, quod tam multa ad vescendum, tam varia, tamque jucunda gignit; neque ea uno tempore anni; ut semper et novitate delectemur, et copia? Quam tempestivos autem

6. *Mesopotamiam fertilem*, etc. Vide Arrian. Expedit. lib. VII, cap. 7, p. 282; cap. 21, p. 303. Dav. — Davisianis adjice Herodot. I, 180 seqq. Callimach. h. in Apollin. vs. 108 seq. ibique Spanhem. Ca.

7. *In quam quotannis*. Pall. tres, Victor. Reg. Med. et Bonon. 1494, dant *quot annos*. Probe. Similiter Apuleius, Metam. lib. XI, p. 254 : « Sedulum quot dies obibam culturæ sacrorum ministerium ». Noster Tuscul. lib. I, cap. 49 : « Quot dies erimus in Tusculano ». Hanc tamen formam non agnoscit Priscianus, lib. XVIII, pag. 1188, 1193. Dav. — *Quot annos* est in codd. Glog. Red. nostris A. B. D. E. Fa. G. H. I. Oxf. e. o. et u. Scripsit Heindorf. inde distincte *quot annis*, quod probum videtur. Ma.

8. *Indus vero, qui est omnium fluminum maximus*. At Gangem *maximum totius Indiæ fluminum* vocat Curtius, lib. IX, cap. 2. Vide et lib. VIII, cap. 9. Mela, lib. III, cap. 7 : « Ganges... fit omnium maximus... Indus... pæne Gangem magnitudine exæquat ». Præter alios multos paria narrant Strabo, lib. XV, pag. 1011, 1027, et Arrianus, Exped. Alexandr. lib. V, cap. 3, 4, ac Indic. cap. 4. At cum Cicerone facit Philostratus, vit. Apollonii, lib. II, cap. 18. Quin et Ammian. Marcellinus, 23, 6, p. 414, « Indum fluviorum maximum » vocat. Ea vero, quæ de fluviis hisce tradit Noster, in Octavium suum transtulit Minucius Felix, cap. 18. Davis. — *Indus... qui est omnium fluminum maximus*. Ex constructione ad sensum, more Græcorum, ut Isocrates ad Nicocl. extr. et quæ plura collegit Matthiæ in Gramm. gr. § 459, qui commode nostrum etiam locum adhibuit. Proxima : « magnam vim seminum... frumenti similium » quomodo audacius tentaverim; vide, si tanti est, in not. ad Fragg. Hecatæi Mil. pag. 62 seq. Nunc probum judico illud *similium*. Ita enim solent veteres scriptores facere, ut, quum peregrinarum terrarum proventus describant, indigenarum rerum similitudinem adhibeant. Strabo, lib. XIV, pag. 1017 : in Indiæ, ait, regione nasci σῖτον αὐτοφυῆ πυρῷ παραπλήσιον. Conf. etiam Plinium, Hist. Nat. lib. XVIII, cap. 9; Theophrast. Hist. Plant. lib. IV, cap. 5, ne plura congeram. Ca.

9. *Comm.* Pro, memoratu digna.

Digitized by Google

dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriuntur e terra, ventos Etesias[1]? quorum flatu nimii temperantur calores. Ab iisdem etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur. Multa prætereunda sunt : et
132 tamen multa dicuntur. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates; æstus maritimi multum accedentes et recedentes[2]; montes vestiti[3], atque sil-

LIII. 1. *Etesias.* Græce οἱ ἐτησίαι, scilic. ἄνεμοι, id est, venti annui, a nomine ἔτος, annus, qui quotannis per certum tempus spirant. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. II, cap. 47; Gell. N. A. lib. II, cap. 22. Wytt.

2. *Æstus maritimi multum accedentes et recedentes.* Nonnullis contra MSS fidem placuit, « æstus maritimi tum accedentes, tum recedentes », ac ita dedit Pet. Lescaloperius. Sed hæc nimia videtur licentia, quamvis vulgata lectio non arrideat. Quid enim sibi volunt « multum accedentes et recedentes? » Prima certe vox hoc in loco dura prorsus est et horrida. Lego, « æstus maritimi mutuum accedentes et recedentes », id est, invicem, alternis. Vide Nonium in *mutuum*. Eodem sensu *mutua* dixit Lucretius, II, pag. 158, et lib. IV, pag. 526. Dav. — Dedit Heindorf. quod ego quoque jam dudum conjeceram, *mutuo accedentes*, quum in cod. Glog. verbo *maritimi* a sec. manu superscriptum invenisset *al. mutuo*. Veram autem lectionem servavit noster cod. La. ubi est « æstus maritimi mutuo accedentes et recedentes ». Ma. — De repetitu hoc quoque loco vide quæ proxime laudavi ad cap. 52, not. Ca. — *Æstus... recedentes.* Id est, fluxus et refluxus maris. Voculam *multum*, cui non videtur locus esse, Davisius acute mutandam censuit in *mutuum*, quod est adverbium pro *mutuo*, *vicissim*. Wytt.

3. *Montes vestiti.* Herbis, floribus, fructibus, arboribus. Metaphoricus hic loquendi modus passim apud auctores reperitur. Sic Noster infra 64 : « vestitus densissimos montium » memorat. Sic Justinus, lib. XII, cap. 7, « montis vite hederaque vestiti » meminit. Vide et Senecam de Benef. III, 29, ac nos ad hujusce libri cap. 39. Davis. — Cod. I. « maritima devotissime remotissime »; media vox irrepsit, quum monachus devotus aliud agens scriberet, qui postquam errorem agnovit, justam addidit vocem, noluit vero, delenda voce, quam prius scripserat, litura maculare librum suum. Quid vero, ubi de naturæ ipsius, neque vero hominum, operibus agitur, Cicero sibi velit, *artes* subjungens fluminibus, æstibus maritimis, montibus, salinis, medicamentisque, se non intelligere fatetur Heindorf. Fuit quum ego conjicerem, scribendum esse *res* pro *artes;* neque nunc illud plane displicet. Fieri tamen potuisse credo, ut Cicero, quum salinas prius, deinde medicamenta scripsisset, non admodum adtendens ad ea, quæ prius scripserat, quum in salinis et medicamentis quædam tamen hominum quoque sit opera, ad artes transiret, eas nempe, ad quas duce natura ductus est homo, vitæ sustentandæ causa. Ma.

Digitized by Google

vestres; salinæ ab ora maritima remotissimæ; medicamentorum salutarium plenissimæ terræ; artes denique innumerabiles, ad victum et ad vitam necessariæ. Jam diei noctisque vicissitudo conservat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.

LIV. Sin quæret[1] quispiam, cujusnam causa tanta- 133
rum rerum molitio facta sit: arborumne et herbarum? quæ quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustinentur. At id quidem absurdum est. An bestiarum? nihilo probabilius, deos mutorum[2] et nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione utuntur. Hi sunt dii et homines; quibus profecto nihil est melius: ratio est enim, quæ præstat omnibus. Ita fit credibile, deorum et hominum causa factum esse mundum, quæque in

Eadem fere ac Tullius egregie disputat noster Voltarius, ille Christianæ fidei hostis infensissimus, divinæ autem exsistentiæ acerrimus assertor (Dict. Philos. caus. fin.). Eadem quoque invenies apud clarissimum Fenelonem, *de Exsistentia dei*, compluresque alios gallicos auctores.

LIV. 1. *Sin quæret.* Scripsit Davis. *sin quærat*, quod est in cod. Red. Ernesto non placebat vulgata, utrum sic scribas, an *quæret*, quod est in plurimis; judicatque non convenire illud sequentibus: «at id quidem absurdum est». Neque satisfacit ei, quod est in cod. Guelf. *quæreret* (ut habet etiam noster cod. Fa.). Vult igitur deleri illud *sin*. Quod non fecisset, ait Heind. nisi neglexisset Walkeri notam, qui ex cod. Reg. restituit, «Hic quærat quispiam»; et sic dedit in contextu. Recte, ut opinor. Cod. Glog. habet, «sed quæret quisp.» Ma.

2. *Mutorum*, etc. Olim *mutarum*. Legerim potius *mutorum*, uti quidem dat Elienus. Davis. — Reperit Heind. quoque *mutorum* in cod. Glog. quod ab eo receptum probamus; exhibet idem Oxf. ϕ. Ma. — *Mutarum* non potest commode referri ad *bestiarum*, constructione quidem et usu latinitatis, quæ potius postulat *mutorum* in neutro, ut recte vidit Davisius. Wytt. — Ad loci nostri argumentum quod attinet, conf. Cicer. de Legg. lib. I, cap. 9, sub fin. Mox structuram: *ratio est enim* attigit Gœrenz. ad Cicer. de Finib lib. I, cap. 13, 43. Cr.

Digitized by Google

eo sint[3], omnia: faciliusque intelligetur, a diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisque humanæ naturæ figura atque perfectio.

134 Nam quum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu, ad hæc omnia percipienda os est aptissimum; quod adjunctis naribus[4] spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus[5]. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur: quæ confectio etiam a
135 lingua adjuvari videtur. Linguam autem ad radices

3. *Quæque in eo mundo sint.* Vocem penultimam ex Reg. Med. Lincoln. Buslid. Bonon. 1494, Victor. aliisque libris scriptis et impressis adsumpsimus; eam enim prætermittunt recentiores editi. Sed causa non erat idonea, cur ita se gererent; siquidem hanc sermonis ἀφέλειαν frequenter adhibet M. Tullius; at omnium sæpissime Jul. Cæsar. Vide nos ad Minucii Felicis cap. 13, p. 72. Dav. — Omisit cum Ernesto Heindorf. vocem *mundo*, quæ sane abesse non tantum potest commode, sed, si ponatur, abjiciendum erit *eo*. Abest ea vox a cod. Red. et ed. Marsi; itemque a nostris A. G. Ma. — *Dii et homines... omnia.* Est hoc placitum Stoicorum, mundum esse civitatem deorum et hominum, cui præsit summus deus creator. Vide Cic. de Legg. lib. I, cap. 8; Plutarchum adv. Stoicos, pag. 1065; Thom. Gataker. ad M. Antonin. p. 110. Wytt.

4. *Adjunctis naribus.* Id est, quasi sociis naribus, quum os ad respirandum etiam adjuvetur naribus. Wytt.

5. *Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus.* Reg. Med. Lincoln. et Buslid. exhibent *dentibus constrictis*; quam lectionem probat Jac. Gronovius. Bonon. 1494, et MSS plerique repræsentant *mollitur cibus*: mihi tamen recte fecisse videtur Paullus Manutius, qui alteram scripturam reposuit. Clemens in Recog. VIII, 29: « Interiores vero (dentes) ut in modum molæ conficiant et comminuant, unde et molares appellati sunt ». Lactantius de Opif. Dei, cap. 10, 16: « Habet præterea et aliud officium (lingua) quo in omnibus, sed tamen solo in mutis utitur, quod contritos et commolitos dentibus cibos colligit ». Nemesius de Natur. Homin. cap. 23, pag. 202: Μεγίστην γὰρ καὶ ἡ γλῶττα χρείαν παρέχεται τῇ διαμασήσει, συνάγουσα τὴν τροφὴν καὶ τοῖς ὀδοῦσιν ὑποβάλλουσα, καθάπερ αἱ ἀλετρίδες διὰ τῆς χειρὸς τὸν σῖτον ταῖς ΜΥΛΑΙΣ. Græci fere τὸ λειαίνειν hanc in rem usurpant. Vide Xenophontem, Mem. lib. I, cap. 4, 6; Aristotelem de Part. Anim. lib. III, cap. 1, et Theodoretum de Provid. Serm. lib. III, pag. 50. Dav. — Dedit etiam Heindorf. *constructis*, quod totidem literis exhibent fere omnes nostri. Ma.

Digitized by Google

ejus hærens excipit stomachus; quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt: oris utraque ex parte[6] tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur. Atque is, agitatione et motibus linguæ quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit[7]. Ipsius autem partes eæ, quæ sunt infra id, quod[8] devoratur,

6. *Quæ accepta sunt: oris utraque ex parte.* Manutius et Lambinus edidere, «quæ accepta sunt ore. Is utraque ex parte tonsillas attingens». Et ita legerim, quamvis Victoriani, Gruteriani nostrique codices a recepta lectione non abeant. Davis. — Ad Lambini et Manutii lectionem addidit Heind. unum vocabulum *oris*, quod excidisse putat, quum oculus librarii ab eodem verbo bis posito ad alterum aberraret; scripsitque «quæ accepta sunt ore. Is oris utraque ex parte». Quod quamquam non displicet, tamen Heind. hoc quoque loco nimis perspicuitatis studiosus apparet. Igitur in illorum duumvirorum emendatione acquiescere possemus; quis enim, quæso, alias tonsillas intelliget, postquam modo præcessit *ore*? Sed animum explet et genuina videtur editionis Bas. lectio, ubi est, «quo primum illabuntur ea, quæ accepta sunt: et oris utraque ex parte tonsillas attingens, etc.» Ma.

7. *Quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit.* Quis hæc ferat in scriptore tam culto, quam est Tullius? Merito sane Gruterus ea non sine vitio esse statuit; sed nec ille, nec ullus alius operam ei tollendo dedit, multo minus reperit medicinam. Mihi reponendum videtur, «quum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, deglutit». Hoc certe verbum *gulæ* vel *œsophago* (sic enim capiendus est *stomachus*) optime convenit. Adi sis Isaac. Casaubonum ad Persii Sat. V, vs. 112. Theodoretus de Prov. Serm. III, p. 53: Ὁλκὸν ὁ οἰσοφάγος μιμεῖται, ὃν στόμαχον ὀνομάζειν εἰώθαμεν. Pollux, lib. II, § 201: Προσπεφύκασι δὲ κατὰ λεπτοὺς ὑμένας ΣΤΟΜΑΧΩι, ὃν καὶ βρόγχον καὶ ἀρτηρίαν ἔνιοι, οἱ δὲ καὶ φάρυγγα καλοῦσι. Et § 202: Ὁ δὲ στόμαχος... ὀνομάζεται καὶ οἰσοφάγος. Vide et § 107. Ita passim medici Græci. Dav. — Non tam incommodum videbatur Ernesto illud *depellit*; nam illud *depulsum* (ait) pertinet ad partes deferentes cibum comminutum ad stomachum. Heindorfio non placet Davisii *deglutit*, quod nec mihi satisfacit. Conjecerat primum *depressum* pro *depulsum*; nunc utrumque et *depulsum* et *depellit* sanum ei videtur, post hoc vero excidisse credit *inferius*, utpote absorptum a sequente *ipsius*. Possit etiam aliquis verba *depulsum et* pro insititiis habere et scribere «quum quasi detrusum cibum accepit». Sed ampliandum videtur. Ma. — *Depellit* non satis convenit h. l. quia hoc jam dictum erat nomine depulso: itaque haud inepte conjecit Davisius, *deglutit*. Wytt.

8. *Quæ sunt infra id, quod devoratur.* Aliter legitur hic locus in manuscriptis: «Quæ sunt infra, in quas id quod devoratur descendit». Ursin. — Ursini conj. Heind. non placet, nec eam probo; ego conjicerem: «quæ...id, quo devoratur». Mox *paullo supra*. In vocula *supra* adverbii vim monstra-

Digitized by Google

136 dilatantur; quæ autem supra, contrahuntur. Sed quum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat, adjunctum linguæ radicibus, paullo supra, quam ad linguam stomachus annectitur, eaque ad pulmones usque pertineat, excipiatque animam eam, quæ ducta sit spiritu, eamdemque a pulmonibus respiret et reddat: tegitur quodam quasi operculo[9], quod ob eam causam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed quum alvi natura, subjecta stomacho, cibi et potionis sit receptaculum; pulmones autem et cor extrinsecus spiritum adducant; in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quæ constat fere e nervis[10]. Est autem multiplex et tortuosa, arcetque et continet, sive illud aridum est, sive humidum, quod recipit, ut id mutari et concoqui possit; eaque tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accipit, cogit et confundit: ut facile et calore, quem multum habet, exterendo cibo[11], et

vit Bauer. ad Sanctii Minerv. lib. I, p. 178, not. Mox: *respiret et reddat.* Attende soni similitudinem, et confer etiam Gudium ad Phædri fab. I, 2. Ca.

9. *Tegitur quodam quasi operculo.* Epiglottide. Vide Agellium, N. A. lib. XVII, cap. 11; Rufum Ephesium de Corp. human. Appell. pag. 27, et Pollucem, Onom. lib. II, § 106. Dav.

10. *Quæ constat fere e nervis.* Vulg. *constant;* sed lectio, quam MS Ursin. debemus, sana prorsus est et sincera; nam ventriculus, qui Tullio nuncupatur *alvus*, e membranis et nervis constat. Sic loquitur etiam Lactantius de Opif. Dei, cap. 11, 15, 16. Non aliter γαστὴρ a Græcis adhibetur. Vide modo Theodoretum de Provid. Serm. III, pagg. 52, 54. Davis. — *Constat*, quod probavit Ernest. recepit quoque Heind. et habent codd. A. I. et Oxf. e. Post hæc dedit Heind. *recepit* pro *recipit;* et hoc omnes libros habere credit, quum sui libri, quos omnium optimos esse persuadebat, vulgatam exhibeant. At nos jam dudum perfectum in cod. B. repertum, Ciceroni reddendum censueramus, antequam Ernestum (dubitanter tamen propter sequens *accipit*) idem conjecisse cognosceremus. *Recepit* præterea est in codd. E. et H. et *accepit*, quod ex cod. Glog. recte dedit Heind. est in codd. E. Fa. H. (a pr. manu) G. N. O. edd. Th. et Bas. Ma.

11. *Quem multum habet, exterendo cibo.* Reg. noster, Manut. Lamb. Pal. pr. sec. habent *et terendo cibo;* tert. et Med. *in terendo cibo;* quibus varietatibus motus Gruterus, hæc more suo abesse maluit, quasi glossam olerent. Vulgg. « quem multum habet,

Digitized by Google

præterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur[12]. In pulmonibus autem inest raritas quædam, et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima : qui tum se contrahunt adspirantes, tum respiritu dilatant[13], ut fre-

exterendo cibo ». Perperam. At deleta tantum, quod fecimus, interpunctione, sensus evadit optimus. Alcinous de Doctr. Platon. cap. 17 : Διοικεῖται δὲ τὰ σιτία κατὰ τὴν γαστέρα, ΠΝΕΥΜΑΤΙ τε καὶ ΘΕΡΜΩι τηκόμενα καὶ μαλαττόμενα. Sic et alii passim, quibus harum rerum fit mentio. Dav.—Ern. ad h. l. ita : «Vulgo male interpunxere post *cibo ;* ut *ext. cibo* pertineret ad calorem. Nam *ext. c.* est alterum, quo cibus conficitur, nec calore conteritur cibus, tertium *spiritus* ». Quod se non intelligere dicens Heindorf. delevit et Ernesti interpunctionem post *habet*, et Davisii post *cibo*, et separatim scripsit *ex terendo*. Sed hoc sibi vult Ernestus, tria esse, quibus cibus conficiatur ; quorum primum contineatur *calore*, alterum *exterendo cibo* (quod non fieri ait calore, sed proprium quemdam actum significat), tertium *spiritu*. In quo me adsentientem habet Ernestus, nisi ex cod. M. scribatur *atterendo cibo ;* nam nescio quomodo me quoque male habet illud *exterendo*, præsertim quum fere omnes nostri codices id non agnoscant. Ma.

12. *In reliquum corpus didantur.* Sic legendum. *Didantur*, id est, diffundantur, distribuantur. Lucretius, lib. IV : « Inde quod exprimimus, per caulas omne palati Diditur, etc.» Lambin. — *In reliquum corpus dividantur.* D. Lambinus scribendum pronuntiat *didantur*. At vero se nimium dictatorie gessit vir ille doctus : nam loco movenda non est lectio vulgata. Quamvis enim Lucretius eo quo reposuit modo passim loquatur, tamen et ille IV, 607, dixit : « Præterea partes in cunctas dividitur vox ». Noster de Divin. lib. II, cap. 26 : « In omne corpus diviso et mitificato cibo ». Ubi nos plura. Lactantius de Opif. Dei, cap. 11, 16 : « Ut quidquid ipsis inest succi, quo corpus alitur, membris omnibus dividatur ». A MSS igitur non est recedendum, siquidem illi verbum satis commodum repræsentant. Davis. — Cod. Glog. *dividat*, cod. Red. *dividatur*. Lambini *didantur* recte monet Heind. Lucretii esse et poetarum, neque vero Ciceronis. Ma.

13. *Tum se in respiritu dilatant.* Vulg. « tum in respiritu dilatant ». Reg. Med. Ascens. et Bonon. 1494 : « Tam se spiritu ». Pal. tert. « tum in se spiritu » : P. vero, « tum se in spiritu dilatant ». Ex diversis hisce lectionibus recte collegeris dedisse Ciceronem, « tum se in respiritu dilatant » ; ac sic edendum curavimus. Davis. — Dedit Heind. cum Ernest. vulgatam, quamquam eam parum integram credat. Ego cum Heindorfio vocem *respiritu* nihili esse existimo ; in eo vero fallitur Heind. quod eam libris MSS non credit confirmari. Videamus codd. In codd. Glog. et La. est « tum in se spiritu dilatantur » ; in codd. M. Red. et Gul. « tum se in spiritu dilatant » ; in codd. A. B. C. H. (ubi tamen separatim scribitur *re spiritu*) I. et Oxf. e. est *tum est respiritu*. Eleganter, ait Ernest. ser dicitur *cibus animalis*. Ma. — Ego ex codicis G. lectione effingendum censueram : « ut frequenter du-

Digitized by Google

quenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes.

137 LV. Ex intestinis autem et alvo[1] secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur, per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris (sic enim appellant) ductas et directas vias, quæ pertinent ad jecur, eique adhærent. Atque inde aliæ pertinentes sunt, per quas cadit cibus a jecore delapsus[2]. Ab eo cibo quum est secreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur; reliqua se in sanguinem vertunt, ad easdemque portas jecoris confluunt, ad quas omnes ejus viæ pertinent: per quas lapsus cibus,

catur anima, quo cibo maxime aluntur animantes». Nunc vulgata placet, et plurima istiusmodi etiam silentio prætermitto, ne viris doctis obstrepere velle videar hujusmodi nugis, quæ ante hos duodecim annos, quo tempore in hunc primum Tullii codicem incideram, haud mediocriter me retinebant, nunc retinere amplius nequeunt. Cr.

LV. 1. *Ex intestinis autem et alvo.* Quam *alvum* dixit Tullius, alii fere *ventriculum*, nos vulgo *stomachum* vocamus. Sed quorsum pertineat *stomachi* mentio, nullus equidem adsequor. Omnis enim cibus in *stomacho* concoctus, tandem in intestina decidit: ejus autem partes crassiores egeruntur, quum ex tenuioribus fiat chylus. Cuncti Pall. ut et Reg. Mediol. Cantab. Bonon. 1494, particulam copulantem prætermittunt; unde vocem proxime sequentem pro glossa habendam esse (nam *alvi* nomine passim veniunt *intestina*), non inanis est suspicio. Itaque rescribendum puto: «Ex intestinis autem, secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur». Hoc sane modo clara sunt omnia. Et ita statuere Veteres. Vide Aristotelem de Part. Anim. lib. III, c. 7; Nemesium de Natur. Hom. cap. 23, pag. 202 seqq. Lactantium de Opif. Dei, cap. 11, 16, 17; Ambrosium de Arca et Noe, cap. 11, n. 28, et Athenagoram de Resurr. cap. 5, pag. 157. Recentiores tamen anatomici rem se secus habere retexerunt. Vide Cl. Clerici Physic. lib. IV, cap. 9, 2. seqq. Dav. — Quæ uncinis incluserat Dav. verba *et alvo*, ejecit Heind. auctoritate cod. Glog. præsertim quum copulam *et* omittant fere omnes codd. Verba *a medio intestino* Ernest explicat græco vocabulo μεσεντερίῳ. Ma.

2. *A jecore delapsus.* Vulgo, *dilapsus;* at lectionem, quam recepimus, exhibet a prima manu Regius noster, eaque prorsus est vera; nam *delabi* idem valet ac *deorsum* labi seu *decidere;* quum alia sit *dilabendi* potestas. Dav. — Restituit Heind. scriptionem *dilapsus*, quam omnes fere libri exhibent, ut aptissimam, quum de cibo (*chylo* explicat Ern.) per varias vias a jecore diffuso sermo sit. *Dilapsus* habent libri Heind. et nostri omnes, exceptis cod. I. ubi est *lapsus*, et ed. Bas. quæ exhibet *delapsus*. Ma.

Digitized by Google

in hoc ipso loco in eam venam, quæ cava appellatur, confunditur, perque eam ad cor confectus jam coctusque perlabitur[3]; a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes. Quemadmodum autem reliquiæ 138
cibi depellantur tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus, haud sane difficile dictu est: sed tamen prætereundum est, ne quid habeat injucunditatis oratio.

Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturæ. Nam quæ spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab eo spiritu, deinde contagione pulmonum[4]; ex eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quem[5] ventriculum

3. *Coctusque perlabitur.* Sic optime reposuit Cl. Walkerus, et ita edidit Aldus Nepos. Vulgo *coactusque.* Dav.

4. *Contagione pulmonum.* Leg. *coagitatione pulmonum.* Gothofredi MS *concitatione;* Lambinus vero *cogitatione;* quod mendum videtur typographicum pro *coagitatione*, quemadmodum dant Lincoln. Med. Reg. Ascens. et Bonon. 1494. Recte quidem et vere. Isidorus, Orig. lib. XI, cap. 1: « Græci pulmonem πνεύμονα vocant, eo quod cordis flabellum sit, in quo πνεῦμα, id est, spiritus inest, per quod et agitantur et moventur, unde et pulmones vocati sunt. Nam græce πνεῦμα spiritus dicitur, qui flando et agitando aerem admittit et recipit, etc. » Dav. — Retinet Ern. *contagione*, explicans: quia pulmones sunt calidi et contactu suo animæ calorem addunt. *Contagione* adeo melius et Ciceroni usitatius censet. At illud plane ab h. l. alienum videtur Heindorfio, recepit igitur *concitatione*, scripsitque « a concitatione pulmonum », quum *coagitatione* vix ævo Ciceronis usitatum crederet. Neque displicet ejus ratio. Mr. — *Contugione pulmonum.* I. e. contactu pulmonari. Hæ duæ causæ redduntur, quare aer in pulmones adductus calescat; primum per ipsum aerem, qui est adhuc in pulmonibus, deinde etiam tactu pulmonum. Wytt.

5. *Quem ventriculum.* Ern. ex ed. Mediol. dedit *quem*, quod semper rectius ei visum erat, quam, quod in plerisque libris est, *quam*. Heind. dedit *quam*, quod præcedentibus *parte quædam* bene adjungi credit. Rem tamen in ambiguo relinquit. Ceterum de relativo ad sequens substantivum trahendo vid. Rostii Observationes ad Ciceronis Epp. ad Fam. Lips. 1804, ubi locus Ep. ad Fam. VI, 12 (13): « quem illi appellant tubam » (ita legit etiam Martyni-Laguna vol. I, pag. 348, infr. et 349) contra Ernestum defenditur. Monet ibi R. tantummodo pronomen relativum ad sequens substantivum trahi, si ver-

Digitized by Google

cordis appellant : cui similis alter adjunctus est, in quem sanguis a jecore per venam illam cavam influit : eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus[6] per arteries. Utræque autem crebræ multæque toto corpore intextæ, vim quamdam incredibilem artificiosi operis divinique testantur.

139 Quid dicam de ossibus? quæ subjecta corpori, mirabiles commissuras habent, et ad stabilitatem aptas, et ad artus finiendos accommodatas, et ad motum, et ad omnem corporis actionem. Huc adde nervos, a quibus artus continentur; eorumque implicationem toto corpore pertinentem : qui, sicut venæ et arteriæ, a corde tracti et profecti, in corpus omne ducuntur[7].

140 LVI. Ad hanc providentiam naturæ tam diligentem, tamque solertem, adjungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantæ res hominibus a deo, quamque eximiæ tributæ sint : qui primum eos humo excitatos, celsos et erectos[1] constituit, ut deorum cognitionem,

bum, a quo alterum nomen pendet, cum duobus nominativis possit jungi, et si vel ambo nomina sint synonyma, vel in alterutra propositione descriptio alterius substantivi contineatur. Ideo etiam hic retinendum esse « quam ventriculum cordis, etc. » Mr.

6. *Et spiritus per arterias.* Hic est Veterum error, quod sanguinem tantummodo in venis, in arteriis autem solum aerem meare statuerunt. Atqui sanguis movetur per utrumque genus, per arterias et per venas, sed per arterias vehementius, quippe per has a corde in omne corpus propellitur : per venas lenius, quippe per has e corporis extremitatibus ad cor redit : non mirum ea de re graviter veteres philosophos erravisse; etenim circulationem sanguinis primum Britannus medicus Guil. Harvæus anno circiter 1630 invenit. Wyrr.

7. *Qui, sicut venæ et arteriæ, a corde tracti et profecti, in corpus omne ducuntur.* Vulgo *tractæ et profectæ.* Sed quum philosophi veteres statuant, nervos a corde proficisci, non minus ac venas et arterias; et Cicero de nervis nunc agat; recte Cl. Boherius eo, quo nos edidimus, modo legendum conjecit. Et ita quidem diserte repræsentat editio Ascensiana 1521. Dav. — Ernestus et Heind. cum Boherio et Davisio faciunt, recepta conjectura *tracti et profecti*, quam præter ed. Ascensianam firmat jam etiam ed. nostra Bas. Mr.

LVI. 1. *Celsos et erectos.* Olim *celsos et rectos constituit.* Non male se habet ea ratio (*erectos*), quum

Digitized by Google

cælum intuentes, capere possent. Sunt enim e terra homines[2] non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cælestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tamquam in arce[3], mirifice ad usus neces-

statum erectum *et celsum* dixerit Ambrosius, Hexaem. lib. VI, cap. 9, 54. Sic et Plinius, H. N. VIII, § 33, ed. Hard. At lectionem a nobis admissam propugnant vetus codex a Lambino citatus, Reg. Med. Lincoln. Ascens. et Bonon. 1494. Xenophon Memor. lib. I, cap. 4, 11 : Οἱ (θεοὶ) πρῶτον μὲν μόνον τῶν ζώων ἄνθρωπον ΟΡΘΟΝ ἀνέστησαν· ἡ δὲ ΟΡΘΟΤΗΣ, etc. Philemon apud Stobæum, tit. II de homine, ΟΡΘΟΝ θηρίον; Clemens, Strom. lib. IV, pag. 231 : Οὐ συνορῶντες τὴν κατασκευὴν τοῦ ἀνθρώπου ΟΡΘΗΝ πρὸς τὴν οὐρανοῦ θέαν γενομένην. Lactantius, Div. Inst. lib. III, cap. 27 : « Ut (homo) recto corpore spectet in cælum ». Iterum lib. VII, cap. 5 : « Homo autem rectus in cælum spectat ... Homo non statim, quam natus est, rectus ingreditur ». Vide et Epit. cap. 7, 11. Dav.

2. *Sunt enim e terra homines.* Ita quidem MSS. Sed legendum videtur, « sunt enim in terra homines » ; qua ratione sensus erit commodus et conveniens. Dav. — Ernesto magis placet Pearcii ratio, voces *e terra* loco motas putantis et ad superiora *cælum intuentes* transponentis. Tentasse se olim ait Heind. « Sunt enim exteri quasi quidam in terra hom. » sed ipse vidit, hoc esse hariolari. Neque etiam ideo satisfacit ei, quia ne illa quidem : « non ut incolæ atque habitatores » satis ei integra visa sunt, quum nihilominus a diis ut incolæ in terra sint positi, quamquam sint superarum rerum spectatores. Conjicit igitur : « ut deorum cognitionem, e terra cælum intuentes, capere possent. Sunt enim in terra homines non modo incolæ atque hab. sed quasi, etc. » Quod ad sensum bene ; sed hæc quoque nimis longe a librorum vestigiis recedere videntur. Si licet conjecturam qualemcumque meam proponere, ego ad ductum cod. M. legerem : « Sunt enim, etiamsi in terra (vel *terreni*, ut lib. I, 37, *terrenæ bestiæ*) homines non tam incolæ atque hab. sed quasi, etc. » *Non tam* sequente *sed* est in lib. I de Fin. cap. 1, ubi tamen v. interprr. Ma. — Comparanda sunt hæc cum verbis Platonis in Cratylo (pag. 399, c.) pag. 56 Heindf. ὅτι τὰ μὲν ἄλλα θηρία ... οὐδὲ ἀναθρεῖ, ὁ δὲ ἄνθρωπος ἅμα ἑώρακε, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ὄπωπε, καὶ ἀναθρεῖ καὶ ἀναλογίζεται τοῦτο ὃ ὄπωπεν. Cf. etiam eruditiss. Willet. ad Galeni Protrept. pag. 63, seqq. Cr.

3. *In capite, tamquam in arce.* Hæc comparatio scriptoribus est usitata. Claudianus in Cons. Honorii IV, vs. 235 : « hanc alta capitis fundavit in arce » ; Apuleius, de Habit. doctr. Platon. pag. 586 : « Rationabilitatem, id est, mentis optimam portionem, ait capitis arcem tenere » ; Lactantius de Opif. Dei, cap. 8 ; Plato apud Longinum περὶ ὕψους, § 32 ; Theodoretus de Provid. Serm. III, pag. 58. Heraclidem Ponticum, Ambrosium, aliosque sciens ac volens prætereo. Vide tamen sis Chalcidium in Timæum, § 229. Dav. — *Sensus ... in capite*

Digitized by Google

sarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tamquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plu-
141 rima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures quum sonum percipere debeant, qui natura sublime fertur[4], recte in altis corporum partibus collocatæ sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: et quod cibi et potionis judicium magnum earum est, non sine causa vicinitates oris sequutæ sunt[5]. Jam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet[6], habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis[7] iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore æquabiliter fusus est, ut omnes ictus, omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possemus[8]. Atque, ut in ædificiis

... *collocati sunt.* Vide Xenoph. Mem. S. I, 4, 5, ac Ciceron. de Finib. V, 11, 33. Ca.

4. *Qui natura sublime fertur.* Vulg. *in sublime;* sed nos, fide nonnullorum codicum nixi, præpositionem delevimus. Vide quæ diximus ad hujusce libri cap. 39. Dav. — Supra cap. 39, isque, *sublime fertur*, ubi et Davisium consule et Heindorfium. Tuscul. I, 24: *sublime ferri*, ubi F. A. Wolfius recte nil se commoveri est passus Schelleri nescio quibus adversus Ernestum disputationibus. Ca.

5. *Vicinitates oris sequutæ sunt.* Lege *consequutæ sunt*, ut exhibet Eliensis noster. Dav. — Quod dudum ex codd. A. B. C. recipiendum censueram *vicinitatem*, nihil monens dedit etiam Heind. et ita reperi postea in codd. E. D. Mr.

6. *Quibus vescimur, genera debet.* Scribendum esse recte monet Heind. aut « vesceremur... deberet » aut « vescimur ... debet ». Walkerus comparatis prioribus volebat *quia ... debet;* prius vero minime est necessarium. Mr.

7. *Esculentis et potulentis.* Læg. *poculentis.* Vulg. *potulentibus;* at ultima vox plane est barbara, nec ab idoneo scriptore suffulta. Certe Reg. Med. et Lambini MS habent *potulentis.* Bonon. vero et editt. vetustiores *poculentis.* Recte; sic enim auctores probatissimi. Q. Scævola apud Agellium, N. A. lib. IV, cap. 1: « Penus est, quod esculentum aut poculentum est ». Apuleius de Habit. Doctr. Platon. pag. 589: « Ne esculenta et poculenta sese penetrarent ». Modestinus Digg. lib. I, tit. XVIII, 17: « donum esculentum poculentumve ». Vide et lib. XXXIII, tit. IX, leg. III, 4. Vide tamen Agellium, XVII, cap. 11, et ibi Jac. Gronovium. Dav. — Dedit Ern. ex cod. Guelf. *potulentis*, quam formam ego quoque prætulerim, ita ut, quamvis sit et hoc loco et alibi in multis libris *poculentus*, ego tamen hoc vocabulum vix latinum esse existimem. Mr.

8. *Omnesque nimios .... sentire possemus.* Ad h. l. Heind. in Add.

Digitized by Google

architecti avertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quæ profluentia necessario tetri essent aliquid habitura[9]: sic natura res similes procul amandavit a sensibus.

LVII. Quis vero opifex, præter naturam, qua nihil 142
potest esse callidius, tantam solertiam persequi potuisset in sensibus? Quæ primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit: quas primum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset; firmas autem, ut continerentur[1]. Sed lubricos oculos fecit, et mobiles, ut et declinarent, si quid noceret, et adspectum, quo vellent, facile converterent: aciesque ipsa, qua cernimus, quæ pupula[2] vocatur, ita parva est, ut ea, quæ

pag. 14, ita: « Vocabulum *nimios* non modo abundat, sed falsum etiam est. *Ictibus*, qui fiunt cum aliqua vi, opponuntur *appulsus*, qui cum lenitate aliqua sunt conjuncti, nec sane nimios tantum, sed etiam lenissimos quosque frigoris et caloris appulsus sentimus: igitur *nimios* contraria est sententiæ vox, in qua corrupta latet alia commodior ». Mihi jam dudum hic locus vitii suspectus visus est; conjiciebam igitur: « omnesque, minimos etiam, frigoris, etc. » Quam ego conjecturam nunc firmatam video editione Th. in qua est *minimos* pro *nimios*. Mr.

9. *Quæ profluentia ... aliquid habitura*. Similem naturæ solertiam observat Xenophon, Memor. lib. I, cap. 4, 6: Ἐπεὶ δὲ τὰ ἀποχωροῦντα δυσχρῆ, ἀποστρέψαι τοὺς τούτων ὀχετοὺς, καὶ ἀπευρυχεῖν ἢ δυνατὸν προσωτάτω ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων. Ambrosius, Hexaem. lib. V, cap. 9, n. 72: « Decore creator noster ductus reliquiarum a vultu hominis avertit, ne, dum alvum purgamus, inquinaremus adspectum ». Vide sis eumdem de Noe et Arca, cap. 8, n. 24, ac Offic. lib. I, cap. 18, n. 78, ne Cyrillum Hieros. Cat. IV, § 22, et alios multosque recenseam. Mr.

LVII. 1. *Ut continerentur*. Intelligit Noster, ut in situ suo permanerent oculi, ne huc et illuc temere fluerent. Sed hoc ex vulgata lectione non nisi difficulter admodum exsculpi potest; quapropter cum Lambino rescripserim *ut continerent* scilicet oculos. Elegantior certe et concinnior hoc modo fit oratio. Dav. — Non probat Heind. Lambini emendationem, cui assentiebatur Dav. *continerentur* apte dici contendens de membranis illis ita firmis, ut non rumpantur. Mr.

2. *Quæ pupula vocatur*. Olim *pupilla*. Veneti *pupula*: illud autem alterum diminutivum fuerit, ut *cista*, *cistula*, *cistella*. Sed *pupulam* dicunt, quam Græci κόρην, nigrum in oculo. Camerarius. — Hac forma (*pupula*) utitur etiam Lucretius, III, vs. 411, ubi cf. Lambinum. Plura autem de scriptura disputat Oudendorp. ad Apulei Metam. III, 57, p. 215, qui Horatio, Ovidio ipsique Apulejo hanc

Digitized by Google

nocere possint, facile vitet; palpebræque, quæ sunt tegmenta oculorum, mollissimæ tactu, ne læderent aciem, aptissime factæ et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas : idque providit, ut
143 identidem fieri posset cum maxima celeritate[3]: munitæque sunt palpebræ[4] tamquam vallo pilorum : quibus, et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur; et somno conniventibus, quum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui, tamquam involuti[5], quiescerent. Latent præterea utiliter, et excelsis undique partibus sepiuntur. Primum enim superiora, superciliis obducta, sudorem a capite et a fronte defluentem repellunt. Genæ deinde ab inferiore parte tutantur subjectæ, leviterque eminentes[6]. Nasus ita locatus est,

scripturam *pupula* vindicat. Et quidni vindicemus etiam Tullio, quum libri scripti haud pauci addicant? Etiam Fronto de feriis Alsiensib. tom. I, p. 191, ed. princ. « ad *pupulas* hominum et palpebras incurrere ». Cr.

3. *Palpebræque ... celeritate. Munitæque sunt palpebræ.* Salebrosus est hicce locus, et, ut videtur, partim mala distinctione, partim librariorum pravitate temeratus. Lego et interpungo : « Palpebræque (quæ sunt tegmenta oculorum, mollissima facta et ad claudendas pupulas, cum maxima celeritate), munitæque sunt palpebræ, etc. » Hospes sit oportet in Cicerone, qui eum, post injectam parenthesin, easdem voces vel earum sensum repetere solere nesciat. Dav.— Ernesto placet Davisii ratio et correctio, quam in nota protulit; Heindorfio nihil ea salebrosius videtur et a Ciceronis stylo magis alienum. Inserit igitur *et* ante *aptissimæ* ex conjectura, et *sunt* post *factæ* ex cod. Glog. scribitque : « et aptissime factæ sunt et ad claud. .... idque, providit (sc. natura), ut ident. fieri posset ». Ita certe lenius procedit oratio. Ma.

4. *Munitæque sunt palpebræ ... quiescerent.* Hanc ῥῆσιν in Originum suarum lib. XI, cap. 1, fere verbo tenus contulit Isidorus Hispalensis : ejusque particulam quasi ex lib. II de Orat. laudat Nonius in *palpebram*. Lactantius de Opif. Dei, cap. 10 : « Palpebræ, pilis in ordine stantibus vallatæ, septum oculis decentissimum præbent ». Vide sis Aristotelem, P. A. lib. II, c. 15; Ambrosium, Hexaem. VI, 9, et Theodoretum de Provid. Serm. III, pag. 60. Dav.

5. *Ut qui, tamquam involuti, quiescerent. Qui* in Ascensiana editione non comparet. Lego *ii*, vel *hi*, *tamquam involuti quiescerent*. Dav. — Ernestus primum delenda censebat verba *ut qui*, postea vero ad Davisii rationem se adplicabat. Ma.

6. *Leviterque eminentes.* Recte Heindf. Walkeri lectionem amplexus est : *leniterque*. Ego dudum annotaveram locos Cæsaris de B. G. II,

Digitized by Google

ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. Auditus autem semper patet: ejus enim sensu etiam dormientes egemus; a quo quum sonus est acceptus, etiam a somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit [7], si simplex et directum [8] pateret. Provisum etiam, ut, si qua minima bestiola conaretur irrumpere [9], in sordibus aurium, tamquam in visco, inhæresceret. Extra autem eminent, quæ appellantur aures, et tegendi causa factæ, tutandique sensus, et ne adjectæ voces laberentur atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus [10], multisque cum flexibus; 144

29, VII, 19, « *leniter* acclivis collis » (additus), et apposueram ejusdem scriptoris binos insuper locos : de B. Civ. II, 24, II, 29. — Proxime : « Nasus ... quasi murus ». Arnobius adv. G. III, 13, dicit etiam « suspensum imbricem narium ». Ca.

7. *Intrare posset.* Olim *possit.* Leg. *posset;* id enim postulat verbum *pateret*, quod sequitur Dav. — Mutilam esse ait sententiam Heindorfius, integramque servatam Ciceronis scripturam hanc exhibere codicem Glog. unum : « ne quid intrare possit, quod posset, si simplex et directum pateret ». Neque vero pejor est ea, quam codd. G. et K. repræsentant, lectio : « intrare possit, uti si simplex et dir. pateret » ; immo illam pro interpretamento hujus paullo difficilioris habeo. Ma.

8. *Si simplex et directum pateret.* Hasce voces omittit Pal. secundus, Grutero non renitente. Sed omnino retinendæ sunt, quum reliqui codices eas exhibeant, et nihil sit vel in ipsa re, vel in latinitate, cur pro Ciceronianis haberi non debeant. Dav.

9. *Si qua minima bestiola conaretur irrumpere.* Quidam legendum putant *irrepere :* idque annotatum est ad oram codicis Memmiani; non tamen, ut ex antiquo aliquo exemplari profectum; sed quasi a conjectura natum. Lambinus.

10. *Et quasi corneolos habent introitus. Corneos* legitur in MSS. Urs-inus. — Eliensis sane noster *corneos* repræsentat; at Med. Reg. Lincoln. et Cantab. vulgatam servant lectionem. Davis. — *Duros et quasi corneolos ... introitus.* Servius ad Virgil. Æneid. VI, 894 : « Per portam *corneam* oculi significantur, qui et *cornei* sunt et duriores ceteris membris : nam frigus non sentiunt ; sicut etiam Cicero dixit in libris de Natura Deorum ». Hæc Servius; ad quæ Burmannus : « Quæ de Cicerone adfert Servius, non reperi in descriptione oculorum lib. II, cap. 57, eos esse cornei coloris, nec frigus sentire : sed de auribus dicit : duros et quasi corneolos habere introitus ». Hæc Burmannus. Fortasse ex loco horum librorum deperdito sumpserat Servius ; ut Fragmentis adjicienda essent. Ca. — *Corneolos ... introitus.* Est enallage

Digitized by Google

quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu; et ex tortuosis locis et inclusis soni referuntur[11] ampliores.
145 Similiter nares, quæ semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere; humoremque semper habent ad pulverem, multaque alia depellenda, non inutilem. Gustatus præclare septus est: ore enim continetur, et ad usum apte, et ad incolumitatis custodiam. Omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum.

LVIII. Primum enim oculi in iis artibus, quarum judicium est oculorum, in pictis, fictis cælatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu multa cernunt subtilius[1]. Colorum etiam et figurarum tum venustatem atque ordinem, et, ut ita dicam, decentiam, oculi judicant, atque etiam alia majora. Nam et virtutes et vitia cognoscunt; iratum, propitium; lætantem, dolentem; fortem, ignavum; audacem, ti-
146 midumque cognoscunt. Auriumque item est admira-

diminutivi seu figura, qua ex duobus nominibus alterum in diminutivo positum pro altero exstat: velut h. l. dicendum erat « parvulos introitus corneos », et *introitus* erat ponendum diminutivo. Sic item dicitur *aureolus liber* pro *libellus aureus*. Wytt.

11. *Soni referuntur ampliores.* In vulg. prima vox non comparet. Cantab. habet, « referuntur soni ampliores »; at gratior est is ordo verborum, quem a secunda manu repræsentat codex Regius; quin et D. Lambinus olim ex conjectura sic ediderat. Vide Cyrillum, Hier. Catech. IV, cap. 22, et Ambrosium, Hexaem. lib. IV, cap. 10, § 62. Davis. — *Contractiores.* Hanc comparativi vim, hunc ipsum locum laudans, explicat Bauer. ad Sanctii Minerv. I, 291. Ca.

LVIII. 1. *Multa cernunt subtilius.* Lego, « cuncta cernunt subtilius ». Hæ certe voces alibi confunduntur. Vide nos ad Academ. lib. I, cap. 6. Quin paullo post *tum* deleverim, quod etiam Lambinus statuit. Dav. — Pro *multa* Walkerus vult *multo;* contra quem monet Heind. bestiarum oculos nihil omnino cernere in his artibus. Neque ei placet Davisii emendatio, *cuncta*, quia Cicero velit, sæpe hominum oculos, etsi non cujusvis, neque ubique, in artium operibus motibusque corporis subtiliter admodum recta vel contraria cernere. In quo me adsentientem habet. Ma.

Digitized by Google

bile quoddam artificiosumque judicium, quo judicatur et in vocis, et in tibiarum, nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio, et vocis genera permulta: canorum, fuscum[2]; læve, asperum; grave, acutum; flexibile, durum: quæ hominum solum auribus judicantur: nariumque item, et gustandi pariter et tangendi[3] magna judicia sunt. Ad quos sensus capiendos et perfruendos, plures etiam, quam vellem, artes repertæ sunt: perspicuum est enim, quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint.

2. *Canorum, fuscum.* Suetonius, Nerone, c. 20: «Quamquam exiguæ vocis et fuscæ». Quintilian. lib. XI, cap. 3, p. 715: «Hic etiam fusca illa vox, qualem Cicero fuisse in Antonio dicit, mire facit». *Canorum* tamen, ut recte vidit Lescaloperius, haud commode *fusco* potest opponi: nec tamen in Ciceronem, sed in librarios, culpa videtur rejicienda. Lego itaque *candidum, fuscum;* et tum demum utraque vox, ut par est, a coloribus erit ad sonos translata. Plinius, Hist. Natur. lib. XXVIII, cap. 6: «Venere vox revocatur, quum e candida declinat in fuscam». Quintilianus, lib. XI, cap. 3, p. 693: «Nam est et candida et fusca vox». Sic etiam ΛΕΥΚΗΝ et ΦΑΙΑΝ dicunt Græci. Sextus Empiricus advers. Mathem. pag. 133; Demetrius Phalereus de Eloc. § 87; Aristoteles, Topic. lib. I, cap. 15, § 4. Adi sis et Pollucem, Onom. lib. II, § 117. Davis.

3. *Gustandi pariter et tangendi.* Olim, «gustandi et arte tangendi». Bonon. 1494, *aperte tangendi*; Cantab. Pal. pr. sec. *parte tangendi;* sic etiam Reg. a prima manu; nam secunda dedit *arte*, quemadmodum vulgo legitur. Janus Gulielmius conjecit *perite tangendi;* poterat propius *apte tangendi.* Sed, ut vere dicam, *artis* sive *peritiæ* mentio prorsus est incongrua: quapropter quum Maffæi codex aliusque Lambino memoratus darent *gustandi et pariter tangendi;* nos eorum ductum sequuti sumus, nisi quod voces transponendas putavimus. Id certe suadebant Med. et Lincoln. in quibus est «gustandi arte et tangendi»: eoque modo rectius, ut opinor, procedit oratio. Dav. — Davisii lectionem amplexi sunt Boherius, Alemannus et Ernestus. Paullulum eam immutavit Heind. scribens «Nariumque item et gustandi et pariter tangendi», explicans *pariter* esse h. l. *non minus;* tactum non minus valere in judicando, quam gustatum; itaque se scripsisse ait, quia in Davisii positu vocabulum *pariter* vim plane nullam habeat. Hoc vero nobis minime ita videtur; eumque potius ordinem, quem recepit Ernestus, non tantum æque bonum, sed meliorem etiam cum Davisio existimamus. Neque est, quod exempla afferamus. Codd. Glog. et Oxf. ψ. cum cod. Maffæi faciunt. Interea nihil immutandum censeo. Mr.

Digitized by Google

147 LIX. Jam vero animum ipsum, mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere. De quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam[1]. Quo enim tu illa modo diceres? quanta primum intelligentia, deinde consequentium rerum cum primis conjunctio et comprehensio esset in nobis : ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur[2], idque ratione, concludimus; singulasque res definimus, circumscripteque complectimur ; ex quo scientia intelligitur quam vim habeat, qualis sit : qua ne in deo quidem est res ulla præstantior. Quanta vero illa sunt, quæ vos academici infirmatis et tollitis, quod et sensibus, et animo ea, quæ
148 extra sunt, percipimus atque comprehendimus? Ex quibus collatis inter se et comparatis, artes quoque efficimus, partim ad usum vitæ, partim ad oblectationem necessarias. Jam vero domina rerum (ut vos soletis dicere) eloquendi vis, quam est præclara, quamque divina? quæ primum efficit, ut ea, quæ ignoramus, discere, et ea, quæ scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes comprimimus, hac cupiditates

LIX. 1. *De quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam.* Olim, *disputarem.* Notat Pet. Lescaloperius, hic enallagem esse, quæ insolentior est, quam ut ad imitandum proponi debeat. Sed mihi videtur Cicero nihil scripsisse, quod elegantiæ latinæ studiosis sit cavendum. Dica potius librariis erat scribenda, reponendumque «tuam mihi dari vellem, Cotta, eloquentiam» : ut voluit etiam D. Lambinus : aut, si mavis, «de quo dum disputem, tuam mihi dari velim, Cotta, eloquentiam». Utrovis modo recte procedit oratio. Davis. — Ern. maluit priorem vocem (*disputarem*) mutare, quam alteram. Heind. contra ex cod. Red. recepit *disputarem* ... *vellem*, quod unice verum existimat. Ampliandum videtur. Ma.

2. *Quid .... efficiatur .... concludimus.* Has formulas commode illustrat Gœrenz. ad Cic. de Legg. I, 10, p. 44. Ca.

Digitized by Google

iracundiasque restinguimus. Hæc nos juris, legum, urbium societate devinxit; hæc a vita immani et fera segregavit[3]. Ad usum autem orationis, incredibile est, 149
nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox, principium a mente ducens, percipitur et funditur[4]. Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem, immoderate profusam, fingit et terminat: quæ sonos[5] vocis distinctos et pressos efficit, quum et ad dentes, et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem[6] linguam

3. *Hæc a vita immani et fera segregavit.* Eliens. habet, « hæc autem vitam humanam et feram segregavit ». Si huic lectioni plures faverent codd. rescriberem, « hæc vitam humanam a fera segregavit ». Vide Ciceronem de Orat. lib. I, cap. 8. At quum reliqui libri vulgatam servent, nihil novandum censeo. Dav. — Servandam existimat Heind. vulgatam, nisi quod ex cod. Glog. ubi est « hæc eadem vitam humanam et feram segr. » pro *eadem* conjicit *demum*. Ma.

4. *Percipitur et funditur.* Forsan *projicitur* aptius videri possit. Dav.— Boherius conjiciebat *præcipitatur*. Vulgatam defendit Wopkens. Lectt. Tull. 2, 13, allatis locis cap. 56, « et aures quum sonum percipere, etc. » et Lactantius de Opif. Dei, 8, 7, quorum tamen alium rationem esse recte ait Heind. Ernestus quoque pro vulgata stat, dicens, « percipitur esse id quod capitur ». Arteria, ait, vocem complectitur a mente ortam et acceptam et deinde per os fundit. Heind. commodius fore opinatur *recipere* vel *excipere*. Ma.

5. *Terminat: quæ sonos vocis.* Sic omnes libri; nihilominus tamen haud ita scripsit Cicero. Non male quidem D. Lambinus, verbis transpositis, edidit: « terminat, sonosque vocis ». Optime vero reposueris: « terminat, atque sonos vocis ». In Veterum monumentis sæpius accidit, ut ex syllabis repetitis omitteretur una. Dav. — Wopkensius, Lectt. Tull. 2, 13, multis allatis exemplis id probatum ivit, de quo nemo dubitabat, apud Latinos sæpe pronomen relativum inchoare periodos; distinctionem igitur majorem poni vult post *terminat*, ut *quæ* sit id quod *hæc*. Quod merito displicebat Heindorfio, qui vix se abstinuisse ait, quominus invitis libris omnibus Davisii lectionem reciperet, quæ sane optima videtur. Ma.

6. *Plectri similem linguam*, etc. Hac similitudine passim utuntur scriptores. Nemesius de Nat. Hom. cap. 14, pag. 173: Τῆς μὲν γλώσσης καὶ τοῦ γαργαρεῶνος πλήκτρου λόγον ἐπέχοντος, κ. τ. λ. Hieronymus, Epist. XXVII, p. 182 ed. Victor. « Sicut enim plectrum chordis, ita lingua illidi̇tur dentibus et vocalem reddit sonum ». Quæ verba sua fecit Isidorus, Orig. lib. XI, cap. 1. Vide sis, inter alios, Theodoretum de Provid. Serm. III, pag. 47, 48, et

Digitized by Google

nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos[7] resonant in cantibus.

150 LX. Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis, facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum, apta manus est, admotione digitorum. Atque hæc oblectationis: illa necessitatis; cultus dico agrorum, exstructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel suta, omnemque fabricam æris et ferri: ex quo intelligitur, adinventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consequutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus[1]; urbes, muros, domicilia,
151 delubra haberemus[2]. Jam vero operibus hominum[3], id est, manibus, cibi etiam varietas invenitur et copia. Nam et agri multa ferunt manu quæsita, quæ vel statim consumantur, vel mandentur condita[4] vetustati.

Hæret. Fab. lib. V, cap. 9. Hinc ipsa lingua nonnullis πλῆκτρον dicebatur, uti monet Pollux, II, § 104, 105. Dav.

7. *Qui ad nervos*, etc. Sic habent omnes libri et MSS et impressi. Quare nihil mutandum, quum præsertim Priscianus testetur, *hic cornus, cornûs*, in genere masculino, et *hoc cornum, corni*, in neutro, et *hoc cornu, cornûs*, indeclinabiliter, usurpatum esse a Veteribus. Lamb.

LXI. 1. *Salvi esse possemus.* Vulg. *possimus*, et ita MSS. Nos Lambinianam lectionem sequimur; aliter enim discordarent tempora. Dav. — Bene h. l. cum Lambino et Davisio correxerunt Ernest. et Heind. *possemus*, ut male supra cap. 56 extr. Ma.

2. *Delubra haberemus.* Reg. a sec. manu et Cantab. dant *habeamus*; quod si recipiatur, non opus est ut *possimus* in *possemus* mutetur. Sed receptam lectionem servant præstantiores MSS; quin et altera ratione se melius habet latinitas. Dav.

3. *Operibus hominum.* D. Lambin. emendabat *operis hominum*; quo factum, ut a MSS recesserit, ne minima quidem necessitate compulsus. Sallustius, Jugurth. cap. 61: «Id oppidum in campo situm, magis opere, quam natura, munitum erat». Idem c. 79: «Simul oppidum et operibus et loco munitum videt». Non aliter Cæsar, aliique scriptores optimi passim loquuntur. Davis.

4. *Vel mandentur condita vetustati.* I. e. quæ tradantur vetustati, i. e. serventur condimentis. Dubium videri possit, utrum hic legendum sit,

Digitized by Google

Et præterea vescimur bestiis et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones: quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos juga imponimus; nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur[5]; nos e terræ cavernis ferrum elicimus; rem ad colendos agros necessariam; nos æris, argenti, auri venas, penitus abditas, invenimus, et ad usum aptas, et ad ornatum decoras; arborum autem consectione[6], omnique materia, et culta, et silvestri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, et ad mitigandum cibum utimur, partim ad ædificandum, ut tectis septi frigora caloresque pellamus. Magnos vero usus affert ad navigia facienda[7], quorum cursibus suppeditantur omnes. 152

«condita» an «condita», i. e. reposita, servata. Prius tamen verius videtur, quia Veteres ad servandos fructus vel cibos eos condire solebant vel sale, vel melle, vel alia materia. Wytt.

5. *Ad utilitatem nostram abutimur.* Utimur. Cicero de Invent. lib. II, c. 7: «Quas ad defensionem rationes reo dabimus, iis accusator ad alios ex culpa eximendos abutetur». Vide sis Orat. cap. 52, et Joan. Fr. Gronovium ad lib. IX Fam. epist. 6. Lactantius, Divin. Inst. lib. I, cap. 6: «Sed et nos confuse Sibyllam dicemus; sicubi testimoniis earum fuerit abutendum». Hieronymus ad Salvinam, Epist. 9: «Unde et ego possum super eo vere abuti Apostoli voce». Sic et alibi passim. Consulas licet ejus librum de Viris Illustr. cap. 15; Quæst. Hebr. in Genesin, cap. 46; denique in Jovin. lib. I, pag. 347, B, et lib. II, p. 366, F. Vide Sulpicium Severum, Epist. 2 ad Sororem, cap. 14. Adi et cap. 24. Pariter Græci. Origenes contra Marcionitas, pag. 31: Πῶς οὖν ΑΠΟΚΕΧΡΗΤΑΙ τοῖς προφήταις. Et paullo post: Οὐδὲν ῥητῶς ΑΠΟΚΕΧΡΗΤΑΙ τῶν ἀρχαίων. Vide et pag. 32. Dav.— Davisianis adde Buenemanni annotat. ad Lactantii locum laud. Arnob. adv. gent. lib. I, cap. 30, ibique interprr. pag. 311 ed. Lips. Ruhnkenii not. ad Rutilium Lup. p. 99, et, græca quod attinet, Bauerum in Philologia Thucyd. Paulina, p. 5. Ca.

6. *Arborum autem consectione.* Ὑλοτομίαν appellat Aristoteles, Polit. lib. I. Ursin. — Cf. geminum locum Cic. de Div. lib. I, c. 51, ibique Hottingeri annotat. p. 143. Ca.

7. *Magnos vero usus affert ad navigia facienda.* Cantab. habet, «magnos vero usus affert materia succisa ad navigia facienda»; easdemque voces exhibet Reg. a secunda manu; sed dubio procul ex ora codicis in textum sunt translatæ. Dav.

Digitized by Google

undique ad vitam copiæ : quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam; plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus. Nos campis, nos montibus fruimur; nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores; nos aquarum inductionibus terris fœcunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

153 LXI. Quid vero? hominum ratio non in cælum usque penetravit[1]? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus, cursusque cognovimus: ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus; defectiones solis et lunæ cognitæ, prædictæque in omne posterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ sint. Quæ contuens animus, accipit ab his cognitionem[2] deorum; ex qua oritur pietas : cui conjuncta justitia est, reliquæque virtutes, e quibus vita beata exsistit par et similis deorum; nulla re, nisi immortalitate[3], quæ nihil ad bene vivendum pertinet, cedens cælestibus.

LXII. 1. *Quid vero?...penetravit?* Interpungit Heindorf. ex vett. edd. « Quid vero hominum ratio? non... penetravit? » Itaque ed. Bas. Bene. Ma.

2. *Accipit ab his cognitionem deorum.* Sic diserte Reg. Med. Lincoln. Ascens. et Bonon. 1494. Vulgo, « accipit ad cognitionem deorum », nec aliter Victorius; quod a duobus Pall. firmari testatur Janus Gruterus. Ita tamen scripsisse Ciceronem non crederem, licet omnes omnino suffragarentur MSS, nam oratio non est latina. Forte voluerunt isti librarii, « accedit ad cognitionem deorum »; sed conjecturis haud opus, quum libri satis commodam lectionem suppeditent. Dav. — Ernest. quamquam magis ei placebat *ab his*, quam *ad*, quod fere omnes fere libros occupat, tamen malebat utrumque delere et legere *accipit cognitionem*. Et sunt sane ista verba molesta repetitio ejus, quod dicitur paullo ante verbis *quæ contuens*. Igitur ego quoque ea deleverim, præsertim quum absint a cod. K, qui plane exhibet, ut volebat Ernest. Cf. c. 56 init. « ut deorum cognitionem, cælum intuentes, capere possent ». Ma.

3. *Nulla alia re, nisi immortalitate.*

Digitized by Google

Quibus rebus expositis, satis doçuisse videor, hominis natura quanto omnes anteiret animantes. Ex quo debet intelligi, nec figuram situmque membrorum, nec ingenii mentisque vim talem effici potuisse fortuna. Restat ut doceam, atque aliquando perorem[4], 154
omnia, quæ sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum causa facta esse et parata.

LXII. Principio ipse mundus deorum hominumque causa factus est; quæque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt. Est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque: soli enim ratione utentes, jure ac lege vivunt. Ut igitur Athenas et Lacedæmonem, Atheniensium Lacedæmoniorumque causa putandum est conditas esse; omniaque, quæ sint in his urbibus, eorum populorum recte esse dicuntur: sic, quæcumque sunt in omni mundo, deorum atque hominum putanda sunt[1]. Jam vero circuitus solis et lunæ, re- 155
liquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohærentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus præbent: nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior, et ad rationem solertiamque præstantior; eorum enim cursus dimetati, maturitates temporum, et varietates, mutationesque cognovimus. Quæ

Vulgg. vocalam secundam prætermittunt, quam nos ex Reg. Med. Lincoln. Ascens. et Bonon. 1494, reposuimus. Stoicæ vero jactantiæ, quam Balbus hic exprimit, exempla bene multa congessit Just. Lipsius, Manud. ad Philos. Stoic. lib. III, Diss. 14. Davis. — *Animantes* nonnisi a correctoris manu habet. Davis. et Heind. novum caput incipiunt a voce *Restat*. Ma.

4. *Ut doceam ... perorem*. Cicero aliter posuisse videtur sic: ut aliquando perorem et doceam omnia. Est autem *perorare* finem imponere orationi aliqua clausula, quæ inde dicitur *peroratio*. Wytt.

LXII. 1. *Deorum atque hominum putanda sunt*. Videtur respexisse ad locum Aristotelis, qui est in Polit. I, 8. Ad argumentum conducet contulisse locos geminos Cic. de Legg. I, 27, pag. 29 Davisii, cum hujus annot. itemque II, 10 extrem. atque de Finib. III, 19. Ca.

Digitized by Google

si hominibus solis nota sunt, hominum facta esse causa judicanda sunt.

156 Terra vero fœta frugibus, et vario leguminum genere, quæ cum maxima largitate fundit, ea ferarumne, an hominum causa gignere videtur? Quid de vitibus olivetisque[2] dicam? quarum uberrimi lætissimique fructus nihil omnino ad bestias pertinent. Neque enim serendi, neque colendi, nec tempestive demetendi percipiendique fructus, neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est; earumque omnium rerum, hominum est et usus, et cura.

157 LXIII. Ut fides igitur et tibias eorum causa factas dicendum est, qui illis uti possunt; sic ea, quæ diximus, solis iis confitendum est esse parata, qui utuntur. Nec si quæ bestiæ furantur aliquid ex his, aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murium aut formicarum causa frumentum condunt, sed conjugum, et liberorum, et familiarum suarum. Itaque bestiæ furtim, ut duxi, fruuntur; domini palam, et libere. Hominum igitur causa eas rerum

158 copias comparatas, fatendum est[1]: nisi forte tanta ubertas et varietas pomorum, eorumque jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et adspectus dubitationem affert, quin hominibus solis ea natura do-

2. *De vitibus olivetisque.* Suspicari quis possit legendum *olivisque*, ut arbor arbori conjungatur. Sed in hujusmodi rebus auctores non usque adeo sunt anxii. Sic *olivus et vireta* copulavit Arnobius, lib. I, pag. 12. Themistius, Orat. XXI, p. 254: Κατιὼν ὁ δῆμος... ἐκ τῶν ἀγρῶν, καὶ ἐκ τῶν ΑΜΠΕΛΩΝ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων τῶν ἀργυρίων. Licet ibi scribendum crediderim ἀμπελώνων. Quod si pronomen femininum, quod proxime sequitur, ullam pariat molestiam, videatur Scholiastes ad Iliad. B, 137. Davis.

I. 1. *Fat. est... videamus.* Interpunctio vulgata sensum pendere facit, et eum interrumpit. Locum igitur sic distingues: « Fatendum est (ni forte tanta... donaverit), tantumque abest, etc. ». Tum demum recte procedent omnia, si modo voces, inclusæ semicirculis, εἰρωνικῶς dictæ censeantur. Davis. — Vulgatam interpunctionem, quæ sensum non turbat, retinemus.

Digitized by Google

naverit : tantumque abest, ut hæc bestiarum etiam causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Quid enim oves aliud afferunt, nisi ut earum villis confectis atque contextis homines vestiantur? quæ quidem neque ali, neque sustentari, neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuissent. Canum vero tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio[2], tantumque odium in externos, et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos? Quid de bobus loquar? 159
quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata; cervices autem natæ ad jugum : tum vires humerorum et latitudines, ad aratra extrahenda. Quibus, quum terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poetæ loquuntur, vis numquam ulla afferebatur.

2. *Canum vero tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio.* Hæc adducit Nonius, cap. 1, ut ostendat, *adulationem* blandimenta canum proprie denotare. De re ipsa vide Just. Lipsium, Cent. I ad Belgas, Epist. 44. Dav. — Dedit Heindorf. ex cod. Reg. « quid aliud significat », ut est in nostris codd. G. et K. Sequens *se* post *nisi* contra Wopkensium, Lectt. Tull. 2, 13, qui alibi fere semper textum vulgatum ab aliorum conjecturis vindicat, defendit Heind. dicens, scriptum esse, quasi supra dixisset, « canes vero... quid aliud significant ». At id ipsum, quod non ita dixit Cic. jam dudum me male habuit; quamquam sine libris eam vocem delere non ausim. Ma. — *Canum... tam fida custodia.* Præclare Lucretius de Rer. Nat. lib. V, vs. 862 : « At levisomna canum fido cum pectore corda ». Similiter Tibullus, I, 2, 4, de canibus : « custodia sæva ». Mox, *adulatio.* Cf. Gellii N. A. lib. XIV, p. 329 : « Leo... candam more atque ritu adulantium canum clementer et blande movet ». Quem ipsum locum, uti nostrum Tullii, Euripidi adhibuit Walckenaerius ad Hippolytum, vs. 862, græca addens de canibus, ut σαίνουσι et προσσαίνειν. Constructionem autem hujus loci (qui duplici genitivo memorabilis est : « Canum amans... dominorum adulatio ») illustrat J. Fr. Gronovius ad Livium, lib. XXXIV, c. 26, p. 814 ed. Drakenb. laudans geminos locos, ut Tuscul. IV, 11. Attic. epist. II, 5 : « Cupio ab hominum satietate nostri discedere ». Cr. — *Humerorum et latit.* pro *lati humeri :* hæc dicendi forma poetis in primis usitata.

Digitized by Google

Ferrea tum vero proles [3] exorta repente est,
Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu victum [4], domitumque juvencum.

Tanta putabatur utilitas percipi ex bobus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.

LXIV. Longum est mulorum persequi utilitates et asinorum; quæ certe ad hominum usum paratæ sunt. Sus vero quid habet præter escam? cui quidem, ne putisceret [1], animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus [2]. Qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta [3], nihil genuit natura fœcundius. Quid

3. *Ferrea tum vero proles*, etc. Tullius hæc ex Arato suo vertit, 130 sq. Permulta Veterum loca huc pertinentia congesserunt scriptores ad Æliani V. H. lib. V, cap. 14 : « Et sane bovis tanta fuit apud antiquos veneratio, ut tam capitale esset bovem necasse quam civem »; teste Colum. lib. VI, R. R. Præf. p. 207. Dav.

4. *Victum*, *domitumque juvencum*. *Vinctum* habet antiquus liber, eamque lectionem confirmant ea, quæ περὶ βοὸς ἀροτῆρος cecinerunt græci poetæ. Ursinus. — *Victum* tuetur Grotius. Eamdem tamen, quam liber Ursini, lectionem dant Elien. Med. et Ascens. Unde legerim « manu junctum domitumque juvencum ». *Junctus* autem *juvencus* is est, qui jugum passus est : quemadmodum *junctus mulus* apud Columellam, lib. II, cap. 22. Sulpicius Severus, vit. Martini, cap. 21 : « Junctis scilicet bubus dum dissoluta arctius lora constringit, etc. » Davis. — Ernest. cum Grotio præferebat *victum* ; Heindorf. dedit *vinctum*. Mihi quoque lectio *vinctum* magis arridet. Mn.

LXIV. 1. *Cui quidem*, *ne putisceret*, etc. Legendum, libris omnibus invitis, ut est apud Nonium in voce *putidum*, *ne putisceret*, et ita etiam olim edi jusseram ; nam vulgo legitur, *ne putresceret*. Huic loco similis ille, lib. V de Fin. « Animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret ». Sic enim illic quoque legendum est, non *putresceret*, ut habent libri vulgati. Lamb. — *Putisceret*. Non inscite illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro sale, ne *putisceret*. Et sane plures MSS hoc in loco dant *putesceret*, quod eodem redit. Ego tamen cum Cl. Boherio in *Leopardi* castra transierim, qui, lib. XVII Emendat. cap. 3, legit, *ne putresceret*, prout exhibent nonnulli codices. Nam Græci τῷ σαπῆναι rem designant, quod non malum odorem, sed putrefactionem denotat. Vide Clementem Alexandrinum, Strom. lib. VII, p. 304, aliosque locos, quos citavit vir ille doctissimus. Iis addas licet Plinium, Histor. Natur. lib. VIII, cap. 51, et Porphyrium de Abstin. lib. III, § 20. Non aliter de piscibus loquutus est Philo Judæus de Opif. Mundi, p. 10. Dav.

2. *Dicit esse Chrysippus*. Dictum a Stoicis memorat Plut. in Quæst. Conv. 10, pag. 685, ubi complures qui hoc dictum citarunt memoramus. Wytt.

3. *Quod... apta*. Hæc omnino pu-

Digitized by Google

multitudinem suavitatemque piscium dicam? quid avium? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum Pronœa[4] nostra Epicurea fuisse videatur. Atque hæ ne caperentur quidem, nisi hominum ratione atque solertia. Quamquam aves quasdam, et alites, et oscines[5], ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus. Jam vero immanes[6] 161
et feras belluas nanciscimur venando, ut et vescamur iis, et exerceamur in venando[7] ad similitudinem bellicæ disciplinæ, et utamur domitis et condocefactis, ut elephantis; multaque ex earum corporibus remedia morbis et vulneribus eligamus, sicut ex quibusdam stirpibus et herbis, quarum utilitates longinqui tem-

tabatur esse caro maxime ad nutriendum et vires augendas apta, itaque etiam sub Cæsaribus *fora suaria*, id est, ubi caro suilla gratis dabatur, publice dedicata erant. Wytt.

4. *Pronœa* videtur a Cicerone scripta esse græce: nec enim est latina vox πρόνοια, quam Cicero alibi vertit *providentiam*: πρόνοια autem a Græcis pro divina providentia ab Euripide primum videtur dicta esse, quod monuit Bentleius in Diss. Phalar. de qua diximus in Bibl. Crit. P. II. Wytt.

5. *Oves... alites, oscines.* Ita dividebant augures genus avium, ut *avis* universe notaret omne animal volans: *ales* autem majorem avem, v. c. aquilam, similes; *oscen, cinis*, avis quæ ore canit. Ut enim a *tibia* et *cano* est nomen *tibicen*, sic ab *os* et *cano* est nomen *oscen*. Wytt.

6. *Immanes.* Id est, quæ manibus tangi et tractari se non patiuntur: his opponuntur *mansuetæ*, i. e. quæ adsuetæ sunt manibus hominum. Wytt.

7. *Exerceamur in venando ad similitudinem bellicæ disciplinæ.* Clemens Alexandrinus de Mose, Strom. lib. I, pag. 149: Ποιμαίνει πρόβατα, προδιδασκόμενος εἰς ἡγεμονίαν ποιμενικήν· (leg. ποιμενικῇ· hæc enim via multo facilior est ea, quam institit Cl. Potterus) προγυμνασία γὰρ βασιλείας, τῷ μέλλοντι τῆς ἡμερωτάτης τῶν ἀνθρώπων ἐπιστατεῖν ἀγέλης, ἡ ποιμενική, καθάπερ καὶ τοῖς πολεμικοῖς τῇ φύσει ἡ θηρευτική. Hunc locum adumbravit ex Philone de vita Mosis, I, pag. 475. Aristides, Orat. II, p. 25: Δι' ἓν μὲν, ὅτι τῆς ΠΟΛΕΜΙΚΗΣ μόριον τέχνης ἐστί· μᾶλλον δὲ ΕΙΚΩΝ, etc. Hinc Pollux lib. V Procem. venatio dicitur τοὐπιτήδευμα ἡρωϊκὸν καὶ βασιλικὸν, καὶ πρὸς εὐσωματίαν ἅμα καὶ εὐψυχίαν ἀσκοῦν, καὶ εἰρηνικῆς τε καρτερίας ἅμα καὶ πολεμικῆς τόλμης μελέτημα. Præter alios plures vide sis Xenophontem, Cyropæd. lib. I, cap. 2, 10; Aristotelem de Rep. lib. I, cap. 8, et Plinium, Pan. cap. 81, 2. Dav. — *Exerceamur in venando... bellicæ disciplinæ.* Hanc in rem ad locum Plinii, Panegyr. 81, pag. 405, et multa alia commode congessit et nostrum etiam locum adhibuit Schwarzius. Eum adiisse te non pœnitebit. Cr.

Digitized by Google

poris usu et periclitatione percepimus. Totam licet animis, tamquam oculis, lustrare terram, mariaque omnia : cernes jam spatia, frugifera atque immensa camporum, vestitusque densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maritimos celeri-
162 tate. Nec vero supra terram, sed etiam in intimis ejus tenebris[8] plurimarum rerum latet utilitas, quæ ad usum hominum orta, ab hominibus solis invenitur.

LXV. Illud vero, quod uterque vestrum fortasse arripiet ad reprehendendum : Cotta, quia Carneades libenter in stoicos invehebatur[1]; Velleius, quia nihil tam irridet Epicurus, quam prædictionem rerum futurarum : mihi videtur vel maxime confirmare, deorum providentia consuli rebus humanis. Est enim profecto divinatio, quæ multis locis, rebus, temporibus appa-
163 ret, tum in privatis, tum maxime in publicis. Multa cernunt aruspices, multa augures providentⁱ[2]; multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somniis, multa portentis : quibus cognitis, multæ sæpe res hominum sententia atque utilitate partæ[3], multa

8. *Nec vero supra terram, sed etiam in intimis ejus tenebris.* In editis plerisque legitur, « nec vero tantum supra terram ». Sed ea vox non agnoscitur a MSS, et eleganter potest intelligi : sic enim loquuti sunt Veteres, ut ostendit Jos. Scaliger ad Varronem de Re Rust. lib. III, pag. 244. Pariter Græci. Lucianus, Jud. Vocal. p. 45; Longinus, περὶ ὕψους, § 35; Memnon apud Photium, cod. CCXXIV. — *Nec vero... sed etiam*, omisso *tantum*, attigit Valckenaerius, ab Heind. laudatus, ad locum geminum J. Chrysostomi in laud. Paulli Apost. p. 15, qui Davisii hanc ipsam notam adhibuit. Adde etiam supra lib. I, c. 22 : « non opinione, sed etiam », ubi *solum*, codicum auctoritate, delet Gœrenz. ad Acad. II, 2, 7. Ca.

LXV. 1. *Carneades libenter in Stoicos invehebatur.* Conf. supra lib. I, cap. 2 : « Contra quos (Stoicos) Carneades ita multa disseruit, etc. » adde Tuscul. lib. V, cap. 27; de Finibus, lib. V, cap. 7, et consule quæ hanc in rem disputavit Tennemannus in Hist. Phil. vol. IV, p. 346. Ca.

2. *Multa augures providentⁱ.* Vulgo desunt hæ voces, quod non tam editorum consilio, quam incuria typothetarum contigisse censeo; nam eas repræsentant omnes MSS simul ac veteres impressi. Dav.

3. *Multæ sæpe res hominum sententia atque utilitate partæ.* Ita sane

Digitized by Google

etiam pericula depulsa sunt. Hæc igitur sive vis, sive ars, sive natura, ad scientiam rerum futurarum homini profecto est, nec alicui quam a diis immortalibus data.

Quæ si singula vos forte non movent, universa certe tamen inter se connexa atque conjuncta movere debebunt.

LXVI. Nec vero universo generi hominum solum, 164
sed etiam singulis a diis immortalibus consuli et provideri solet. Licet enim contrahere universitatem generis humani, eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos.

Nam si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora ac parte terrarum, ab hujusce terræ, quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus ob eas causas, quas ante diximus: his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt[1]. Sin autem 165

codices, quantum constat, omnes; nec tamen ullus, aut saltem parum commodus exsurgit sensus. Lambinus ex conjectura recipit, «multæ sæpe res ex animi sententia atque utilitate partæ». At hæc quidem pura puta est licentia. Quum tamen suspicionem proferre nihil impediat, putarim voces *hominum sententia* scriptas fuisse pro *omnium scientia*. *Omnium* vero *scientia atque utilitate*, nota fuit marginalis, eaque declarat librarius, quibus de rebus hic ageretur. Lego itaque, «multæ sæpe res partæ», verbis superfluis omnino deletis. Quod si nimis audax videatur hæc conjectura, ad receptam lectionem propius rescribas licet, «multæ sæpe res horum scientia atque utilitates partæ». Dav.—Dedit Heind. «ex h. sententia», quod cum Lescaloperio conjecit Boherius, quodque exhibet cod. Glog. Idem placuit etiam Ernesto. Jam neque Davisii conjectura opus erit, neque Wopkensii, «multæ sæpe res hominum solertia ac sedulitate partæ». Ma.

LXVI. 1. *Nam si omnibus hominibus... colunt.* Parum recte hujus loci sententiam recepit Kindervaterus in vernac. interpr. Nemini obscurum potest esse, ab universalibus ad singularia quasi descendere h. l. Tullium. Jam illud: «nobiscum... ab oriente ad occidentem» lucem nanciscitur comparando loco Platonis Phædon. 60, pag. 84 Wyttenb. Ἔτι τοίνυν ἴφη πάμμεγά τι εἶναι αὐτό· καὶ ἡμᾶς οἰκεῖν τοὺς μέχρις Ἡρακλείων στηλῶν ἀπὸ Φάσιδος ἐν σμικρῷ τινι μορίῳ, ὥσπερ περὶ τέλμα μύρμηκας ἢ βατράχους, τὴν περὶ θάλατταν οἰκοῦντας· καὶ ἄλλους ἄλλοθι πολλοὺς ἐν πολλοῖς τοιούτοις τόποις εἶναι,

his consulunt, qui quasi magnam quamdam insulam incolunt, quam nos orbem terræ vocamus[2]: etiam illis consulunt, qui partes ejus insulæ tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo et earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum; et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanium; primo Punico Calatinum, Duellium[3], Metellum, Lutatium; secundo Maximum, Marcellum, Africanum; post hos,

κ. τ. λ. Ubi Wyttenb. p. 299, ad illa: μίχρις Ἡρ. στ. ἀπ. Φάσ. ita: « Hi censebantur termini τῆς οἰκουμένης, orbis terrarum nobis cogniti et habitati, nostrumque mare includentis ». Deinde nostrum etiam locum apposuit. Hinc illud in proverbio τὸ ἐπέκεινα Γαδείρων οὐ περατὸν, ut apud Gregor. Naz. in laud. Basil. pag. 82. Ad quem locum plura adscripsi in Opusce. Mythologg. pag. 91. De ternis οἰκουμένης partibus ap. Tullium nostrum, quam rem in annott. attigit Heindorf. dixi ad Hecatæi Miles. Fragg. pag. 38 seq. Alii duas faciebant tantummodo orbis partes. Quam rationem sequitur et Plato in Gorgia (p. 323 e.), p. 265 seq. Heind. Quam docte illustravit Schæferus in Meletemm. crit. in Dionys. H. p. 36 seq. Ca. — *Nam si omnibus hominibus ... occidentem colunt.* Est syllogismus, cujus hæc est conclusio: Dii consulant iis quoque hominibus, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. Ratio hæc est et quasi præmissa propositio, quia omnibus hominibus, qui ubique sunt, consulunt. Ponit autem initium orbis terrarum in oriente, quia hujus termini erant ignoti: ipsa autem Europa et Italia ad occidentem ejusque terminos Oceano finiri notum erat. Wytt.

2. *Magnam quamdam insulam incolunt, quam nos orbem terræ vocamus. Insulam* vocat *orbem terræ*, quod Oceano, Πᾶσα χθὼν, ἥτε ΝΗΣΟΣ ἀπείριτος, ἐστεφάνωται, ut loquitur Dionysius, vs. 4. Imitatur autem Periegetes, ut hoc obiter dicam, illud Homericum Odyss. K, v. 195: Νῆσον, τὴν πέρι πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται. Adi sis Athenæum, lib. I, pag. 18, F. et scriptorem vit. Homer. in Opusc. Galean. p. 294. Davis.

3. *Duillium.* Lambinus edidit *Duellium.* Potius sane *Duilium* legerem; huic enim viro nomen erat *Bilius.* Vide Pet. Ciaconium ad Column. Rostr. IV, Ant. Rom. col. 1814. Dav. — Heind. in scribendo hoc nomine, ut in re incerta, se sequutum esse ait codicum MSS auctoritatem, deditque ex codd. Glog. Red. et ed. Ascens. *Duellium.* Ma. — *Curium, Fabricium, Coruncanium* junxit etiam Cicero de Senectute, cap. 13, loco luculento, quem cf. Proxima: *Maximum... Lælium* enotavit Es. Spanhemius de Usu et Præst. Numism. lib. II, pag. 46, ut locum memorabilem, quod unus *Lælius* gentilitio nomine declaratur; in reliquis gentium: Fabiæ, Claudiæ, Corneliæ, Æmiliæ, Semproniæ, Porciæ nomina opprimuntur. Lege apud ipsum, quæ hac de re plura disputat vir harum rerum peritissimus. Ca.

Digitized by Google

Paullum, Gracchum, Catonem, patrumve memoria Scipionem, Lælium: multosque præterea et nostra civitas, et Græcia tulit singulares viros; quorum neminem, nisi juvante deo, talem fuisse credendum est. Quæ ratio poetas, maximeque Homerum, impulit, ut 166
principibus heroum, Ulyssi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos, discriminum et periculorum comites, adjungeret. Præterea ipsorum deorum sæpe præsentiæ, quales supra commemoravi, declarant, ab his et civitatibus, et singulis hominibus consuli. Quod quidem intelligitur etiam significationibus rerum futurarum, quæ tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur. Multa præterea ostentis, multa in extis admonemur[4], multisque rebus aliis: quas diuturnus usus ita notavit, ut artem divinationis efficeret. Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu divino umquam fuit. Nec vero ita refellendum est, ut, si segetibus, aut 167
vinetis cujuspiam tempestas nocuerit, aut si quid e vitæ commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut invisum deo, aut neglectum a deo judicemus. Magna dii curant, parva negligunt[5]. Magnis

4. *Multa in extis admonemur.* Lambinus et Aldus nepos edidere *multa extis*, quod præ recepta lectione placet. At quod in Reg. Med. Lincoln. et Ascens. sit *admonentur*, id vero vulgatæ posthabendum censeam. Dav.— Omisit Heind. cum Marso, Aldo nep. et Lambino voculam *in*, quam non agnoscunt codd. Oxf. o. et u. Mr.

5. *Magna dii curant, parva negligunt.* Euripidis est, cujus versus Plutarchus præceptis conjugalibus exposuit: τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται Θεὸς, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ. Camer. — Versus a Camerario laudati non in Plutarchi præceptis conjugalibus, sed politicis exstant, pag. 811, D. Quin etiam reperiuntur apud eumdem περὶ ἀοργησίας, pag. 464, A. Eodem fere redit et hoc incerti poetæ: Ζεὺς γὰρ τὰ μὲν τοιαῦτα φροντίζει βροτῶν, Τὰ μικρὰ δ' ἄλλοις δαίμοσιν παρεὶς ἐᾷ. Exstat apud philosophum Chæronensem de Aud. Poet. p. 24. Vide Gataker. ad Antonini lib. VII, cap. 31, et Hieronymum in Habacuc. vol. II, p. 189, F. quem notat Dallæus de usu Patrum, lib. II, pag. 275. Davis.— *Magna dii curant, parva negligunt.* Vide Davisium. Utrumque autem locum vertit Grotius in Excerptis Tragicorum, p. 466: «Namque id genus res Jupiter mortalium Curat: minora ceteris linquit diis». Hunc autem,

Digitized by Google

autem viris prospere semper eveniunt omnes res : si quidem satis a nostris, et a principe philosophorum Socrate dictum est de ubertatibus virtutis et copiis[6].

168 LXVII. Hæc mihi fere in mentem veniebant, quæ dicenda putarem de natura deorum. Tu autem, Cotta, si me audias, eamdem causam agas, teque et principem civem, et pontificem esse cogites[1], et, quoniam in utramque partem vobis licet disputare, hanc potius sumas; eamque facultatem disserendi, quam tibi a rhetoricis exercitationibus acceptam amplificavit academia, huc potius conferas. Mala enim et impia consuetudo est, contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate.

pag. 428 : « ... res enim summas deus Tractat : minores ire quam fors fert sinit ». Aliter autem plane statuit Plato de Legg. X, 670, F. Wytt.

6. *Satis a nostris, et a principe philosophorum Socrate dictum est de ubertatibus virtutis et copiis.* Ea quippe sola, pro Socraticorum Stoicorumque mente, beatos efficit, nec ullum injuriæ locum relinquit. Vide Maximum Tyrium, Dissert. 2, et Senecam de Constant. Sap. cap. 5. Hinc Justinus Martyr, Apol. I, cap. 2 : Ἡμεῖς μὲν γὰρ πρὸς οὐδενὸς πείσεσθαί τι κακὸν δύνασθαι λελογίσμεθα, ἢν μὴ κακίας ἐργάται ἐλεγχώμεθα, ἢ πονηροὶ διαγνώσμεθα· ὑμεῖς δ' ἀποκτεῖναι μὲν δύνασθε, βλάψαι δ' οὔ. Ad dictum Socraticum respicit, quod, ex Platonis Apologia, post alios multos, retulit Arrianus, Epict. lib. II, cap. 2. Dav.

LXVII. 1. *Teque et principem civem et pontificem esse cogites.* Olim, *principem civem putes, et pontificem cogites.* Optime Regius noster, omissa voce supervacua, quæ orationis exitum nulli bono remoratur. Ac Regio quidem codici succinunt Med. Lincoln. et Ascens. ut omnino delenda videatur. Dav.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE NATURA DEORUM
AD M. JUNIUM BRUTUM
LIBER TERTIUS

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGUMENTUM

LIBRI TERTII.

Hoc libro continetur Cottæ Academici contra Stoicam de diis rationem disputatio. Ea, ut superior liber, in quatuor partes distributa est. Nam primo respondet (cap. 3-7) ad ea, quibus Balbus docere voluerat, esse deos, et primo quidem ita, ut ostendat, præter rem argumentis eam partem rationis Stoicæ confirmatam esse, si verum sit, quod Stoici dicant, non egere oratione eam rem, quod sit perspicua, et inter omnes constet; deinde vero ita, ut singula argumenta breviter reprehendat; quamquam ea pars non integra ad nos pervenit. Secunda parte (cap. 9-25) omnia ea impugnantur, quæ de diis ipsis, quales essent, disputata erant. Itaque primo non ea argumenta solum dissolvit, quibus mundo, soli, lunæ, sideribusque divinitas asserta erat, sed etiam ea opinio quam absurda sit, pluribus argumentis demonstrat: quorum facile princeps est id, quo Carneades uti solebat contra Stoicos, Nullum neque corpus, neque animal, quod patibilem naturam habeat, immortale et æternum esse posse; immortalitate autem et æternitate sublata ipsam divinitatem tolli. Deinde poeticos deos et quos plebs superstitiosa venerabatur, σωματικαῖς ἐφαντάσεσι, quibus Carneades in hac disputatione uti solebat, aliisque argumentis tollit. Tertia pars autem disputationis cum partibus duabus quartæ intercidit. Nam quarta disputationis Stoicæ pars, quæ, deos providisse et consuluisse hominibus, contendebat, quatuor argumentis nitebatur (v. argum. lib. II in fine), horum secundo et quarto quæ respondisse Cotta fingitur, ea sola supersunt, cap. 26-40. Ostendit enim primo, quibus rebus hominibus consuluisse dii dicantur, eorum pleraque, in primis rationem, ad hominum perniciem converti; summosque homines et virtutis amantissimos plerumque mala fortuna usos esse.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. CICERONIS
DE NATURA DEORUM
AD M. JUNIUM BRUTUM,
LIBER TERTIUS.

I. Quæ quum Balbus dixisset, tum arridens Cotta, 1
Sero, inquit, mihi, Balbe, præcipis, quid defendam. Ego enim, te disputante, quid contra dicerem, mecum ipse meditabar, neque tam refellendi tui causa, quam ea, quæ minus intelligebam, requirendi. Quum autem suo cuique judicio sit utendum, difficile factu est, me id sentire, quod tu velis. Hic Velleius, Nescis, inquit, quanta cum exspectatione, Cotta, sim te auditurus. Jucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. Præbebo igitur me tibi[1] vicissim attentum contra stoicos auditorem. Spero enim, te, ut soles, bene paratum venire. Tum Cotta, Sim[2], mehercule, 2

I. 1. *Præbebo igitur me tibi.* Reg. et Med. exhibent, « Præbebo igitur ego me tibi ». Recte quidem, ut videtur; illa quippe vox peculiarem hic habet ἐμφασιν. Dav. — Reperit etiam Heind. in cod. Glog. et dedit *ego*, sed ita positum : « Præbebo igitur me ego tibi ». Vocem *ego* habent quoque complures ex nostris codd. Mr.

2. *Sim, mehercule, inquit, Vellei.* Hæc esse corrupta vident omnes. P. Manutius conjecit, « Sane hercule, inquit, Vellei » : D. autem Lambinus edidit, *sic est mehercule.* Sed nulli codices addicunt. Reg. exhibet *non mehercule*, quod probo : rei enim difficultas fecit, ut Cotta bene paratus, seu fortibus ad Balbum confutandum argumentis instructus, non venerit; idcirco se non tam *refellere* ejus *orationem* cogitare, « quam ea, quæ minus intellexit, requirere » testatur. Dav. — *Sim* cum Boherio scripsit Ern. intelligens : sim bene paratus. Marsus dedit, *Sed mehercule*, et ita quoque ed. Th. Heindorfius ait *sim* pro *utinam sim* poetis in usu esse, Cic. non item; neque optanti asseve-

Digitized by Google

inquit, Vellei: neque enim mihi par ratio[3] cum Lucilio est, ac tecum fuit. Qui tandem? inquit ille. Quia mihi videtur Epicurus vester de diis immortalibus non magnopere pugnare. Tantummodo negare deos esse non audet, ne quid invidiæ subeat, aut criminis. Quum vero deos nihil agere, nihil curare confirmat, membrisque humanis esse præditos, sed eorum membrorum usum nullum habere, ludere videtur, satisque putare, si dixerit, esse quamdam beatam naturam et
3 æternam. A Balbo autem animadvertisti, credo, quam multa dicta sint, quamque, etiamsi minus vera, tamen apta inter se et cohærentia. Itaque cogito, ut dixi, non tam refellere ejus orationem, quam ea, quæ minus intellexi, requirere. Quare, Balbe, tibi permitto, responderene mihi malis, de singulis rebus quærenti ex te ea, quæ parum accepi[4], an universam audire orationem meam. Tum Balbus: Ego vero, si quid expla-

randi vocem *mehercule* satis convenire. Dedit igitur ex cod. Glog. *Sum mehercule*, quod habet etiam noster La. et placet sane. Neque vero nihili ducendam arbitror animadversionem viri cujusdam docti, qui ad marg. collationis cod. I. (ubi, ut in reliquis omnibus, est « Tum Cotta, Si me hercule), elliptice dictum esse, vel per ἀποσιώπησιν, illud *Si me hercule*, ut supra I, 33 : « scito illa quidem sermone et Attico, sed tamen ». Mr. — Attigit hunc locum etiam Wopkens. in Lectt. Tull. pag. 122. — *Si* autem varie usurpatur a scriptoribus, ut saepiuscule viris doctis molestias exhibuerit. Vid. v. c. Gronovii et Handii disputata ad Statium, pag. 455, seq. Ut ut est: Bavius etiam Voorda, ad calc. Thes. controvv. pag. 460, tuetur *si* et optative accipit, intellecto *venirem* ex antecedente venire, laudans hos locos: de Offic. II, 10 (ubi cf. Heusingerum); pro Flacco, cap. 7; Virgil. Æneid. VI, 187. — Idem vir doctus commode explicat proximum *par ratio*. Ca.

3. *Neque en. m. par ratio.* Quidam legendum putant, in quibus ego me esse profiteor, *par certatio est*: quod ego valde probarem, si qua essent hujus scripturæ in libris veteribus vestigia. Quamquam non est incredibile, vel a scriptore librario, vel ab alio aliquo depravatam esse scripturam rectam ac germanam, factumque ex « par certatio », « par ratio ». Lamb. — Neque Ernesto neque Heindorfio placet Lambini *certatio*. Mr.

4. *Quærenti ex te ea, quæ parum accepi.* His adhaetit Reg. noster *aperire*; sed illa vox stultitiæ fraterculi cujusdam, quæ non deerant supplementis, videtur tribuenda. Dav.

Digitized by Google

nari tibi voles, respondere malo. Sin me interrogare, non tam intelligendi causa, quam refellendi; utrum voles, faciam : vel ad singula, quæ requires, statim respondebo; vel, quum peroraris, ad omnia.

II. Tum Cotta, Optime, inquit. Quamobrem sic 4
agamus, ut nos ipsa ducit oratio[1]. Sed antequam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quæ me in perorando cohortabatur[2], ut meminissem, me et Cottam esse, et pontificem. Quod eo, credo, valebat, ut opiniones, quas a majoribus accepimus de diis immortalibus, sacra, cærimonias, religionesque defenderem. Ego vero eas defendam semper, semperque defendi; nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu deorum immortalium, ullius umquam oratio aut docti, aut indocti movebit[3]. Sed quum de religione

II. 1. *Ut nos ipsa ducit oratio.* Pro *oratio* dedit Heind. *ratio* ex codd. Glog. et Red. quod neminem non statim amplexurum esse credit; *ratio*, dicit, i. e. argumentatio seu disputatio. Quasi non id ipsum etiam apud Nostrum nonnumquam verbo *oratio* exprimatur! Ma. — Cicero scripsisse videtur *ut nos ... ratio*, et ita alibi subinde loquutus est. Wytt.

2. *Orationeque ea, quæ me in perorando cohortabatur.* Lambinus reponendum putavit, « qua me in peroran-do cohortabaris ». At mutatione nihil est opus; cur enim oratio cohortari non dicatur, nullus video. Similiter Noster Acad. Quæst. II, 33 : « Quid fiet artibus? quibus? iisne, quæ ipsæ fatentur conjectura se plus uti quam scientia; an iis, quæ tantum id quod videtur sequuntur, nec habent istam artem vestram, qua vera et falsa dijudicent ». Ubi *dijudicandi vis* artibus adscribitur; ut in loco, quem tractamus, orationi cohortatio. Phædrus, lib. III, fab. x, 5 : « Ergo explorandæ est veritas multum, prius Quam stulta prave judicet sententia ». Hæc etiam frustra tentarunt viri eruditi. Plura collegimus ad Tusc. III, 22, et ad lib. II de Div. c. 35. Dav.—Neque Heind. placet Lambini conjectura. Ma.

3. *Nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu deorum ... movebit.* Huc facit Arnobius, lib. II, cap. 66 : « neque vos posse antiquam et patriam relinquere (religionem), et in barbaros ritus peregrinosque traduci », ubi consule Elmenhorst. pag. 94 ed. nov. Lips. Plura in rem suppeditabit Cornel. *van Bynkershoek* de Religione peregrina, Dias. II, p. 242 seqq. in opuscull. var. arg. Ceterum hanc ipsam Cottæ sententiam reapse Ciceronianam esse, comprobavit ejusmodi locis, ubi sua ipse per-

Digitized by Google

agitur, Tib. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scævolam, pontifices maximos, non Zenonem, aut Cleanthem, aut Chrysippum sequor : habeoque C. Lælium augurem, eumdemque sapientem, quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili[4], quam quemquam principem stoicorum. Quumque omnis populi romani religio, in sacra, et in auspicia divisa[5] sit; tertium adjunctum sit, si quid prædictionis causa, ex portentis et monstris, Sibyllæ interpretes aruspicesve monuerunt : harum ego religionum nullam unquam contemnendam putavi : mihique ita persuasi, Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis[6], fundamenta

sona disputat Tullius, *Scholten* in Dissert. de divina natura apud Cicer. pag. 76 seq. Vide in primis de Divin. II, 72 : « Nam majorum instituta tueri sacris cærimoniisque retinendis sapientis est ». Cf. ibid. I, 12, II, 33, plane Socratis ad exemplum omnia; vid. v. c. Xenoph. Memor. Socr. I, 3. Ca.

4. *De religione dicentem in illa oratione nobili.* Orationem de Collegiis intelligit, quam *aureolam* vocat infra cap. 17. Noster in Bruto, c. 21 : « Oratio Lælii de Collegiis non melior, quam de multis quam voles, Scipionis; non quo illa Lælii quidquam sit dulcius, aut quod de religione dici possit augustius; sed multo tamen vetustior et horridior ille, quam Scipio, etc. » Ejus habendæ occasionem ex persona Lælii sic exponit Cicero de Amic. cap. 25 : « Meministis... quam popularis lex de Sacerdotiis C. Licinii Crassi videbatur; cooptatio enim Collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primum instituit in forum versus agere cum populo. Tamen illius vendibilem orationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facile vincebat ». Aberravit igitur a scopo Petr. Alcyonius, quum lib. I de Exsil. pag. 40, in hac oratione Lælii « confutatum fuisse cultum deorum » conjecerit, « multaque de vera religione prolata non superstitiose et aniliter, sed physica constantique ratione » : nam defendis Romanorum deliriis tota fuit destinata. Hinc igitur (ne plura, quæ non desunt, commemorem) patet eum plagii a Paullo Jovio aliisque nullo suo merito fuisse damnatum. Vide Paulli Colomesii Καμ. Liter. cap. 15. Dav.

5. *Quumque omnis..... divisa sit.* Ergo quatuor sunt partes religionis publicæ Romanorum, ut Cicero ipse in orat. pro Har. Resp. refert, c. 9 : « Majores nostri statas solemnesque cærimonias pontificatu : rerum bene gerendarum auctoritates augurio : fatorum veteres prædictiones Apollinis vatum libris : portentorum explanationes Etruscorum disciplina contineri putarunt ». Cf. Cell. Ant. Rom. I, sect. 2, 1. Wytt.

6. *Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis, fundamenta jecisse*

Digitized by Google

jecisse nostræ civitatis ; quæ numquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset. Habes, Balbe, quid Cotta, quid pontifex 6 sentiat. Fac nunc ergo intelligam, tu quid sentias. A te enim philosopho rationem accipere debeo religionis ; majoribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, credere.

III. Tum Balbus, Quam igitur a me rationem, inquit, Cotta, desideras? Et ille, Quadripartita, inquit, fuit divisio tua : primum ut velles docere, deos esse ; deinde, quales essent ; tum, ab his mundum regi ; postremo, consulere eos rebus humanis. Hæc, si recte memini, partitio fuit. Rectissime, inquit Balbus : sed exspecto, quid requiras?

Tum Cotta, Primum quidque videamus, inquit. 7 Etsi id est primum, quod inter omnes, nisi admodum impios, convenit, mihi quidem ex animo exuri non potest[1], esse deos. Id tamen ipsum, quod mihi per-

nostræ civitatis. Hæc melius congruunt traditis a Plutarcho in vita Numæ, cap. 8, et a Livio, I, 19, quam iis quæ Dionysius Hal. de Romulo prodit. Livius enim, de Numa ita : « positis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat, omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, et illis seculis rudem, efficacissimam, *deorum metum* injiciendum ratus est ». Contra Dionysius, Antiq. Rom. II, 21, pag. 278 Reisk. de Romulea urbe ita : ἐν γοῦν ἄλλῃ πόλει νεοκτίστῳ τοσούτους ἱερεῖς καὶ θεραπευτὰς τῶν θεῶν εὐθὺς ἀποδεικνύντας οὐδεὶς ἂν εἰπεῖν ἔχοι. Tum multa enumerat, quæ *sacrorum* etiam auctorem Romulum arguant, non auspiciorum solum. Cf. in primis quæ idem Dionys. lib. II, cap. 65, p. 373 seq. Qui locus etiam propterea memorabilis est, quod hoc ipso illam discrepantiam attingit et dijudicat. Ca.

III. 1. *Mihi quidem ex animo exuri non potest.* Sic habent omnes fere libri vulgati et MSS. Quæ lectio si nobis probabitur, tralatio erit ab iis notis, quæ ferro inuruntur. Quædam exempla tamen vulgata habent *exiri ;* unde nuper quidam fecerunt *exire :* alii legi volunt *excuti.* Ego, si quid mutandum sit, malim legi *exseri* a verbo *exsero*, cujus contrarium est *infero.* Ut autem Latini dicunt *inserere opiniones*, ita et *exserere.* Lamb. — *Mihi quidem ex animo exuri non potest.* Præter conjecturas, quarum meminit Lambinus, aliis *erui* placet, aliis *exini*, aliis denique *exui.* Nec inficias eo, quin hæ voces interdum

Digitized by Google

suasum est auctoritate majorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur a me velis discere? Tum Cotta, Quia sic aggredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil umquam audierim de diis immortalibus, nihil cogitaverim : rudem me discipulum et integrum accipe; et ea, quæ requiro, doce. Dic igitur, quid requiras.

8 Egone? Primum illud, cur, quod [perspicuum, in istam partem] ne egere quidem oratione dixisses,

confundantur. Sic apud Pseudo-Hegesippum de Halosi Jud. I, cap. 39, edunt, « Manete, fratres, nolite exurere quod generati estis ». At ibi MS Cantab. recte dat *exuere*. Nulla vero fuit ratio, cur hæc sollicitarent viri docti : ea enim *inuri* dicuntur, quæ alte sunt impressa. Martialis, VI, 64 : « At si quid nostræ tibi bilis inusserit ardor ». Sic *dolorem inurere* habet Lactantius, de Ira Dei, cap. 18, et *maculas inurere* cap. 23, ac *contumelias inurere* Seneca, Controv. lib. V, Procem. p. 352. Vide et Synesium, de Regn. p. 31, B. Sed admodum vulgaris est hæc metaphora, ut exemplis non egeamus. Plura tamen, si opus est, suppeditabit J. Fr. Gronovius ad Liv. IX, 3. Huic contrarium est *exuri*. Seneca, Epist. LXIX : « Quemadmodum ei, qui amorem exurere conatur, evitanda est omnis admonitio dilecti corporis ». Ita quidem edidere Lipsius et Gronovius; sed quum Gruterus exhibeat *amorem exuere*, nec MSS consulere liceat; hoc Senecæ loco non nitar. At firmum videtur illud Plauti, Rudent. act. III, sc. 4, 62 : « LA. Ignem magnum hic faciam. DE. Quin ut humanum exuras tibi ». Augustinus, de moribus Eccles. Cathol. cap. 30 : « Tantus caritatis ardor innascitur, ut exustis omnibus vitiis et homine sanctificato, etc. » quæ leguntur etiam Retract. I, 7. Ambrosius de Spiritu Sancto, Procem. p. 115 : « Caro Domini spiritu repleta divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret ». Eadem exstant apud Augustinum, de Doctr. Christ. IV, 21, § 46. Vide Ambros. Offic. III, 14, pag. 67. Vult igitur Noster, opinionem de diis immortalibus in ejus animo radices tam altas egisse, ut nullo modo, ne igne quidem ferroque, posit eximi. Conf. Dion Chrysostomus, Orat. IV, pag. 64, et Clemens Alexandrinus, Strom. lib. VII, pag. 824. DAV. — Walkero cum Ern. vocabulum *exuri* nimis durum visum est; ille ne stare quidem posse ait; Heindorfio vero audax talis metaphora h.l. adeo visa est inepta, ut receperit ex codd. Glog. et Red. Edd. Marsi et Ascens. *exire*. Walkerus volebat *erui*, Ern. *exuti*. Si ab optimis libris standum est, reciplendum erit cum Heind. *exire*, ita enim etiam nostri Fa. G. M. edd. Th. et Bas. Sed magis tamen placet vel Walkeri vel Ernesti conjectura. Ut enim *exuri* nimis vehemens est, ita *exire* non satis convenit verbo *potest*, quod passivum aliquod flagitare videtur. Ergo nec plane spernendum, quod receperunt Alemannus et Bipontini *exui*, quodque exhibent codd. E. et Oxf. e. Sed interea maneat vulgata. MD.

Digitized by Google

quod esset perspicuum [2], et inter omnes constaret, de eo ipso tam multa dixeris. Quia te quoque, inquit, animadverti, Cotta, sæpe, quum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare judicem [3], si modo eam facultatem tibi daret causa. Atque hoc idem et philosophi faciunt, et ego, ut potui, feci. Tu autem, qui id quæris, similiter facis, ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, et non altero tantum, quum idem uno assequi possim.

IV. Tum Cotta, Quam simile istud sit, inquit, tu 9
videris. Nam ego neque in causis, si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari soleo; perspicuitas enim argumentatione elevatur: nec, si id facerem in causis forensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis. Cur contuerere autem altero oculo, causa non esset; quum idem obtutus esset amborum, et quum rerum natura, quam tu sapientem

2. *Cur, quod perspicuum, in istam partem ne egere quidem oratione dixisses, quod esset perspicuum.* Lambinus voluit, « cur quod in ista parte ne egere quidem, etc. » Vulgata sane lectio ferri non potest, licet defensorem nacta sit Petr. Lescaloperium. Sed similes habent labra lactucas. Ut quod res est dicam, voces illæ, literis majusculis scriptæ, spongiam merentur, legendumque: « cur quod ne egere quidem oratione dixisses, quod esset perspicuum ». Nimirum ut librarii paullo superius oræ codicum adscripserant *esse deos;* sic hoc in loco « perspicuum in istam partem » adleverant, quo lectores capita rerum, de quibus ageretur, rescirent. Sed et ipsa loquendi ratio imperitum fraterculum satis arguit. Dav. — Ern. cum Dav. facit, addens pro *quod* legendum videri *quum ne eg.* etc. in quo adsentientem habet censorem Jenensem (1794, 167). Heindorfius, non magis quam illi integrum existimans locum, uncos removit, quia ejectis verbis istis nondum restitutum censebat locum. Ejici igitur vult nonnisi *perspicuum;* reliqua manifesto ita corrigenda esse ait: « cur, quod in ista partitione (quadripartita illa Balbi; vid. init. cap.) ne egere quidem or. dixisses ». Quod non displicet; at valde probatur lectio ed. Bas. ubi est *cur qui id,* cum qua facit quodammodo cod. M. qui exhibet *quid.* Mr.

3. *Quam plurimis posses argumentis onerare judicem.* Eleganter dictum pro premere, urgere. — *Roges.* Ex latinitatis lege ponitur præsens, quia item præsens *facit* præcessit. Vulgo minus recte in tali compositione usurpant interprr. imperfectum *rogares.* Wytt.

Digitized by Google

esse vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset. Sed quia non confidebas, tam esse id perspicuum, quam tu velles[1]; propterea multis argumentis deos esse docere voluisti. Mihi enim unum satis erat, ita nobis majores nostros tradidisse. Sed tu
10 auctoritates contemnis[2], ratione pugnas. Patere igitur, rationem meam cum tua ratione contendere. Affers hæc omnia argumenta, cur dii sint; remque, mea sententia minime dubiam, argumentando dubiam facis. Mandavi enim memoriæ non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum.

Primum fuit, quum cælum suspexissemus, statim nos intelligere, esse aliquod numen, quo hæc regantur[3]. Ex hoc illud etiam,

Adspice hoc sublime candens, quem invocant[4] omnes Jovem.

11 Quasi vero quisquam nostrum, istum potius, quam Capitolinum, Jovem appellet; aut hoc perspicuum sit, constetque inter omnes, eos esse deos, quos tibi Velleius, multique præterea, ne animantes quidem esse concedant.

Grave etiam argumentum tibi videbatur, quod opi-

IV. 1. *Quam tu velles.* Sic edidere omnes pro vulgato *velis*, quod est contra rationem temporum et modorum. Wytt.

2. *Sed tu auctoritates contemnis.* Cf. I, 5, pag. 20 seq. ed. nost. ibique annot. Quem ibi Heindorfius protulerat Ciceronis locum de lege Manil. cap. 7 : eodem nuper admodum docte usus est *Mahne* V. C. in Critone, pag. 126; idemque insuper adjecit locos Plinii, Epist. I, 20, et Quintil. Inst. Orat. II, 13. Atque hic ita, pag. 331 ed. Spalding. « verum, si eadem illa nobis aliud suadebit utilitas, hanc, *relictis magistrorum auctoritatibus*, sequemur ». Unde satis constat, optimis scriptoribus familiarem esse hunc usum. Ca.

3. *Regantur.* Heind. ex cod. Glog. *regerentur.*

4. *Quem invocant.* Vulgaris loquendi ratio foret *quod invocant*, quod appellant, *omnes Jovem.* Sed *quod* non solum metro adversatur, sed etiam consuetudini latinæ, secundum quam pronom. relativum sequitur genus sequentis nominis, non antecedentis. Sic Cicero v. c. de Legg. I, 7 : « animal hoc providum et sagax, quem vocant hominem », pro « quod vocant hominem ». Wytt.

Digitized by Google

nio de diis immortalibus et omnium esset, et quotidie cresceret. Placet igitur, tantas res opinione stultorum judicari, vobis præsertim, qui illos insanos esse dicatis [5].

V. At enim præsentes videmus deos [1], ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatienus : nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram prælio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est, homines homine natos, et quos Homerus, qui recens ab illorum ætate fuit, sepultos esse dicit Lacedæmone [2] : eos tu cantheriis albis, nullis calonibus, obviam Vatieno venisse existimas, et victoriam populi romani Vatieno potius, homini rustico, quam M. Catoni, quì tum erat princeps, nuntiavisse? Ergo et illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum, tamquam vestigium ungulæ, Castoris equi credis esse? Nonne mavis illud credere, 12
quod probari potest, animos præclarorum hominum,

5. *Opinione stultorum judicari, vobis præsertim, qui illos insanos esse dicatis.* Omnes homines, præter sapientem suum, stultos esse Stoici contendebant; et eorum est Paradoxum, πάντας τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι. De eo vide Ciceronem, Parad. IV, aut Just. Lipsium, Manud. ad Philos. Stoicam, lib. III, Diss. 20. Dav. — Cod. Red. « qui insanos illos ». Cod. G. *esse judicatis* pro *esse dicatis*. Ma.

V. 1. *Præsentes vid. deos.* Ad rem quod attinet, vide Davisium. Scholten de Divina Nat. apud Cicer. pag. 24 : « Hoc intelligi nequit, nisi observetur, Stoicos *sapientem* ita perfectum esse statuisse, ut in re et natura esse non posset, tum reliquos omnes stultos et insanos etiam vocasse. Ergo Cotta in hoc loco mihi non illud velle videtur, falsam esse hanc de qua agitur Balbi sententiam, sed tantum demonstrare, quam parum sibi constarent Stoici ». Ca.

2. *Quos Homerus ... sepultos esse dicit Lacedæmone.* Clemens Alexandrinus, Protrept. pag. 9 : Ἀνθρώπῳ τινὶ τούτῳ τῷ Διοσκούρῳ ἐπιτήρῳ ἐγενέσθην, εἴ τῳ ἱκανὸς πιστώσασθαι Ὅμηρος τὸ λελεγμένον· ... τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα Ἐν Λακεδαίμονι αὖθι φίλῃ ἐνὶ πατρίδι γαίῃ. Exstant Iliad. III, 243. Vide et Lactant. Div. Inst. lib. I, cap. 10. Dav.—Codd. G. et Oxf. e. « ab eorum ætate... sepultos dicit esse ». Cod. Glog. « sepultos etiam dicit », unde Heind. dedit « sepultos etiam esse dicit », et plane ita erat sine dubio in libro, qui scriptori codicis M. ad manum fuit, quamquam is, non intellecto scripturæ compendio, quod pro *etiam* positum fuerat, scripsit « sepultos autem esse dicit ». Ma.

Digitized by Google

quales isti Tyndaridæ fuerunt, divinos esse, et æternos, quam eos, qui semel cremati essent, equitare, et in acie pugnare potuisse? aut si hoc fieri potuisse dicis, doceas oportet, quomodo, nec fabellas anniles proferas.

13 Tum Lucilius, An tibi, inquit, fabellæ videntur? nonne ab A. Postumio[3] ædem Castori et Polluci in foro dedicatam; nonne senatusconsultum de Vatieno vides? Nam de Sagra, Græcorum etiam est vulgare proverbium: qui, quæ affirmant, certiora esse dicunt, quam illa, quæ apud Sagram[4]. His igitur auctoribus nonne debes moveri?

Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecum pugnas, Balbe: ego autem a te rationes requiro[5]. (*Desunt nonnulla.*)

14 VI. Sequuntur, quæ futura sunt. Effugere enim nemo id potest, quod futurum est. Sæpe autem ne

3. *Ab A. Postumio*, etc. A vulgatis abest prima vox, quam nos fide MS Reg. et veterum editorum revocavimus. Dav. — Cod. Guelf. ut Dav. edidit; itaque cum Ern. dedit Heind. In cod. Glog. est « nonne ædem ab Aulo Postumio et Cast. et Poll. » nomini *Aulo* ab alia manu superscriptum est *a Manlio*. Ma. — *Ab A. Postumio ædem Castori et Polluci in foro dedicatam.* Livius, II, 20, de eodem Postumio dictatore : « Ibi nihil nec divinæ nec humanæ opis dictator prætermittens ædem Castori vovisse fertur ». Priscæ autem fuerunt Dioscurorum religiones apud veteres Romanos. Vide modo Plutarch. Num. cap. 13, p. 309 Leopold. Ca.

4. *Græcorum etiam v. est proverbium... certiora esse dicunt, q. illa, quæ apud Sagram.* Regius habet, « quæ apud Sagram facta sunt ». Agnosco fraterculi liberalitatem. Græce sic effertur adagium : Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Vide Zenobium, Cent. II, 17, et Suidam. Dav.

5. *Rationes requiro.* Hoc loco Dav. et Heind. nihil enotaverunt ex libris suis; nostrorum nonnulli variant. A cod. A. abest *requiro*, et nullo addito lacunæ signo sequitur *sequuntur*. In cod. B. post *requiro* sequitur lineola perpendicularis, tum sine lacuna scribitur *sequuntur;* in cod. C. pro *requiro* et *sequuntur* scriptum est sine lacunæ signo *reguntur*. In cod. D. hoc, quod jam sequitur, caput 6 plane non reperitur, vocemque *requiro* excipit cap. 7, *non igitur*. Post vocem *requiro* in cod. I. spatium relictum est, quod tribus fere verbis expleri posset. In margine erat nota, quam abscidit quidam, neque reliquit aliquid præter literas *h. d.* ex quibus nihil colligas. Vox *sequuntur* abest a cod. N. In ed. Bas. quæ ceterum cum editis facit, inter *requiro* et *sequuntur* nullum est lacunæ signum. Ma.

Digitized by Google

utile quidem est scire, quid futurum sit. Miserum est enim, nihil proficientem angi, nec habere ne spei quidem extremum [1], et tamen commune solatium : præsertim quum vos iidem fato fieri dicatis omnia; quod autem semper ex omni æternitate verum fuerit, id esse fatum [2]. Quid igitur juvat, aut quid affert ad cavendum, scire aliquid futurum, quum id certe futurum sit? Unde porro ista divinatio? quis invenit fissum jecoris [3]? quis cornicis cantum notavit? quis sortes? Quibus ego credo; nec possum Attii Navii, quem commemorabas, lituum contemnere. Sed, qui ista intellecta sint [4], a philosophis debeo discere, præsertim quum isti plurimis de rebus divini [5] mentiantur.

VI. 1. *Spei ... extremum.* Est hoc proverbium : « Extremum et omnibus commune solatium est spes ». Vide Erasmum in Adag. pag. 1702-1707. Wytt.

2. *Fatum.* Fatum plerumque definitur immutabilis necessitas rerum futurarum, et hanc Stoici duplici ratione demonstrabant, altera per *decretum causarum*, quod vulgo dicitur principium *causalitatis*, quia omnes res futuræ ab antecedentibus causis pendent, velut in machina omnis futurus motus pendet ab antecedenti : altera ratio posita est in *principio repugnantiæ*, quia in omni re alterum valere debet, vel negatio, vel affirmatio : veluti Caius cras morietur, aut vivet, quorum alterum fore necesse est. Wytt.

3. *Fissum jecoris* in haruspicina dicebatur linea dividens exta bipertito, ut altera pars ad amicos, altera ad hostes pertineret. Vide Turneb. Adv. IV, 18; Ernest. Clav. Cic. voc. *fissum*. Wytt.

4. *Qui ista intellecta sint.* Eliens. Med. Lincoln. et Asc. repræsentant *qui ista intelligenda sunt.* Lege *sint* : nec causam video, cur ea lectio sit a nuperis deserta. Dav. — Cod. Glog. *quomodo* pro *qui*, ex interpretamento; et sic sæpissime in hoc cod. interpretis manum agnosces nonnumquam, ubi Heind. Ciceronem ipsum se agnoscere credit. Ma.

5. *Præsertim quum isti plurimis de rebus divini mentiantur.* Olim *divinis*. Mira tamen hæc est ratio, cur a philosophis discere debeat. MS Reg. omittit *divinis*. Huic igitur si credas, scribendum, « præsertim quum ista plurimis de rebus mentiantur », seu fallant et decipiant, ut ea, quæ prædicere videntur, non eveniant. Pronomen de auguriis reliquisque divinationibus esset intelligendum. De hac ipsa re agit lib. II, cap. 4, et de Divinat. lib. I, cap. 14. At quum singularis sit illius MS lectio; nos illam recepimus emendationem, quæ Cl. Walkeri debetur ingenio. Dav. — Heind. neque vero Dav. recepit Walkeri scriptionem exhibens, « præsertim quum plurimis de rebus isti divini mentiantur ». Ceterum Davisii ordinem sequuti sunt Olivetus et Ern. Laudat Walkerus varia loca, quibus vox *divinus* hoc

Digitized by Google

15 At medici quoque (ita enim dicebas) sæpe falluntur. Quid simile medicina[6], cujus ego rationem video, et divinatio, quæ unde oriatur, non intelligo?

Tu autem etiam Deciorum devotionibus placatos deos esse censes. Quæ fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo romano non possent, nisi viri tales occidissent? Consilium illud imperatorium[7] fuit, quod Græci στρατήγημα appellant, sed eorum imperatorum, qui patriæ consulerent, vitæ non parcerent. Rebantur enim fore, ut exercitus imperatorem, equo incitato se in hostes immittentem, persequeretur : id quod evenit.

Nam Fauni vocem[8] equidem numquam audivi. Tibi,

sensu posita occurrat, v. c. de Divin. II, 3, « qui divini habentur ». Mr.

6. *Quid simile medicina.* Regius noster exhibet, « quid simile habent medicina » : eamque lectionem probat ampliss. Boherius. Sed solemne fuit librariis, illa, quæ deesse censebant, ex ingenio supplere : quumque ea vox facile subaudiri possit, verbis Tullianis non est admiscenda. Arnob. lib. I, pag. 35 : « Quid simile dii omnes, a quibus opem dicitis ægris et periclitantibus latam? » Ubi subaudiendum *fecerunt*, ut *habent* hoc in loco. Tertullianus, Apol. cap. 1 : « Christianus vero quid simile? » Nimirum *facit*. Iterum cap. 46 : « Adeo quid simile Philosophus et Christianus? » scilicet *faciunt*. Vide sis et Ambrosium de Abrahamo, I, 3, pag. 12. Horatius, lib. II, Serm. III, 99 : « quid simile isti Græcus Aristippus? » Hieronymus in Epitaph. Nepotiani, Epist. III, pag. 20 : « Quid simile infernus et regnum cælorum ». Dav.—Cum Dav. facit Ern. subaudire jubens *habent;* quod merito durum visum est Wopkensio, Lectt. Tull. 2, 14, et Heindorfio, qui nihil aliud quam *est*, intelligi volunt; idem, ait Heind. opinor, significavit Walkerus, quum sic distinguere hæc jubet : « Quid simile, medicina, cujus ego rationem video, et divinatio, etc. » Post *divin.* Heind. cum Davis. distinctionem minorem posuit. Docet Heind. vocem *quid* esse accusativum, more Græcorum absolute positum, et aliam esse locorum, quæ Dav. attulit, quam nostri, rationem. Ma.

7. *Imperatorium.* Ernestus se semper legendum credidisse ait *imperatorum*, propter sequens *sed eorum imperatorum;* itaque in cod. Guelf. et edd. Ven. 1494, Mediol. Asc. Aldi, etc. Victorium primum edidisse *imperatorium.* Heind. recepit quidem Ernesti lectionem, sed Victorianam, quam habent codd. Glog. et Red. æque bene se habere ait, collatis locis Tusc. I, 3, et II, 2, in quorum priori est *oratoria laus*, in altero *oratorum laus.* Sed hæc loca paullo longius inter se distant. Cum Davisio faciunt nostri plerique. Ma.

8. *Nam Fauni vocem.* Non erat

Digitized by Google

si audisse te dicis, credam; etsi, Faunus omnino quid sit, nescio.

VII. Non igitur adhuc, quantum quidem in te, Balbe, est, intelligo deos essè : quos equidem credo esse, sed nihil docent stoici[1]. Nam Cleanthes, ut di- 16
cebas, quatuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. Unus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex præsensione rerum futurarum : alter ex perturbationibus tempestatum et reliquis motibus : tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, et copia : quartus ex astrorum ordine, cælique constantia. De præsensione diximus. De perturbationibus cælestibus, et maritimis, et terrenis, non possumus dicere, quum ea fiant, non esse multos, qui illa metuant[2], et a diis immortalibus fieri existiment. Sed non id quæritur, sintne aliqui, qui deos esse pu- 17

cur Cl. Boherius reponeret *jam Fauni vocem* : quum particula, quam dant omnes libri, passim μεταβάσεως sit nota. Vide nos ad lib. I, cap. 12. Dav. — *Fauni vocem... Faunus... quid sit*. Conf. Arnob. adv. G. I, 28, ibique interprr. pag. 306 ed. Lips. et de Faunis universe consule E. Q. Visconti ad Mus. Pio-Clem. t. III, pag. 54 seq. coll. ad I, tab. 47; Lanzium in libro qui inscribitur *de' Vasi dipinti antichi*, pag. 98 seq. De *Faunо* autem *Italo futidico* vid. Valer. Antiat. apud Arnob. V, pag. 483, et cf. Heynii Excurs. quint. ad Æneid. VII, et Ruperti ad Juvenal. VIII, 131. Cr.

VII. 1. *Sed nihil docent stoici*. Scholt. Diss. de Div. Nat. p. 25 : « Id ex animi sententia dicere non potuit. Puto igitur illud *nihil* ita explicandum esse, ut Cotta dicat, se ex hactenus a Stoicis disputatis (fortasse voluit : ex iis, quæ adhuc a Stoicis disputata sint) nihil didicisse, vel, eos nihil docere, cui non contradici possit ». Cr.

2. *Quum ea fiant... qui illa metuant*. Gœrenz. cum h. l. componit locum de Finib. lib. III, cap. 10, 34, pag. 355 : « Sic bonum *hoc*, de quo agimus, est *illud quidem* plurimi æstimandum ». Verumtamen haud scio, an hujus loci dispar sit ratio, quum ante *quidem* fere quodammodo πλεονάζειν soleat *ille*. Vide Offic. lib. I, c. 103; Tusc. lib. III, cap. 35; Div. lib. II, cap. 16. Rursus diversa ratio, ubi οὗτος post articulum orationem intendit; de quo vide Wolfium ad Leptin. Demosth. pag. 295; Boekh. ad Platon. Min. pag. 55; Heindorf. ad Phædon. pag. 60; et latinum *hic* nonnumquam pro *ille* de re in vulgus nota usurpatur, docente Bentl. ad Terent. Adelph. p. 306. Cr.

Digitized by Google

tent: dii utrum sint, necne[3], quæritur. Nam reliquæ causæ, quas Cleanthes affert, quarum una est de commodorum, quæ capimus, copia; altera de temporum ordine, cælique constantia: tum tractabuntur a nobis, quum disputabimus de providentia deorum; de qua plurima a te, Balbe, dicta sunt: eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas[4], quoniam esset aliquid in rerum natura, quod ab homine effici non posset, esse homine aliquid me-
18 lius: quæque in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, et quum totius mundi convenientiam consensumque efferebas; Zenonisque breves et acutulas conclusiones in eam partem sermonis, quam modo dixi, differemus; eodemque tempore illa omnia, quæ a te physice dicta sunt de vi·ignea, deque eo calore, ex quo omnia generari dicebas, loco suo quærentur; omniaque, quæ a te nudius tertius dicta[5] sunt,

3. *Utrum sint, necne.* Olim, *necne sint.* Ultimam vocem prætermittunt vulgati. Sed quum eam repræsentent non modo Bonon. 1494, Ascensius et Victorius, verum etiam MSS Reg. Eliens. Med. et Lincoln. mihi non videbatur negligenda. Sic supra lib. I, cap. 22: «Quæritur... sint necne sint». Ac Tusc. lib. II, cap. 11: «Hoc doce, doleam necne doleam, nihil interesse». Hermas, lib. I, Vis. III, c. 4: «Utrumne sint hæc ac non sint». Vide sis et lib. I de Divin. cap. 39. Davis. — Non recepit Heind. illud *sint;* et abest sane haud raro in tali structura. Sed ego non magis, quam Heindorf. assequor, cur illam verbi repetitionem Ciceronianam esse neget Ernestus. In loco de Divin. I, 39, quem laudat Davis. in omnibus libris est «fiat, necne fiat, id quæritur». Mr. — De repetito *sint* bene monet Bremi ad lib. de Fato, 12, p. 54, et nostro etiam loco servatum vult Gœrens. ad locum geminum de Fin. lib. V, cap. 16, 45, pag. 589 (hujusce edit. pag. 604); nec equidem video, quomodo tam insigni meliorum librorum consensui refragari velis. Cr.

4. *Quod Chrysippum dicere aiebas.* Forte, «quæ Chrysippum dicere aiebas»; vel in antecedentibus, «eodemque illud etiam differemus». Harum emendationum alteram, prout arbitror, flagitat oratio. Davis. — Dedit Heindorfius ex codicibus Glog. et Red. *quæ;* consentiunt plerique nostri. Cr.

5. *Quæ a te nudius tertius dicta sunt.* Ἁμάρτημα μνημονικόν· totus enim hic dialogus uno die fingitur habitus. Vide Fulv. Ursinum ad lib. II, c. 29. Dav. — Ernesto videtur verbum *nudius tertius* esse a librario aut glossa-

Digitized by Google

quum docere velles, deos esse, quare et mundus universus[6], et sol, et luna, et stellæ sensum ac mentem haberent, in idem tempus reservabo. A te autem idem 19
illud etiam atque etiam quæram, quibus rationibus tibi persuadeas, deos esse.

VIII. Tum Balbus, Equidem attulisse rationes mihi videor: sed eas tu ita refellis, ut, quum me interrogaturus esse videare, et ego me ad respondendum compararim, repente avertas orationem, nec des respondendi locum. Itaque maximæ res tacitæ[1] præterierunt,

tore, qui in aliis libris Ciceronis dies diversos disputationum meminerit, putaveritque hanc esse tertiam tertii dici disputationem. Ad quæ Heindorfius: «Qui toties Ciceronis hos libros legisset, eum quis non miretur fugere potuisse superiora illa II, 29, ubi Velleio Balbus, *velut a te ipso hesterno die dictum est*, etc. ubi quamvis ab Ursino admonitus nihil animadvertit Ernest. Hic vero ne Davisii quidem notam inspexit». Conf. etiam nostram notam ad illum, quem Dav. et Heind. laudant, locum. In cod. G. scriptum est «quæ a te dicta sunt nudius tertius». Kindervaterus ad hæc: Sed quidni Cic. sibi cogitare potuerit disputationem trium dierum? Nam disputationem habitam esse uno die, illustrari ex his quidem libris non potest (sed vide Heindorf. ad II, 29). Convenerunt enim amici Ciceronis in villam Cottæ, ibique *feriis Latinis* (I, 6) disseruerunt. Nunc quum feriæ Latinæ quatuor complecterentur dies, ideoque disputantibus otium esset, quidni Cicer. animo suo proponere potuerit colloquium per tres dies pertinens? Balbus quidem dicit in fine libri tertii: «Sed quoniam advesperascit, dabis diem nobis aliquem, ut contra ista dicamus». At hæc vel tertio disputationis die eum dicere potuisse quis neget? Ma.

6. *Quum docere velles, deos esse, quare et mundus universus.* Verba, *deos esse*, pro suppositi tiis habenda sunt et spongiæ debent incumbere; nam sensum non minus quam σύνταξιν turbant et impediunt. Hoc omnes moniti statim agnoscent, et interpretum neminem vidisse miror. Dav.—Verba *deos esse* Ernestus cum Davisio uncinis inclusit et spuria censuit. Heindorf. ea manifesto a proximis, «quum docere velles», pendere ait; illa autem, *quare et mundus*, etc. ab iis, quæ præcessere, «quæ a te... dicta sunt». Quo nihil videtur verius. Ita quoque Schützio videtur, cujus editionem (Opp. Cicer. tom. XV, Lips. 1816) inde ab hoc loco mihi conferre licuit. Duriusculi tamen aliquid sermonis structura hæc habere visa est Wopkensio, qui in Lectt. Tull. 2, 14, sic explananda verba putavit, ac si dixisset Cicero, «quum velles probare esse deos ac proinde diceres, mundum universum ..... sensum mentemque habere». Non ita, ait Heindorfius, balbutire Romanorum eloquentissimus potuit. Ca.

VIII. 1. *Tacitæ.* Dicitur ibi passive pro silentio prætermissæ; nam etiam

Digitized by Google

de divinatione, de fato : quibus de quæstionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere; sed ab hac quæstione, quæ nunc in manibus est, separantur. Quare, si videtur, noli agere confuse : ut hoc explicemus hac disputatione, quod quæritur.

20 Optime, inquit Cotta. Itaque quoniam quatuor in partes totam quæstionem divisisti, de primaque diximus; consideremus secundam. Quæ mihi talis videtur fuisse, ut, quum ostendere velles, quales dii essent, ostenderes nullos esse.

A consuetudine enim oculorum animum abducere difficillimum dicebas : sed, quum deo nihil præstantius esset, non dubitabas, quin mundus esset deus, quod nihil in rerum natura melius esset; modo[2] possemus eum animantem cogitare, vel potius, ut cetera oculis,

21 sic animo hoc cernere. Sed quum mundo negas quidquam esse melius, quid dicis melius? Si pulchrius, assentior; si aptius ad utilitates nostras, id quoque assentior : sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius, nullo modo prorsus assentior; non quod difficile sit, mentem ab oculis sevocare : sed quo magis

tacitus dicitur sæpius pro tacens, active. Wytt.

2. *Quod nihil in rerum natura... modo.* Ita dedi, veteres libros sequutus; nam vulg. *quo nihil* exhibent. Davis. — Pro sequenti *modo*, cod. Red. habet *mundo*, unde fidenter Heindorf. scripsit, «quod nihil in rerum natura melius esset mundo, modo, etc.» Nimis cupide, ut ego existimo, more suo arripuit glossatoris haud inepti interpretamentum. Cod. A. pro *modo* habet *quomodo;* ita quoque cod. Glog. qui post *eum* addit *non*. Et recte monet Heind. Balbum supra lib. II, cap. 17, non negare, mundum animantem cogitari ab hominibus posse. Proponit igitur hanc totius loci emendationem, «quod nihil in rerum natura melius esset mundo: quo si nihil melius esset, quomodo possemus eum non animantem cogitare, vel potius, ut cetera oculis, sic animo hoc non cernere». Ego vero viro, qui ita licenter corrigit, fere auctor sim, ut ipse libros de Natura Deorum conscribat, in quibus si ad libitum suum scripserit, modo latine scribat et ad rem accommodate, neminem adversantem habebit. Mihi nihil videtur mutandum, sed verbis, *modo possemus... hoc cernere*, Cottam, antequam in recensenda Balbi sententia pergit, suam quasi in parenthesi interponere existimo. Mr.

Digitized by Google

sevoco, eo minus id, quod tu vis, possum mente comprehendere.

IX. Nihil est mundo melius in rerum natura: ne in terris quidem urbe nostra. Num igitur idcirco in urbe esse rationem[1], cogitationem, mentem putas? aut, quoniam non sit, num idcirco existimas, formicam anteponendam esse huic pulcherrimæ urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur; non te ipsum, quod velis, sumere. Istum enim locum totum illa vetus Zenonis brevis, et, ut tibi videbatur, acuta conclusio[2] dilatavit. Zeno enim ita concludit: « Quod ratione utitur, melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. Ratione igitur mundus utitur ». Hoc si placet, jam efficies, ut mundus optime librum[3] legere 22

IX. 1. *In urbe esse rationem.* In urbe non est ratio, sed in *civitate*: est enim *urbs* numerus aut copia ædificiorum, *civitas* autem congregatio hominum in eamdem societatem. Sic Cicer. Acad. IV, 45: « Non dubitasset, quin et Roma urbs esset, et eam civitas incoleret ». In Orat. pro Sext. cap. 42: « Conventicula hominum, quæ postea civitates nominatæ sunt, tum domicilia juncta, quas urbes dicimus ». Wytt.

2. *Brevis et... acuta conclusio dilatavit.* Ultima vox loco non convenit, immo potius repugnat, ut bene vidit acutissimus Walkerus. Quapropter sensu contrario legit *coartavit*; Boherius autem *declaravit*. Ipse lubens reponerem *dilucidavit*. Dav. — Hunc locum Wopkensius, Lectt. Tull. 2, 14, ita explicat: « Sic expressit, ut dilatationis satis amplæ vicem præstiterit; conclusionem Zenonis loci illius, de quo hic loquitur Cotta, partes omnes sic continere, ut totum locum quasi patefaceret et panderet ». Ernestus: « Zenonis illam conclusionem occasionem dedisse loci illius aperiendi disputationibus sectatorum ». Quæ explicationes quum merito non magis placerent Heindorfio, quam correctorum priorum emendationes, collato sermone Balbi II, 7, et 8, pronuntiat, dici hoc *dilatavit* a Cotta cum egregia cavillatione, quoniam sic conclusa ratio Zenonis ita late pateat, ut non modo ratione præditum esse mundum colligi inde queat, sed etiam literatum eum esse, et disertum, et mathematicum, et musicum, postremo philosophum. Quo nihil videtur esse verius, idque Schützio quoque placere video. Ergo nihil mutandum. Ma.

3. *Efficies, ut mundus optime librum*, etc. Sextus Empiricus advers. Mathem. p. 328, B, quum paullo ante Zenonis ratiocinationem memorasset, sic loquitur: Ὅ γε Ἀλεξῖνος τῷ Ζήνωνι παρίβαλε τρόπῳ τῷδε. Τὸ ποιητικὸν τοῦ

Digitized by Google

videatur. Zenonis enim vestigiis, hoc modo rationem poteris concludere: «Quod literatum est, id est melius, quam quod non est literatum. Nihil autem mundo
23 melius. Literatus igitur est mundus». Isto modo etiam disertus, et quidem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus erit mundus. Sæpe dixti[4], nihil fieri sine deo, nec ullam vim esse naturæ, ut sui dissimilia posset effingere. Concedam[5] non modo animantem et sapientem esse mundum, sed fidicinem etiam et tibicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur. Nihil igitur affert pater iste stoicorum[6], quare mundum ratione uti putemus, ne cur animantem quidem esse. Non est igitur mundus deus. Et tamen nihil est eo melius. Nihil est enim eo pulchrius, nihil nobis salutarius, nihil ornatius adspectu, motuque constantius. Quod si mundus universus non est deus, ne stellæ quidem, quas tu innumerabiles in deorum numero reponebas. Quarum te cursus æquabiles æter-

μὴ ποιητικοῦ καὶ τὸ γραμματικὸν τοῦ μὴ γραμματικοῦ κρεῖττόν ἐστι, καὶ τὸ κατὰ τὰς ἄλλας τέχνας θεωρούμενον κρεῖττόν ἐστι τοῦ μὴ τοιούτου · οὐδὲ ἓν δὲ κόσμου κρεῖττόν ἐστι · ποιητικὸν ἄρα καὶ γραμματικόν ἐστιν ὁ κόσμος. Hinc liquet Cottam ab Alexino hæc et sequentia mutuasse. Dav.

4. *Sæpe dixti.* Etiam Reg. et Cantab. habent *dixisti*, quod eodem redit; nam absurdum est et *dixi*, quod Manutius, et *dixit*, quod Lambinus exhibet. Davis. — Veterem formam *dixti* retinet etiam meus G. eamque sæpius usurpat Tullius, ut de Divin. lib. II, cap. 31, 66; de Finib. lib. II, cap. 3, 10, ubi vide Gœrenzium. Ca.

5. *Concedam... procreantur?* Interrogationis notam adpinximus, quam aperte res ipsa flagitat. Dav.

6. *Nihil igitur affert pater iste stoicorum.* Sic Lucretius Epicurum patrem appellat, lib. III, principio: «Tu pater et rerum inventor; tu patria nobis Suppeditas præcepta, etc.» Lamb. — Metaphorica hæc *patris* significatio scriptoribus haud est infrequens. Sic πατὴρ τοῦ λόγου dicitur ἀρχηγέτης cujusdam disciplinæ. Vide Justinum Martyrem, Dial. cum Tryphon. pag. 218, 254 ed. Paris. Irenæus, lib. IV, c. 41, 2 edit. Bened. «Qui enim ab aliquo edoctus est verbo, filius docentis dicitur, et ille ejus pater». Hinc est, quod Plato Juliani ΠΑΤΗΡ καὶ διδάσκαλος Cyrillo dicatur lib. III in Julian. p. 97. Origenes in Celsum, lib. I, pag. 19: Ὅσα ἄλλα φέρουσιν οἱ σοφοὶ Κέλσου τῶν ΔΟΓΜΑΤΩΝ ΠΑΤΕΡΕΣ. Sic et alii. Dav.

Digitized by Google

nique delectabant; nec mehercule injuria: sunt enim admirabili incredibilique constantia. Sed non omnia, 24
Balbe, quæ cursus certos et constantes habent, ea deo potius tribuenda sunt, quam naturæ.

X. Quid Chalcidico Euripo [1] in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? quid freto Siciliensi? quid Oceani fervore illis in locis,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?

Quid? æstus maritimi, vel Hispanienses, vel Britannici, eorumque certis temporibus vel accessus, vel recessus, sine deo fieri nonne possunt [2]? Vide, quæso, si omnis motus, omniaque, quæ certis temporibus ordinem suum conservant, divina dicimus, ne tertianas quidem febres [3], et quartanas, divinas esse dicendum

X. 1. *Chalcidico Euripo.* Euripus dicitur fluxus et refluxus aquæ. Talis fuit ad urbem insulæ Euboeæ Chalcidem. Ejus constantiam in reciprocando tradunt item Strabo, Geogr. IX, p. 618, septies quotidie reciprocationem fieri perhibens, item Pomponius Mela, II, 7, 78. At Livius negat narrans, Euripum temere nec statis temporibus agitari: nec tamen fidem facit. Vide Isaacum Vossium ad Melam, l. c. Wyttenb. — Livius, lib. XXVIII, cap. 6, hoc omnino negat. « Fretum ipsum, inquit, Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat; sed temere in modum venti, nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte præcipiti devolutus torrens rapitur ». At a Tullii partibus stant Strabo, Mela, aliique quam plurimi. Vide Nonnum in Gregorii Nazianzeni Stelit. I, Hist. 34. Dav. — Quod ad rem, laudat Ern. Vossium ad Melam, I, 74, p. 510 ed. Gronov. et de freto Siciliensi eumdem ibid. Ma. — Cf. n. 2.

2. *Sine deo fieri nonne possunt.* Id est, *annon possunt.* Ita sæpiuscule in Tullio, docentibus Ernesto et Gœrenzio ad Acad. lib. II, cap. 24, p. 141. Ceterum cod. G. « vel Britannici nonne possunt », omissis mediis. Paullo ante *Euripi Chalcidensis* mentionem ex hoc ipso loco adhibuit Phædonis loco, pag. 240, Wyttenbachius, quem vide. Adde Dionysii Halic. locum in nuper editis excerptis lib. XIX, c. 5, p. 70. Livii autem verba: « non septies die, sicut fama fert, temporibus statis reciprocat », idoneum auctorem luerantur Dionysium. Ita enim Jo. Lydus de Mensib. p. 28: Ὁ γοῦν Διονύσιος ἐν ταῖς κτίσεσι φησὶ, τὸν Χαλκιδικὸν Εὔριπον, ἑπτάκις καθ' ἡμέραν στρεφόμενον, κατὰ μόνας τὰς ἑβδομάδας ἵστασθαι. Eadem brevius attigit, p. 4. Cr.

3. *Ne tertianas quidem febres.* Nisi placeat illa Lambini conjectura, pro qua reponit « ne tertianas quoque febres », lege « ne tertianas item febres », quod etiam M. A. Mureto venit in mentem. Certe flagitat loci sensus, ut vel hanc vel illam emendationem recipiamus. Dav. — Illud *quidem*, quod omnes libros, tam scriptos, quam editos,

Digitized by Google

sit, quarum reversione et motu quid potest esse constantius? Sed omnium talium rerum ratio reddenda est. Quod vos quum facere non potestis, tamquam in aram[4], confugitis ad deum.

Et Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus[5] (versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur; callidos autem, quorum, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit) : is igitur, « Si aliquid est, inquit, quod homo efficere non possit, qui id efficit, melior est homine. Homo autem hæc, quæ in mundo sunt, efficere non potest. Qui potuit igitur, is præstat homini. Homini

occupat, Ernestus quoque vel in *quoque*, vel in *item* mutandum censet. Heind. illud propter antecedens *ne* a librario inculcatum existimat, et legi vult, « ne tertianas febres et quartanas, etc. » Mihi Lambini ratio veri videtur similior. Schütz. etiam *quoque* recepit, Mureti et Lambini emendationem. Ma. — *Febres* agnoscit etiam cod. G. nec ego is sum, qui ex hoc loco movere velim. Sed idem tamen liber in margine exhibet solitarium : *tertiana*, *quartana*, et sic alibi fere Veteres, prætermisso substantivo. Vide mihi quæ haud pauca exempla suppeditat Facciolati in tot. Lat. Lexico. Adde Quinti Sereni Samonici libr. de Medicina, cap. 49 et 50, pag. 145, 148 ed. Ackermann. ubi vel in capitum inscriptionibus ita : *Quartanæ typo medicando*, *Tertianæ t. m.* Ceterum medicorum veterum locis adde Jo. Lydum de Mensib. pag. 51 : Ὅτι πλεονάσαντος μὲν πυρὸς πυρετὸς γίνεται, ἀφημερινὸς δὲ ἀέρος, τριταῖος δὲ ὕδατος, τεταρταῖος δὲ γῆς, κ. τ. λ. Ad *motum* autem febriculosum tene indidem illa : σύνεσιν καὶ θλῖψιν... κλόνον τινὰ καὶ σεισμὸν... τρόμος καὶ ψύχος. Ca.

4. *Tamquam in aram, confugitis.* In aram confugere est proverbium, quo item usus est Cicer. Orat. Verr. IV, cap. 3, et post Red. in Senat. cap. 5, annotavit Erasmus in Adagiis, pag. 1606. Wytt.

5. *Chrysippus..... homo versutus et callidus.* Conf. supra lib. I, cap. 15 : « Chrysippus... vaferrimus interpres ». Adhibe etiam Cicer. Academ. lib. II, cap. 24 ; Gell. N. A. lib. VI, cap. 2 ; Diogen. Laert. lib. VII, 183. Seneca de Benefic. lib. I, cap. 3, ita de eodem : « Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acumen est, et in imam penetrans veritatem ». Ca. — *Versutos eos appello..... usu concalluit.* Monet Heind. ne quis totam hanc parenthesin *Versutos... concalluit*, quamquam satis ineptam et fere insulsam, non a consulari sene in tumultuaria hac scribendi opera inculcatam censeat ; quum vel illud *appello* dubitare non sinat, quin ab ipsius Ciceronis manu profecta sint. Quod facile concedo Heindorfio ; modo ipse non tam sæpe nimius fuisset in adsciscendis verbis, quam alii in delendis. Ma.

Digitized by Google

autem præstare quis possit, nisi deus? Est igitur deus». Hæc omnia in eodem, quo illa Zenonis, errore versantur. Quid enim sit melius, quid præstabilius, quid 26
inter naturam et rationem intersit, non distinguitur: idemque, si dei non sint, negat esse in omni natura quidquam homine melius[6]. Id autem putare quemquam hominem, nihil homine esse melius, summæ arrogantiæ censet esse. Sit sane arrogantis, pluris se putare, quam mundum. At illud non modo non arrogantis, sed potius prudentis, intelligere, se habere sensum et rationem[7]; hæc eadem Orionem et Caniculam non habere. Et, « Si domus pulchra sit, intelligamus eam dominis, inquit, ædificatam esse, non muribus. Sic igitur mundum deorum domum existimare debemus». Ita prorsus existimarem, si illum ædificatum, non, quemadmodum docebo[8], a natura conformatum putarem.

6. *Nihil homine esse melius.* Vocem penultimam prætermittit Aldus nepos. Mihi totum videtur glossema, quod explicationis gratia marginibus adscriptum, in ipsa tandem verba Ciceronis irrepsit. Hoc saltem manifestum, iis sublatis, nihil aut ad ornatum aut ad perspicuitatem orationis deesse. Dav. — Recte monet Heindorf. (et cum eo Schütz.), si talia tollere velimus, tum Ciceronem sexcentis aliis locis fore circumcidendum; sensum quidem h. l. non obscurum fore his omissis, at afferre ea tamen nonnihil ad perspicuitatem. Ma.

7. *Sensum et rationem; hæc eadem Orionem et Caniculam non habere.* Antiquitus editi ferebant «sensum et rationem et orationem, hæc eadem et Caniculam non habere». At Pall. et Med. repræsentant «sensum et rationem, hæc eadem orationem et Caniculam non habere», quibus egregie firmatur Paulli Manutii conjectura, reponentis *Orionem*. Forsan vero mireris Pet. Lescaloperii solertiam, qui *Caniculam* parvam canem sive *catellam* interpretatur, cavendumque monet, ne sidus intelligamus, *ut imperitus ille*. Quis hominem non rideat, qui virum doctum Xystum Betuleium imperitiæ postulat, ubi ipse singulare sit ἀδιαψίας exemplum? Dav. — Plane ita, ut Gruterus (ex Pall.), Davis. et Ernest. ediderunt, dedit etiam Heindorfius, et ita est in codd. nostris plerisque. Ma.

8. *Quemadmodum docebo.* Hoc agebat Cotta in tertia parte quam nos desideramus. Videtur autem eo loco Cottam, Academicorum dubitatione relicta, Stratonis dogmaticam opinionem amplecti: quem minime, dum ceteros philosophos refellit, oppugnavit: immo ejusdem decreta mox confirmaturus est. — *A nat. conformatum.* Natura

Digitized by Google

27 XI. At enim quærit apud Xenophontem Socrates, unde animum arripuerimus[1], si nullus fuerit in mundo. Et ego quæro, unde orationem, unde numeros, unde cantus: nisi vero loqui solem cum luna putamus, quum propius accesserit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat[2]. Naturæ ista sunt,

Academicis item ut Epicureis dicitur vis inanima, expers mentis. Sic de Nat. Deor. lib. II, cap. 16, 30, 32, 44, et lib. III, cap. 9, 10. Wytt.

XI. 1. *Unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo deus.* Vera lectio suffragante et exemplo Veneto, « Unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo »; *deum* enim temere inculcarunt hoc loco. Planum hoc faciunt Xenophontis verba de primo ἀπομνημονευμάτων. Νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς πῶς δοκεῖς συναρπάσαι. Camer. — *Unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo.* Vulgg. « unde animam arripuerimus, si nulla fuerit in mundo ». At ΝΟΥΝ συναρπάσαι dixit Xenophon. Vide lib. II, cap. 6. Hinc patet, lectionem, quam e MS Regio dedimus, omnino veram esse; nam συνώνυμα sunt *mens* et *animus*, non *anima*. Tertullianus de Anima, c. 12: « Animum, sive mens est, Νοῦς apud Græcos, non aliud quid intelligimus, quam suggestum animæ ingenitum, etc. » Lucretius, lib. III, p. 209: « Primum animum dico mentem quem sæpe vocamus ». Idem, p. 303: « Quapropter quoniam est animi natura reperta Atque animæ... » Vide sis et pag. 304; Nonium, cap. 5, et Isidorum, Orig. lib. XI, cap. 1. Davis. — Kindervat. *animam* retineri posse censet, quia promiscue usurpetur masc. et fem. et si accurate vertere Cicero voluisset νοῦν, dicendum fuisset *mentem*. Mr.

2. *Ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat.* Hippodamus Pythagoricus περὶ εὐδαιμονίας in Galei Opusc. Mytholog. pag. 664: ἔστι γὰρ ἁ μὲν ἁρμονία, ἀρετὰ κόσμῳ· ἁ δ' εὐδαιμονία, ἀρετὰ πόλιος· ἁ δ' ὑγίεια καὶ ἁ ἰσχύς, ἀρετὰ σώματος. Plura in eamdem sententiam profert Panaetius Pythagoreus apud Aristidem Quintil. de Musica, lib. I, pag. 3. Strabo, X, 10 (p. 468), p. 166 Tzsch. Καὶ διὰ τοῦτο μουσικὴν ἐκάλεσεν ὁ Πλάτων, καὶ ἔτι πρότερον οἱ Πυθαγόρειοι τὴν φιλοσοφίαν, καὶ καθ' ἁρμονίαν τὸν κόσμον συνεστάναι φασὶ, πᾶν τὸ μουσικὸν εἶδος θεῶν ἔργον ὑπολαμβάνοντες. Ad Platonis mentionem pertinet Cratylus (pag. 405), p. 76 Heindorf. quem confer, de Republ. VII (p. 530 d.), p. 215 seq. Astii, Aristotel. de Cælo, I, 9. Copiosius etiam hæc eadem explicat Philodemus de Musica Voll. Hercull. tom. I, col. 30. Quintilianus, Instit. Orat. lib. I, cap. 10, 12, pag. 216 Spald. « Quum Pythagoras atque eum sequuti, acceptam sine dubio antiquitus opinionem vulgaverint, mundum ipsum ejus (musices) ratione esse compositum, quam postea sit lyra imitata ». Adde Cic. Acad. lib. IV, cap. 37; Luciani vit. auct. cap. 2; Jo. Lydum de Mens. pag. 14, et Michael. Psellum de Omnifar. Doctrin. pag. 143. Alia in eamdem rem congessit proxime eruditus Heusdii V. Clar. discipulus Cornel. *Anne Den Tex* in copiosa disputatione de Vi musices ad excolend. homin. Trajecti ad Rhen. 1816, pag. 155 seq. Cr.

Digitized by Google

Balbe, naturæ, non artificiose ambulantis [3], ut ait Zeno, quod quidem quale sit, jam videbimus, sed omnia cientis et agitantis motibus et mutationibus suis. Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturæ, quam quasi cognatione [4] continuatam conspirare dicebas. Illud non probabam, quod negabas id accidere potuisse [5], nisi ea uno divino spiritu contineretur [6]. Illa vero cohæret et permanet naturæ viribus [7], non deorum; estque in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Græci vocant: sed ea, quo sua sponte major est, eo minus divina ratione fieri existimanda est. 28

3. *Artificiose ambulantis.* Refertur hoc ad definitionem naturæ, quam e Zenone supra memoraverat Balbus, II, 22. Wytt.

4. *Quam quasi cognatione continuatam.* Lambinus voluit *cognationem continuatam.* Malim, *cognatione continuata;* nam dura quidem videtur lectio recepta. Adi lib. II, cap. 7. Davis: — Ernesto placebat Davisii conjectura. Recepit Heindorf. et cum eo Schütz. Ma.

5. *Illud non probabam, quod negabas id accidere potuisse.* Med. Reg. Lincoln. et Bonon. 1494 exhibent, «illud non probem, quod negabas id accidere non potuisse». Quod cur displiceat, non video: quum *negatio* post *negandi* verbum in Tullio sexcenties abundet. Sic de Div. lib. II, cap. 50: «Epicurusne, qui negat quidquam deos nec alieni curare, nec sui». Vide et nos ad ejusdem libri cap. 37. Dav.— *Accipere non potuisse;* sensu plane contrario. Quam lectionem quomodo Davis. commendare potuerit loco de Divin. II, 50, cujus plane alia est ratio, ego non assequor; et recte Heind. ait, ne necessarium quidem esse, diversitatem structuræ utriusque loci, quippe quæ unicuique debet esse obvia, ostendere. Ma.

6. *Ea uno divino spiritu contineretur.* Sic repræsentandum curavi, ducibus ipsa re, veteribusque libris; pronomen enim ad *naturam* refertur. Vulgo *continerentur.* Credo, quod supra lib. II, cap. 7, dixerat Balbus, «nisi ea uno divino et continuato spiritu continerentur». At ibi præcesserat *neutrum* plurale. Davis. — Probabat Ernest. Davisii et explicationem et scriptionem. Contra monet Heindorf. *ea* esse dictum de iis, quæ sint naturæ, quæque ex convenientia illa consensuque naturæ nascantur, quorum latebat in præcedentibus mentio. Quod mihi quoque ita verum videtur, ut in aliam partem abiisse mirer viros illos summos. Scripsit igitur Heind. *continerentur* ex ed. Ascens. et ita est in nostris G. M. et ed. Bas. Reliqui omnes habent *continerentur.* A codd. Fa. et G. abest *uno.* Ma.

7. *Illa vero cohæret et permanet naturæ viribus.* Amplissim. Boherius nonnulla deesse putat; quia vix est ut Tullius diceret, «illam (naturam) permanere naturæ viribus». Lacunam tamen haud agnosco, et similis est lo-

Digitized by Google

29 XII. Illa autem, quæ Carneades afferebat, quemadmodum dissolvitis? Si nullum corpus immortale sit, nullum esse corpus sempiternum. Corpus autem immortale nullum esse, ne individuum quidem, nec quod dirimi distrahive non possit. Quumque omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est, quasi ferendi et patiendi necessitatem. Et, si omne animal mortale est, immortale nullum est[1]. Ergo itidem si omne animal secari ac dividi potest, nullum est eorum individuum, nullum æternum. Atqui omne animal ad accipiendam vim externam et ferendam paratum est. Mortale igitur omne animal, et dissolubile, et dividuum sit necesse est.

30 Ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod commutari non posset; item nihil argenteum, nihil æneum, si commutabilis esset natura argenti et æris[2]: similiter igitur, si omnia, quæ sunt, e quibus cuncta constant[3], mutabilia sunt; nullum

quendi ratio infra cap. 14. Dav. — Dedit Heind. convenienter cum antecedentibus, ex cod. Red. «Illa vero cohærent et permanent naturæ viribus». Nostri omnes tuentur vulgatam. Ma.

XII. 1. *Et, si omne animal mortale est, immortale nullum est.* Hasce voces prætermittunt MSS Reg. Mediol. Lincoln. et Cantab. easque quidem delendas censeo, quum, ne progrediatur syllogismus, impediant. Similia vero Carneadis argumenta profert Sextus Empiricus adv. Mathem. p. 333 seq. Dav. — Ernestus quoque, quum non reperisset in cod. Guelf. verba uncis inclusa, eaque absurde inferri videret, delenda censuit. Heind. vero felici eadem correctione, ut ipsi mihique videtur, sanavit, scribens, «Et si omne animal tale est», sc. ut patibilem habeat naturam, neque effugiat ferendi aliquid et patiendi extrinsecus necessitatem, cujusmodi quæ sunt, interitum accipiunt. Placet idem Sch. Ma.— Ad rem hoc tenendum est: ex Stoicorum decretis deos esse corpora animata; si autem sit omne corpus animatum, ceu animal necessario mortale esse, sequitur Stoicorum deos non immortales, non deos esse.

2. *Item nihil argenteum... æris.* Est hic breviloquentia, quæ supplenda est additis his verbis: si nihil argenteum et æneum esset quod non possit mutari. Wytt.

3. *Si omnia, quæ sunt, ex quibus cuncta constant.* Sic omnes, quod

Digitized by Google

corpus esse potest non mutabile. Mutabilia autem sunt illa, ex quibus omnia constant, ut vobis videtur. Omne igitur corpus mutabile est. At si esset corpus aliquod immortale, non esset omne mutabile. Ita efficitur, ut[4] omne corpus mortale sit. Etenim omne corpus aut aqua, aut aer, aut ignis, aut terra est, aut id, quod est concretum ex his, aut ex aliqua parte eorum. Horum autem nihil est, quin intereat. Nam et terre- 31
num omne dividitur, et humor ita mollis est, ut facile comprimi collidique possit[5]. Ignis vero et aer omni impulsu facillime pellitur, naturaque cedens est maxime, et dissipabilis. Præterea omnia hæc tum intereunt, quum in naturam aliam convertuntur[6]: quod fit, quum terra in aquam se vertit, et quum ex aqua oritur aer, et quum ex aere æther, quumque eadem vicissim retro commeant. Quod si ea intereant, ex quibus constet omne animal, nullum est animal sempiternum.

XIII. Et, ut hæc omittamus, tamen animal nullum 32

sciam, codices; nec tamen ita scripsisse Tullius videtur: nam (præterquam quod nescio quid horridulum præ se fert loquendi modus), non de rerum *exsistentia*, sed de *materia*, ex qua fiunt omnia, sermo fuit habendus. Igitur, ordine verborum mutato, reposuerim, «si omnia, ex quibus cuncta quæ sunt, constant»; ac tum demum recte procedit oratio. Possis etiam minore mutatione, «si omnia quæ sunt» et «e quibus», vel «eque quibus, cuncta constant, etc.» Dav. — Wopkensius, 2, 15, merito Heindorfio operam perdidisse visus est, quum exempla conquireret, ut copulam in his, *quæ sunt, e quibus*, etc. ab ipso Cicerone neglectam esse doceret. Heind. ita luxatum membrum in locum reponere studuit, deditque: «si omnia, e quibus, quæ sunt, cuncta constant», quæ ratio certe non ita præstat Davisianæ, ut præ ea in textum fuerit recipienda. Recepit eam tamen Schütz. Mn.

4. *Ita efficitur, ut.* Tenendum est, hac sententia Tullium alibi usurpare infinitivum. Tuscull. lib. I, cap. 31, 77: «Dicæarchus vult efficere, animos esse immortales». Qua de re nuper admodum etiam monuerunt Günther. et Wachsmuth. in Athenæo, Deipn. I, p. 114. Cr.

5. *Ut facile comprimi*, etc. Absurde Gruterus edidit, «ut facilis comprimi»; quod ne latinum quidem est, ut recte vidit V. Cl. Joan. Clericus. Dav.

6. *Præterea omnia... in naturam aliam convertuntur.* De hoc decreto vide quæ supra apposuimus ad lib. II, cap. 33, med. Cr.

Digitized by Google

inveniri potest, quod neque natum umquam sit, et semper sit futurum[1]. Omne enim animal sensus habet. Sensit igitur et calida, et frigida, et dulcia, et amara, nec potest ullo sensu jucunda accipere, et non accipere contraria. Si igitur voluptatis sensum capit, doloris etiam capit. Quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est. Omne igitur ani-
33 mal, confitendum est, esse mortale. Præterea, si quid est, quod nec voluptatem sentiat, nec dolorem, id animal esse non potest. Sin autem quod animal est, id illa necesse est sentiat; et quod ea sentiat, non potest esse æternum; et omne animal sentit[2]: nullum igitur animal est æternum. Præterea nullum potest esse animal, in quo non et appetitio sit, et declinatio naturalis. Appetuntur autem, quæ secundum naturam sunt; declinantur contraria: et omne animal appetit quædam, et fugit a quibusdam. Quod autem refugit, id contra naturam est; et quod est contra naturam, id habet vim interimendi. Omne ergo animal intereat
34 necesse est. Innumerabilia sunt, ex quibus effici cogique possit[3], nihil esse, quod sensum habeat, quin id intereat. Etenim ea ipsa, quæ sentiuntur, ut frigus

XIII. 1. *Et semper sit futurum.* Mundum æternum non Cicero et ipse posuisse videtur Scholtenio in Dissert. de Divin. natura apud Ciceron. pag. 38; qui attendere nos jubet hos locos: Tuscull. lib. I, cap. 27; de Legg. II, 5. Ceterum adhibe Sextum Empiricum adv. Mathem. lib. IX, cap. 180, 181, ubi similia leguntur. Ca.

2. *Et omne an. sentit.* Hæc importune esse inculcata ait Walkerus. Cui Heind. se assentiri quidem dicit, neque vero intelligere, qui in mentem venerit librario ea inculcare. Ernest. dicit: «Videri possit legendum esse *sed* vel *at omne an. sent.* Sed et sic minor propositio connectitur cum majori. Sic in fine capitis: *nec ullum animal est sine sensu*». Ma.—*Nullum igitur animal est æternum* illustrat Sextus Empiricus advers. Mathem. IX, § 142, 148. Ca.

3. *Ex quibus effici cogique possit.* Συνάγεσθαι. Sic de Fato, cap. 5: «Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem aut ambulemus voluntatis esse». Sunt qui tam in hoc quam in illo loco rescribant *colligi:* sed falluntur. *Colligi* in h. l. habent codd. plerique tam MSS, tam editi. Dav.

Digitized by Google

et calor, ut voluptas et dolor, ut cetera, quum amplificata sunt, interimunt. Nec ullum animal est sine sensu. Nullum igitur animal est æternum.

XIV. Etenim aut simplex[1] est natura animantis, ut vel terrena sit, vel ignea, vel animalis, vel humida; quod quale sit, ne intelligi quidem potest: aut concreta ex pluribus naturis[2], quarum suum quæque locum habeat, quo naturæ vi feratur[3]; alia infimum, alia summum, alia medium. Hæc ad quoddam tempus cohærere possunt; semper autem nullo modo possunt. Necesse est enim, suum quæque in locum natura rapiatur. Nullum igitur animal est sempiternum. 35

Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes[4]: quem ipsum non omnes interpretantur uno modo. Qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus[5]. Vos autem

XIV. 1. *Simplex.* Hoc dicitur, si corpus tantummodo ex uno et puro elemento constat, veluti igne, aere, aqua, terra. Atque sic ubique apud veteres Latinos nomen *simplex* et apud Græcos nomen ἁπλοῦς accipi affirmat Ernest. Clav. Cicer. qua in re fallitur. Wytt.

2. *Aut concreta ex pluribus naturis.* Vulgo *concretum;* nec aliter MSS Reg. Med. et Lincoln. At mihi cum vetustis editionibus placuit *concreta;* subauditur enim *natura animantis.* Davis.

3. *Quo naturæ vi efferatur.* Malim *efferatur*, quod a prima manu dat MS Regius. De ipsa locutione vide nos ad hujusce libri cap. 11. Davis. — Scribendum, ait Walkerus, primo aut *afferatur* cum MS Reg. aut *feratur* ex conjectura Lambini. Præterea mihi legendum videtur «quo naturæ suæ vi feratur». Ernest. recepit *feratur*, monens, non tantum de superiore loco sermonem esse, sed etiam medio et infimo; debere autem verbum omnibus aptum esse, quod in solum *feratur* cadat; et sæpe in verbis incipientibus ab *f* additam esse a librariis illam syllabam *ef.* Accedere id quoque, quod postea scribatur *rapiatur*, quod plane par sit τῷ *feratur.* Eamdem Lambini conjecturam recepit Heindorf. neque jam opus esse ait altera Walkeri (*naturæ suæ vi*). Libri omnes conspirant in *efferatur*, quod tueri studuit Kindervater. locis Livii XXVIII, 14, et III, 5. Schütz. cum Ernest. facit. Ma.

4. *Omnia vestri... solent ad igneam vim referre, Heraclitum... sequentes.* Cf. Platonis Cratyl. (p. 413) p. 100 ed. Heind. et Lucret. de Rer. Nat. I, vs. 783. Ca.

5. *Qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus.* Magis arrideret, «quem, quoniam quid diceret intelligi noluit, omittamus»; ut Victorius edidit. Sed nostri codices vulgatæ lectioni pertinaciter adhærent. Davis.

Digitized by Google

ita dicitis, omnem vim esse ignem[6]. Itaque et animantes, quum calor defecerit, tum interire; et in omni natura rerum id vivere, id vigere, quod caleat. Ego autem non intelligo, quo modo, calore exstincto, corpora intereant, non intereant, humore aut spiritu amisso, præsertim quum intereant etiam nimio calore.
36 Quamobrem id quidem commune est de calido[7]. Ve-

Recte Ernest. monet, durum etiam fore *quem*, quia eadem vox mox præcesserit. Scripsit Heind. ex cod. Glog. «qui, quid diceret, quoniam intelligi noluit, omittamus». Cod. Red. exhibet, «quod qui qd diceret, intelligi nolunt». Walkero scribendum videbatur, «qui quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittatur». Mihi liberior quidem, neque vero reprobanda videtur vulgata. Ma. — Ad rem plura contuleram in Prolusione de Fato et Provid. ubi testimonia de Heraclitei libri obscuritate hæc apposita leguntur: Aristot. Rhetor. lib. III, cap. 5, 6; Epigramma apud Diog. Laert. IX, 16 (Anthолog. pr. tom. IV, pag. 226, Jacobs.); Alcæi Messenii epigramma 21; Meleagri epigramm. 118 (Anthol. gr. tom. I, p. 35); Proclus in Theol. Platon. cap. 3, p. 106. Cr.

6. *Omnem vim esse ignem.* Vetus Ursini codex, ut et Reg. Med. ac Lincoln. dant, «omnia unum esse ignem»; quod ex Stoicorum sententia plane falsum; nam ii cum plerisque philosophis quatuor rerum elementa ponebant. Vide sis, inter alios, Justinum Martyrem de Resur. c. 6 et 7 ap. J. E. Grabium Spicil. tom. II, pag. 184. Quin et mundum ruiturum putabant, *quum omnis ignesceret.* Adi lib. II de Nat. Deor. cap. 46, et Minucium Felicem, Oct. cap. 34. Rectissime sese habet lectio recepta; nisi forte legas «omnium vim esse ignem», ut habet Asc. Zeno certe «statuebat, ignem esse ipsam naturam, quæ quidque gigneret, et mentem, et sensus», ut loquitur Noster, Acad. Quæst. I, 11. Vide et lib. II Nat. Deor. cap. 9 seqq. Dav.

7. *Quamobrem id quidem commune est de calido.* Si voluit Cicero, id calori proprium non esse, ut absque eo vivere non possint animalia, sed humori simul et spiritui commune; quemadmodum censuit Lescaloperius; ipse quidem cum Cl. Boherio non invitus legerem, «quamobrem id quidem commune eis est et calido». Sed forsan aliud dixit Tullius; et eo propendet animus, ut eum scripsisse suspicer, «quamobrem id quidem commentum est de calido»: eo videlicet uno animalium vitam contineri. Dav. — Ernest. ad hæc: «i. e. quod de calido dicitis, id commune est ceteris, humido, aerio, etc. malim tamen deleri *de*: ita sensus est: non id proprium calido, sed commune cum aliis naturis primis, sere, aqua, terra». Cod. Glog. «commune est cum calido», cod. Red. utraque lectione conjuncta, *de cum calido*. Unde, ait Heindorfius, conjiciat aliquis, «commune his est cum calido». Fatetur tamen, sua non magis, quam Boherii, aut Davisii, aut Ernesti conjectura opus esse. Ma. — *Videamus exitum.* Vernacule reddideris: *das Resultat.* Conf. Academ. lib. II, cap. 9, ibique Gœrenz. pag. 55. Mox: «animal ... animam ... animantium ...

Digitized by Google

rumtamen videamus exitum. Ita vultis, opinor, nihil esse animal extrinsecus[8] in natura atque mundo, præter ignem. Qui magis, quam præter animam, unde animantium quoque constet animus, ex quo anima dicitur[9]? Quo modo autem hoc, quasi concedatur, sumitis, nihil esse animum, nisi ignem[10]? Probabilius

animus, ex quo anima» dicitur. Adde Ernesti Heindorfiique annotationibus Ruhnken. ad Terentii Adelph. III, 2, 16, et Hecyr. V, 3, 27, ubi de *anima* exponitur tamquam *vita* s. *anhelitu*. Adhibe etiam hæc Frontonis de differentiis Vocabul. pag. 473 ed. Maii: «Animantia animus facit. Animalia animam habent». Ca.

8. *Nihil esse animal extrinsecus.* An aliquid secundum Stoicos est animal *intrinsecus* in natura atque mundo præter ignem? Nihil omnino. Locum sane non intelligo, nisi forte deleatur *extrinsecus*, vel commodius explicetur, quam hunc usque fecerunt eruditi. Davis. — Ernest. ad h. l. ita: «Locus obscurus et sine dubio vitiosus, placetque correctio Boherii *intrinsecus* legendum judicantis. Ita sensus erit: nihil habere in se vim animalem et nihil animal, vel animale dici posse, præter ignem. Huic respondet Cotta: se non videre, quare id igni potius tribuatur, quam *animæ*, a qua animantes dicantur, i. e. aeri». Walkerus aliam iniit emendandi viam, corrigens, «Ita vultis, opinor, nihil esse animum extrinsecus in natura atque mundo, præter ignem ... unde animantium quoque animus dicitur», vel «præter animam, unde animus dicitur». Et paullo inferius, «Quod si ignis ex sese ipse animus est». Heindorf. recepit Boherii emendationem ab Ernest. merito comprobatam; idem fecit quoque Schützius. Ma.

9. *Ex quo anima dicitur.* Noster Tusc. lib. I, cap. 9, diserte dixit *animum* ab *anima* dictum. Adeo ut plane sibi repugnet, si hoc modo scriptum reliquit. Sed a Cl. Boherio monitus, Lescaloperium vidi faustis avibus reposuisse, «ex quo animal dicitur». Davis. — Ernestus dubiam ideo hanc lectionem vocat, quia Cicero alibi dicat, animum dici ab anima (Tusc. I, 9). Sed in re prorsus dubia, ait Heindorfius, diversis locis utrumque, prout res ferret, judicare potuit. Neque tamen non insulsam existimat vulgatam, et ita probat Lescaloperii correctionem, ut certam eam et evidentem appellet. Ernesto (qui contra eam monet, animal dici potius ab anima, unde et bestias rationis expertes, quibus non tribuatur animus, dici *animalia*, quique conjicit, *qui ex anima dicitur*, vel *ducitur*) objicit, non animadvertisse eum, *animam* h. l. dici a Cotta in genere animalem naturam, spiritumve naturam permeantem, atque hic quidem *animum* ab eo tribui omnibus omnino animantibus (præcedit enim «unde animantium quoque constet animus»), eaque, «ex quo animal dic.» ita esse intelligenda, ex eo quod ex anima animantium (omnium) constet animus, animal dici. Quam ego explicationem verissimam credo. Neque Heindorfio placet ea, quam iniit in hoc loco Walkerus, ratio; q. v. sup. not. 8. Ma.

10. *Nihil esse animum, nisi ignem.*

Digitized by Google

enim videtur, tale quiddam esse animum, ut sit ex igne atque anima temperatum. Quod si ignis ex sese ipse animal est, nulla se alia admiscente natura, quoniam is, quum inest in corporibus nostris, efficit, ut sentiamus: non potest ipse esse sine sensu. Rursus eadem dici possunt. Quidquid est enim, quod sensum habeat, id necesse est sentiat et voluptatem, et dolorem; ad quem autem dolor veniat, ad eumdem etiam interitum venire. Ita fit, ut ne ignem quidem efficere
37 possitis æternum. Quid enim? non eisdem vobis placet, omnem ignem pastus indigere; nec permanere ullo modo posse, nisi alatur; ali autem solem, lunam, reliqua astra, aquis, alia dulcibus, alia marinis [11]? Eamque causam Cleanthes affert, cur se sol referat, nec longius progrediatur solstitiali orbe, itemque brumali, ne longius discedat a cibo. Hoc totum quale sit [12], mox: nunc autem concludatur illud, quod interire possit, id æternum non esse natura; ignem autem interiturum esse, nisi alatur; non esse igitur natura ignem sempiternum.

Lambinus absone conjecit, « nihil esse animatum ». Quæ fuerit hac de re Stoicorum sententia, constare potest ex Justi Lipsii Phys. Stoicor. lib. III, Diss. 9. Davis. — *Nihil esse animum nisi ignem.* Cic. Tusc. lib. I, cap. 9: « Zenoni Stoico animus ignis videtur ». Conf. Plutarchum de Placit. Philos. lib. IV, cap. 3; et, præter Lipsium a Davisio laudatum, Tennemanni Hist. Philos. vol. IV, pag. 59. Pauci addam de Plotino; qui, licet et ignis et *lucis* similitudinem captare soleat, ubi animi naturam declarare studet (vide v. c. p. 98, p. 308): tamen idem ille huic decreto, quo animus pro igne habetur, refragari minime dubitat. Quam in rem disputans, pag. 458 seq. et alia ponit et vero etiam hæc: ... ὡς δεῖ τι πρὸ τῶν σωμάτων εἶναι κρεῖττον αὐτῶν ψυχῆς εἶδος ἔννουν τὸ πνεῦμα, καὶ πῦρ νοερὸν, ὥσπερ ἄνευ πυρὸς καὶ πνεύματος οὐ δυναμένης τῆς κρείττονος μοίρας ἐν τοῖς οὖσιν εἶναι, κ. τ. λ. Mox: « Ignis ex sese ipse animal est ». Conf. Herodot. lib. III, cap. 16: Αἰγυπτίοισι δὲ νενόμισται τὸ πῦρ θηρίον εἶναι ἔμψυχον. Ca.

11. *Ali ... solem ... reliqua astra, aquis ... marinis.* Conf. Lucretium, V, 612, ibique Lambinum, p. 416, et quæ plura supra posui ad II, 15. De constructione: *reliqua astra*, sine copula, vide Gœrenz. ad Cic. de Legg. lib. III, cap. 9, p. 243. Ca.

12. *Quale sit, mox.* De hac re sine

Digitized by Google

XV. Qualem autem deum intelligere nos possumus 38
nulla virtute præditum[1]? Quid enim? prudentiamne deo tribuemus[2]? quæ constat ex scientia rerum bonarum et malarum, et, nec bonarum, nec malarum. Cui mali nihil est, nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum et malorum? Quid autem ratione? quid intelligentia? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obscura assequamur. At obscurum deo nihil potest esse. Nam justitia, quæ suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? Hominum enim societas, et communitas, ut vos dicitis, justitiam procreavit. Temperantia autem constat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui si locus in cælo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis deus intelligi qui potest? in dolore, an in labore, aut in periculo? quorum deum nihil attingit. Nec ratione 39
igitur utentem, nec virtute ulla præditum deum intelligere qui possumus[3]?

Nec vero vulgi atque imperitorum inscitiam despi-

dubio agebatur in tertia parte, quæ ad nos non pervenit.

XV. 1. *Deum... præditum.* In diis non esse quatuor illas virtutes a philosophis celebratas, « prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam », Carneades discere poterat ex Aristot. in opere Ethic. ad Nicomach. X, 8. Hinc et suam disputationem ducit Olympiodorus in Comment. ad Plat. Phædon. ood. III, p. 78 seqq. scilicet in deo summa est virtus, sed non secundum humanam imbecillitatem, at secundum eminentiam et infinitatem divinam. Wytt. — *Qualem autem deum intelligere nos possumus nulla virt.* etc. Hæc omnia ex ipsius Ciceronis animi sententia disputari, testimoniis diligenter conferendis firmare studuit Scholten. in Diss. de divina Natura apud Cicer. p. 44 seq. Ca.

2. *Prudentiamne deo tribuemus?* Locus Aristotelis exstat lib. X Ethic. Nicom. cap. 8, et inde sua deprompsisse Ciceronem statuit vir doctissimus, qui F. Ursino præivit, M. A. Muretus, Var. Lect. lib. VII, cap. 22. Quod plane falsum; ad eum enim non respexit Cotta, sed ad Carneadis ratiocinationes; quas nobis servavit Sextus Empiricus adv. Math. p. 336, quem vide. Dav.

3. *Nec ratione... utentem, nec virtute ulla præditum deum intelligere qui possumus?* Carneadis hæc et antecedentia esse; eademque partim ex Aristotelis Ethicor. ad Nicomach. X, 8, ducta, commonstravit Tennemannus in Hist. Philos. IV, p. 351, qui idem ejusdem philosophi alium locum, Ethicorum magnorum lib. II, cap. 15, comparavit. Ca.

Digitized by Google

cere possum, quum ea considero, quæ dicuntur a stoicis. Sunt enim illa imperitorum. Piscem Syri venerantur [4]. Omne fere genus bestiarum Ægyptii consecraverunt. Jam vero in Græcia multos habent ex hominibus deos, Alabandum Alabandi; Tenedii Tenem [5]; Leucotheam, quæ fuit Ino, et ejus Palæmonem

4. *Piscem Syri venerantur.* Atergatin hac forma colebant Syri; sed et omnes pisces illis habebantur dii. Vide quæ notarunt viri summi Joan. Seldenus de diis Syris Synt. II, cap. 3, et G. J. Vossius, Idolol. lib. I, cap. 23. Davis. — Vide Lucianum in libro de Dea Syria, lib. III, pag. 460 et 484. Wytt.

5. *Alabandum Alabandi; Tenedii Tenem. Tennem* habent Reg. et Asc. nec aliter nomen efferunt plures. Vide Scholiasten in Iliad. I, 38; Stephanum in Τένεδος; Diodorum Siculum, Bibl. lib. V, pag. 348; Cononem apud Photium, Cod. CLXXXVI, § 28, aliosque. Sed Eustathio ac Suidæ Τέννης agnoscitur, ut et Nostro in Verrem, lib. I, cap. 19, ac Plutarch. Quæst. Græc. pag. 297. At omnino reponas *Alabandum Alabandis.* Juvenalis, Sat. III, 70: « Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis ». Strabo, lib. XIII, pag. 878: Πολλοὺς δὲ (leg. πολλὰς δὲ, nimirum διαβάσεις) ὁ ἐκ Κοσκινίων εἰς ΑΛΑΒΑΝΔΑ. Dav. — *Alabandum... Tenem.* Vide Davisium. Cononis locus est cap. 28; ubi cf. Kannii annot. pag. 130 seq. Strab. VIII, pag. 380 Tzsch. Eudociæ Violet. pag. 264; Tzetz. ad Lycophr. vs. 232, ibique Mueller. pag. 496 seq. Wesseling. ad Diodor. Sic. V, 83: adde Valckenaer. Diatrib. Euripid. pag. 15, ubi de tragœdia, nomine *Tennis* (sic etiam scribitur hoc nominis) ambigitur. Fuit autem Tenes in nobilissimis urbium conditoribus, et cujus famam certatim celebrarant qui κτίσεις conscripsere; nec minus inclaruerat Alabandus; atque in numismatibus etiam utriusque imago comparere solet, docente Ezech. Spanhemio de U. et Pr. Num. tom. I, pag. 563, qui et Tennis et Alabandi nomina in claris κτίσταις posuit, et hunc ipsum Tullii locum docte adhibuit. — Mox verbis: « Leucotheam... Ino... Palæmonem » jungamus quæ infra leguntur cap. 19: « Ino, quæ Leucothea a Græcis, a nobis Matuta dicitur ». Cf. geminum Ciceronis locum, Tuscul. I, 12, ibique Dav. et adhibe Lucret. V, 665; Ovid. Fast. VI, 479 seqq. Livium, V, 19, ubi de templo Matutæ Matris instaurato per Camillum; cf. Plutarchum in hujus vita, cap. 5. Inus autem, sive Leucotheas, mentio frequentata inde ab Homero, Odyss. V, 334; ad quem locum nuper scholion exhibui codicis Palatini, n. 45, in opuscull. mytholl. p. 53 seqq. Quam nominis Leucotheas rationem ibidem reddidit doctus scholiasta, eamdem fere sectatus est Nonnus, Dionysiacor. X, vs. 75 sqq. pag. 62 ed. Moseri: Ἰνὼ Καὶ λευκοῦ παιδίοιο διατμήγουσα κονίην, Ἀσυκοβὴν πεφάτιστο φερώνυμος, etc. De Melicerte sive Palæmone vid. ibid. vs. 100 seqq. et laudat. Scholiastam ibique adscripta. De fabulæ rationibus disputavi in Mythol. III, 114 sq. IV, 32 sqq. Ca.

Digitized by Google

filium, cuncta Græcia, Herculem, Æsculapium, Tyndaridas: Romulum nostri, aliosque complures; quos quasi novos et adscriptitios cives[6] in cælum receptos putant.

XVI. Hæc igitur indocti. Quid vos philosophi? qui 40
meliora? Omitto illa: sunt enim præclara. Sit sane deus ipse mundus. Hoc credo illud esse

Sublime candens, quem invocant omnes Jovem.

Quare igitur plures adjungimus deos[1]? Quanta autem est eorum multitudo? mihi quidem sane multi videntur. Singulas enim stellas numeras deos, eosque aut belluarum nomine appellas, ut Capram, ut[2] Nepam, ut Taurum, ut Leonem; aut rerum inanimatarum, ut Argo, ut Aram, ut Coronam. Sed ut hæc concedantur, 41
reliqua qui tandem non modo concedi, sed omnino intelligi possunt? Quum fruges, Cererem; vinum, Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato: sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credat esse[3]?

6. *Et adscriptitios cives.* Sumptum hoc est e more romano: velut patricii alii erant veteres, alii novi et recens adscripti. Wyttt.

XVI. 1. *Quare igitur plures adjungimus deos?* Unum neque vero plures deos a Cicerone ipso positos esse, et h. l. et aliis locis comprobare studuit Scholten. de divin. Nat. apud Cicer. pag. 41 seqq. (quod idem antea placuerat Cudworthio in System. intell. I, 4, p. 669: displicuerat Moshemio.) Quumque *Stoici unum principem deum* statuerent esse, a minoribus longo intervallo, adeoque toto genere distantem, hanc ipsam rationem amplexum esse etiam Ciceronem. Cf. Wyttenbachii Dissertat. de Deo in scriptt. Legat. Stolp. pag. 23, ibique laud. Plutarch. de Oracull. defect. pag. 420, A. Conf. Sext. Empir. adv. Math. IX, 8, 178 sq. Ca.

2. *Ut Nepam.* Vulgg. *ut Lupam*: nec aliter omnes nostri. Quum vero *Lupa* inter stellas relata non legatur, ut vidit Pet. Victorius, Var. Lect. lib. XXXII, cap. 3, Ursini codex omnino sequendus videbatur. Sic olim reponendum conj. Rob. Titius, Loc. Controv. lib. IX, c. 4. Dav. — Ad vocem *Nepam* vide quæ apposui ad Aratea supr. II, 42. Ca.

3. *Sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credat esse?* Ad hæc et sequentia plurima universe faciunt quæ ex phi-

Digitized by Google

Nam quos ab hominibus pervenisse dicis ad deos, tu redde [4] rationem, quemadmodum idem fieri potuerit, aut cur fieri desierit; et ego discam libenter. Quomodo nunc quidem est, non video, quo pacto ille, cui «in monte OEtæo illatæ lampades fuerint, ut ait Attius [5], in domum æternam patris» ex illo ardore pervenerit [6]. Quem tamen Homerus conveniri apud inferos facit ab Ulysse [7], sicut ceteros, qui excesserant

losophorum doctrina posuit Anonymus in Allegoriis nominum deorum (opuscull. mytholl. nostr. pag. 43): ἓν δὲ ἕκαστον ὄνομα τῶν θεῶν κείμενον ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον γ' σημαίνει· ἢ πραγματικῶς, ἢ ψυχικῶς, ἢ στοιχειακῶς. Quæ singula singulis deinceps deorum nominibus explicantur. Ca.

4. *Tu redde.* Sic MSS; non *reddes*, ut vulgo. Dav.

5. *Cui in monte OEtæo.....ut ait Attius.* Herculis obitus, qui in monte OEta se ipse ardenti rogo imposuit, in tragœdia Sophoclis, quæ dicitur Trachiniæ, exponitur. Hanc Sophoclis tragœdiam vertit latinus tragicus Attius: hic autem versus inter fragmenta incertarum tragœdiarum exstat in Petri Scriverii editione Fragmentorum e perditis tragicis latinis collectorum, p. 153. Wytt.

6. *Quo pacto ille* (Hercules)... *in domum æternam patris pervenerit... apud inferos.* Locis a Davisio laudd. (e quibus Odyss. XI, 600 sqq. ab Onomacrito interpolatum tradiderunt nonnulli; vid. Schol. Harleian. apud Porson. et cf. Eustath. p. 460 Basil.) iis igitur locis adde Spanhemium ad Callimach. Dian. vs. 159, et Hemsterhusium ad Lucianum, vol. II, p. 492 Bip. qui et alia contulit, et hæc valde apposita ad nostrum locum: «Platonici vero tantum aberant a repudiandis illis Homeri versibus, ut arcanæ disciplinæ mysterium ibi residere non vulgare arbitrarentur». Tum laudat Proclum in Polit. Plat. p. 382, aliosque. Quæ vero Proclus l. l. habet, ea mere Plotiniana sunt. Audi Plotinum ipsum, p. 7, C: τάχα δ' ἂν οὕτω πιθανὸς ὁ λόγος εἴη· ὅτι δὲ πρακτικὴν ἀρετὴν ἔχων Ἡρακλῆς, καὶ ἀξιωθεὶς διὰ καλοκἀγαθίαν θεὸς εἶναι, ὅτι πρακτικός, ἀλλ' οὐ θεωρητικὸς ἦν, ἵνα ἂν ὅλος ἦν ἐκεῖ· ἄνω τί ἐστι, καὶ ἔτι ἐστί τι αὐτοῦ καὶ κάτω. Ex eodem fonte fluxerunt etiam quæ nuper in opusce. myth. ex Procli comment. in Cratyl. apposuimus, pag. 88. Idem philosophus in Comment. MS in Gorgiam ita: Διά τοι καὶ ὁ Ἡρακλῆς τελευταῖον ἆθλον ἐν τοῖς ἐσπερίοις μήλοις ἐπετήσατο, ἀντὶ κατηγωνίσατο τὸν σκοτεινὸν καὶ χθόνιον βίον, καὶ λοιπὸν ἐν ἡμέρᾳ, ὅ ἐστιν ἐν ἀληθείᾳ καὶ φωτὶ ἵζη. Atque hæc similiaque Platonici. De Stoicis, præter ipsum Ciceronem, vide Cornutum de Nat. Deor. cap. 31, in cujus fine Cleanthes laudatur, quæ ipsa, uti assolet, ad verbum transcripsit Eudocia in Viol. pag. 218. Ca.

7. *Quem tamen Homerus conveniri apud inferos facit ab Ulysse.* Non ipsum, sed ejus εἴδωλον. Sic diserte Poeta, Odyss. XI, 600: Τόνδε μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην, ΕΙΔΩΛΟΝ· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλί-

Digitized by Google

vita. Quamquam, quem potissimum Herculem cola- 42
mus, scire sane velim. Plures enim tradunt nobis[8] ii, qui interiores scrutantur et reconditas literas : antiquissimum, Jove natum, sed antiquissimo item Jove : nam Joves quoque plures in priscis Græcorum literis invenimus. Ex eo igitur et Lisyto[9] est is Hercules,

ἑπτὰν Ἥβων. Hinc Lucianus in Dial. Diog. et Herc. tom. I, pag. 298 : Αὐτὸς μὲν γὰρ ὁ Ἡρακλῆς ἐν οὐρανῷ τοῖς θεοῖς σύνεστι, καὶ ἔχει καλλίστην Ἥβην· ἐγὼ δ' ΕΙΑΩΔΟΝ εἰμι αὐτοῦ. Putabant nimirum Veteres, esse « Acherusia templa, Quo neque permanent animæ, neque corpora nostra, Sed quædam simulacra modis pallentia miris » ; ut sit Lucret. lib. I, vs. 123 seq. Adi sis etiam quæ diximus ad Tusc. I, 16. Dav.

8. *Plures enim tradunt nobis.* Macrobius, Saturn. lib. I, c. 20 : « Nec æstimes Alcmenæ apud Thebas Bœotias natum, solum vel primum Herculem nuncupatum : immo post multos atque postremus ille hac appellatione dignatus est, honoratusque hoc nomine ». Sex etiam Hercules memorant Arnobius, lib. IV, pag. 136, et Ampelius, cap. 9; licet apud hunc Nostrumque diversa sint nonnulla patrum matrumque nomina. Diodorus autem Siculus, Bibl. lib. III, p. 207, 208, Ægyptium, Cretensem et Alcmenæ filium recenset. Quin et Ægyptii, Tyrii, et Argivi mentio fit apud Herodotum, II, 43, 44, ac Arrianum, de Exped. Alex. II, 16. Vide sis et IV, 28, Hist. Ind. c. 5, ac Cl. Joan. Marshamum ad Sæc. XI rerum Ægypt. pag. 302. Varro XLIV Hercules numerat. Vide Servium ad Æn. VIII, 564. Vide locum et pro *Tirynthium* lege *Tyrium* : nam Tirynthius idem ac Argivus, qui sequitur. Dav. — *Plures enim* (Hercules) *tradunt nobis.* Davisianis adde locum Eudociæ in Violeto, pag. 215 : σημειοῦνται γὰρ οἱ παλαιοὶ πολλοὺς γενέσθαι Ἡρακλέας. Tamen in septenario numero consistit Jo. Laur. Lydus de Mens. p. 94. Cr.

9. *Ex eo igitur et Lisyto est is Hercules.* *Lisyea* habet antiquus liber, unde conjecturam facio *Lysidea* legendum esse. Ursin. — Hic « Jovis et Ætheris filius » dicitur Ampelio, cap. 9. Dav. — Pro *Lisyto*, quod nomen manifesto est corruptum, cod. Red. habet *Lisitto*, cod. Glog. *Lisito.* Neque mihi contigit verum expiscari scriptionem; nam quæ aliquando in mentem venerant, *ex eo igitur, eoque Lyctio* (Hesiod. Theog. 477), vel *Lycæo* (Pausan. VIII, 36, p. 462, et 38, p. 470 Fac.), vel *Libyco* (sed is idem alibi est, qui *Ægyptius*), vel *ex eo igitur, isque Tirynthius* (vid. Pausan. X, 13, pag. 190 seq. edit. Fac. ubi oraculi versus est : Ἄλλος ἄρ' Ἡρακλέης Τιρύνθιος, οὐχὶ Κεραυνεύς), his non satis confido, nisi accesserit alia, eaque major, auctoritas. Ma. — Jo. Lydus de Mens. l. l. πρῶτον (Ἡρακλέα) Διὸς τοῦ Αἰθέρος καὶ Δυσιθόης τῆς Ὠκεανοῦ (γενέσθαι). Quo ipso et Ampelii vel librariorum stupori occurritur, et Tullio consulitur. Neque enim codicum lectiones dubitare nos patiuntur, quin Cicero scripserit *Lysithoe.* Nam usitata hæc terminatio est in fœminarum nominibus. Ne longe discedam : in ipsis Herculis uxoribus memoratur *Laothoe.* Vide Apollodorum, II, 7, pag. 227 Heynii. Cr.

Digitized by Google

quem concertavisse cum Apolline de tripode[10] accepimus. Alter traditur Nilo natus[11], Ægyptius; quem aiunt Phrygias literas[12] conscripsisse. Tertius est ex

10. *Quem concertavisse cum Apolline de tripode accepimus.* Scholiastes ad Pindari Olymp. IX, 45 : Πρὸς Ἀπόλλωνα (ἐπολέμησεν ὁ Ἡρακλῆς) οὕτω καὶ διὰ τοιαύτην αἰτίαν· εἰς γὰρ τὴν Πυθῶνα παρεγένετο μαντευσόμενος περὶ τινός· ἔφη οὖν αὐτῷ ἡ Πυθία μὴ παρεῖναι τὸν θεὸν μηδὲ χρησμῳδεῖν. Ὀργισθεὶς ἐπὶ τούτῳ ὁ Ἡρακλῆς, ἥρπασε τὸν μαντικὸν τρίποδα καὶ πρὸς αὐτὸν εἵλετο τὴν μάχην. Hoc tamen ad Amphitryonis et Alcmenæ filium referebant Græci, quemadmodum liquet ex Pausaniæ lib. X, c. 13, qui tamen auctor est, ὅτι πρότερον ὁ Αἰγύπτιος Ἡρακλῆς ἀφίκετο ἐς Δελφούς. Davis. — *Concertavisse cum Apolline de tripode.* Hic labor etsi non ille quidem ad duodecim primarios pertinet : tamen poetarum artificumque operibus mirifice nobilitatus est. Vide Pausaniam, X, 13, 4, et confer Paciaudii Monum. Peloponn. tom. I, Prolegg. p. 34, et p. 114, ubi egregium anaglyphum Musei Naniani Cythereum memoratur exhibeturque. Alterum, Albani Cardinalis, suppeditat Zoega in *Bassiril. antich. di Roma*, n. 66. Tertium, idque facile princeps Dresdense, Beckerus in Augusteo, I, n. 5-7, pag. 60 seqq. qui idem ingeniose explicare conatus est, refragantibus ex parte Bœttigero in libro vernaculo *Andeutungen z.* Archæolog. p. 59 seqq. et Welckero in Annalib. liter. Heidelb. 1810, n. 45, p. 259 seqq. Qua de re nunc quidem longum est dicere. Hoc unum adjiciam, in hac causa dijudicanda, præter Pausaniæ locum classicum, alios quoque adhibendos esse, v. c. hos Plutarcheos : de Ei Delphico (pag. 387, D), pag. 586 Wyttenb. et præcipue de S. N. V. (p. 557), p. 51 seq. Wyttenbachii, ubi hic ipse interpres jam hoc singulare attendi jussit, non solum raptum memorari Apollineum tripodem ab Hercule, verum etiam Pheneum Arcadiæ deportatum; indeque postea ab Apolline, prissi facinoris ultore, illud oppidum inundatum esse. Hæc omnia qui in unum collecta recte exputaverit, haudquaquam ambiget, ad priscas arcanasque tesseras pertinere eam fabulam, ad sacra annua quum Dianæ Latonæque, tum vero etiam Cereris. Verum ea explicari, pro eo atque debeant, hoc loco non possunt. Ca.

11. *Nilo natus.* Nec Ampelius, nec Jo. Lydus hujus Herculis matrem prodit. De Ægyptio Hercule (Somo) locus classicus est Herodot. II, 43, unde disputationis nostræ telam duximus in Mythol. II, pag. 233 seqq. De eodem haud contemnenda habet idem J. Lydus, nimirum ex Nicomacho de Ægyptiorum diebus fastis. Alia, ut consuevit, suppresso nomine, a Plutarcho sumpsit. Compone v. c. Lydum, p. 93, cum Plutarcho de Isid. et Osirid. p. 505 seq. Wyttenb. Ca.— *Ægyptius.* Vide Taciti Annal. lib. II, 60. Dav. — Vocem *aiunt* omittit cod. A. Mr.

12. *Phrygias literas.* Liber erat, cui titulus Φρύγια γράμματα, quod ampliss. Boherius ex Plutarcho de Isid. et Osir. pag. 362, recte monuit. Adi Plutarchi locum et Boherii emendationem, quæ plura suppeditabit. Dav.

Digitized by Google

Idæis Digitis[13]; cui inferias afferunt[14]. Quartus est Jovis et Asteriæ[15], Latonæ sororis, qui Tyri maxime

13. *Ex Idæis Digitis.* Alii *indigenis;* alii *Dactylis:* at lectionem, quam sequimur, exhibent Gruteriani nostrique codices. Recte. Arnobius, lib. III, pag. 124: «Modo Digitos Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos Dactylos nuncupari». Et p. 125: «Si Curetas pro Laribus invocaro, quos Digitos Samothracios pars vestrorum asseverat auctorum». Nullus sane video, cur voce romana uti non possent scriptores latini, quum Idæos a Græcis Δακτύλους κεκλῆσθαι λέγουσιν, οἱ μὲν κατὰ τὸν ἀριθμὸν, ὅτι πέντε· οἱ δὲ κατὰ τὸ τῇ Ῥέᾳ πάνυ ὑπουργεῖν· ὅτι καὶ οἱ τῆς χειρὸς δάκτυλοι τεχνῖταί τε καὶ πάντων ἐργάται, ut ait Pollux, Onom. lib. II, § 156. Sed in Idæorum Digitorum tam numero, quam etymologia discrepant auctores. Vide Scholiasten Apollonii Rhodii ad lib. I, 1129; Diodorum Siculum, Bibl. lib. V, pag. 333; Diomedem, lib. II, col. 474, 475; Scholiasten Hephæstionis, pag. 82, et eruditissimum Marshamum ad Sæc. X rerum Ægypt. pag. 256. Dav. — Jo. Lydus: τρίτον Ἕλληνες τοῦ Διὸς καὶ νύμφης Ἀγχιάλης, unde fortasse integrandum censeas Ciceronem, nisi constet, hunc sæpiuscule brevitati studuisse, Lydumque alios probabiliter etiam fontes esse sectatum. — Arnobii locus, a Davisio laudatus, legitur III, 41, ubi consule interprr. vol. II, pag. 178 ed. nov. Lips. adde Mytholog. nostr. II, 278, III, 559, IV, 58, et in primis Schellingii lib. vernac. de diis Samothracc. pag. 36, pag. 96 seqq. *Dactyli* autem, sive *Digiti* dicuntur ut παλάμαι αἱ χεῖρες καὶ αἱ τέχναι, explicante Hesych. t. II, pag. 841 Albert. ut *manus* pro artificio. Vide Ruhnken. epist. crit. I, pag. 101. Adde quod septem Prœti Cyclopes vocati sunt et χειρογάστορες et γαστερόχειρες· vide Hecatæi Milesii fragmm. p. 72, et Eustath. ad Odyss. IX, pag. 346 Basil. Ceterum de Idæis Dactylis consule etiam copiosam Wyttenbachii annotationem ad Plutarch. de sent. profect. in virtute, pag. 604 seq. Ca.

14. *Cui inferias afferunt. Afferre,* ait Ernestus, de inferiis non dicitur, quod sciam, sed *ferre, mittere, dare.* Puto primam syllabam e finali præcedentis verbi natam, legendumque *ferunt.* Ma. — Inferiarum in Herculis religionibus vestigia residua in artium monumentis, veluti in patera pervetusta, quæ Herculem prostratum habet juxta Minervam, addito utrimque nomine: *Menerva, Erkle,* et insuper: χουσαις, i. e. χοαῖς, *inferiis.* Vid. Lanzi *Saggio di ling. Etrusca,* tom. II, p. 206 seqq. Ca.

15. *Quartus est Jovis et Asteriæ.* Ad rem ipsam quod spectat, mythologi fere tradunt, Asteriam, quum Jovem contemneret ejusque fugeret amplexus, in coturnicem mutatam fuisse. Fuere tamen scriptores, qui cum Cicerone faciebant. Conf. Athen. lib. IX, pag. 392, E. Omnino vide Zenobium, Centur. V, 56, qui ad hunc Eudoxi locum respicit. Dav. — *Quartus est Jovis et Asteriæ... Tyri... Carthaginem.* Ampelius: «Croni filius et Cartheres, quem Carthaginienses colunt, unde Carthago dicta est». Jo. Lydus: τέταρτον Διὸς καὶ Θήβης τῆς Αἰγυπτίας. In Asteria tamen cum Tullio concinit Eudoxus apud Athenæum l. c. (IX, p. 492 Schweigh.) nec minus qui Athenæum descripsit Eusta-

Digitized by Google

colitur; cujus Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcumena, quem Jupiter genuit, sed tertius Jupiter: quoniam, ut jam docebo, plures Joves etiam accepimus.

43 XVII. Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo, meliora me didicisse de colendis diis immortalibus jure pontificio[1], et majorum more, capedunculis, quas Numa[2] nobis reliquit, de quibus in

thius ad Odyss. IX, 601, pag. 1660, qui et ipse plures ibidem Hercules attigit. De Tyrio conf. Herodot. II, 44, cum interprr. Arnobius, I, 36, ita: «Thebanus et Tyrius Hercules», ubi conf. interprr. pag. 317 ed. Orell. Tyrius autem dicitur Ἀστροχίτων Nonno, Dionysiac. XL, pag. 1038. Plura posui in Mythol. II, pag. 241 seqq. Vide in primis Münteri V. C. libellum vernac. de religione Carthagin. § 6, pag. 46 seqq. qui etiam docet: in Melitensium inscriptione memorari hunc Herculem *Melk-arth*, qui idem græce dicitur Ἡρακλῆς Ἀρχαγέτας. — *Quintus in India... Belus.* Ampelius: «Quintus Joab filius, qui cum rege Medorum pugnavit». Jo. Lydus: πίμπτον τὸν Διθάνου καὶ Νύσης, τὸν ἐν Ἰνδοῖς γενόμενον. Hæc Lydus. De Libano nemo ambiget, qui theogoniam Phœnicum legerit apud Euseb. Pr. Evang. I, 10, pag. 33 seqq. Ceterum Indis Hercules dictus Δορσάνης, sive Δοσάνης (Hesych. in voc. ibique Alberti. Conf. Mythol. nostr. II, pag. 255), Lydis idem Sandon, ut Jo. Lydus refert de magistratt. Rom. III, 64, p. 268. — Celtarum gentis auctorem etiam Herculem produnt; qui Celtum susceperit ex Celtine (Κελτίνης); Parthenii Erot. cap. 30, pag. 66 edit. Legrand. Eadem tradit nuper admodum a Maio repertus Dionysius Hal. in Excerptt. libri XIV, cap. 3 (p. 30 ed. Matthiæ Francof.): in matre discrepat: ἄλλοι δὲ ἐξ Ἡρακλέους καὶ Ἀστεροπῆς τῆς Ἀτλαντίδος δύο γενέσθαι μυθολογοῦσι παῖδας Ἴβηρα καὶ Κελτὸν, κ. τ. λ. Ca.

XVII. 1. *Jure pontificio.* De hoc vid. Cic. de Legg. II, 8, in XII tabb. fragg. in primis II, 19, et cap. 20; de Orat. III, 33; Brut. 14, 42, coll. Ernesti Cl. Cic. in voce. *Jus* et *Pontifices.* Adde Heineccii Antiqq. Romm. Jurisprud. illustr. I, 2, 31, pag. 46 ed. quint. et Bachii Hist. Jurispr. Rom. II, 2, § 54, et in primis § 55. Ca.

2. *Capedunculis, quas Numa.* Vulgo «capeduncula iis, quas Numa». Vocem vero secundam non agnoscunt Ascensius, Victorius, aut nostri codices. Capedunculæ vero fuisse videntur ansata pocula sacris destinata. Vide Jos. Scaligerum ad Varron. de L. L. lib. IV, pag. 31. Dav. — Quid e *capedunculis* didicerit Cotta, se nescire fatetur Kindervaterus. Heindorfius vel graviorem h. l. corruptelam esse credit, vel aliud esse *capeduncula*, quam quod esse dicunt grammatici, vel ante illud vocabulum plura intercidisse, vel saltem, ut cohæreant hæc inter se, scribendum esse «ac vel capedunculis iis, etc.» Vir doctus, qui contulit cod. I. referri debere credit

Digitized by Google

illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quam rationibus stoicorum. Si enim vos sequar, dic, quid ei respondeam, qui me sic roget : Si dii sunt, suntne etiam Nymphæ deæ? Si Nymphæ, Panisci etiam [3], et Satyri?

(quum certe *et* addendum fuisset ante *cap.*), quasi expositionem, illam vocem ad verba *more majorum*, ita ut Cotta dixerit : magis etiam, quam Stoicorum rationes, me movent majorum nostrorum sacra et instituta, ita quidem, ut vel sacra, quæ nobis reliquerunt, vasa me magis adeo de diis admoneant; præsertim quum Cotta, cap. 3, dixerit : « Id tamen ipsum, quod mihi persuasum est auctoritate majorum, cur ita sit, nihil tu me doces ». Placent hæc sane, ad explicationem; neque tamen, ut est, textus sanus videtur, nisi aut cum Heind. addas *ac vel*, aut scribas *capedunculis etiam iis*, vel *cap. adeo iis*, vel *immo cap. iis*, vel simile quid. — *Capedunculis*. Hoc vocabulorum genus, vasorum significatu, frequens. *Capita* et *capitulia* de vasculis agnoscit Jo. Lydus de magistrr. Roum. I, 46, p. 78, a *capere* repetens; conf. Cangii Glossar. med. et infim. Lat. in voc. *capitum*. Καπίδιον, vasis mensuræque genus, memorat Pollux, Onomast. IV, 168. Cf. etiam Lexic. Xenoph. II, p. 653. *Capides*, *capedines*, *capulæ* et *capeduncula* præsertim frequentantur de vasis illis sacris. Conf. Burmann. ad Petron. pag. 253, et Oudendorp. ad Apul. Metamorph. pag. 137. Priorem illam formam ipse Tullius usurpavit loco memorabili, quem adscribam. Ita enim ille, Paradox. I, 1 : « Quid a Numa Pompilio? minusne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? » Ita Ernestus. Vetus editio Argentor. a. 1564 : « Quid autem Numa Pompilius », ac deinde « delicatas pat. » Codex MS meus (quem acceptum refero Birnbaumio, nuper alumno nostro, nunc Gymnasii Ratisbon. professori); igitur liber ille, Numæ mentione prorsus oppressa, ita habet : « capedines ac sectiles vel fictiles urnulas... quam delicatas a. p. arbitr. » Illud *sectiles vel* optime habet, quandoquidem Varro de Ling. Lat. IV, 26, fuisse capedines tradit vasa fictilia, vel lignea, in sacrificiis usurpata. Quod attinet *delicatas*, eadem est lectio librorum MSS in Cic. Attic. II, epist. 8, ubi etiam nunc editur : « Cratera illum delicatum ». Contra ibidem, VI, 1, legitur : « in felicatis lancibus ». Recte. De quo epitheto vid. interprr. ad locos laudd. et Salmasii Exercitt. Plinn. pag. 737. Adde Winckelmanni Hist. Art. t. I, p. 203 ed. nov. Dresd. et Lanzi *Saggio di Lingua Etrusc.* t. II, p. 191. Cr.

3. *Si dii sunt, suntne etiam Nymphæ deæ? Si Nymphæ, Pan. etiam, et Satyri?* Fulv. Ursini codex, « Paniscine et Satyri? » Sed vulgatam lectionem tuentur omnes nostri. Σωρτικὰς autem has Carneadis ἐρωτήσεις exhibet Sextus Empiricus adv. Math. pag. 339, et eodem fere modo agit Clemens Alexandr. Protrept. p. 28, 28. Davis. — *Panisci.....Satyri*. De Bacchi famulitio universo consulendi Strab. X, pag. 468 Tzsch. Athenæus, V, 7, pag. 284 Schw. Cornutus de N. D. cap. 50. De Satyris et Paniscis adde docte disputata Lanzii in libro *de' vasi dipinti antichi*, p. 110 sq. Cr.

Digitized by Google

Hi autem non sunt : ne Nymphæ quidem deæ igitur. At earum templa sunt publice vota et dedicata. Quid igitur? ne ceteri quidem ergo dii, quorum templa sunt dedicata. Age porro, Jovem, et Neptunum deum numeras. Ergo etiam Orcus, frater eorum[4], deus; et illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Pyriphlegethon, tum Charon, tum Cerberus,
44 dii putandi[5]. At id quidem repudiandum. Ne Orcus quidem igitur : quid dicitis ergo de fratribus?

Hæc Carneades aiebat[6], non ut deos tolleret : quid enim philosopho minus conveniens? sed ut stoicos nihil de diis explicare convinceret. Itaque insequebatur. Quid enim? aiebat, si ii fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari potest?

4. *Orcus, frater eorum.* Orcus Plutonem denotat. Plaut. Mostell. act. II, sc. 2, 68 : « Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit ». Clemens, Recogn. lib. X, cap. 18 : « Huic (Saturno) primus nascitur filius, quem Aiden appellarunt, qui apud nos Orcus nominatur ». Iterum cap. 32 : « Aides, qui et Orcus vel Pluto nominatur ». Augustinus, Civ. Dei lib. VII, cap. 23 : « Orcus frater Jovis atque Neptuni, quem Ditem patrem vocant ». Adi et Varron. de Ling. Lat. lib. IV, pag. 19; Horatium, lib. II, Od. 18; Hieronymum ad Demetr. pag. 63, A; Ausonium, Ep. IV, 49, et Servium ad Æn. VI, 273. Dav.

5. *Orcus... Acheron... Cerberus, dii putandi.* De infernis et inferis fluviis vide Cornut. de Nat. Deor. c. 35, pag. 233 Gal. quæ excerpsit Eudocia, pag. 13. Consule præcipue Wyttenb. ad Platon. Phædon. pag. 315. De Cerbero sigillatim agit Eudocia, p. 255 seq. Quod vero Academicus Cotta Cerberum deum esse negat : alia omnia statuerunt alii : in quibus etiam erant, qui Hecaten cum Cerbero confunderent, Jo. Lydus de Mens. p. 31 : δθεν καὶ Κέρβερον αὐτὴν (τὴν Ἑκάτην) εἶουσι χρεωδόρον οἱ ποιηταὶ προσαγορεύουσιν. Idem plura de Cerbero disputat. p. 46 et 93. Et nunc quidem satis constat, vetustum deum esse Cerberum, ex Ægyptiorum quidem doctrina, unde nemo nescit universam inferorum fabulam ad Græcos traductam esse. Haud vulgaria suppeditabit tibi Zoega de Obelisc. p. 290, et magnum opus : *Description de l'Égypte*, Antiqq. II, pag. 167, ubi in tabula 35 prisci Cerberi icon exhibetur, ex anaglypho Thebaico. Ca.

6. *Hæc Carneades aiebat.* Vulgo *agebat :* sed Ursiniani codicis nostrique Med. lectionem recepi, quippe quæ magis commoda videbatur. Dav. — Hæc omnia ex Carneadis disputatione fluxisse novimus, quum ipso Cicerone teste h. l. et supra, III, 12, tum referente eadem Sexto Empirico adv. Mathem. IX, 140 seqq. Wytt.

Digitized by Google

quem vulgo maxime ad Occidentem colunt[7]? Qui si est deus, patrem quoque ejus, Cælum, esse deum confitendum est. Quod si ita est, Cæli quoque parentes dii habendi sunt, Æther, et Dies, eorumque fratres et sorores : qui a genealogis[8] antiquis sic nominantur, Amor, Dolor, Metus[9], Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebræ, Miseria, Querela, Gratia[10], Fraus, Pertinacia, Parcæ, Hesperides, Somnia; quos omnes Erebo et Nocte natos ferunt. Aut igitur hæc monstra probanda sunt, aut prima illa tollenda.

7. *Saturno ... quem ... ad Occid. colunt.* Diodor. Sic. III, 61, V, 71; Crates apud Jo. Lydum de Mens. pag. 96. Alia dedimus ad Allegorr. nomin. deor. in opusce. myth. p. 43 seqq. De Saturno Italorum ejusque religionibus utiliter exposuit Spangenberg de vet. Latii religg. domest. § 59, pag. 56. Ca.

8. *Genealogis.* Verbum *genealogis* sibi semper suspectum fuisse ait Ern. quia de iis, qui deorum generationes exponerent, nuspiam repererit. Suspicatus igitur est *theologis*, quo vocabulo Cicero in hoc ipso libro (c. 21) de hac re usus sit, et Græci semper utantur. Sed recte monet Heind. *genealogos* certum aliquod genus esse *theologorum*. Ergo nihil mutandum. Ca.

9. *Amor, Dolor, Metus.* Φιλότητα Hesiod. Theog. vs. 224, *Amicitiam* vero Hyginus Præf. ex Nocte et Erebo natam ferunt, unde prima vox mendi non debet esse suspecta. Sed tertio loco in MSS est *motus*, in aliis *modus*, in Buslid. *morbus*. Reg. autem et Cantab. vulgatam servant. Priores duæ legendi rationes procul dubio sunt vitiosæ; de reliquis statuat lector, utra sit præferenda; nam vel hæc, vel illa potest esse vera. Claudianus in Rufin. lib. I, 32, de Noctis et Erebi fœtu sic loquitur: « Impatiensque sui morbus: Livorque secundis Anxius, et scisso mœrens velamine Luctus Et Timor ». Et de VI Cons. Honorii, vs. 321: « comitatur euntem Pallor et atra Fames, et saucia lividus ora Luctus, et inferno stridentes agmine Morbi ». Vide locum classicum, Virg. Æn. VI, 273. Claudian. in pr. Cons. Stilich. II, 373 : « Lictorque Metus cum fratre Pavore ». Vide sis Hesiod. Theog. vs. 211 seqq. qui tamen a Nostro diversus abit. Dav.

10. *Gratia.* Vox hæc Grutero est suspecta, quia mox totam hanc progeniem *monstra* vocat Cicero. Sed illud ad majorem partem dumtaxat est referendum; neque enim *Amor* jure merito potest *monstrum* nominari. Quin et Hyginus Euphrosynen et Misericordiam inter Erebi Noctisque filias ponit, quæ quidem siniſtro partu non sunt editæ. An igitur hoc in loco reponendum *Gaudia*? Similiter quidem in Orci faucibus *mala mentis Gaudia* ponit Virg. Æneid. IV, 278. Nihil tamen hac de re statuo. Dav. — Heind. ad vocem *Gratiæ* se nihil mutare ait, quum in pluribus h. l. ab Hesiodo (Theog. 211 seq.) discedat Cicero, utpote memoriter omnia proferens. Ma.

Digitized by Google

45 XVIII. Quid? Apollinem, Vulcanum, Mercurium, ceteros, deos esse dices; de Hercule, Æsculapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis? At hi quidem coluntur æque, atque illi; apud quosdam etiam multo magis. Ergo hi dii sunt habendi, mortalibus nati matribus? Quid? Aristæus, qui olivæ [1] dicitur inventor, Apollinis filius; Theseus, qui Neptuni; reliqui, quorum patres dii, non erunt in deorum numero? Quid, quorum matres? Opinor etiam magis. Ut enim in jure civili, qui est matre libera, liber est [2]; item jure naturæ, qui dea matre est, deus sit necesse est. Itaque Achillem Astypalæenses insulani sanctissime [3] colunt:

XVIII. 1. *Aristæus... olivæ inventor.* De eo vide præcipue Virg. Georg. I, 14, IV, 282, ibique Serv. Heraclid. Pontic. rerumpublic. lib. cap. 9; Schol. Hesiodi Theogon. pag. 308; Antonin. Liberal. pag. 122, ibique Verheyk. et quæ Scaliger laudavit ad Manilii sphæram barbar. pag. 366 sq. adde Jonsium de scriptorr. Histor. philos. lib. I, pag. 77 ed. Dorn. Nonnus, Dionysiac. V, p. 154 ed. Hanov. ita de Aristæo olei inventore: Πρῶτον ἐυραθάμιγγος ἀλείφατος εὗρεν ἐέρσης Καρπὸν, ὅτε βρίθοντι ταμὼν μυλοειδέϊ πέτρῳ Πίονας ὑγροτόκοιο γονὰς ἔθλιψεν ἐλαίης. Cr.

2. *Qui est matre libera, liber est.* Vide Digg. lib. I, tit. 1, leg. 5, et Justinianum, Instit. lib. I, tit. 4, 1. Dav. — *In jure civili.* Vide Ernest. Cl. Cic. in voc. ibique laud. Cic. pro Flacco, cap. 32; conf. de Offic. III, 12, 5, III, 16, init. ibique Heusinger. et Bachii Hist. Jur. Rom. II, 2, 13. — *Qui est matre libera, liber est.* Vide Davis. Adde Dionysium Halic. XI, 29, pag. 2232 Reisk. ubi Marcus Claudius plane ad Ciceronis sententiam. Plura de *libertate* suppeditant Ern. in Cl. Cic. sub vocab. et Franc. Carol. Conradi in Parerg. lib. II, 2, § 3, p. 168-171. Cr.

3. *Achillem Astypalæenses insulani sanctissime colunt.* Vulgg. « Astypalenses insulani sanctissimum colunt »; nos vero Reg. et Cantab. religiose sumus sequuti, nisi quod in iis sit *Astypalænses.* At vero insula illa non *Astypala*, sed *Astypalæa* dicebatur. Vide præstantissimum virum Ric. Bentleium, Dissert. de Phalar. p. 326. Ad lectionem vero quam recepimus ducunt Lincoln. et Med. siquidem repræsentant « asti pullisinse insulam ». Quum vero in Pal. pr. fuerit « Astypalisnse insula », in tert. et P. « Astyphalisse insula », Jac. Gronovio manifeste patet, Tullii manum fuisse « Astypalεῖς de insula ». Sed Ἀστυπαλαιεῖς, non Ἀστυπαλεῖς, idoneis vocantur scriptoribus. Notum est illud de Cleomede responsum, quod quum apud alios plures legatur, tum apud Socratem, H. E. III, 23: Ἵστατος Ἡρώων Κλεομήδης Ἀστυπαλαιεύς. Vide et Stephanum voce Ἀστυπάλαια. Editi veteres dant, « Achillem Astypalæa insula sanctissimum colit »;

Digitized by Google

qui si deus est, et Orpheus et Rhesus dii sunt, Musa matre nati[4]: nisi forte maritimæ nuptiæ terrenis anteponuntur. Si hi dii non sunt, quia nusquam coluntur: quo modo illi sunt? Vide igitur, ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus: quod tu quoque, Balbe, visus es dicere. 46

Quo modo autem potes, si Latonam deam putas, Hecaten[5] non putare, quæ matre Asteria est, sorore Latonæ[6]? An hæc quoque dea est? Vidimus enim ejus aras delubraque in Græcia. Sin hæc dea est, cur non Eumenides? quæ si deæ sunt, quarum et Athenis[7] fanum

quod recepta lectione melius est, si modo fide MSS nitatur, et cum Lambino reponas *sanctissime*. Dav. — Davisii scriptionem, ut veram et genuinam, recepit Ernest. eamdem se repetisse ait Heind. de vera incertum, quum tantopere varient libri. Ma.

4. *Orpheus et Rhesus... Musa matre nati*. Alii codices habent, « matre Musa nati »; unde, Jac. Gronovio teste, Is. Vossius fecerat, « Marte et Musa nati ». Si sic se res habet, aliud egit vir doctissimus; nam, præterquam quod hic de patre loqui fuit importunum, Orpheus et Rhesus non *Martis* filii dicuntur; sed hic Eionei, vel Strymonis, ille vero OEagri, vel Apollinis natus fere nominatur. Dav.

5. *Hecaten*. Olim *Hecatam*. *Hecaten* Græcorum est forma. Dav.—Cod. Glog. *Hecatenam*, cod. Red. *Hecaten eam*, in quo latere videri potest, ait Heind. *Hecaten deam*. Mihi potius in utrinsque codicis lectione duplex vocis illius scriptio *Hecaten* et *Hecatam* latere videtur, ita ut syllabam *am*, quam prior aliquis superscripserit syllabæ *en*, receperint isti librarii, more satis frequenti. Sed semper Heind. solebat odorari verbum aliquod, quo Ciceronem ditare posset. Ma. — *Hecatam* tuentur optimi libri, etiam aliorum scriptorum, quos adhibuit Oudendorpius ad Apul. II, 23, pag. 96, qui præcepta sua multis exemplis firmavit, nec nostrum locum neglexit, itemque ex sequentibus alios ad hanc legem latinitatis revocavit, ut proxime c. 21, *Antiopa*; cap. 23, *Diona*. Cr.

6. *Quæ matre Asteria est, sorore Latonæ*. Sic codices, quotquot consuluimus, omnes. At Lambinus ex conjectura dedit, « cujus matertera Asteria est, mater Latona ». Nollem ita se gessisset vir eruditissimus. Cf. Hesiod. Theog. vs. 406. Quo loco diserte firmatur recepta lectio; cujus sinceritatem alii quoque scriptores reddunt indubiam. Conf. Apollodor. Bibl. lib. I, cap. 2, et Tzetzem ad Lycophronis vs. 1175. Dav.

7. *Quarum et Athenis fanum est*. Ab Epimenide conditum, ut ex Lobone tradit Diogenes Laertius, lib. I, § 112. In aliis etiam Græciæ locis earumdem dearum fana visebantur. Adi Pausaniam, lib. II, cap. 11, et lib. VIII, cap. 34. Quin et *lucum Furiarum* a Mithridate succensum, virginemque *Furiis* immolatam memorat Julius Obsequens de Prodigiis, cap. 116. Lactantius in Statii Thebaid.

Digitized by Google

est, et apud nos, ut ego interpretor, lucus[8] Furinæ: Furiæ deæ sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris. Quod si tales dii sunt, ut rebus
47 humanis intersint, Natio quoque[9] dea putanda est; cui, quum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus. Quæ quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est. Ea si dea est; dii omnes illi, qui commemorabantur a te, Honos, Fides, Mens, Concordia. Ergo etiam Spes, Moneta[10], omniaque, quæ cogitatione nobismet ipsi possumus fingere. Quod si verisimile non est; ne illud quidem est, hæc unde fluxerunt.

XIX. Quid autem dicis? Si dii sunt illi, quos coli-

XII, pag. 529 ed. Cruceanæ: «OEdipus expulsus Creontis imperio confugit Epicolono, in quo locus erat (lege *lucus erat*) Furiis consecratus». Vide sis et Joan. Meursium de populis Attic. voce Κολωνὸς, aut reliquorum Attic. cap. 6, pag. 26; nam eadem utrobique laudantur testimonia. Dav. — MS Is. Vossii habuit *fanus*, quod Voss. defendit ad Melam, lib. II, cap. 3, pag. 453. Ma.

8. *Lucus Furinæ. Forinæ* scribendum ex auctoritate vetusti lapidis, in quo ita incisum est: P. POSTELLIVS P. L. SYRVS LANISTA AD. AR. FORIN. AR. ROM. DD. VIX ANN. XLIIX. H. S. E. Ursin.—*Lucus Furinæ: Furiæ... vindices.* Ἐριννύες ποίνιμοι Sophocl. Ajac. 842. De *Furina* vide Davis. Inscriptio ab Ursino exhibita exstat in Gruteri thesauro, pag. 9, n. 5. Conf. ibid. pag. 333, n. 1. Adde Ciceronem ad Quint. Frat. III, 1, 2, et Varron. de Ling. Lat. V, 3, ubi etiam *Furinalia*, sacra annua, memorantur. Ca.

9. *Natio quoque.* Nescio num in Reg. et Med. hic et paullo post temere *Nascio* scribatur. Dav. — Quod non displicebat Davisio, *Nascio*; illud se recipere ausum esse ait Heind. ex ed. Marsi. Non ausus est Schütz. neque ego illud fecerim, quum scriptio illa etiam ex vitiosa, vel male intellecta pronunciatione vocabuli *natio* orta esse possit; quamquam est illud *Nascio* etiam in cod. Ox. ψ. Ma. — Lectionem *Nascio* placere video Spangenbergio de Religg. Latin. domestic. pag. 67, quem consule de hujusmodi singulorum Italiæ populorum deis desbusque; adde Micalii librum: *Italia avant. il dom. de' Romani*, lib. II, pag. 41 seq. Ca.

10. *Moneta.* Alibi *Juno Moneta* memoratur, ut Cic. de Div. lib. I, cap. 45. Memoratur etiam *Moneta* tamquam Mnemosyne. Livius in Odyss. apud Priscianum, p. 679: «nam diva *Monetas*, id est, *Monetæ*, filiam docuit». Hygin. pag. 13 Staver. «Nam ex Jove et *Moneta* Musæ», ubi vide Muncker. Conf. etiam Verheyk. ad Antonin. Lib. p. 61, et de Moneta universe adhibe Eckelium in Doctr. Numm. Vett. Prolegomm. part. III, quem adhibuisse non pœnitebit. Ca.

Digitized by Google

mus et accipimus[1]: cur non eodem in genere Serapim Isimque numeremus[2]? quod si facimus, cur barbarorum deos repudiemus? Boves igitur, et equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas præterea belluas[3], in deorum numero reponemus. Quæ si rejiciamus, illa quoque, unde hæc nata sunt, rejiciemus. Quid deinde? Ino dea di- 48
cetur, quæ Leucothea a Græcis, a nobis Matuta dicitur, quum sit Cadmi filia? Circe autem, et Pasiphae [et Æe], e Perseide, Oceani filia, natæ, patre Sole[4], in

XIX. 1. *Quos colimus et accipimus.* Sic Reg. Lincolu. et Med. melius quam *accepimus*, ut vulgo legitur. Dav. — Restituit Heind. ex cod. Red. edd. Marsi et Ascens. *acepimus*; at Schützius cum Dav. et Ernest. facit, a quorum partibus mihi quoque standum videtur. Ma.

2. *Cur non eodem in genere Serapim Isimque numeremus?* Licet Pisone Gabinioque cons. Serapidis et Isidis sacra fuerint expulsa, postea tamen eos populus rom. in deorum suorum retulit numerum. Vide Tertullianum, Apol. cap. 6; ad Nat. lib. I, cap. 10, ac Arnobium, lib. II, pag. 95. Dav. — *Serapim Isimque.* Cod. G. *Serapin.* Quod Ursinus ex alio cod. profert *Sarapim*: eadem diversitas in aliis etiam libris reperitur, monentibus quoque Ernesto et Oberlin. ad Taciti Histor. lib. IV, cap. 18; adde etiam Te Water. ad Jablonski Vocc. Ægypt. pag. 285, et quæ plura posui in Dionys. p. 184 seq. Eadem ratio obtinuerat ap. Græcos, qui et ipsi promiscue et Σάραπις et Σέραπις, nec aliter iidem in templi nomine. Sic v. c. in Plutarchi Vita Alexandri, cap. 76 extrem. editiones habent Σαραπεῖον: codex Pal. n. 169, Σεραπεῖον. Ad rem quod attinet, de Serapidis Isidisque religionibus Romam transvectis, vide Dionem Cass. lib. XLII, cap. 47, ibique Reimar. p. 252; cf. ibid. lib. XLVII, cap. 15, p. 504. Adde Augustin. de Civ. Dei, lib. XI, cap. 14; Arnobium adv. G. lib. II, cap. 73. *Collegium Serapidis et Isidis* memoratur in Reinesii Synt. Inscript. cl. XIV, n. 171. Conf. *Van Dale* de Antiqq. et Marmorr. lib. IX, pag. 738; Gisb. Cuper. in Harpocrat. p. 149 seqq. et qui nuper docte hanc rem illustrarunt *Abbas Fea* ad Winkelm. Hist. Art. tom. I, pag. 349 ed. Dresd. nov. et Böttiger in libro, qui inscrib. Sabina, p. 149. Ca.

3. *Boves... multas præterea belluas.* Ad rem vide interprr. ad Luciani Jov. Tragœd. vol. VI, p. 552, Bip. et quæ plura supra adscripsimus ad lib. I, cap. 29. Ca.

4. *Circe autem, et Pasiphae [et Æe], e Perseide, Oceani filia, natæ, patre Sole.* Med. habet *et Ceæ Perside.* Etiam Reg. noster, ordine verborum mutato, repræsentat, «Circe et Pasiphae et Æe natæ patre Sole et Persida Oceani filia». Sed quorsum *Ææ* meminerit, non intelligo. *Æam* quidem venatricem memorat Valerius Flaccus, Argon. V, 426; sed illam fuisse Solis et Perseidis filiam prodidit nemo. Ascens. et Bonon. 1494: «Circe et Pasiphae et

Digitized by Google

deorum numero non habebuntur[5]? Quamquam Circen quoque coloni nostri Circeienses religiose colunt. Ergo hanc deam dicis? Quid Medeæ respondebis[6]? quæ

Hesperides Oceani filiæ natæ patre Sole»; nec aliter quidam veteres editi; ac ita reponendum, deleta adscititia *Æa*. Vide sis Hyginum, Præf. p. 11, et fab. 156, ac Tzetzem ad Lycophronis vs. 174; Apollodorus tamen, Bibl. lib. I, cap. 9, ait: Ἦν (Κόλχων) Αἰήτης βασιλεύς, παῖς Ἡλίου καὶ Περσηίδος, ΑΔΕΛΦΗΣ δὲ Κίρκης καὶ Πασιφάης, ἣν Μίνως ἔγημεν. Adeo ut Perseidem Circes et Pasiphaes sororem facere videatur; eoque modo locum cepit Metaphrastes. At vero leg. ΑΔΕΛΦΟΣ δὲ Κίρκης καὶ Πασιφάης, videlicet Æeta. Vide sis et lib. III, cap. 1, § 2. Pasiphaæ quidem fanum erat, cujus mentionem facit Noster de Divin. lib. I, cap. 43. Sed ea fuit a Solis filia diversa, prout liquet ex Plutarcho in Agid. et Cleombr. tom. I, pag. 799, 807. Davis. — Quamquam unciais liberaverit verba *et Æe* Ernest. sine dubio tamen vitiosum illud esse dixit. Hesiodus (ait), Theog. 957, Circæ et Pasiphaæ addit *Æetem*, unde hic legendum videtur *et Æetes*, et post est Medea, avis Sole et Oceano, et *Æeta* patre nata. Merito autem miratur Heindorfius quomodo tum fere Ernestus potuerit sequens *natæ*, quum additus frater *Æetes* illud mutari jussurus fuisset. Valde variant codd. Ed. Bas. «Circe autem et Pasiphae et Hesperides Oc. filia natæ». Heind. sequutus est Davisii et Heynii (in Obss. ad Apollod. I, 9, 1, 6, p. 55) auctoritatem, eorumque lectionem totidem verbis reperit in ed. Marsi expressam; eamdem quoque Schütz. amplexus est. Merito. Ma. — Davisii Heyniique judicio et ipse nuper me suffragantem ostenderam ad Plot. de Pulcr. p. 73, ubi plura disputavi de Circe ipsiusque familia. De Circe, *Solis* filia, h. l. laudasse sufficit locos primarios, Odyss. lib. X, 136 seqq. ibique Eustath. p. 387, et Diodor. IV, 45. In Colchidis oris *Solis cubile* posuerat Mimnermus poeta, docente Wesseling. in Observ. p. 83. Alii tamen alium Circes sororumque ortum tradiderant, vide Diodor. l. l. in his Dionysius Milesius, vide Endocian, p. 261. Mox *Circeienses* unice verum; oppidi enim nomen Circeii. Conf. Cicero. de Fin. lib. IV, cap. 3, ibique Gœrenz. p. 428. Ad rem vide Livium, lib. I, cap. 56; Cicer. Attic. lib. XV, cap. 10; Plin. Hist. Natur. III, 5, XXXII, 6. Ca.

5. *In deorum numero habebuntur.* Reg. Med. Ascens. Victor. et Bonon. 1494, «In deorum numerum reponemus», ac ita scripsit Cicero. De hujusmodi locutionibus multa multi. Vide G. J. Vossium de Construct. cap. 65, et Th. Munckerum ad Hygini fab. 61. Dav. — Recte monet Heindorf. Ciceronem alibi semper hoc verbum cum ablativo jungere, Davisiumque sine dubio hoc verbum cum verbo *reponere* permutasse. Quod mihi certissimum factum est, postquam ipse inspexi Munckeri, quam Davisius laudat, notam. Ibi nullum verbi *reponere*, unum vero verbi *conferre* exemplum est ex Curt. lib. VI, cap. 9, «in quos tam magna contuleram». De qua constructione nemo unquam dubitavit. Ma.

6. *Quid Medeæ respondebis?* Hinc etiam venefica quibusdam dea videbatur, ut diserte testantur Athenagoras, Legat. pro Christ. cap. 12, pag. 51, et Macrobius, Saturn. lib. I, cap. 12, pag. 172. Davis. — Aptius, Heindor-

Digitized by Google

duobus avis, Sole et Oceano, Æeta patre, matre[7] Idyia procreata est. Quid hujus Absyrto fratri[8], qui est apud Pacuvium Ægialeus[9]? sed illud nomen veterum literis usitatius. Qui si dii non sunt, vereor quid agat Ino: hæc enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. An Amphiaraus deus erit, et Trophonius[10]? Nostri quidem publicani, quum essent agri in Bœotia deorum immortalium excepti lege censoria[11], negabant immor- 49

fio judice, legeretur, «Quid de Medea respondebis?» Ma.

7. *Æeta patre, matre Idyia.* Hinc Hesiodo Theogon. v. 960: Αἰήτης... Γῆμε θεῶν βουλῇσιν Ἰδυῖαν καλλιπάρῃον, Ἣ δή τέ οἱ Μήδειαν ἐϋσφυρον ἐν φιλότητι Γείνατ'. Vide et Tzetzem in Lycophronis vs. 174, 1024. Hac tamen de re varias sunt auctorum sententiæ, quas enumerat Scholiastes in Apollonii Rhodii lib. III, cap. 242. Davis. — *Æeta patre, matre Idyia.* Vide Davis. unde intelliges Cicoronem cum Hesiodo facere. In Scholiis Apollonii ab eodem Davisio laudd. vulgo bis legebatur: Ἰδυίαν. Parisina autem pag. 233 ed. Schaefer. utrobique præstant Εἰδυῖαν. Quam scripturam veriorem esse monstrat David. Jac. Lennep. in venusta editione Ovidii Heroid. Vide ejus copiosam annotat. ad epist. XVII, 232, p. 273; ubi nec nostrum locum prætermisit vir doctus, et de Circes natalibus plura disputavit. Adde Tzetzem ad Lycophron. vs. 174, ubi item est: Εἰδυίας, ibique doctissim. Mueller. p. 429. Mox eod. G. exhibet *Absirtio.* Simile mendum insedit librum Eudociæ, pag. 31 (quam Apollonii Scholiastam, lib. III, cap. 242, descripsit), ubi item legendum Ἄψυρτον pro Ἄψιρτον. *Ægialeum* agnoscit etiam Diodorus Sic. IV, 45. Cr.

8. *Quid hujus Absyrto fratri*, etc. *Apsyrto* scribendum, auctoribus Græcis scriptoribus, apud quos est Ἄψυρτος. Ursin.

9. *Qui est apud Pacuvium Ægialeus.* Æetæ filiam Medeam et filium *Ægialeum* memorat Justinus, XLII, 3. Dav.

10. *An Amphiaraus deus erit, et Trophonius?* De his conf. Herodot. I, cap. 46, ibique Larcher. De Trophonio plura dicemus ad cap. 22. Trophonius et ejus frater Agamedes Delphicum templum struxerunt. Vide Cic. Tusc. lib. I, cap. 47, et nostra Annot. ad Plut. Cons. Apoll. p. 109. Hujus nomine in Lebadia Bœotiæ oppido oraculum dictum *Antrum Trophonii* floruit. Wytt.

11. *Quum essent agri in Bœotia deorum... excepti lege censoria.* De *lege censoria* vide Ernesti Indic. Legg. in Clav. Cic. sub voc. Nos admoneamus Dicæarchi, qui in Græciæ Descr. v. 87 (in Gronovii Thesaur. Antiqq. Græc. tom. XI, pag. 36), ita: Καὶ τῆς θαλάττης ἀπέχον ἱερὸν οὐ πολὺ Ἐστ' Ἀμφιαράου, καὶ νεὼς, καὶ τὸ τέμενος. De voce τέμενος dicendi otium fecerunt interprr. Græci ad Iliad. B, 696, præsertim Eustath. ad Iliad. M, 313, p. 907. Kuhn. ad Polluc. I, 6, p. 5; Hemsterh. et Jacobs ad Anthol. gr. vol. I, cap. 1, p. 347 seq. Huc potissimum pertinent: αἱ τεμενικαὶ πρόσοδοι, sive, «reditus, qui ex agris consecratis in sacrum usum redigebantur».

Digitized by Google

tales esse ullos, qui aliquando homines fuissent. Sed si sunt hi dii, est certe Erechtheus, cujus Athenis et delubrum [12] vidimus, et sacerdotem. Quem si deum facimus, quid aut de Codro dubitare possumus [13], aut de ceteris, qui pugnantes pro patriæ libertate ceciderunt? Quod si probabile non est: ne illa quidem superiora, unde hæc manant, probanda sunt. Atqui in plerisque civitatibus intelligi potest, augendæ virtutis gratia, quo libentius [14] reipublicæ causa periculum

Didymus apud Harpocrat. in ἀπὸ μισθωμάτων (pag. 55 ed. Gronovii): ἐκέστῳ θεῷ πλέθρα γῆς ἀπένεμον, ἐξ ὧν μισθουμένων αἱ εἰς τὰς θυσίας ἐγίνοντο δαπάναι. Hinc Romulus apud Dionys. Halicarnass. lib. II, cap. 7, pag. 251 Reisk. qui agrum triginta curiis sorte attribuisse dicitur, idem tamen fertur ἐξελὼν τὴν ἀρχοῦσαν εἰς ἱερὰ καὶ τεμένη. Similiter græci legislatores in agris populo assignandis illud fecerunt, ut suam diis deabusque partem immunem reservarent (Plato de Legg. lib. VI, cap. 8, p. 761, p. 205 Astii). Quæ res quantopere ad extremæ etiam ætatis leges pertineat, arguit cod. Theodosian. lib. X, tit. 1; lib. XI, tit. 20, leg. 6; lib. XVI, tit. 10, leg. 19, ubi consule Jac. Gothofredum. Ego priscæ consuetudinis aliquot exempla apponam. Itaque, ut hoc utar, in tabulis Heracleensibus describitur ager Baccho consecratus, itemque alter Minervæ Poliadi. Vide Mazoch. Comment. ad tabb. æn. Heracl. pag. 133. Simile marmor erutum e ruderibus Ithacensibus, ita insculptum: ἱερὸς ὁ χῶρος τῆς Ἀρτέμιδος, quem lapidem, hoc ipso Tulliano loco adhibito, docte explicavit Paciaud. in Monumentt. Peloponn. tom. I, pag. 150 seqq. Gemina marmora nuper reperta per Græciam a peregrinatoribus. Ca.

12. *Erechtheus, cujus Athenis et delubrum vidimus et, sacerdotem.* Hesychius: Ἐρεχθεὺς Ποσειδῶν ἐν Ἀθήναις. Athenagoras, Legat. pro Christ. c. 1: Ὁ δὲ Ἀθηναῖος ΕΓΕΧΘΕΙ Ποσειδῶνι θύει. Hæc et hujusmodi plura congessit vir diligentissimus Joan. Meursius de Reg. Athen. lib. II, cap. 12. Davis.—*Erechtheus... delubrum et sacerdotem.* Conf. Cic. pro Sext. cap. 21; Tuscull. lib. I, c. 48; interpret. gr. ad Iliad. B, 547; Tzetz. Exeges. in Iliad. p. 63, p. 134, et Philochori Fragg. ed. Lenz. et Siebelis. p. 26 seq. Adde Dionysii Halic. Antiqq. Roman. part. hact. desiderat. ed. Maio ex lib. XIV, cap. 4, pag. 31 ed. Francof. (cura Matthiæ V. C.) Ἀθήνησι μὲν ἐν τῷ γεγενοῦς Ἐρεχθέως σηκῷ, κ. τ. λ. Ca.—*Erechtheus*, rex Athenarum, A. C. 1373, filias pro patriæ salute immolavit, de quo facto fuit Euripidis tragœdia, *Erechtheus*: hujus nomine fanum Ἐρεχθεῖον colebatur Athenis. Vide Paus. I, 26. Wytt.

13. *Quid aut de Codro dubitare possumus?* Attamen hunc Athenienses, tamquam deum, sacrificiorum honore coluisse, docent loca quæ laudavit eruditissimus Meursius de Reg. Athen. lib. III, cap. 14. Dav.

14. *Augendæ virtutis gratia, quo libentius*, etc. Hæc laudat Lactantius, Divin. Instit. lib. I, cap. 15, ubi scri-

Digitized by Google

adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis, filiæque ejus in numero deorum sunt: itemque Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur[15]. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, a quo est urbs illa condita, quam quemquam nobilium deorum; apud quos non inurbane Stratonicus[16], ut multa, quum quidam ei molestus Alabandum deum esse con-

ptoris elegantissimi codices habent, «acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius». Apud eum delenda videtur conjunctio disjunctiva; sed hic ex eo reposuerim, «acuendæ virtutis gratia»; hoc enim sensu Latini *acuere*, Græci autem ὀξύνειν, vel ὀξυνᾶν passim usurpant. Florus, lib. I, cap. 8, 4. Vide Virgilium, Georg. I, vers. 123; Xenophontem, OEcon. XXI, 3; Philonem apud Eusebium, Præp. Evang. lib. VIII, cap. 14, et Clementem, Strom. lib. VII, pag. 301. Davis. — Neque Heindorf. ausus est elegantem Lactantii lectionem *acuendæ* recipere, quam omnes libri in *augendæ* consentiant. Ma.

15. *Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur.* Pro *Leonatico Leontium* vel *Leonticum* reponit Gul. Canterus, Nov. Lect. V, 18. Sed huic emendationi prorsus repugnat analogia. Multo sane probabilior est Lambini conjectura, cui placet *Leo natarum*. Quum tamen omnes MSS *Leonaticum* repræsentent; in eorum sententiam pedibus eo, qui vocem illam a Cicerone formatam statuunt, ut Græcorum Λεωκόριον exprimeret. De re ipsa multa egerunt interpretes ad Æliani V. H. XII, 28. Adde Thucydidis Scholiastem ad I, p. 15. Davis. — *Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorium nominatur.* Græce Λεωκόριον, fanum *Praxitheæ*, *Theopæ*, *Eubulæ*, sororum, quas pater Leos Atheniensis patriæ servandæ causa jussu oraculi sacrificavit, ut tradit Ælianus, V. H. lib. XII, cap. 28. Suidas et Hesychius in v. Λεωκόριον. Meursius de Ceramico Atheniensi, cap. 17. Nomen autem *Leonaticum* corruptum esse videtur et forte legendum *Leoidum*, id est, filiarum Leonis. Wytt. — De *Lei filiabus* et *Leocorio*, adde laudatis a Davisio Wesseling, ad Diodor. Sic. lib. XVII, cap. 15 (tom. II, p. 171); Heynium ad Apollodor. lib. III, cap. 15, p. 347; Siebelis. ad Phanodemi Fragg. pag. 7. Atque hic etiam scripturæ differentiam attigit: Λεωκόρειον, Λεωκόριον. Quibus ego aliquot locos adjiciam: Dionys. Hal. de admir. vi Demosth. p. 990 Reisk. ubi est Λεωκόριον, ut in Zonaræ L. Gr. pag. 1298, in Photii L. Gr. pag. 159, itemque in Lex. gr. apud Bekker. in Anecdott. gr. I, p. 277. Ca.

16. *Non inurbane Stratonicus, ut multa.* Stratonicum citharistam intelligit, cujus nonnullas facetias memorat Plutarchus, tom. II, pag. 525, 602; multas vero Athenæus, Deipnos. VIII, p. 348 seqq. Adi sis etiam Strabonem, lib. XIV, p. 963, et Ælianum, V. H. lib. XIV, cap. 14. Dav.

Digitized by Google

firmaret, Herculem negaret : Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus.

51 XX. Illa autem, Balbe, quæ tu a cælo astrisque ducebas, quam longe serpant[1], non vides? Solem deum esse, Lunamque, quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam putant. Quod si Luna dea est, ergo etiam Lucifer[2]; ceteræque errantes numerum deorum obtinebunt. Igitur etiam inerrantes. Cur autem Arci species non in deorum[3] numero reponatur? Est enim pulcher, et ob eam causam, quia speciem habet admirabilem, Thaumante dicitur esse natus. Cujus si divina natura est, quid facies nubibus? Arcus enim ipse ex nubibus efficitur quodam modo coloratis. Quarum una etiam Centauros peperisse dicitur. Quod si nubes retuleris in deos, referendæ certe erunt tempestates, quæ populi romani ritibus consecratæ sunt[4]. Ergo im-

XX. 1. *Illa ... quam longe serpant.* Conf. Cic. de Finib. II, 14, 45, p. 192, ubi Goerenz. plura suppeditat de usu verbi *serpere*. Cr.

2. *Lucifer.* «Luciferi cultui Saracenorum natio dedita est». Hieronymus vit. Hilarionis, p. 251, G. ed. Victor. Vide Augustinum, Doct. Christ. II, 21, n. 32. Dav.

3. *Cur autem Arci species non in deorum.* Omnes fere libri et vulgati et MSS habent, « cur autem arcus species non in deorum, etc. » nisi quod in uno scriptum erat *arqui*, quod probo (sic etiam Pal. pr. et Victor.) Nam veteres grammatici docent, *arquum*, in generandi casu, *arqui*, seu *arcum*, *arci* dici Irim; *arcum*, in patrio casu *arcus*, suspensum fornicem. Sic Lucretius, lib. VI: « Tum color in nigris exsistit nubibus arqui ». Priscianus vero, lib. VI, diserte *arcus*, *arci*, pro Iride, declinari docet. Sed Charisius sic legit hunc locum, lib. I, col. 93: «Cur autem arquus septies non in deorum, etc.» quod puto esse pro *species*. Lambin. — In Cantab. et Lincoln. est *arci species*; quo modo nos edidimus, Priscianum sequuti lib. VI, col. 711. Porro similes iis, quos Cicero memorat, sortitas ex Carneade refert Sextus Empiricus advers. Mathem. lib. IX, § 182 seqq. Dav. — Prisciani verba huc facientia adscribam ex codice membranaceo pervetusto, quem mecum communicavit J. Jac. Goerres, V. C. mihique amicissimus: « De Iride Cicero dicens in III de Deorum Natura, in *i* finivit genetivum. Cur autem arci species non in deorum numero reponatur? » Igitur etiam in verborum ordine consentit hic liber cum vulgato textu. Cr.

4. *Tempestates, quæ populi rom. ritibus consecratæ erant.* Vide D. Lambinum ad Horatii Epod. X, 24, et P. Leopardum, Emend. lib. XX, c. 23. Davis.

Digitized by Google

bres, nimbi, procellæ, turbines, dii putandi. Nostri quidem duces, mare ingredientes, immolare hostiam fluctibus[5] consueverunt. Tum si est Ceres a gerendo 52
(ita enim dicebas), terra ipsa dea est, et ita habetur: quæ est enim alia Tellus? Sin terra, mare etiam; quem Neptunum esse dicebas: ergo et flumina, et fontes. Itaque et Fontis delubrum Maso ex Corsica[6] dedicavit; et in augurum precatione[7] Tiberinum, Spinonem, Almonem[8], Nodinum, alia propinquorum fluminum

5. *Immolare hostiam fluctibus.* Adhibe Virgilium, Æneid. III, v. 120; V, v. 772. Cr.

6. *Itaque et Fontis delubrum Maso ex C. dedicavit.* Significatur C. Papirius Maso, quem narrat Plinius, H. N. XV, 29, primum in monte Albano triumphasse de Corsis, quemque a L. Pisone traditum esse scribit myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. Eumdem commemorat et Festus in *myrtea corona*. Papirii Masones denique referuntur in Epist. quadam ad Papirium Pætum, lib. XX, Epistol. Lamb. — De *Fontis* numine vide ais H. Grotium ad Marciani Capellæ I, p. 16; Pet. Lambecium, Bibl. Vindob. lib. III, p. 5, et Thom. Reinesium, Inscript. p. 102. Davis. — *Itaque et Fontis delubrum.* Fonti deo vervecibus sacrum fiebat, ut ex inscriptione Fratrum Arvalium constat, in qua est, POST. VERB. N. 11. Ma. — *Fontis delubrum.* Vide Davisium, et conf. eumdem ad Cic. de Legg. lib. II, cap. 22. Adde Arnobium, lib. III, cap. 20, ibidem interprr. pag. 154 ed. Orell. Servius ad Æneid. VII, 84: «Nullus lucus sine fonte, nullus fons non sacer propter attributos illis deos, qui fontibus præesse dicuntur». Hinc fontium religio nonnumquam exstitit gravissimum argumentum causarum forensium, etiam publicarum. Testis Tacitus, Annal. I, 79. Quam ad nostrum locum inscriptionem exhibuit Ursinus, ea ita legenda est: *Fonti Verbeces II.* Pertinebat enim fontium religio ad curam Fratrum Arvalium. Vide Marini, *gli atti de' Fratelli Arvali*, lib. II, pag. 375 seq. et pag. 416. Etiam Fratres *Atierati* qui dicuntur fontibus sacra videntur fecisse. Cujus rei mentio fit in tabulis Eugubinis, docente Marinio l. l. add. *Lanzi Saggio di Lingua Etrusca*, lib. I, p. 361, 374; lib. II, p. 666, 749. Cr.

7. *In augurum precatione.* De *precationibus* et *comprecationibus* confer Gellium, N. A. lib. XIII, cap. 22, et adhibe Lanzium in lib. laud. tom. III, pag. 671. Dicitur autem *precatio* proprie de justis precibus: *præfatio* de formula auspicandi; v. c. Quod bonum faustum felix sit, etc. Nihilo tamen minus sæpiuscule inter se confusa reperias ea vocabula. Sic v. c. apud Suetonium in Claudio, cap. 25, *præfatio* eadem est, quæ Livio lib. IX, cap. 5, *precatio* dicitur. Eadem confusio in marmoribus obvia, v. c. in Fratrum Arvalium tab. XLI. Vide Marini lib. laud. I, p. 274, 301. Cr.

8. *Almonem.* Vulgo, *Anemonem.* Lambinus rescribendum conjecit *Aniænem.* Sed ego, re perpensa, Ursinum, Cluverium, et amplius. Boherium sequendos arbitror; eamque dedi lectio-

Digitized by Google

nomina videmus. Ergo hoc aut in immensum serpet, aut nihil horum recipiemus, nec illa infinita ratio
53 superstitionis probabitur. Nihil ergo horum probandum est.

XXI. Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam, qui hos deos ex hominum genere in cælum translatos, non re, sed opinione esse dicunt, quos auguste omnes sancteque veneramur. Principio Joves tres numerant[1] ii, qui theologi nominantur : ex quibus primum et secundum natos in Arcadia[2]; alterum

nem. Claudianus, Bell. Gildon. v. 120: «Prælatoque lavas Phrygios Almone leones». Silius Italicus, VIII, 364 : «Tepidoque fovent Almone Cybellen». Prudentius περὶ Στεφ. X, 156; Martialis, lib. III, epigr. 47. Dav. — *Almonem... alia propinquor. fluminum nomina videmus.* Tacitus, Annal. I, 79, ita : « Spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint». De re cf. *Van Goens* ad Porphyr. de antr. Nymphar. cap. 8, pag. 95, ibique laudat. Scholiast. mscr. ad Iliad. Θ, σύχεται δὲ τῷ ποταμῷ, ὡς ἂν ἑκάστου ἔχοντος δαίμονα. Plura suppeditat Marinius de Fratrr. Arvall. p. 375. Flumina, Ciceroni h. l. memorata, in agro Romano fuisse satis constat; Almo amnis inter Romam et Ostiam. Ovidius, Fast. IV, 339 : «In Tiberim qua lubricus influit Almo». Nimirum ibi lotio fiebat imaginis Matris deum. Vide Prudentium in Martyrio Romani, vs. 158 sqq. et conf. Muenteri lib. de Relig. Carthag. p. 39. Cr.

XXI. 1. *Joves tres numerant.* Paullo aliter Clemens Alexandrinus, Protrept. p. 8 : Εἰσὶν, inquit, οἱ τρεῖς τοὺς Ζῆνας ἀναγράφουσιν· τὸν μὲν Αἰθέρος ἐν Ἀρκαδίᾳ· τὸν δὲ λοιπὸν, τοῦ Κρόνου παῖδε, τοῦτον τὸν μὲν ἐν Κρήτῃ· θάτερον δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ πάλιν. Ita et Lucius Ampelius, cap. 9; at Ciceroni suffragatur Arnobius, lib. IV, pag. 133. Vide et Lactantium, Div. Inst. lib. I, cap. 11, 48. Dav. — *Joves tres.* Davisianis adde Jo. Laur. Lydum de Mens. cap. 5, p. 95, qui haud vulgaria de Jove habet, desumpta ex Cratete, Posidonio (quæ addenda fragg. a Bakio collectis) Chrysippoque. Quæ componenda sunt cum Platonis Cratylo, p. 45, Heind. Cornuto de N. D. cap. 2; Stobæo in Eclogg. Physs. lib. I (p. 48), p. 86 Heer. et Eudociæ Violeto, p. 195 sq. Tres autem Joves Jo. Lydus ita introducit, ut Ciceronianum h. l. *theologi* circumloquutus videri possit : τοὺς δὲ κατὰ τὸν ἡρωϊκὸν καὶ μυριστὸν λόγον τρεῖς Δίας εἶναι βούλονται. Alio quodam modo tres Joves inducit Proclus, MS in Cratyl. (pag. 67, Heind.) Nimirum exponit περὶ τῆς δημιουργικῆς τριάδος, cujus participes sunt Jupiter, κατ' ἐξοχὴν dictus, deinde Jupiter Neptunus, tum Jupiter Pluto : Ὁ μὲν πρῶτος Ζεὺς, ὁ δὲ δεύτερος Ζ. ὁ δὲ τρίτος Ζ. Tum plura disputat, in quibus ponit etiam illa : Ἔστι γὰρ τῆς ὅλης ταύτης τριάδος πατὴρ μὲν ὁ Ζεὺς· δύναμις δὲ ὁ Ποσειδῶν· νοῦς δὲ ὁ Πλούτων. Cr.

2. *Primum et secundum in Arcadia... Minervam dicitur.* Lydus l. l.

Digitized by Google

patre Æthere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt, et Liberum; alterum patre Cælo, qui genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt: tertium Cretensem, Saturni filium; cujus in illa insula sepulcrum ostenditur[3]. Διόσκουροι etiam apud Graios multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces[4] Athenis, ex Jove, rege antiquis-

Ἕνα μὲν Αἰθέρος, τὸν δὲ ἕτερον ἐν Ἀρκαδίᾳ τεχθῆναι, ἐξ οὗ φασὶν Ἀθηνᾶν. Vides, Arcadiæ unum tantum Jovem attribuere, secus atque Clementem Alex. (p. 24 ed. Potteri). Sed Laurentii et hic locus et universus libellus misere mutilatus censeri debet. In sequentibus autem J. Lydus et ipse Jovem *Proserpinæ patrem* memorat et allegorice explicat: Τῆς Κόρης, τουτέστι, τοῦ κόρου πατέρα, videlicet abundantiæ ex agricultura natæ. Postremo: «Tertium Cretensem . . . sepulchrum est». Jo. Lydus l. l. τρίτον δὲ τὸν Κρῆτα (τὸν Κρῆτα apograph. Marini). De Jove, Cretensium rege inque ea insula sepulto, vide Clementem Alexandrin. Protrept. p. 32 Potter. Arnob. adv. Gent. lib. III, cap. 30; lib. IV, cap. 14 et 26, ibique interprr. Eudociæ Violet. p. 195; Tzetz. in Iliad. p. 54 seq. et Allegorr. nom. deorr. quæ ex cod. Palat. exhibui in Opuscull. mythologg. p. 43 seq. ibique Annotatt. collatt. Mytholog. nostr. IV, p. 461 sqq. Ca.

3. *Cujus in illa insula sepulcrum ostenditur.* Vide Pomponium Melam, lib. II, cap. 7, nos ad Minucii Felicis cap. 22 fin. Dav.

4. *Dioscuri etiam apud Graios multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces Athenis.* Olim, *Anactes.* Emendavi *Anaces;* hoc enim est verum Dioscurorum nomen; unde Ἀνάκτειον illorum templum dicebatur. Traduntur multæ rationes et causæ a græcis auctoribus hujus appellationis, vel a verbo ἀνάσσω, vel ab adverbio ἀναχῶς, id est, humaniter et diligenter, quod se ita gesserunt erga Atheniensis: magnis enim copiis in urbe exsistentibus sua interesse illi arbitrati sunt, ne quisquam omnino civis injuriam a militibus pateretur, atque id summo studio procuraverunt. Vel ab ἄνω καὶ ἰχὰς, quod custodiunt navigantes, quum sint stellæ et supra nos stent; nam duo hæc adverbia componentes, ἀναχῶς Athenienses solebant dicere. Et has et alias etiam hujus nominis derivationes exponit Plutarchus in vita Thesei. *Anactes* generale nomen erat omnium regum, ut nonnulli putant (in quibus etiam Plutarchus est), ab eodem adverbio, quo *Anaces*, deducto nomine, quod custodirent summa cura et diligentia salutem eorum, quibus præessent. Vict. — Διόσκουροι... *Anaces*... *Athenis.* Priscæ formæ vestigia supersunt in Herodoteo (I, 24), atque adeo Thucydideo (VIII, 102), ἀναχῶς, ubi Scholia explicant, προνοητικῶς καὶ φυλακτικῶς, cf. etiam Marcellini Vit. Thucydid. p. 730 ed. Beck. Religiones autem, nemo nescit, priscarum formarum tenacissimas esse. Hinc qui dii rem Atheniensium publicam privatamque insigniter *curare* judicati sunt, insigniter Ἄναχες sunt dicti. Cujus nominis rationem nonnulli repetebant ab expeditione Attica, in

Digitized by Google

simo, et Proserpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysus[5]; secundi, Jove tertio nati et Leda[6], Castor et Pollux; tertii dicuntur a nonnullis Alco, et Melam-
54 pus, Emolus[7], Atrei filii, qui Pelope natus fuit. Jam

qua haud mediocris Dioscurorum benivolentia apparuerat in Atticos homines, referente Tzetza ad Iliad. pag. 69. Inde ipsorum templum Athenis, dictum τὸ Ἀνάκτειον nec minus τὸ Ἀνάκτορον, licet hoc posterius nomen omnibus deorum templis tributum sit, præsertim Eleusinio Cereris Proserpinæque, vide Hesych. lib. I, pag. 327, ibique interprr. Periz. ad Ælian. V. H. lib. XIII, cap. 2; Spanhem. ad Julian. Cæs. cap. 6. Idem ad Callimach. Jov. 79 monet, nominis originem ex hebraico sermone repeti a nonnullis, quæ ratio recens placuit viris eruditis, ut Kannio et Schellingio. Vide hujus libri de Diis Samothrac. pag. 97; videlicet a voce עֲנָקִים. Græcorum grammatici a patrio sermone ducunt, vide Tzetz. l. l. Eustath. ad Odyss. I, 397; Orion Theban. mscr. qui ab ἄνω repetit; non dissentiente Lennep. Etym. pag. 105. Ipsi viderint: illud gravius est, quod iidem grammatici illa voce tria significari docent: Θεὸν, βασιλέα, οἰκοδεσπότην, quæ doctrina optime congruit cum primaria vi et potestate Dioscurorum, de qua bene monuit Schelling. in libro laud. et ipse dixi in Mytholog. lib. II, p. 304; lib. IV, pag. 165 seqq. Cr.—Olim *qui appellantur Anactes*. Sic omnes, quantum constat, MSS; et probe quidem: licet aliter visum doctissimo Victorio. Cf. Ælianum, Var. Hist. lib. IV, cap. 5; Pausaniam, lib. II, cap. 22 et 36; ac lib. X, cap. 38; Tzetzes in Lycophronis v. 508. Consulas etiam Alciphronem, lib. III, Ep. 68. Hæc tamen, licet mihi perquam clara videantur, non impedierunt, quo minus Victorio fidem dederit cum aliis amplissimus vir Boherius. Mr.

5. *Dionysius.* Legatur *Dionysus*; nam Dionysum seu Bacchum ex Jove et Proserpina natum fuisse tradunt complures. Vide sis Athenagoram, Leg. pro Christ. cap. 16, pag. 71. Ad hoc factum respicit Tatianus, Orat. ad Græcos, cap. 13, p. 33, Χρόνος τραννοκτονεῖ, (omnino legendum τεκνοκτονεῖ, qua voce utitur Athenagoras, cap. 30, pag. 133) Ζεὺς καὶ θυγατρὶ συγγίνεται, καὶ ἡ θυγάτηρ ἀπ' αὐτοῦ κύει. Hac de re multis agemus ad cap. 23. Dav.

6. *Et Leda.* Interiora reclusit Hemsterhusii doctrina, pag. 332 seqq. Juliani locum Orat. IV, pag. 147, quem idem tractat, attigit Eudocia, p. 125. De Dioscurorum ἑτερημερίᾳ haud vulgaria e veteribus scriptoribus in medium profert Jo. Lydus de Mensss. pag. 64, in his ex Epimenide illud, marem et feminam fuisse Dioscuros. Cr. — Obtinuit autem fama, non utrumque fratrem Jove progenatum, sed Pollucem a Jove, Castorem vero a Tyndareo genitum. Inter alios sic Servius ad Æneid. II, 601: «De Jove et Leda nati sunt Pollux et Helena; de Tyndareo et Leda Castor, qui solus mortalis fuit». Adi sis et eumdem ad VI, 121. Dav.

7. *Alco, et Melampus, Emolus.* In vulgatis fuit *Aleo;* sed nos Reg. Med. Lincoln. Buslid. aliosque MSS sequuti sumus, quod *Alco* viri sit nomen, haud *Aleo*. Quin et Lambinus ita dedit. Pro *Emolo* vero nonnulli *Eumelum*

Digitized by Google

Musæ primæ quatuor, natæ Jove altero, Thelxiope, Acede, Arche, Melete[8]; secundæ, Jove tertio et Mne-

reponunt. Rectene an secus, nescio, quum hi Διόσκουροι, quod sciam, apud alios scriptores ὀνομαστὶ non memorentur. *Tria* sane *Castorum genera* ἁπλῶς numerare satis habuit Arnobius, lib. IV, p. 136. Si tamen conjecturæ locus esset, lubens rescripserim, *Alco*, *Melampus*, *et Tmolus*. Nam Tantalus Tmoli natus erat, Tantali Pelops, Pelopis Atreus. Nec mirum videri possit, quod Atreus huic proavi sui nomen indiderit. Vide Scholiasten in Euripidis Orest. vs. 5, ac Tzetzen, Chil. V, 444 seqq. Præterea non omittendum puto, plures fuisse Dioscuros, quam quos recensuit Cicero. Eustathius in Odyss. A, p. 438 ed. Basil. Ἱστορία... παραδίδωσιν, ὅτι καὶ οἱ ἐξ ἐκείνου (Ξενοφῶντος) καὶ Φιλησίας υἱοὶ Γρύλλος καὶ Διόδωρος Διόσκουροι ἐπικαλοῦντο. Idem refert Diogen. Laert. II, § 52. Etymologus, Hesychius etiam, et ex eo Favorinus hoc cognomine gavisos esse Zethum et Amphionem tradunt. Ac erant sane Διὸς κοῦροι, ex eo quippe et Antiope nascebantur. Vide Clementem, Hom. V, cap. 13. Damascius in vita Isidori: Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες, οὓς ΔΙΟΣΚΟΡΟΥΣ ἑρμηνεύουσι καὶ ΚΑΒΕΙΡΟΥΣ. Apud Photium, cod. CCXLII, col. 1073. Vide et Eusebium, Præp. Evang. I, 10, p. 36. Dav.

8. ***Musæ primæ quatuor, natæ Jove altero, Thelxiope, Acede, Arche, Melete.*** « Musas multi novem, multi VIII, multi VII dixerunt », tradit Varro ap. Servium in Virgilii Æn. I, 12. « Ephorus autem Musas numero esse tres effert; Mnaseas quatuor; Myrtilus inducit septem; octo asseverat Crates; ad extremum Hesiodus nomen cum nominibus prodit ». Verba sunt Arnobii, lib. III, pag. 121. Cornutus, N. D. cap. 14: Λέγονται δὲ (Μοῦσαι) παρά τισι καὶ ΔΥΟ μόνον εἶναι, παρ' οἷς δὲ ΤΕΣΣΑΡΕΣ, παρ' οἷς δὲ ἑπτά. Hinc auctoribus inter se non convenire, nec proinde cum Joach. Camerario *quatuor* in *tres* mutari debere, satis manifestum. Observandum præterea venit, a quibusdam *duas* tantum Musarum γενέσεις prodi, quum Cicero *tres* memoret. Scholiastes ad Apollonii Rhodii lib. III, cap. 3. Vide Pausaniam, Bœot. cap. 29, p. 766. Sic etiam plerique volunt Musas θυγατέρας εἶναι Διὸς καὶ Μνημοσύνης· ὀλίγοι δὲ τῶν ποιητῶν (ἐν οἷς ἐστὶ καὶ Ἀλκμὰν) θυγατέρας ἀποφαίνονται Οὐρανοῦ καὶ Γῆς. Ὁμοίως δὲ κατὰ τὸν ἀριθμὸν διαφωνοῦσιν· οἱ μὲν γὰρ τρεῖς λέγουσιν, οἱ δὲ ἐννέα, ut ait Diodorus Siculus, lib. IV, pag. 215. Vide et Eusebium, Præp. Evang. II, 2, p. 54. Dav. — *Jam Musæ*. De Musis quæ docte congessit Davisius, iis adde Tzetz. Exeges. in Iliad. pag. 50, 70, 133; Eudociæ Violetum, p. 293 seqq. Muncker. et Staver. ad Hygin. p. 3 sq. ad Fulgent. p. 648; Verheyk. ad Antonin. Lib. p. 60, et Wesseling. ad Diodor. IV, 7, pag. 252 seq. Ac quod hic vir doctissimus de Musarum nomine posuit: « Ego cum Platone in Cratylo, pag. 406 (pag. 77 Heind.), fecero, ἀπὸ τοῦ μῶσθαι καὶ τῆς ζητήσεως, ab *investigando* derivante », eam ego etymologiam ipsarum fabularum indoli naturæque consentaneam præstare studui in Mythologia, III, 284 seq. Ab illa ratione nec ea abludunt quæ Proclus MS ad Cratyli locum disputat, ita concludens: Τὰς τοίνυν Μούσας ἐν μὲν ταῖς ψυχαῖς τὴν ζήτησιν τῆς ἀληθείας· ἐν δὲ τοῖς σώμασι τὸ πλῆθος τῶν δυνάμεων, πανταχοῦ δὲ τὴν ποικιλίαν τῶν ἀριθμενιῶν ἐνδιδούσας ἴσμεν.

Digitized by Google

mosyne procreatæ, novem; tertiæ [Jove tertio], Piero natæ, et Antiopa 9, quas Pieridas, et Pierias solent

Gemina Eustathius ad Odyss. XIV, vs. 435 et 482 de nomine *Maia*, quæ et ipsa *Musa* est, monet: ἀπὸ τοῦ μῶ γὰρ τὸ (leg. τοῦ) ζητῶ καὶ ἡ μαῖα καὶ ἡ μήτηρ. Idem: Μαίας υἱὸς ὁ Ἑρμῆς διὰ τὸ ἐν ζώοις θρεπτικὸν καὶ ἐπιμελὲς, ὁποία τις καὶ ἐν ἀνθρώποις μαῖα· καὶ ἀλληγορικῶς δέ, διὰ τὸ τοῦ Ἑρμοῦ λόγου ζητητικὸν καὶ ἐρευνητικόν. — *Primæ quatuor ... Melete.* Acute Heindorfius suspicatur, in lectione codicum: *nato*, *nata*, *natæ* latere *matris* nomen. Adde *nate* ex nostro cod. A. et habebis maternum nomen, si mecum legeris: «Quatuor natæ Jove altero *et Neda* (vel: *ex Nede*), Thelxinoe, etc.» Pausanias in Arcadicis, cap. 47, § 2, in templo Mineryæ Aleæ inesse commemorat quum alia signa Nympharum Jovem nutrientium, tum etiam Nedæ (καὶ Νίδα), quæ et ipsa Jovis-eaque primaria nutrix. Tum pergit: Πεποίηται δὲ καὶ Μουσῶν καὶ Μνημοσύνης ἄγαλμα. Et altero loco Messen. 33, 2, ita narrat de eadem nutrice Jovis: κεκλῆσθαι δὲ ἀπὸ τῆς Νίδας τὸν ποταμὸν, videlicet Arcadiæ Messeniæque flumen Nedam (cf. Berk. ad Steph. Byz. in Νίδη). Priscæ autem Musæ a fluminibus lacubusque haud paucæ nominatæ sunt; vide Tzetzæ locum a Davisio laudatum, quem repetiit Eudocia, pag. 294, et ipsa in Epicharmi Musis memorans: Νειλοῦν, Τριτώνην, Ἀσωποῦν Ἀχελωΐδα, et insuper illas Eumeli Corinthii: Κηφισοῦν (corrige hinc excerptum Parisinum ap. Ruhnk. Epist. Crit. II, 309, ubi Κιφισιοῦν.) Βορυσθενίδα (ita vicissim corrigendum ex eodem excerpto mendosum Βαρυσθ. Eudociæ). Itaque si conjecturam nostram acceperis: in *matre Musarum* idem factum dicas, quod in ipsis Musis. Neque vero illud a fabularum usu abhorret, quod alumnus cum nutrice sua, posteaquam fuerit adultus, concumbat. Quo honore nulla potius impertiri debebat, quam *Neda*, utpote πρεσβυτάτη Νυμφέων, nympharum maxime veneranda et carissima (Callim. Jov. 33, ibique Ernest.). Ex *nutrice* autem exstitisse *Musarum matrem*, et ipsum valde consentaneum est (Callimach. l. l. vs. 35 de iisdem Jovis nutricibus, μαιώσαντο. Etymol. magn. p. 534 ed. Lips. ὅθεν καὶ μαῖα καὶ μοῦσα). Quod porro *primarum Musarum* matrem *Plusiam* prodit Tzetzes: confirmat eam lectionem Eudocia l. l. Nec hæc appellatio aliena est a *Musarum*, *quæ eædem Nymphæ sunt*, appellatione. Vide modo Valkenar. in Lennep. Etymol. p. 592, et attende supra prolata ex Proclo, qui ἐν τοῖς σώμασι τὸ πλῆθος τῶν δυνάμεων, *virium copiam*, suppeditari a *Musis* dicit. Proinde commode ea, quæ aliis *Neda* dicta sit, Jovis nutrix fluminisque Nympha, eadem ab aliis *Plusia* posset vocari. Illud etiam tenendum est: Pausaniam a «Neda reliquisque Jovis nutricibus nymphis continuo ad Musarum et Mnemosynes», a qua *alteram* Ciceru Musarum progeniem ducit, mentionem transire. Hæc ego etiam propterea accuratius declaranda duxi, quoniam in *Plusiæ* nomine hærere videram Frid. Chr. Petersen. virum eruditum in Comment. de Musarum ap. Graecos origine (in Muenteri Miscellan. Hafniens. theologg. et philolol. lib. I, cap. 1, p. 95), qui tamen caute in h. l. est versatus. Ca.

9. [*Jove tertio*], *Piero natæ, et Antiopa*. Vulgg. *Jove tertio Pierio natæ*. Mutationis auctores fuere Pall. tert.

Digitized by Google

poetæ appellare, iisdem nominibus, eodem numero, quo proxime superiores[10]. Quumque tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas; Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur? Unus eorum Jove natus, nepos Ætheris; alter, Hyperione[11]; tertius, Vul-

Reg. Mediol. et Lincoln. eamque non immerito factam fuisse confirmat historia. Vide sis Ovidium, Metamorph. V, vs. 302, cui Pieros et Euippe parentes earum dicuntur. Vide Pausan. Bœot. p. 765. At alios scriptores sequutus est Tzetzes, qui sic loquitur ad Hesiodi Oper. p. 6 : Ἐπίχαρμος δὲ ἐν τῷ τῆς Ἥβης γάμῳ ἑπτὰ (Μούσας) λέγει, θυγατέρας ΠΙΕΡΟΥ καὶ ΠΙΜΠΛΗΙΑΔΟΣ νύμφης, Νειλοῦν, Τριτώνην, Λεωπυῶν, Ἑπτάπολιν, Ἀχελωΐδα, Τιτύκλιον, καὶ Ῥοδίαν. Adeo ut *nec eisdem nominibus*, nec *eodem numero* sint, quo novem illæ celebratissimæ. Ex Nicandro rem tangit et Antoninus Liberalis, Metam. cap. 9, ita tamen, ut ei nec cum Pausania, nec cum Tzetze conveniat. Hinc autem abunde liquet, quid de *Jove tertio* statui debeat; hæ nempe voces, ut recte conjecit Jac. Gronovius, hic importunæ sunt, et ex præcedente versu perperam repetitæ. Quapropter nos eas uncinis cingendas putavimus. Davis. — Verba uncinis inclusa, quum abessent a cod. Glog. deleverunt Heindorf. et Schützius; merito. De *Antiopa*, quam Jupiter Satyri specie indutus compresserat, sed aliam prolem editurus, dicendi otium fecit Valkenaer. in Diatr. Euripid. pag. 59 seqq. Eidem fabulæ idonea conjectura nuper opem tulit Gaisford. ad Procli Chrestomath. ad calcem Hephæstion. p. 73. Ca.

10. *Quo proxime superiores.* Vulgg. *proximæ*. Legendum vero, sicut nos edidimus, certissimam conjecturam sequuti. Dav.

11. *Alter, Hyperione.* In alterius Solis patre consentiunt omnes, qui a Ciceronis in his libris doctrina profecerunt, præter unum Arnobium, qui, lib. IV, cap. 14, ita : « Secundus (Sol) æque Jovis filius, et Hyperione proditus genetrice ». Ac, ne dubites, idem ibidem cap. 20 : « Ex Hyperiona, inquitis, matre et ex Jove jaculatore fulminis Sol aureus et flagrantissimus natus est ». Quibus in locis quid tentatum sit, vide in Orellii Animadvers. pag. 208 seq. Illud quærendum nobis videtur esse, an ad Ciceronis lectionem Arnobiana aliquam vim habere possit. Ego pernegandum existimo. Hyperione dea aliunde nemini, quod sciam, cognita. Quapropter errore lapsum Arnobium dicere malim, quam alios auctores sequutum. Ceterum *Thiam* Hyperionis uxorem Solisque matrem produnt Hesiodus, Theogon. 371; Apollodorus, lib. I, cap. 2, 3, alii, quos citat Heynius in notis. Adde Eudociam, pag. 206; Euryphæessam auctor hymni Homer. in Solem, v. 2; conf. etiam Tzschuck. ad Ampelium. A patre autem Sol dictus Hyperionides, ut Hesiod. Theog. 1011; quod ad doctrinam Unitatis retulerunt Pythagorei. Jo Lydus de Mens. p. 15 : Ὁ Πυθαγόρας τὴν μονάδα ὑπεριονίδα καλεῖ διὰ τὸ πάντων ὑπερεῖναι τῇ οὐσίᾳ, ὥσπερ καὶ ὁ νοητὸς ἥλιος ὑπὲρ τὰ ὄντα ἔχων τὸ εἶναι, ὑπεριονίδης κέκληται· ἀναφέρεται δὲ ὁ ἥλιος εἰς μονάδα ὡς εἰκὼν ἐκείνης, κ. τ. λ. Idem ibid. hæc de Sole subjicit, quæ ad proxima in loco Ciceronis pertinent : Πολλαῖς

Digitized by Google

cano, Nili filio[12], cujus urbem Ægyptii volunt esse eam, quæ Heliopolis appellatur; quartus is, quem heroicis temporibus Acantho Rhodi peperisse dicitur, Ialysi, Camiri, et Lindi[13]; quintus, qui Colchis fertur Æetam et Circen procreavisse.

55 XXII. Vulcani item complures: primus Cælo natus, ex quo et Minerva Apollinem eum[1], cujus in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt; secundus

ὀνομασίαις καλεῖται ὁ ἥλιος· Ἥλιος, Ὧρος, Ὄσιρις, ἄναξ, Διὸς υἱὸς, Ἀπόλλων. Quod *tertius* Sol a Cicerone Vulcani dicitur filius: componendum est cum Orphico hymn. LXV (65) 6, ubi Vulcanus ipse ἥλιος dicitur, et continuo sol, luna, sidera ipsius membra vocantur. Hujus autem Solis matrem Isidem nuncupavere Ægyptii vel potius Neitham, quatenus Saï colebatur, Proclus ad Platonis Timæum, p. 30. *Heliopolin* conditam alii ferebant ab Actide, Solis filio, vide Diodor. Sic. lib. V, cap. 57, ibiq. Wessel. et adde de hoc Solis filio Eudociam, p. 206. Ceterum græcum nomen *Heliopolis* eodem redit quo ægyptium *On*, quod ipsum significat *urbem lucis* seu *solis*. Vide Jablonski, Voce. Ægyptt. pag. 184, ibique Te Water. Voormonti junioris Descript. agri Heliopolit. et Memph. pag. 89 seqq. et Champollionis librum qui inscribitur *l'Égypte sous les Pharaons*, II, p. 36-41, qui plura de hac literarum altrice urbe disputant. Ca.

12. *Tertius Vulcano, Nili filio.* Suidas in Ἥλιος· Μετὰ τὴν τελευτὴν Ἡφαίστου τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου Ἥλιος ὁ υἱὸς αὐτοῦ τὴν ἀρχὴν διαδέξατο, etc. Chronicon Paschale, p. 45, 46. Ampelius, cap. 9, *Tertius Nini* (lege *Nilio*) *filio*. Vide Arnobium, lib. IV, p. 135. Dav.

13. *Quem heroicis temporibus Acantho Rhodi peperisse dicitur, Ialysi, Camiri, et Lindi.* Vide Excursum I ad calcem hujus libri.

XXII. 1. *Ex quo et Minerva Apollinem eum.* Aliquid orationi deest, quam plenam reddere pro captu suo librarii sunt aggressi. Cantab. dat «ex quo et Minerva dicunt Apollinem eum»; Reg. autem «ex qub et Minerva dicunt Apollinem natum eum». Ordo verborum inelegans satis ostendit, quibus debeatur additamentum; nec tamen σύνταξις ab ipso Tullio relicta videtur imperfecta, licet sensus cujuscumque lectoris menti se statim ingerat. De formula: *in tutela*, v. c. *Deo, in cujus tutela domus est*, itemque de altera illa, qua dii deæque ipsi dicuntur *tutelæ locorum*, v. c. *Vulcanus, tutela Lemni*; igitur de formulis hue facientibus docte exposuit Marini in libro italico de Fratrib. Arvall. p. 374 seqq. Est autem hic Apollo Atheniensium qui dicitur πατρῷος. Platon. Euthyd. p. 302 et 404: Ἀλλὰ Ἀπόλλων πατρῷος διὰ τὴν τοῦ Ἴωνος γένεσιν, ubi vide Heindorf. et Wernsdorf. ad Himer. pag. 568, coll. Schol. Platon. p. 98, Ruhnk. et Lex. Rhetor. in Bekker. Anecdott. grr. lib. I, p. 291, ubi πάτριος dicitur. Ceterum alia Atticorum fabula etiam Erechtheum ex Vulcano et Minerva quodammodo genitum ferebat. Apollodor. lib. III, c. 14, p. 358; interprr. græc. ad Iliad. II, vers. 546; Scholiast. Aristid. Panath.

Digitized by Google

Nilo natus[2], Phthas[3], ut Ægyptii appellant, quem custodem esse Ægypti volunt; tertius ex tertio Jove, et Junone, qui Lemni fabricæ traditur præfuisse; quartus Menalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quæ Vulcaniæ nominantur[4]. Mercurius unus 56 Cælo patre, Die matre natus[5], cujus obscœnius exci-

pag. 102; Scholiast. in Gregor. Naz. Carmin. ed. Gaisford. pag. 45. Hic est ille Vulcanus, de quo Nonnus Dionys. lib. XXXIV, pag. 104: Καὶ πυρόεις Ἥφαιστος Ἐρεχθίος αἷμα γεραίρων. Et ignipotentem deum Attici homines Apaturiis lampadum pompa colere solebant, teste Istro apud Harpocrat. in λαμπάς. Conf. Fragg. ed. Siebelis, p. 60. Cr.

2. *Secundus Nilo natus.* Sic recte Bonon. 1494; nam Victorius et Gruterus ediderant *secundus in Nilo natus.* Ac licet ita repræsentent plures MSS, dubio tamen procul inscitia librariorum sunt corrupti. Diogenes Laertius, Procem. § 1: Αἰγύπτιοι μὲν γὰρ ΝΕΙΑΟΥ γενέσθαι παῖδα Ἥφαιστον· τὸν δὲ ἄρξαι φιλοσοφίας, ἧς τοὺς προεστῶτας ἱερέας εἶναι καὶ προφήτας. Ampelius, cap. 9: «Secundus (Vulcanus) Nili filius». Vulcanumque, «Nili qui fuerit filius», memorat etiam Arnob. lib. IV, p. 135. Dav.

3. *Phthas.* In Buslid. est *Apis.* Vulgo *Opas:* nec aliter cuncti fere codd. Sed quum *Phthas* vera sit lectio, prout olim viderunt eruditi, non erat cur vitiosa scriptura diutius maculararetur Ciceronis. Hanc in rem Veterum testimonia collegit J. B. Cotelerius ad Clementis Hom. IX, cap. 6. Davis. — Heindorf. laudat Jablonskii Pantheon Ægypt. lib. I, cap. 2, p. 45, probans Davisii conjecturam, quam in textum recepit Schützius. Sed non ausus est contra omnium librorum auctoritatem mutare scriptionem nominis, restituitque *Opas.* Neque in nostris libris aliquid est consilii. Ma.

4. *Quæ Vulcaniæ nominantur.* Græce Hephæstiades a voce Ἥφαιστος, Vulcanus: dicuntur item Liparoticæ et Æoliæ, quia Æolus, ventorum deus, ibi habitare putabatur. Vide Cellar. Geogr. Ant. I, p. 625. Wytt.

5. *Die matre natus. Dia* legitur in MS, eamque lectionem confirmat vetus inscriptio Fratrum Arvalium, in qua sunt hæc: IIII. ID. DEC. FRATRES. ARVAL. IN. LVCO. DEAE. DIAE. VIA. CAMPANA. APVD. LAP. V. CONVENER. PER. C. PORC. PRISCVM. MAG. ET. IBI. IMMOLAV. QVOD. AE. ICTV. FVLMINIS. ARBORES. LVCI. SACRI. D. D. ATTACTAE. ARDVERINT. EARVMQ. ARBORVM. ADOLEFACTARVM. etc. Ursin. — *Die matre.* In tribus Gruterianis est *Dia*, quam lectionem in suo codice repertam probavit Fulv. Ursinus. Immerito quidem; quum *Dea Dia* Juno sit; prout ostendit Cl. Philippus a Turre Veteris Antii cap. 7. At hic Mercurius *Cœli et Diei filius* vocatur Ampelio, cap. 9, et Servio ad Virgilii Æneid. I, 301; IV, 577. Davis. — Scribitur recte *Die* in codd. nostris fere omnibus. Ma. — *Mercurius unus Cælo patre, Die matre natus.* Vides Ursinianæ lectioni *Dia* favere tres libros Gruteri Palatinos itemque ed. Th. et meum cod. G. Marini in Actis Fratrr. Arvall. de lectione loci nostri non vult decernere: *Diam non esse Junonem*, secus atque

Digitized by Google

tata natura traditur[6], quod adspectu Proserpinæ commotus sit; alter Valentis et Phoronidis filius[7], is, qui

Davisius eumque sequutus Gesnerus posuerint, verum probabiliter esse *Cererem*. Videlicet *Dea Dia* fluxit a græco θεὰ Διὼ (ut in Inscript. ap. Gruterum, p. 120 seq. et apud Murator. p. 312, 340 seq.). Et sic plane statuit etiam Facciolati in tot. Lat. Lex. sub voc. Erat autem Dea Dia proprium quasi numen Fratrum Arvalium. Hinc et ipsa frequentatur in illorum tabulis et ipsius *Juno*, i. e. genius, et lucus atque dies festi: v. c. «Junoni Deæ Diæ... In luco Deæ Diæ» similiaque (vide Marini ad tabul. I et XXXII, pag. 10 seq. 126 seqq. 146, 365, et Procem. p. 23). Hæc Marinius. Locum etiam attigit nuper Zoega de Obelisc. pag. 219, fabulam, quam h. l. Cicero memorat, explicans de lunæ defectione. Lectionem tamen *Dia* non judicavit, vulgatam usurpavit. Ego de hujus loci lectione decerni fideuter posse arbitror. *Dies*, sive Ἡμέρα, nemini non fuit nota e grammaticorum librariorumque filiis: *Dia* non item, ut quæ apud scriptores non memoratur et in marmoribus dumtaxat est obvia, quippe ad sacerdotales tantummodo reconditasque pertinens religiones. Ma.—De Mercurio et Proserpina, in Veterum religione, vide Excurs. II ad calcem hujusce libri.

6. *Obscœnius excitata natura traditur*. Ad h. l. adhibe Cic. de Divin. lib. II, cap. 70, ubi similiter usurpatur *natura*, cf. Ernest. Cl. Cic. adde Scioppii Suspectt. Lectt. lib. IV, c. 12, p. 278 seq. et vide etiam supra ad II, 51, ad vocc. *partes*, *locis*. De voce *obscœnus* consule doctam observationem in Bibl. Crit Amstel. lib. VIII, cap. 16. *Obscœnitas* nonnumquam pro ipso membro dicitur, quo mares sumus, docente Buenemanno ad Lactant. Epit. XXIII, p. 1248. Ca. — *Excitata natura*. Hoc habitu statuæ Mercurii formabantur. Vide Cornutum de N. D. cap. 16; Herodotum, lib. II, cap. 51; Plut. Op. moral. pag. 797. Wytt.— Pars corporis secretior auctoribus interdum *natura* dicitur. Varro de Re Rust. lib. II, cap. 2: «Deterrent ab saliendo fiscellis e junco, aliave qua re, quod alligant ad naturam». Vide sis et cap. 4, p. 73, cap. 7, p. 83, et interpretes ad Minucii Felicis cap. 9. Davis.

7. *Valentis et Phoronidis filius*. Paullo post *secundus Æsculapius* dicitur hujusce *Mercurii frater*; quocirca legendum videtur, «Valentis et Coronidis filius»: Æsculapium enim matre Coronide natum esse norunt harum rerum periti. Vide modo Diodorum Siculum, Bibl. lib. IV, pag. 273, et lib. V, p. 341, ac Cyrillum in Julian. lib. VI, p. 200, lib. VIII, pag. 288. Perexigua sane est mutatio, quum *Phoronidis* nomen præ se ferant MSS. *Valens* autem vox latina, qua græcum Ἴσχυς reddidit Noster. Adi Pausaniam, Corinth. cap. 26, pag. 170, 171, et Pindarum, Pyth. Od. III, vs. 44 seq. Dav.— Receperunt Heind. et Schütz. Davisii conjecturam *Coronidis*, quæ etiam Ernesto placuit; merito. Ma.— Vide quam sint inveterata nonnulla sphalmata in textu Ciceronis. Neque enim dubitari potest, quin unice verum sit *Coronidis*, merito textui restitutum a Davisio, Heindorfio, Schütz. Et Davisianis argumentis firmamentum etiam adjici potest ex narratione Nicandri apud Antonin. Lib. cap. 25, qui narrat: Orionis filius Metiochen et Menippen se ipsas pro piaculo obtu-

Digitized by Google

sub terris habetur, idem Trophonius[8]; tertius Jove

lisse, eoque consilio placasse duos Eriunios deos (δύο τοὺς Ἐριουνίους s. χθονίους), ac posteaquam in stellas fuerint conversæ, ab Æolensibus vocatas esse Κεφωνίδας παρθένους. Jam h. l. multis verbis confirmare nec possum, nec volo: sed pro certo tamen habeo compertoque, hanc quoque fabulam Bœoticam ad *Trophonium* pertinere. Etymol. autem magn. p. 371 (p. 336 Lips.), ita habet: οὕτως ἐριούνιος Ἑρμῆς καὶ χθόνιος καὶ ἐριχθόνιος Ἑρμῆς. Alia suppeditat Tib. Hemsterh. ad Luciani Diall. Mortt. tom. II, p. 411 Bip. quem confer et quos laudavit, in primis Peris. ad Æliani V. H. lib. III, cap. 45, et Spanhem. ad Aristophan. Nubb. v. 507; adde Eudociæ Violar. p. 404. Cicero de Divinat. I, 34, ita: «Quumque... apud Lebadeam Trophonio res divina fieret». Jovis autem templum et oraculum, quod Lebadeæ fuit, esse volunt Strabo, lib. IX, cap. 414, p. 472 Tzsch. Livius, lib. XXV, cap. 27 (ubi conf. Drakenb.) et Julius Obsequens, cap. 110, p. 144 ed. Oudendorp. Congruit autem verbis Tullianis: *qui sub terris habetur* vel *habet*, illud, quod secundus Mercurius Ampelio dicitur Jovis et Croniæ filius, vel *Proserpinæ*, itemque quod Arnobius eumdem dicit, *sub terra esse* (VI, 14), itemque Servius in Mercuriis ap. Ciceronem unum *inferum* agnoscit. Cogitandus est autem Ἑρμῆς χθόνιος, cujus sacra ad extremam vetustatem refert Theopompus historicus apud Schol. Aristoph. Ran. 218, et Acharn. v. 1075. Conf. Dionys. nostr. lib. I, p. 210, et Philochori Fragg. ed. Lenz. et Siebelis. p. 62 et 86. Nimirum ei sacra faciebant qui e diluvio evaserant homines, quo propitium redderent iis, qui in undis perierant, et largum frugum proventum ab eo lucrarentur. Etenim quid quæris? pertinent hæ fabulæ ad *agriculturæ primordia*. Hinc qui «annona opes lucrumque suppeditat», sive genius, sive heros arvorum cultor, *Trophonius* dictus posteris, idemque *sub terris habere opes* traditur. Hinc *Valentis* etiam filius; geminus hactenus *Iasionis*, qui et ipse Κράτεος (Roboris) filius habitus, post «diluvium frugum semina primus invenisse fertur» (Schol. Pal. ad Odyss. V, 125, in opuscul nostr. mythol. p. 52). Idemque Iasion ex Cerere generavit *Plutum*, qui idem hactenus geminus est et *Plutoni* et vero etiam *Jovi* χθονίῳ sive *Dodonæo*, quem nuper in prisco vase Canusino, *Millini* opera edito, exhibitum vidimus. Nec minus huc pertinet Ἑρμῆς κερδῷος sive χθόνιος. Quæ singula qui ad unum redegerit, is pronuntiet necesse est: docte h. l. a Cicerone pro eodem haberi *Mercurium* inferum atque *Trophonium*, et adjici etiam utrique posse *Jovem*—*Plutonem* adeoque *Iasionem*. Ca.

8. *Is, qui sub terris habetur, idem Trophonius.* Lambinus ex suis MSS *habet;* nec dubitari potest, quin huic verbo detur *habitandi* potestas. Exempla suppeditabit Paullus Manutius ad Ciceronis Fam. lib. VII, Ep. 6. Quum vero Gruteri, meique codices repræsentent, *qui sub terris habetur;* locum sic interpungendum putarim, «is, qui sub terris: habetur idem Trophonius». Arnobius, lib. IV, p. 170: «Sub terra est alter (Mercurius), Trophonius qui esse jactatur». Trophonius tamen Apollinis filius dicitur. Vide Pausaniam, Bœot. p. 785, et Philostratum, vit. Apollonii, lib. VIII, cap. 9. Dav. — Heind. recte post *habetur* distinctionem sustulit; intelligendum enim

Digitized by Google

tertio natus, et Maia, ex quo et Penelopa Pana natum ferunt [9]; quartus Nilo patre, quem Ægyptii nefas habent nominare [10]; quintus, quem colunt Pheneatæ, qui et Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægyptum profugisse [11], atque Ægyptiis leges et literas

est, « is, qui sub terris (ὁ ὢν), putatur simul esse Trophonius ». Mn.

9. *Ex quo et Penelopa Pana natum ferunt.* Reg. habet, « ex quo Penelopen et Pana natos ferunt »; unde constat, quantum sibi permiserint librarii : ἐκ ταύτης γὰρ (Πηνελόπης) καὶ Ἑρμεῖ λέγεται γενέσθαι ὑπὸ Ἑλλήνων ὁ Πᾶν, ut ait Herodotus, lib. II, c. 145. Servius ad Virgilii Georg. I, vers. 16 : « Pindarus Pana ex Penelope filium dicit ». Lege « Mercurii filium dicit » : ea namque vox excidit. Vide sis eumdem ad Æneid. lib. II, v. 43, ac Scholiasten ad Theocriti Idyll. VII, 109. Id etiam, præter Hyginum, Lucianum, aliosque multos, tradit Nonnus ad Gregorii Nazianzeni Stelit. I, Hist. 40. Dav.

10. *Quem Ægyptii nefas habent nominare.* Arnobius, lib. IV, p. 170 ed. Herald. « Quartus (Mercurius) soboles Nili est, cujus nomen Ægyptia gens horret et reveretur exprimere ». Par est Judæorum circa vocem יְהוָה superstitio : nec simili caruere Romani Græcique. Vide Photium, Epist. 163; Antoninum Liberalem, cap. 13, p. 73, 74, et Plutarchum, Quæst. Roman. LX, p. 42 ed. Boxhorn. Dav.

11. *Ægyptum profugisse.* Reg. *Ægypto profugisse.* De constructione videas licet J. Fr. Gronovium ad Taciti Annal. lib. II, cap. 59. Suspicor tamen Nostrum scripsisse, « ob eamque causam in Ægyptum profugisse ». Ita certe legit Lactantius, Div. Instit. I, 6. « Apud Ciceronem, inquit, C. Cotta Pontifex... quinque fuisse Mercurios ait, et enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuisse eum, a quo occisus sit Argus, ob eamque causam in Ægyptum profugisse ». Arnobius, IV, p. 170 : « Quintus (Mercurius) Argi est interemptor, fugitivus et exsul et proditor apud Ægyptum literarum ». Servius ad Virgilii Æneid. IV, 577, postquam dixerat, « secundum Tullium in libro de Deorum Natura tres esse Mercurios, superum, terrenum et inferum (quod μνημονικὸν est ἁμάρτημα) » ; dein pergit : « Nonnulli tamen quatuor Mercurios tradunt, unum Cæli et Diei filium, amatorem Proserpinæ; alterum Liberi patris et Proserpinæ filium; tertium Jovis et Maiæ; quartum Cylleni filium, cujus mater non proditur, a quo Argus occisus est, qui hoc metu in Ægyptum profugit ». Lactantius tamen in Statii Thebaid. IV, pag. 188 ed. Cruceanæ : « Corvilius quatuor Mercurios esse scribit : unum Jovis et Maiæ filium; alterum Cæli et Diei; tertium Liberi et Proserpinæ; quartum Jovis et Cyllenes, a quo Argus occisus est : quem ipsum ob hanc causam Græci profugum dicunt, Ægyptiis autem literas demonstrasse ». Quatuor etiam Mercurios numerat Ampelius, c. 9, cui quartus est *Quilleni* filius. Ex Servio lege *Cylleni*. Mercurium tamen *Cyllenium*, a Cyllene Arcadiæ monte, dictum volunt grammatici. Dav. — Probabat etiam Ern. Daviii conjecturam *in Ægyptum*, eamque recepit Schützius. Heindorf. quamquam ei non displicet, dubitat

tradidisse[12]. Hunc Ægyptii Thoth appellant[13]; eodemque nomine anni primus mensis[14] apud eos vocatur.

tamen, an, si ita scripsisset Cicero, lectiones variantes, *profuisse* v. *præfuisse* natæ esse potuissent. Ma.

12. *Ægyptiis leg. et literas tradidisse... Thoth.* Primarius locus Platonis in Phædro, a Davisio citatus, legitur pag. 274 Stephan. pag. 340 Heind. pag. 96 ed. Berolin. Bekkeri. Platoni junge Hermiam ad Ll. Jo. Lydum de Menss. p. 102 seq. Diodor. Sicul. V, 75, ibique interprr. Lucian. vol. III, pag. 571, cum interprr. De Ægyptiorum literis locus primarius est Clementis Alex. Strom. VI, pag. 757 Potter. Plura alia congessit Fabricius, Bibl. Gr. I, p. 46 Harles. Huc advocabo eos, qui a Cicerone et Clemente profecerunt: Arnobium, II, 69, IV, 14, qui hunc Mercurium Theutin dicit, fortasse minus bono codice usus (vid. var. lect. nostr.). Contra Lactantium, I, 6, § 6, in vulgata permanere jam attigit Davisius. Tu conf. Cellar. et Bünemann. ad eum locum. De nominibus Thoth et Hermes consule Jablonskium in Vocc. Ægyptt. pag. 68 seq. pag. 90, ibique Te Water. Notum est Jablonskium a *columna* (*Thoyth*) repetere. Plura qui velit, adeat Ign. Rossium in Etymologiis Ægyptt. p. 67, et Zoegam de Obelisce. pag. 224, 320, 571. Universe autem de Mercurio Ægyptio, literarum inventore principe, adhibe quæ ex monumentis eruerunt auctores operis *Descript. de l'Égypte*, Antiqq. cap. 5, § 24, p. 44, et vol. II, pag. 131 seqq. pag. 380. Cr. — Cf. not. 14.

13. *Thoth appellant.* Quidam tum editi tum MSS, *Thoyth;* alii aliter. Receptam enim lectionem servat Lactantius, Div. Inst. lib. I, cap. 6, eamque veram esse, docent Veterum testimonia. Conf. Philo Byblius apud Euseb. Præp. Evang. [lib. I, cap. 9, pag. 31. Servius in Æneid. IV, 577, Mercurium in Ægypto « invenisse primum disciplinam literarum et numerum dicitur, qui lingua Ægyptiorum Thoth appellatur ». Platoni in Philebo, pag. 75, et in Phædro, p. 376, ΘΕΥΘ vocatur. Vide et Clementem Alexandrinum, Strom. lib. I, p. 131. De eo diligenter egit nobilissimus et eruditissimus vir Joan. Marshamus ad Sæcul. I rerum Ægypt. pag. 34 seqq. Dav.

14. *Eodemque nomine anni primus mensis... vocatur.* Herodotus, II, 82, de Ægyptiis: μιῆς τε καὶ ἡμέρῃ ἑκάστῃ θεῶν ὅτευ ἐστί. Primus autem mensis Mercurio dicatus ab eoque appellatus est, tamquam astrologiæ fastorumque auctore. Undevicesima enim die primi mensis Mercurio festum celebrabant Ægyptii, teste Plutarcho de Isid. et Osirid. (p. 378) p. 547 edit. Wyttenb. — *Septembrem* dicit Ptolemæus hunc mensem. Vid. ejus φάσεις ἀπλαν. in Petavii Uranolog. p. 71: Μὴν Θὼθ, ἤτοι Σεπτέμβριος. Eo autem mense Nilus undique inundaverat Ægyptum; unde explicant locum Sanchuniathonis apud Euseb. Pr. Ev. I, pag. 56, et Θωὺθ interpretantur ex Coptico Thoout: *ambulatio piscis*, *Dupuis* in libro *Relig. univers.* vol. VI, p. 425 seq. et *Remi Raige* in opere: *Descript. de l'Égypte* (*Mémoir. astronomiq.*) part. I, p. 169. Eodem referebant e Veteribus nonnulli Maiam Mercurii matrem, utpote quæ *aqua* esset, et sacram ejusdem dei avem aquaticam, *ibim*, teste Jo. Lydo de Menss. p. 100, 103. Cr.

Digitized by Google

57 Æsculapiorum primus[15], Apollinis, quem Arcades colunt; qui specillum invenisse, primusque vulnus dicitur obligavisse : secundus secundi Mercurii frater; is fulmine percussus, dicitur humatus esse[16] Cynosu-

15. *Æsculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt.* Tres Æsculapios memorant etiam Arnob. lib. IV, pag. 170, et Ampelius, c. 9, licet hic alios eis parentes assignet. Conf. Damascium in vita Isidori apud Photium, Cod. CCXLII, col. 1073. Octavus nempe Saduci, hoc est, Justi sive Jovis filius. Vide Euseb. Præp. Evang. lib. I, cap. 10, pagg. 37, D, 39, C. Plura suppeditabit Marshamius nostras ad Sec. I rerum Ægypt. pag. 39 seqq. Dav. — *Æsculapiorum primus.* De Æsculapio Phœnicum (Sydyk) Davisianis adde Pausan. Achaic. cap. 22, et junge gemina ap. Jo. Lyd. de Mens. p. 78. Atque hic et ipse tres Æsculapios agnoscit, pag. 125; de quibus consule Heynii Obss. ad Apollodorum, III, 10, 3, p. 276 seq. adde Eudociam, p. 16, et quæ de nomine Ἀσκληπιοῦ similia leguntur apud Cornutum de N. D. cap. 33, et in Tzetzarum Scholiis ad Lycophr. v. 1055. — Mox : *Apollinis ...specillum* invenisse. Jo. Lydus h. l. πρῶτος Ἀπόλλωνος τοῦ Ἡφαίστου. Unde exple Tullii locum : « Æsculapiorum primus, primi Apollinis ». De hoc Apolline vide hujus ipsius cap. itemque proximi initium. De necessitudine Æsculapium inter Vulcanumque et Apollinem plura disputavi in Mythol. II, 148. — *Specillum.* Recte Ernestus, Schützius, Moserus. Nimium suis libris hoc quoque loco tribuit Heindorfius. Pergit enim Joannes : ὃς ἐξεῦρε μήλην. De μήλη, s. χηλῇ, specillo explorandis unguendisque vulneribus, uberrime exposuit Foesius Œconom. Hippocrat. pag. 249 seqq. Verbum Ciceroni reddendum judicarunt critici ad Att. XII, 51, p. 388, τοῦτο δὲ μηλώσῃ, probante Ernesto in Græcit. indice in τοῦτο, quos vide. Adde Eustathium ad Odyss. I, 93, pag. 24 Basil. ubi plura de μηλώσασθαι i. q. βάψαι, κ. τ. λ. Ca.

16. *Dicitur humatus esse Cynosuris.* Conf. Clementem Alexandr. Protr. pag. 8. At Recogn. lib. X, cap. 24, et Clementin. Homil. VI, cap. 21, is Epidauri sepultus statuitur. Sic et Cyrillus in Julian. lib. VI, pag. 200; lib. VII, pag. 236, et lib. VIII, pag. 288. Dav. — *Secundus secundi Mercurii frater.* His verbis Davisius firmaverat conjecturam suam, quum supra *Coronidis* reponeret pro *Phoronidis.* En diserte h. l. Lydus : δεύτερος Ἰσχύος τοῦ Ἐλάτου καὶ Κορωνίδος. De Elato vid. Verheyk. ad Antonin. Lib. p. 134. Tunc Joannes Lydus ita pergit : ὁρίοις ἐτάφη. Supple : Κορωνίδος ἐν τοῖς Κυνοσουρίδος ὀρ. ἐτ. quæ propter soni similitudinem excideruut. Plene enim Clemens Alexandr. Protrept. pag. 27 Potter. quem etiam Arnobius, IV, 26, descripsit. Cynosura autem jugum montis Arcadiæ, dictum a Mercurii filio Cynosuro. Steph. Byz. pag. 490 Berkel. Pausan. Arcad. 16, 6; Scholiast. Callimach. Diau. vs. 94. Portus Cretæ Cynosura nomen invenerat a cognomine nutricis Jovis, teste Aglaosthene apud Eratosth. Catast. cap. 2. — De *Coronide* vide Heynium ad Apollodor. loc. laud. et Sturzium ad Pherecydis Fragg. p. 87. Ca.

Digitized by Google

ris : tertius Arsippi et Arsinoæ [17]; qui primus purgationem alvi, dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit; cujus in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum et lucus ostenditur.

XXIII. Apollinum antiquissimus [1] is, quem paullo ante ex Vulcano natum esse dixi, custodem Athenarum [2]; alter Corybantis filius, natus in Creta, cujus de illa insula cum Jove ipso [3] certamen fuisse traditur; tertius Jove tertio natus et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse [4]; quartus in Arcadia,

17. *Arsippi et Arsinoæ*. L. Ampelio, cap. 9, dicitur *Aristeti et Alcippei filius*. At sanior est lectio, quam dant codices Tulliani; Æsculapium enim Arsinoæ filium a nonnullis habitum fuisse docet Pausanias quum alibi, tum Corinth. pag. 171, et Lacon. pag. 277. Dav. — *Arsinoæ*. Sic tradebant Messenii. Vid. Pausan. II, 12, IV, 31, init. IV, 31, et Schol. Pindari Pyth. III, 14. Cf. Heynium loc. laud. Jo. Lydus : τρίτος Ἀρσίππου καὶ Ἀρσινόης τῆς Λευκίππου, οὗτος εὗρε τομὴν καὶ ὀδοντάγραν, καὶ τάφος αὐτῷ ἐν Ἀρκαδίᾳ. Vides nonnihil discrepare a Tullio Jpannem. Alioqui paratum sit supplementum nostro : « qui primus purgationem alvi, sectionem dentisque ev. » Quod Lydus adjicit : τῆς Λευκίππου : fuit reapse e *Leucippidibus* Arsinoe. Vid. Apollodor. l. l. cum Heynii not. De his Leucippi filiabus plura sciremus, si ea pars heroicorum Hesiodi carminum superesset. Vid. Scholion in Hesiodi Theogon. pag. 247 Heins. quod emendatius legitur in codice Schellershem. Καὶ ἐν τῷ τῶν Λευκιππίδων καταλόγῳ, quæ pars fuit *catalogi Hesiodei*. — Mox : *cujus Lusio.....fl. sepulcr.* De hoc flumine vide Pausaniam Arcad. XXVIII, 2. Jo. Lydus aut curtavit hæc Tulliana, aut ipsum curtaverunt librarii. Hoc posterius existimem. Etenim addit continuo : οἱ δὲ ἀστρονόμοι αὐτόν φασι εἶναι τὸν ὀφιοῦχον τὸν ἐπὶ τοῦ σκορπίου ἑστῶτα. Hæc eadem produnt Eratosthenes in Catast. et ii, quos plures ad eum laudavit Schaubachius. Ca.

XXIII. 1. *Apollinum antiquissimus*. Apollines quinque numeravit Aristoteles; sex vero Didymus Grammaticus, uti tradit Clemens Alexandrinus, Protrept. pag. 8. Vide et L. Ampelium, cap. 9. At *quadrigas Apollinarium nominum* cum Cicerone memorat Arnob. lib. IV, p. 136. Dav.

2. *Custodem Athenarum*, etc. Eum Ἀπόλλωνα πατρῷον nominabant. Vide Joan. Meursium, Athen. Attic. II, 12. Dav.

3. *Cum Jove ipso*. Gruteriani quatuor exhibent « cum Jove tertio ». Et ita sane legerim, quum tertius Jupiter Cretensis fuerit. Vide supra cap. 21. Dav.

4. *Hyperboreis Delphos ferunt advenisse*. Ern. ita : « Hujus rei nullum apud Veteres vestigium me reperire memini. Venit aliquando in mentem suspicari, legendum esse *Delon* (pro *Delphos*) ex eo, quod Hyperboreos traditum est eduxisse in primis Apol-

Digitized by Google

quem Arcades Nomionem appellant[5], quod ab eo se
58 leges ferunt accepisse. Dianæ item plures : prima Jovis et Proserpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuisse dicitur; secunda notior, quam Jove tertio et Latona natam accepimus; tertiæ pater Upis traditur, Glauce mater : eam Græci sæpe Upim[6] paterno nomine ap-

linem, qui et apud ipsos fuerit, et Delum quotannis misisse primitias ad sacra solemnia, item apud eos Latonam natam, etc.» Sed commode ex Veterum locis nonnullis stare posse vulgatam probavit Heind. in primis ex Pausan. Phocic. 5, 4, tom. III, p. 156 seq. edit. Fac. Mr. — *Tertius ... Latona... ex Hyperboreis Delphos advenisse.* Hic Apollinum notissimus, et nunc Ληταΐδης (Pindar. Pith. I, 23) dictus, nunc Λατῷος (Pausan. I, 44, 4). Conf. annot. nostr. ad opusce. mythol. pag. 30; adde Cornutum de N. D. cap. 32, et, quæ eum adhibuit, Eudociam, pag. 9. Quæ ratio Hyperboreos inter et Delphicum Apollinem intercedat, commode expediit Heind. laudans Pausan. Phocic. cap. 5, § 4; Spanhem. ad Callim. Del. vs. 281; et ipsi eadem de re disputavimus in Mythologia, II, pag. 130, 131.—Mox : Merito arridet viris doctis Huetii emendatio Νόμιον. Memorabilis autem de hoc Apolline est locus Clementis Alex. (pag. 24 Potter.); ut qui eum Sileni filium dicat. Consentit Ampelius, et possit lacunosus videri Tullii locus. Sed manum abstineo. Illud faciam, ut lectores discant quæ plura de hoc Apolline Porphyrius vit. Pythagor. § 16, pag. 18 seq. Kuster. Pythagoras Delphis ἐλαγεῖον τοῦ Ἀπόλλωνος τάφῳ ἐπέγραψε, δι' οὗ ἐδήλου, ὡς Σιληνοῦ μὲν ἦν υἱὸς ὁ Ἀπόλλων, ἀνῃρέθη δὲ ὑπὸ Πύθωνος, ἐκηδεύθη δὲ ἐν τῷ καλουμένῳ τρίποδι. Descripsit hæc Cyrillus advers. Julian. pag. 342 Spanh. Igitur hic Apollo mortuus et Delphis sepultus est. Ceterum Apollo et Silenus junguntur etiam in priscis artium operibus, ut in nummis, docente Winckelmanno in Monumentt. antiqq. inedit. I, 33. Ca.

5. *Quem Arcades Nomionem appellant.* Vir doctissimus, P. D. Huetius, Demonstr. Evang. Propos. IV, cap. 8, 3, reponit, «quem Arcades Νόμιον appellant». In illius quidem sententiam pedibus eo, quum eam diserte firmet Clemens Alexandrinus, Protr. pag. 8 : Τέταρτον, inquit, τὸν Ἀρκάδα τὸν Σιληνεῦ. ΝΟΜΙΟΣ οὗτος κέκληται παρ' Ἀρκάσιν. Renititur sane Jac. Gronovius, quod «Νόμιον vocant non Arcades modo, sed omnes Græci». Sed hæc ratio nihili videtur; nam Tullius Arcadas vocem a reliquis Græcis diversam adhibuisse non dicit : causam tantum ponit, cur apud eos hoc nomen sortiretur; aliis enim Νόμιος appellatur, quod Admeti paverit armenta. Dav. — Receperunt Heind. et Sch. Huetii correctionem Νόμιον, quæ etiam Ernesto placebat. Ca.

6. *Eam Græci sæpe Upim.* Intelligit Callimachum, sive Alexandrum Ætolum poetam, cujus versus est ex libro, qui fuit inscriptus *Musæ*, Ὑμνήσαι ταχέων ὅπιν βλήτειραν ὀϊστῶν. (Exstat apud Macrobium, Saturn. V, 22); Callimachi autem carmen in hymno in Dianam ita legitur, Οὔπι ἄνασσα φαεσφόρε, etc. Ubs.—De hoc Dianæ nomine multa collegit Ez. Spanhemius ad Callimachi Hymn. in

Digitized by Google

pellant. Dionysos multos habemus[7] : primum e Jove et Proserpina natum[8] ; secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse[9]; tertium, Caprio patre[10], eumque regem Asiæ præfuisse dicunt, cui Sabazia sunt instituta[11] ; quartum Jove et Luna, cui sacra Orphica pu-

Dianam, vers. 204. Quamvis autem Servium Æn. XI, 532, laúdarit vir eruditissimus; prætermisit tamen ea, quæ dixit ille grammaticus ad ejusdem libri vs. 858. Dav.—De hoc nomine, præter Davisiana, adhibe Herodotum, IV, 35, ubi legimus Ὕπιν, Palæphat. 32, p. 132, ubi Lacedæmoniis hæc deæ appellatio tribuitur. Plura dabit Fischerus in Indice Æschin. Socrat. in vocab. qui nec nostri loci est oblitus. Ceterum licet Ampelii *Ops* corruptum videri queat : reapse tamen nomina *Upis* et *Ops* ex uno eodemque fonte fluxisse commonstravit *Villoison* in *Mém. de l'Acad. des Inscriptions*, vol. XLVIII, pag. 343 seq. Ca. — *Upis* græce Οὖπις, item Ὄπις et Ὦπις, quasi vindicta sequax, a verbo ἕπομαι, sequor. Vid. Spanhem. ad Callim. hymn. in Dian. vs. 204. Wytt.

7. *Dionysos multos habemus.* Tres tantum Dionysos memorat Diodorus Siculus, Bibl. lib. III, p. 207. Vide tamen Ampelium, cap. 9. Adi sis Arrianum, Exped. Alex. V, 1. Dav.

8. *Primum e Jove et Proserpina natum.* De hoc Dionyso bene multa dixit eruditissimus vir Thomas Munckerus ad Hygini Fab. CLV. Nos ea tantum loca proferemus, quorum ille non meminit. Igitur Liberum Jovis et Proserpinæ filium memorant idem Hyginus, Fab. CLXVII; Commodianus, Instruct. XII, et Arrianus de Exped. Alex. lib. II, cap. 16. Vide Eustathium in Dionysii Perieg. vers. 1153; Diodorum Siculum, lib. III, pag. 197, et lib. IV, pag. 212; Nonnum ad Gregorii Naz. Stelit. II, p. 170. Vide et lib. VI, pag. 186. Huc etiam pertinent ea, quæ referunt Clemens in Protr. pag. 5, et Arnobius, lib. V, pag. 214, 215. Sed manum de tabula. Dav.

9. *Secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse.* Liber idem ac Osiris. Tertull. Spectac. cap. 7. Dav.

10. *Tertium, Caprio patre.....cui Sabazia sunt instituta.* Med. noster *Capro*. Hujus vero pater Ampelio, cap. 9, Cabitus nominatur. Non autem dubitat Jac. Gronovius, quin Tullius et Ampelius Cabirum Bacchi tertii parentem fuisse voluerint. Sed hæc pura puta est suspicio nullis rationibus, nullis testimoniis suffulta. Ait vero Diodorus Siculus, Bibl. lib. IV, pag. 212 : Φασὶ γὰρ (οἱ Ἕλληνες) ἐκ Διὸς καὶ Περσεφόνης Διόνυσον γεγέσθαι τὸν ὑπό τινων ΣΑΒΑΖΙΟΝ ὀνομαζόμενον. Ut mirer virum doctum L. A. Muratorium nescivisse, qua auctoritate Bacchum etiam Sabazium dixerit Heinsius in Aristarcho Sacro. Hæc sunt ejus verba ad Paullini Poem. Ultim. Anecd. tom. I, pag. 129. Quamvis enim Clemens et alii nonnulli Sabazium Jovem memorent : Aristarchi sacri scriptor optimis et firmissimis nititur testimoniis; ut abunde patet ex iis, quæ notavit Ph. Maussacus ad Harpocrationem voce Σαβοί. Vide et Suidam in Σαβάζιος, ac Scholiasten Aristophanis in Vespas, vs. 9; in Aves, vs. 874; in Lysistratam denique vs. 389. Dav.

11. *Cui Sabazia sunt instituta.* Ex

Digitized by Google

tantur confici; quintum Niso natum et Thyone[12], a
59 quo Trieterides[13] constitutæ putantur. Venus prima Cælo et Die nata[14], cujus Elide delubrum[15] videmus; altera, spuma procreata, ex qua et Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus; tertia, Jove nata et Diona, quæ nupsit Vulcano, sed ex ea et Marte natus Anteros dicitur[16]; quarta, Syria Tyroque[17] concepta;

perantiquo Sigonii libro, meliore, ut opinor, sententia, *cui Sabazia* reposui, pro *in honorem cujus;* quum antea *cujus Abazea* legeretur. Sabazius autem Dionysi cognomen fuit, unde Sabazia sacra. Cujus nominis etymologiam Suidas explanat in verbo Σαβάζιος, et Aristophanis interpres in Avibus et Vespis. Ut fortasse apud Macrob. Saturn. lib. I, cap. 18, legendum sit *Sabazium*, non *Sebadium*. P. Man.

12. *Niso natum et Thyone.* Quintus Dionysus Ampelio dicitur *Nisi et Hesionæ filius.* Legendum *Thyonæ filius;* quod observavit etiam Munckerus ad Hygini Fab. CLV. Nisum tamen Bacchi nutricium faciunt alii. Vide Commodianum, Inst. XII, et Hyginum, Fabb. 131, 167, 197. Thyone vero statuitur eadem ac Semele. Hesychius: Θυώνη ἡ Σεμέλη. Pariqne modo Suidas. Hinc Bacchum υἱὸν Θυώνης vocat Nonnus, Dionys. I, 26. Adi sis etiam Diodorum Siculum, Bibl. lib. III, pag. 196; Apollodorum, lib. III, cap. 5, 3, et Scholiasten ad Apollonii Rhodii I, 636. Idem tamen omnes non sentiebant, ut patet ex Criticis ad Pindari Pyth. III, 177. Dav. — Scribitur *Thione* in edd. Th. et Bas. De ea vide, quæ attuli ad Nonn. Dionys. 8, 355 et 409, p. 186 et 188 seq. Universe, quod ad hoc caput pertinet, plura notata invenies ibid. ad Nonn. Dion. 9, pag. 190-221. Ma. — Vid. Excurs. III ad calcem hujus libri.

13. *Trieterides.* Sic dicta sunt Bacchi sacra, quod tertio quoque anno fuerint redintegrata. Vide modo Servium ad Æn. IV, 302; Hyginum, Fab. 131, et Julium Firmicum de Error. Prof. Red. pag. 14. Dav.

14. *Cælo et Die nata.* I. e. Οὐρανὸς καὶ Ἡμέρα; ab aliis autem putabatur Ἀμήτωρ, i. e. sine matre nata, solo patre Οὐρανῷ, ut prodit Plato in Symp. p. 318. Wytt.

15. *Elide delubrum videmus.* Vid. Pausan. vs. 20, pag. 502. Statua ejus fuit opus Phidiæ: de qua vid. Franc. Jun. in Cat. Art. p. 120. Wytt.

16. *Ex ea et Marte natus Anteros dicitur.* Etymologicon M. Ἔρως Ἄρτεως μυθολογεῖται υἱός. Sic et Ampelius, cap. 9, aliique. De Anterote videas Themistium, Orat. XXIV, pag. 304, 305. Dav. — *Anteros*, mutuus amor. Wytt.

17. *Syria Tyroque concepta.* Scribendum opinor, ait Heind. *a Syria Tyroque*, quamquam in verba quoque *concepta* hæreo. Et debuit certe hærere; nam monente Schützio vel in his verbis parentum nomina latent, ut scribendum sit *a Syria et Tyro concepta*, vel hic omissa sunt. Mihi hæc verba medicam manum adhuc exspectare videntur; non enim satisfacit, quod mihi in mentem venit, « quarta in Syria, Tyroque urbe re-

Digitized by Google

quæ Astarte[18] vocatur; quam Adonidi nupsisse proditum est. Minerva prima, quam Apollinis matrem supra diximus[19]; secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt[20]; tertia illa, quam Jove generatam supra diximus[21]; quarta Jove nata et Coryphe[22], Oceani

cepta ». De re vid. Selden. de Diis Syris, Synt. 2, c. 2. Ma.

18. *Astarte.* Varro de Ling. Lat. IV, 10; Lucian. de dea Syria, t. III, pag. 443; Casaubon. ad Athen. VIII, pag. 603; in sacris literis hebraicis vocatur Astaroth. Vide Seldenum de diis Syriis, Syntagm. II, cap. 2, pag. 235. Adonis ei fuit amatus. Vid. Ovid. Met. X, et Macrob. Saturn. I, 21. Wytt. — Vide plura in Exc. IV ad calcem hujus libri.

19. *Minerva prima, quam Apollinis matrem supra d.* Vid. c. 22, init. et fin. adde Arnobium, IV, 16: « quæ Apollinem genuit, quæ Dianam ». Plato Euthydem. pag. 302 et 404 Heind. ubi in Athenarum præsidibus diis nominatur καὶ Ἀθηνᾶ φρατρία (vel potius Ἀθηναίη legendum, docente Eustathio, qui ex hoc ipso loco probare studet, etiam solutam orationem agnoscere eam formam, ad Odyss. III, 51, p. 112 Basil.). Cui loco adhibe Ruhnkenii Scholiast. pag. 98. Fortasse huc etiam pertinet Ἀθηνᾶ γενητιάς, quam agnoscit Nicetas in deorum epithetis, pag. 23 (opusc. mythol. nostrr.) Ca.

20. *Secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colunt.* Arnob. lib. IV, pag. 170 ed. Herald. « Nili altera proles, quæ perhibetur Ægyptia Sais ». Sic enim legendum, quum MS habeat « Ægyptiæ Sais »: hunc que locum temere corrupit Salmasius. Vide Scholiastas in Æschyli Septem contra Thebas, vs. 169, 170, et Pausan. lib. IX, cap. 12, pag. 734. Omnino vide Scholiasten ad Aristidis Panath. t. I, pag. 95 ed. Oxon. Νηΐδ tamen Minervæ nomen fuisse Ægyptium tradit Plato in Tim. pag. 524, A. Dav. — *Orta Nilo... Saitæ.* Non moror lectionum portenta, unde librariorum ignorantiam cognoscas; neque repeto quæ in opuscull. mytholl. pag. 63, nuper posui, ubi etiam Scholiastæ Aristidis locum, a Davisio laudatum, e cod. Leidensi integriorem exhibui; nunc alia paucula adscribam. Arnob. IV, 16: « Ægyptios et ego testes dabo, quorum Neith lingua dicor, Platonis testificante Timæo ». Vid. Platonis Tim. pag. 21 Stephan. pag. 290 Bip. Origen. contra Cels. 5: ὅτι ἡ λαχοῦσα τὴν Σάϊν Ἀθηνᾶ, ἡ αὐτὴ ἔχει καὶ τὴν Ἀττικήν. Conf. etiam Galenum ad Jamblich. de Ægyptt. mysterr. p. 79. Ca.

21. *Quam Jove generatam supra diximus.* Supra cap. 21: « Jupiter genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt ». Ampelius, cap. 9: « Tertia Jovis filia, quæ in Fecillis rebus (lege *bellicis rebus*) se exercuit ». Hanc vero πολέμου εὑρέτιν Saturni filiam vocant Clemens Alexandrinus, Protr. p. 8; Arnob. lib. IV, pag. 70, et Jul. Firmicus de Error. Profan. Relig. pag. 33. Dav. — *Quam Jove generatam supra diximus.* Vid. I, cap. 15, et conf. Diodor. Sic. I, 12, ibique Wesseling. Fulgentii mythol. II, 2, pag. 666 et 961, ibique interprr. Origenem contra Celsum, VIII, pag. 422 Spenc. et quæ posui in opuscull. mytholl. pag. 45 seq. Ca.

22. *Quarta Jove nata et Coryphe...*

Digitized by Google

filia, quam Arcades Coriam nominant[23], et quadrigarum inventricem ferunt; quinta Pallantis, quæ patrem dicitur interemisse, virginitatem suam violare
60 conantem; cui pinnarum talaria affigunt[24]. Cupido primus, Mercurio et Diana prima natus dicitur; se-

quam..... quadrigarum inventricem ferunt. Alii patrem Neptunum dicunt, sed ἁρματηλασίαν huic Minervæ non denegant. Harpocration: Ἱππία Ἀθηνᾶ... Μνασίας ἐν πρώτῃ Εὐρώπης τὴν Ἱππίαν Ἀθηνᾶν ΠΟΣΕΙΔΩΝΟΣ εἶναί φησι θυγατέρα καὶ Κορύφης τῆς Ἰκεσανοῦ· ἅρμα δὲ πρώτην κατασκευάσασαν διὰ τοῦτο Ἱππίαν κεκλῆσθαι. Sic et plures. Vide Joan. Meursium, Lect. Att. lib. V, cap. 20; Hesychium in Βαρκαίους ὄχους, et Stephan. in Βάρκη. Ampelius, c. 9: « Quarta, Solis (leg. *Jovis*) filia, quadrigas junxit ». Hoc tamen nonnulli tribuunt Erichthonio. Germanicus in Arateis, vs. 156: « Atthide terra Natus Erichthonius, qui primus ad juga duxit Quadrupedes ». Sic et Avienus; Plin. VII, 56; Virgilius, et alii. Vide Servium ad Georg. III, 113. Dav.

23. *Arcades Coriam nominant.* Cave cum Victorio et Lambino quidquam mutes; licet enim Minervam Missenii Coryphasiam nuncupent, uti testantur Clemens, Protrept. p. 8; Arnob. lib. IV, pag. 136, 137, et Pausan. lib. IV, cap. 36; attamen quod, referente Grutero, monuit Claudius Puteanus, apud Arcades fuisse ναὸν καὶ ἄγαλμα Ἀθηνᾶς ΚΟΡΙΑΣ docet idem Pausan. lib. VIII, cap. 21. Id nomen videtur sortita, ὡς δὴ ΚΟΡΕΙΑΝ ἄφθιτον πεπαμένη, ut verbis utar Lycophronis, vs. 354. Vide Joan. Schefferum de Re vehic. lib. I, cap. 2, pagg. 16, 17. Dav. — *Jove nata et Coryphe Arcadis Coriam nom.* Recte Davisius refragatur Victorio et Lambino tentantibus lectionem *Coriam*. Non felicius Pausaniæ locum, VIII, 21, pag. 639 Kuhn. tentaverat Sevinius Abbas, quem docte refutavit Goldhagen. ad eum locum. Et ratio ipsa avertere debebat a mutando. Nam ex utroque nomine, et *Coryphes* et *Coriæ*, disputationum materiam sumpserunt veteres philosophi. Vide quæ ex Proclo apposui in Opuscull. Mytholl. pag. 23, 25. Idem in Platonis Theolog. pag. 372, jungit Dianam *Coricen*, Proserpinam *Cor.* et Minervam *Cor.* (Ἀθηνᾶν Κορυκὴν) et pluribus verbis de ea re disputat. Similiter Jo. Lydus de Mens. pag. 45. Ca.

24. *Cui pinnarum talaria affigunt.* Vel *affingunt*, ut edidere Pet. Victorius et Aldus Manutius. Huic autem loco non exiguam lucem fœnerat Tzetzes ad Lycophronis vs. 355. Vide eis et Josephum Iscanum de Bell. Troj. II, 272. Eodem respexit Jul. Firmicus de Error. Prof. relig. pag. 33. — *Pallantis.....patrem interemisse..... pinnarum talaria affingunt.* Arnob. IV, 15, extr. « et quæ Pallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta ». Qui nec ipse *suum* habet. De re conf. Clement. Alex. Protrept. pag. 24 Potter. Tzetzarum locus, a Davisio laudatus, legitur II, p. 553 ed. Muelleri, qui eum emendatum præstat. De Pallade plura laudavi in Opuscull. Mythol. p. 24 seq. Extrema de Minerva alata videntur pertinere ad Minervam Victoriam (Ἀθηνᾶν Νίκην), de qua diximus in Mythologia, IV, pag. 221 seqq. Ca.

Digitized by Google

cundus, Mercurio et Venere secunda; tertius quidem est Anteros[25], Marte et Venere tertia.

Atque hæc quidem ejusmodi ex vetere Græciæ fama collecta[26] sunt: quibus intelligis resistendum esse, ne perturbentur religiones[27]. Vestri autem non modo hæc non refellunt, verum etiam confirmant, interpretando, quorsum quidque pertineat. Sed eo jam, unde huc digressi sumus, revertamur.

XXIV. Num censes igitur subtiliore ratione opus 61
esse ad hæc refellenda? Nam mentem, fidem, spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam, ceteraque ejusmodi, rerum vim habere videmus, non deorum. Aut enim in nobismet insunt ipsis, ut mens, ut fides, ut spes[1], ut virtus, ut concordia; aut optandæ nobis sunt, ut honos, ut salus, ut victoria. Quarum rerum utilitate video etiam consecrata[2] simulacra:

25. *Tertius quidem est Anteros.* Pinnatorum Cupidinum trigam agnoscit etiam Arnob. lib. IV, p. 170. De iis autem memoratu digna sunt Antagoræ verba, licet a Tullio diversus abest. Adi Laertium, IV, 26. Plura vide apud Lil. Gyraldum, Hist. Deor. Syntax. XIII. Dav. — *Cupido primus ...tertius Anteros.* Ad rem quod attinet, conf. Arnob. IV, 15, qui hinc ita: « pinnatorum Cupidinum trigas », minus accurate, si respexeris quæ Tullius supra distinxerat. Universum autem hunc locum de Cupidinum originibus egregie tractavit Valckenaerius in Diatrib. Euripid. cap. 15, pag. 154-161, qui etiam hæc Ciceroniana attigit. Cr.

26. *Fama collecta.* H. l. dicitur pro traditione, id est, res antiquitus traditæ. Wytt.

27. *Religiones.* I. e. religiones civitatum legibus constitutæ. Wytt.

XXIV. 1. *Ut spes.* Has voces delendas esse satis constat ex hujusce libr. cap. 36, quod Cl. Walkerus solito suo acumine primus animadvertit. Quin et eas non agnoscunt Med. et Lincoln. quapropter uncinis cinctæ prodeunt, ut eorum νοθότης indicetur. Dav.

2. *Quarum rerum utilitate video etiam consecrata simulacra.* Volebat Dav. « quarum rerum utilitatem video; video etiam consecrata delubra ». — Heind. et Sch. Davisium sequuti sunt, cujus lectionem recipi quoque volebat Walkerus. Mr. — *Quarum rerum utilitate video etiam.* Advertere nos debet bonorum librorum auctoritas, qui *utilitatem video*, *video* exhibent; et docte de ejusmodi omissionibus disputavit Walkerus, p. 431 sq. Cujus doctrinam etiam adhibuit et ipse doctissimus Dorvillius ad Charit. on. I, 1, pag. 213 Lips. qui hujus geminationis exemplorum magnam copiam suppeditat ex utriusque linguæ scriptoribus. Cr.

Digitized by Google

quare autem in his vis deorum insit, tum intelligam, quum cognovero[3]. Quo in genere vel maxime est Fortuna numeranda: quam nemo ab inconstantia[4] et temeritate sejunget; quæ digna certe non sunt deo.

62 Jam vero quid vos illa delectat explicatio fabularum, et enodatio[5] nominum? Exsectum a filio Cælum, vinctum itidem a filio Saturnum, hæc, et alia generis ejusdem ita defenditis, ut ii, qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam fuisse sapientes videantur. In enodandis autem nominibus, quod miserandum sit[6], laboratis. Saturnus, quia se saturat[7] annis; Mavors, quia magna evertit; Minerva, quia minuit, aut quia minatur; Venus[8], quia venit ad omnia; Ceres, a gerendo. Quam periculosa consuetudo? in multis enim nominibus hærebitis. Quid Vejovi[9] facies? quid

3. *Tum intelligam, quum cognovero.* Quidam viri docti, Walkerus eumque sequutus Ernest. hunc locum pro corrupto habent. Walkerus corrigit, «quum ex te cognovero». Atqui hoc non necessarium; nam illud *ex te* subaudiendum, ut ultro omissum. Sic in antecedentibus sæpe loquutus est: «intelligam, quum tu me docueris». Wytt.

4. *Inconstantia* est mutabilitas; *temeritas* est absentia rationis et causæ in agendo. Wytt.

5. *Enodatio* aliquoties dicitur a Cicerone pro solutione alicujus quæstionis difficilis: h. l. ponitur pro etymologia, seu notatione. Wytt.

6. *Quod...sit.* Gruterus simpliciter voluit legi *miserandum*, i. e. miserando modo; at *quod miserandum sit* elegantius et exquisitius est. Wytt.

7. *Saturnus, quia se saturat*, etc. Etymologias quas hic recenset Cotta, protulerat Lucillius supra lib. II, cap. 26. Dav.

8. *Venus* proprie est a græco nomine ἑνὸς, unus, quia in numine Veneris cernitur vis jungendi, prouti ex græco ἅμα, simul, una, oritur latinum *amare*: ex ἑνὸς autem, præposito digammate æolico, fit Venus, ut ab ἕνετος fit venetus, et ex ἵς latinum *vis*. Wytt.

9. *Vejovi.* Classicus locus Gellii, V, 12: «Quum Jovem igitur et Dijovem a juvando nominassent: eum quoque contra deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet ... Vejovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi potestate, etc.» ubi conf. interprr. Aliis Vejovis idem est atque *Jupiter Axur*, *J. Juvenis*, *J. Crescens*; vid. Thorlacii viri doctissimi Dissert. *de Latinorum Vejove* (in opusc. pag. 237 seqq.), ibique laudd. Ovid. Fast. III, 435 seqq. Servium ad Æneid. VII, 799; Dionys. Halic. II, 15, pag. 167 Reisk. et Eckhel. Doctr. Numm. Vett. vol. VII, pag. 120. Ca. — *Vejovi* in nominativo *Vejovis*, i.e.

Digitized by Google

Vulcano? Quamquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis una litera explicare, unde ductum sit. In quo quidem magis tu mihi natare visus es [10], quam ipse Neptunus. Magnam molestiam suscepit et minime necessariam 63
primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem; vocabulorum, cur quique ita appellati sint, causas explicare. Quod quum facitis, illud profecto confitemini, longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit; eos enim, qui dii appellentur [11], rerum naturas esse, non figuras deorum.

XXV. Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in Palatio, et Orbonæ ad ædem Larum, et aram malæ Fortunæ Esquiliis consecratam videmus [1].

Jupiter parvulus, adhuc puer. Præpositio enim *ve* in aliis nominibus, veluti *vecors*, *vesanus*, significat parum, item parvum. Wytt.

10. *Natare visus es.* Est faceta urbanitas ducta e duplici significatione vocis *natare*, quæ et proprie significat *natare*, seu *nare*, et item *fluctuare*, i. e. nescire, quo quis se vertat, item fluctuare naufragio. Sic est ap. Horat. Sat. II, 7, 6; apud Tibull. IV, 1, 4; apud Manil. IV, 256. Wytt.

11. *Appellentur.* Al. *appellantur.*

XXV. 1. *Febris enim fanum in Palatio, et Orbonæ ad ædem Larum, et aram malæ Fortunæ Esquiliis consecratam videmus.* Plinius, Hist. Nat. lib. II, cap. 7: «Publice Febri fanum in Palatio dicatum est, Orbonæ ad ædem Larium: et ara malæ Fortunæ Exquiliis». Arnobius, lib. IV, p. 131: «In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes». Vide sis Hadrian. Junium, Anim. lib. III, cap. 1. Noster de Legg. lib. II, cap. 11: «Araque vetus stat in Palatio, Febris; et altera Esquiliis, Malæ Fortunæ detestatæque». Infinitus essem, si de Febre apud Romanos culta Veterum loca proferrem. Adeantur præter alios multos Ælianus, Var. Histor. lib. XII, cap. 11; Arrianus, Epictet. lib. I, cap. 19, 22; Clemens, Protrept. pag. 11; Valerius Maximus, lib. II, cap. 5, 6; Lactantius, lib. I, c. 20, et Augustinus de Cons. Evang. lib. I, cap. 18. Dav. — Ad rem plura congessit Schwarzius ad Plinii Paneg. cap. 20, pag. 48, et qui nuper Italo sermone librum peculiarem *de Febris religionibus Romanorum* edidit G. *de Matthæis* Romæ 1814. De *Orbona* vide Davis. Arnobii locus legitur IV, 7, ubi conf. interprr. p. 195 ed. Orell. qui etiam laudant hæc Tertulliani ad

Digitized by Google

64 Omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut, quum de diis immortalibus disputemus, dicamus digna diis immortalibus : de quibus habeo ipse, quod sentiam; non habeo autem, quod tibi assentiar [2]. Neptunum esse dicis, animum cum intelligentia per mare pertinentem. Idem de Cerere. Istam autem intelligentiam aut maris, aut terræ, non modo comprehendere animo, sed ne suspicione quidem possum attingere. Itaque aliunde mihi quærendum est, ut et esse deos, et quales sint dii, discere possim, quam quales tu eos esse vis [3].

65 Videamus ea, quæ sequuntur : primum, deorumne providentia mundus regatur; deinde, consulantne rebus humanis. Hæc enim mihi ex tua partitione restant duo. De quibus si vobis videtur, accuratius disserendum puto. Mihi vero, inquit Velleius, valde videtur : nam et majora exspecto; et his, quæ dicta sunt, vehementer assentior. Tum Balbus, Interpellare te, in-

nat. II, 14 : «Orbonam deam, quæ in orbitatem semina exstinguit» ; adde G. I. Vossium de Orig. et Progr. Idololatr. lib. VIII, cap. 17, pag. 759. Mox : *ad ædem Larum*. Hæc genitivi forma usitatior : rarior altera, *Larium*. Vide Gœrenz. ad Cic. de Legg. lib. II, cap. 11, p. 143, et Facciolati in tot. Lat. Lexic. in voc. De *Laribus*, vide locos classicos Arnobii lib. I, cap. 28, et præcipue lib. III, cap. 41, ibique interprr. Quibus junge Lanz. in *Saggio di Ling. Etrusc.* pag. 203, 226, 283, 346, 362 sq. 394, 402, 433 et 438, itemque Marinium in libro *gli Atti de' fr. Arvali*, p. 600 sq. Ibid. memoratur *Collegium Larum*, p. 415. Alia laudavi supra ad II, 27, ubi de Penatibus. Cr.

2. *De quibus h. ipse, quod sentiam; non habeo autem, quod tibi assentiar*. Scripsit Ernest. ea lege, quam in Operum Ciceronis Præfatione, p. 5, (p. 8 ed. min.) coll. p. 11 (p. 8), posuit, jam dudum restricta ab Heusingero ad Cic. de Offic. 2, 2, 11, cujus exemplis plura addit Heindorf. ex Platone et Xenophonte. Prius *quod* igitur rejicit, quum *quid* sit id quod *quam rem ;* alterum *quod* probavit et recepit, quum sit idem ac *quam ob rem*. Cr.

3. *Quam quales tu eos esse vis*. Hoc cum superioribus haud cohæret : quare vel prior sententiæ pars excidit ; vel hæc verba supervacanea, aut saltem corrupta, sunt censenda. Vulgatam tamen lectionem repræsentant omnes codices, præterquam quod Pal. quartus omittat *quam*. Dav.

Digitized by Google

quit, Cotta, nolo. Sed sumemus tempus aliud. Efficiam profecto, ut fateare. Sed**

Multa desunt [1].

XXVI. Nequaquam [2] istuc istac ibit : magna inest certatio.
Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia ?

Niobe parumne ratiocinari videtur, et sibi ipsa nefariam pestem machinari ? Illud vero quam callida 66
ratione ?

Qui volt esse, quod volt, ita dat se res, ut operam dabit.

Qui est versus omnium seminator malorum.

Ille transversa mente mihi hodie [3] tradidit repagula ;
Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo :
Mihi mœrores, illi luctum ; exitium illi, exsilium mihi.

Hanc videlicet rationem, quam vos divino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiæ non habent. Videsne igitur, quanto munere deorum simus affecti ? 67
Atque eadem Medea patrem, patriamque fugiens :

Postquam pater [4]
Appropinquat, jamque, pæne ut comprehendatur, parat,

XXVI. 1. Vide in fragmentis locos complures quos Lactantius et alii in libros receperant, et ita edscitatem temporis effugerunt.

2. *Nequaquam*, etc. Versus sunt tragici trochaici octonarii catalectici, i. e. septem pedes et dimidius. Auctor eorum qui sit, non constat. P. Scriv. in Fragg. tragg. Lat. eos hinc retulit, pag. 166. *Medeæ* autem potius quam *Niobæ* personam decent : et illam potius quam hanc nominasse videtur Cicero, ut intelligitur ex cap. 29, init. Wytt.— Heindorf. versus ex Medea, vel Ennii vel Attii desumptos existimat, et ad Medeam pertinere : ita Sch. non probat Moser.

3. *Ille transversa mente mihi hodie.* Tragici veteres eadem licentia sunt usi, ac comici poetæ, apud quos *ille* nonnumquam pro duabus brevibus habetur syllabis. Hoc adnotato, de justa hujusce trochaici mensura nullus erit dubitandi locus. Davis.

4. *Postquam pater*, etc. Septenarium hunc versum oportet esse, quemadmodum et insequentes reliqui sunt. Ut autem legitur, pedibus recte distingui non potest ; neque secus habent antiqui libri. Sed animadverti, versum, nulla mutatione, restitui posse, si ita scribatur, ut incipiat a verbo *appropinquat ;* et duæ præcedentes dictiones, tamquam superioris versus extremæ, sejungantur. P. Manut. — Cicero pro lege Manilia, cap. 9 : « Me-

Digitized by Google

Puerum interea obtruncat, membraque articulatim dividit,
Perque agros passim dispergit corpus : id ea gratia,
Ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interea effugeret; illum ut mœror tardaret sequi;
Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

68 Huic ut scelus, sic ne ratio quidem defuit[5]. Quid? ille funestas epulas fratri comparans, nonne versat huc et illuc cogitatione rationem?

Major mihi moles[6], majus miscendum est malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

XXVII. Nec tamen ille ipse est prætereundus, qui « non sat habuit conjugem illexe[1] in stuprum »; de quo recte, et verissime loquitur Atreus :

Quod re in summa summum esse arbitror
Periclum, matres coinquinari regias[2];
Contaminari stirpem; admisceri genus.

deam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis, ubi se parens prosequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa mœrorque patrius celeritatem persequendi retardaret ». Sic et inter alios Apollodorus, Bibl. lib. I, cap. 9, § 25. Sed alio prorsus modo rem narrant Apollonius Rhodius, Argon. IV, 455 seqq. et Hyginus, Fab. 23. Dav.

5. *Huic ut scelus ... defuit.* Est constructio elliptica negans, quam in Cicerone animadvertimus, Bibl. Crit. P. V. in exord. p. 9. Plene dicendum erat : Huic Medeæ ut non defuit scelus, *ita ne ratio quidem*, i. e. ut ei non defuit mala voluntas, ita non defuit malum ingenium. Wytt.

6. *Major mihi moles*, etc. Duos hosce versus iambicos exhibet etiam Noster lib. III de Orat. cap. 58, et Tusc. lib. IV, cap. 36. Ex Accii sunt Atreo deprompti, simul ac ii qui sequuntur, ut eruditis placet. Davis.

XXVII. 1. *Conjugem illexe.* Sic e suis codicibus edidit Victorius; sic etiam repræsentat Med. noster. Plautus, Mercat. act. I, scen. 1, vers. 53 : « Amorem multos illexe in dispendium ». Hujusmodi sunt plura non modo apud comicos, sed et ap. Varronem, Horatium, ac alios : ut vix dubium videatur, quin *illexe* scripserit Cicero. Alii dant *illexisse*. Vide Chr. Wasium de Senar. cap. 12, pag. 146 seqq. Dav. — Verba « non sat habuit conjugem illexe in stuprum », ab omnibus editoribus tamquam ipsius Cic. impressa, Heind. merito ob verba *sat* pro *satis* et *illexe* pro *illexisse* Tragici ejusdem esse censet, cujus sunt qui præcessere, quique sequuntur versus. Et ita ea typis describi curavit etiam Schütz. Mr. — *In stuprum.* Vide Dukerum de Latinitate vett. Jurisconsult. 122, p. 113 ed. Lips. Ca.

2. *Quod re in summa summum esse arbitror Periclum, matres coinquinari*

Digitized by Google

'At id ipsum quam callide, qui regnum adulterio quæreret?

Addo[3] (inquit) huc, quod mihi portento cælestum pater
Prodigium misit regni stabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma
Quondam Thyestem[4] clepere ausum esse e regia:
Qua in re adjutricem conjugem cepit sibi.

Videturne summa improbitate usus non sine summa 69

regias. Iambicorum versuum ratio constabit, si modo legatur, «Quod in re summa summum esse periclum arbitror; Matres coinquinari regum; regiam Contaminari stirpem, admisceri genus». Ac ita videtur reponendum. Dav. — Heind. pariter ac Schütz. in notis germanam versuum horum formam a Davisio restitutam esse aiunt, eamque a se in textum esse receptam contendunt; neuter vero hoc fecit, sed Heind. dedit *periculum*, Schütz. vero *re in summa*; quorum utrumque turbat ordinem a Davisio restitutum. Antequam Davisii correctionem vidissem, conjeceram, primum versus pedem consilio omissum fuisse a Cicerone, scriptumque: «... quod in re summa summum esse arbitror Periclum, matres coinquinari regias, etc.» ut *coinquinari* pro quadrisyllabo habeatur, quod in latinorum poetarum metris minime est inauditum; simili modo *vindemiator* apud Horatium, Sat. I, 7, 30, est quatrisyllabum. Ma.

3. *Addo (inquit) huc, quod mihi port. cælestum.* Sunt versus ex persona Atrei, quos P. Scriverius retulit, pag. 167. Argumentum autem est de somnio, quod somniavit Atreus de Thyeste. Wytt.

4. *Agnum inter pecudes aurea clarum coma Quondam Thyestem*, etc. Ursini liber, «quem de ara Thyestem»; Reg. et Cantab. habent, «quem dicunt Thyestem». Utraque quidem lectio metrum vitiat. Vulgatam servat Nonius in *clepere* (licet is locus videri possit addititius, quum in MS Marcelli C. C. C. C. non compareat), nisi quod et ille *quemdam Thyestem*, prout etiam dant Med. Lincoln. et Victor. Ad veram lectionem quasi manu ducit Asc. codex, in quo legitur, «Quem clam Thyestem clepere ausum esse e regia». Omnino lege «Quem clam Thyestes clepere ausu'st e regia». Fabulam et ejus originem sic refert Varro de Re Rust. lib. II, cap. 1: «De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit græca et latina lingua, et veteres poetæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipsas pecudes propter caritatem aureas habuisse pelles tradiderunt; ut Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxe queritur». Vide Senecam, Thyeste, vers. 225, et Scholiasten ad Homeri Iliad. B, 106. Athenæus tamen, lib. VI, pag. 231: Τὴν Ἀτρέως χρυσῆν ἄρνα... φιάλην ἀργυρᾶν φησὶ γεγονέναι Ἡρόδωρος ὁ Ἡρακλεώτης, ἔχουσαν ἐν μέσῳ ἄρνα χρυσῆν. Anaxandrides vero apud eumdem, p. 241: Ἄν τις, inquit, ὑφείλετ' ἄρνα ποιμένος παίζων Ἀτρεύς. Quasi Atreus Thyestis agnum clepisset. Quod tamen contra reliquorum scriptorum fidem statueretur. Vide Scholiasten Euripidis ad Orestæ vs. 810 et Tzetzen. Dav.

Digitized by Google

esse ratione? Nec vero scena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis pæne majoribus. Sentit domus uniuscujusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciæ, ut, quemadmodum ratione recte fiat, sic ratione peccetur: alterumque et a paucis, et raro; alterum et sæpe, et a plurimis: ut satius fuerit nullam omnino nobis a diis immortalibus datam esse rationem, quam tanta cum pernicie datam. Ut vinum ægrotis, quia prodest raro, nocet sæpissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere: sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice et tam large dari. Quamobrem si mens voluntasque divina idcirco consuluit hominibus, quod iis largita est rationem, iis solis consuluit, quos bona ratione donavit: quos videmus, si modo ulli sunt, esse perpaucos. Non placet autem[5] paucis a diis immortalibus esse consultum; sequitur ergo, ut nemini consultum sit.

XXVIII. Huic loco sic soletis occurrere: non idcirco non optime nobis a diis esse provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur. Etiam patrimoniis multos male uti: nec ob eam causam eos beneficium a patribus nullum habere. Quisquam istuc negat? aut quæ est in collatione ista similitudo[1]? Nec

5. *Non placet autem.* Id est, vobis Stoicis non placet. Est Stoicorum placitum, deos non paucis consuluisse, sed omnibus, id est, providentiam non esse *peculiarem*, sed *universam*. Wytt. — Alii: *et sequitur.*

XXVIII. 1. *Quæ est in collatione ista similitudo?* Non dubito, quin voces, *in collatione*, sint explicatio librarii, primitus ad marginem scripta, sed quæ postea textum ipsum invasit. Voluit enim fraterculus iste Tullii mentem plenius declarare, quocirca *collationem*, seu comparationem, quæ præ-

Digitized by Google

enim Herculi Dejanira nocere voluit, quum ei tunicam, sanguine Centauri tinctam, dedit; nec prodesse Pheræo Jasoni is, qui gladio vomicam ejus[2] aperuit, quam sanare medici non poterant[3]. Multi enim, etiam quum obesse vellent, profuerunt; et quum prodesse, obfuerunt. Ita non fit, ex eo, quod datur, ut voluntas ejus, qui dederit, appareat; nec, si is, qui accepit, bene utitur, idcirco is, qui dedit, amice dedit.

Quæ enim libido, quæ avaritia, quod facinus aut 71
suscipitur, nisi consilio capto, aut sine animi motu et cogitatione, id est, ratione, perficitur? Nam omnis opinio ratio est[4], et quidem bona ratio, si vera; mala autem, si falsa est opinio. Sed a deo tantum rationem habemus, si modo habemus; bonam autem rationem, aut non bonam, a nobis. Non enim, ut patrimonium relinquitur, sic ratio homini est beneficio deorum data.

cessit, nihil ad rem facere verbis disertis monuit. Nos id additamentum uncinis cingendum curavimus. Dav. — Uncinis liberavit Ernest. verba *in collatione*; quia Cic. dicat, illam collationem, patrimonii a parentibus relicti et rationis a diis datæ hominibus, probari non posse, quum similitudine nulla utatur. Quod probavit Heindorf. monens, voces illas a Lambino ideo ejectas esse, quia vocem *ista* perperam ad *similitudo*, neque vero ad *collatione* traxerit. Ma.

2. *Pheræo Jasoni is, qui gladio vomicam ejus aperuit.* En peritiæ monachalis insigne specimen! Reg. habet, *Pheræo Jasoni, qui gladio*, etc. quasi Jasoni Pheræi vomicam aperuerat; quum ipse *Jason*, ab urbe patria *Pheris*, dicatur *Pheræus*. Historiam referunt Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, 6 extern. Seneca de Benef. lib. II, cap. 19, aliique. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. VII, cap. 51, et ibi not. Dav. — *Pheræo Jasoni is, qui... vomicam aperuit.* Vide Priscianum, IV, extrem. *vomo, vomis, vomex.* Ad quæ verba in codice pervetusto J. Goerres hoc scholion exstat: «Vomica latens morbus; scilicet apostema, quod non particulatim, sed quasi facimus vomendo egerimus excrementa». Ad historiam quod attinet, Davisianis adde Plutarchum de cap. ex inimicis Utilit. p. 89, ibique Wyttenbachii Annot. (Animadvers. vol. II, pag. 623 seq.) De illius tyranni rebus quum reliquis, tum extremis consule Diodorum Siculum, XV, 54-60, et adhibe Ephori Frag. n. 144, p. 251, ibique Marxium. Cr.

3. *Non poterant.* Alii: «non potuerant».

4. *Omnis opinio ratio est.* Πᾶσα δόξα λόγος ἐστί, est Platonis sententia in Timæo, p. 529, quam item refert Diogenes Laert. III, 69. Wytt.

Digitized by Google

Quid enim potius hominibus dedissent, si iis nocere voluissent? injustitiæ autem, intemperantiæ, timiditatis quæ semina essent, si his vitiis ratio non subesset?

XXIX. Medea modo et Atreus commemorabantur a nobis, heroicæ personæ, inita subductaque ratione[1],
72 nefaria scelera meditantes. Quid? levitates comicæ, parumne semper in ratione versantur? Parumne subtiliter disputat ille in Eunucho[2]?

Quid igitur faciam?
Exclusit, revocat: redeam? non, si me obsecret.

Ille vero in Synephebis academicorum[3] more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui «in amore summo, summaque inopia suave esse» dicit,

XXIX. 1. *Inita... ratione.* Metaphorica dictio ex arithmetica ducta: ratio autem hoc loco dicitur calculus, computatio: inire est quærere summam, et subducere rationem est summam colligere. Wytt.

2. *Disputat ille in Eunucho.* Fabula Terentiana. Extat act. I, scen. 1 initio. Davis.

3. *Academicorum.* Pro *Academicorum* Walkerus, si MS cod. addiceret, libenter se repositurum ait *Stoicorum*, quum Academicis quidem in utramque partem disputare licuerit, at, qui contra communem opinionem ratione pugnarent, Stoici fuerint omnino. Heindorfius, quum opponit Walkero locum ex lib. I, cap. 5, ubi scriptum esse ait, Academicorum fuisse *contra omnia disserere*, neque satis fideliter descripsit totum locum (ubi scriptum est: «Quod facere iis necesse est, quibus propositum est veri reperiendi causa et contra omnes philosophos et pro omnibus dicere»); hunc enim locum debuit laudare, neque pauca illa verba, quæ paullo superius sunt scripta (*ratio contra omnia disserendi*), quorum ea, quæ nos descripsimus, sensum exponunt; neque is sensus hic est, quem Heindorfius existimabat. Nam aliud est «veri reperiendi causa contra omnes philosophos et pro omnibus dicere», aliud «contra communem hominum opinionem (παραδόξως) loqui»; illud vero est Academicorum, hoc Stoicorum. Is autem, qui versibus sequentibus loquitur, minime gentium illorum imitatur morem, sed ea potius dicit, quorum quivis contraria exspectet. Certe igitur non est nihili, quod Walkerus profert, quamquam in tanto librorum consensu nihil mutaverim. Unum illum cum veri quadam specie pro vulgata dici potest, quod *ratione pugnare* ait Cæcilianum adolescentem; et totius disputationis summa eo redit, ut statuamus, Ciceronem, si ita scripserit, simile, quod aiunt in proverbio, claudicans h. l. usurpasse. Ma.

Digitized by Google

Parentem habere avarum, illepidum, in liberos
Difficilem, qui te nec amet, nec studeat tui [4].

Atque huic incredibili sententiæ ratiunculas suggerit: 73

Aut tu illum fructu [5] fallas; aut per literas
Avertas aliquod nomen; aut per servolum
Percutias pavidum. Postremo, a parco patre
Quod sumas, quanto dissipas libentius [6]?

Idemque facilem et liberalem patrem, incommodum esse amanti filio disputat; quem

Neque quo pacto fallam, neque quid inde auferam,
Nec quem dolum ad eum, aut machinam commoliar,
Scio quidquam: ita omnes meos dolos, fallacias,
Præstigias præstrinxit [7] commoditas patris.

Quid ergo isti doli? quid machinæ? quid fallaciæ præstigiæque? num sine ratione esse potuerunt? O præclarum munus deorum! ut Phormio possit dicere,

Cedo senem: jam instructa mihi sunt [8] in corde consilia omnia.

4. *Studeat tui.* Tibi faveat, tuique curam gerat. Simili modo dixit Plautus, Mil. Glor. act. IV, scen. 1, v. 17: «Qui ingenuis satis respondere nequeas, quæ cupiunt tui». Nostri vero codd. hoc in loco dant *nec studeat sui.* Perperam tamen. Dav.

5. *Fructu.* Id est, reditu, fœnore. Wytt.

6. *Quanto dissipas libentius.* Leve fortasse alicui videbitur, quod hic mihi lectorem admonere visum est. Libri veteres habent, pro *dissipas*, *dissipis*; unde mihi suspicio orta est, scriptum esse a Cæcilio *dissicis*. *Dissicere* autem valet dissipare, dispergere, etc. de quo verbo plura in notis ad orationem pro M. Cœlio. Lamb.

7. *Præstigias præstrinxit.* Hanc lectionem repræsentant omnes nostri. D. tamen Lambinus edidit *præstigias præstinxit.* Hanc autem mutationem necessariam esse non puto; quum *aciem*, *oculos*, *ferrum præstringere* dicitent auctores, eaque significatio huic loco bene conveniat. Davis. — Cod. Fa. *prætigia*, codd. K. et M. *præsagias.* Tum neque Heind. neque Schütz. receperunt Lambini et Ernesti scriptionem *præstinxit*, de cujus latinitate adeo Heind. dubitat. Ego, ut vulgatam prætulerim, ita tamen illam vocem non plane nihili putaverim. Cf. Creech. ad Lucret. III, 1057; Taubmann. ad Plautum, Mil. Glor. I, 1, 4. Ceterum *præstinxit* est in cod. O. et ed. Th. Ma. — *Præstinxit.* Comice dictum pro *prævertit*, i. e. omnia extinxit facilitas patris. Wytt.

8. *Instructa mihi sunt.* Transpositis vocibus legendum *sunt mihi*, prout extat apud Terentium, Phorm. act. II,

Digitized by Google

74 XXX. Sed exeamus e theatro : veniamus in forum. Sessum it prætor [1]. Quid? Ut judicetur, qui tabularium [2] incenderit. Quod facinus occultius? At se Q. Sosius, splendidus eques romanus ex agro Piceno, fecisse confessus est. Qui transcripserit [3] tabulas publicas. Id quoque L. Alenus fecit, quum chirographum sexprimorum [4] imitatus est. Quid hoc homine solertius?

scen. 2, v. 7. Aliter sane non constat versus trochaicus; nisi forsan *in* cum Cl. Bentleio deleas. Dav. — Bentleius in sua Terentii editione hunc versum ita scripsit : « Cedo senem : jam instructa mihi sunt corde consilia omnia », deleto *in*. Ego jam dudum, quum in codd. A. et C. Leidæ conferendis reperissem *sunt mihi*, vel ita, vel *sunt mi* rescribendum esse conjeceram, quorum prius jam a Davisio propositum, alterum ab Heind. et Schütz. receptum video. Justum illum verborum ordinem præter eos, quos laudavi, libros exhibent ex codd. meis complures. Ma.

XXX. 1. *Sessum it prætor.* Olim edebatur « Sessum ite, precor ».

2. *Tabularium.* I. e. archivum, in quo acta publica et simul possessiones ac debita conscripta servabantur. Italico bello combustum est. Wytt. — Adhibe de tabulariis locum Frontonis in libro de testamentis transmarinis, pag. 281 ed. princ. « Olim testamenta ex deorum munitissimis ædibus proferebantur, aut *tabulariis*, aut lucis, aut archiis, aut opisthodomis ». Alia dabit Ernest. Clav. Cic. sub voc. Ca.

3. *Transcripserit.* Ernestus recte hanc vocem explicat verbis *falsarit*, *corruperit*, quo sensu est in orat. pro Cluentio, cap. 4, « transcriptum testamentis »; additque Græcos etiam sic dicere μεταγράφειν. Ad illum locum vid. quæ attulit *van Assen*, V. Cl. in Disputatione de M. T. Cic. oratione pro A. Cluent. Franequ. 1809, pag. 74 seq. Ma. — *Transcripserit* autem est in alia nomina *res transcripserit*, veluti si quis agrum qui in tabulario inscriptus est, ut proprius Lælio, mutato nomine, inscribat ut proprium Catilinæ. Vide Livium, lib. XXXV; Cainn in Digest. XVI, t. 1, l. 13. Wytt.

4. *Sexprimorum. Decemprimi* memorantur a Cicerone in Verr. II, 67, et pro Roscio Amer. cap. 9 : « Itaque decurionum decretum fit, ut decemprimi proficiscerentur ad L. Sullam »; ad quem locum conf. Grævium, et Ernestum in Cl. Cic. voc. *decemprimi*; ubi tamen *sexprimos* frustra quæras. Illos ipsos *decuriones* memorat etiam Suetonius in Augusto, cap. 46; quem locum nuper a criticorum molimînibus vindicavit Frid. Carol. *De Savigny*, V. C. mihique amicissimus, in libro vernaculo, qui inscribitur Historia Juris romani in medio ævo, vol. I, pag. 22. Qui antiquitus *decuriones* dicti : iidem postea *curiales* nomine appellati sunt, docente Roth. V. C. de Re municipali vett. Romm. p. 66. Fuerunt autem et *sexprimi* et *decemprimi* ex ipsis *decurionibus* viri principes, eoque etiam dicti et *principes* (ut est apud Livium, XXIX, 15, *decemprincipes*), et *principales*. Vid. Everard. Otto de Ædilib. Coloniar. et Municipp. cap. 5, pag. 149 seqq. qui nostrum quoque locum attigit, et

Digitized by Google

Cognosce alias quæstiones, auri Tolosani[5], conjurationis Jugurthinæ[6]. Repete superiora : Tubuli[7] de pecunia capta ob rem judicandam ; posteriora, de incestu rogatione Peducæa[8] ; tum hæc quotidiana, sicæ, veneni, peculatus[9], testamentorum etiam lege[10] nova

de reliquis item, ut *quinqueprimis*, *XVprimis*, aliisque exposuit. Universam autem rem per temporum decursum uberrime persequutus est, ejusque vim ad civitatum provinciales, Italicarum, Germanicarum, aliarum, instituta naviter commonstravit idem *Savigny* eodem lib. I, p. 18 seqq. pag. 70 seqq. pag. 319 seqq. et 385 seqq. — Quod vero codex meus G. divisim profert *sex primorum* : patrocinatur huic rationi ipsum Cenotaphium Pisanum L. Cæsaris, ubi item scriptum legitur *decem primi* ; conf. Noris. ad Cenotaph. Pisan. I, 3. Cr.

5. *Auri Tolosani.* Quod Q. Cæpio consul diripuit. Præter historicos, vide sis Agellium, III, 9. Dav. — *Auri Tolosani.* De hoc est similis locus Ciceronis de Orat. II, 47. Meminit etiam Strabo, IV, pag. 286 ; Justin. XXXII, 1 ; Agell. III, 9. Quod aurum sublatum est a cos. Servilio Cæpione, urbe socia Gallorum Tolosa per fraudem capta et direpta, anno Urb. 646, a. n. Chr. 106. Cf. Freinsh. Livian. lib. LXIV, cap. 40. Wytt.

6. *Conjurationis Jugurthinæ.* Non ad titulum libri Sallustiani respexit Noster, ut voluisse videtur vir quidam doctissimus ; at *conjurationem Jugurthinam* dixit ob eos, qui pecunia corrupti quum fuerint, sese Jugurthæ partibus adjunxere. Vide Sallustium, Bell. Jug. cap. 13, 27, 44. Hoc quum non viderent Xystus Betuleius et Pet. Lescaloperius, haud *conjurationem*, sed *corruptionem* dici oportere censuerunt. Cr.

7. *Tubuli.* De Tubulo vid. Ernest. Clav. Cic. et conf. sup. I, 23. Fuit L. Hostilius Tubulus, vir prætorius, ob multa flagitia damnatus. De quo adde laudatis Ezech. Spanhemii disputata de Us. et Pr. Numismn. t. II, p. 17, ibique laudd. Patin. in Famil. Romm. pag. 120, et in primis Jacobi Perizonii Dissertatt. historr. lib. III, pag. 220. Cr.

8. *De incestu rogatione Peducæa.* I. e. quæstio de incestu, quæ constituta est per legem a Peducæo rogatam, i. e. suasam in concione : nam S. Peducæus legem de incestu tulit anno Urbis 640. Vide Ernest. in Cl. Cic. pag. 32 ; Bachium in Hist. jur. Rom. II, 2, § 60. Wytt.

9. *Sicæ, veneni, peculatus.* Vide Davis. ab eoque laudd. conf. Carol. Sigonium de antiquo jure pop. rom. II, pag. 531 seq. 663 seq. 569, 623, et l. 387, et Heinecc. Syntagm. Antiqq. Rom. Jurispr. illustr. lib. IV, tit. 18, § 58, et § 71, p. 694 et 703 seq. Jo. Lydus de magistrat. Romm. II, 9, p. 108 : Ξυστὸν δὲ τὸ ὑποζώνιον ξίφος Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Addit de *sicariis* quæ huc non pertinent. Cr. — *Sica* est pugio, quo quum uterentur homines nefarii ad alios clam confodiendos, hi dicti sunt *sicarii*, et *sica* item dicta est cædes a sicario facta. — *Peculatus.* Id est, publicæ pecuniæ fraudatio. Wytt.

10. *Lege nova.* Id est, lege Cornelia, quæ erat contra corruptores testamentorum. Vide Ernestum ad hunc locum. Wytt.

Digitized by Google

quæstiones. Inde illa actio, OPE CONSILIOQUE TUO[11] FURTUM AIO FACTUM ESSE; inde tot judicia de fide mala, tutelæ, mandati, pro socio, fiduciæ; reliqua, quæ ex empto, aut vendito, aut conducto, aut locato contra fidem fiunt: inde judicium publicum rei privatæ lege Lætoria[12]; inde everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo: quod C. Aquillius, familiaris noster[13], protulit; quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, quum aliud sit simulatum, aliud actum.
75 Hanc igitur tantam a diis immortalibus arbitramur malorum sementem esse factam? Si enim rationem hominibus dii dederunt, malitiam dederunt: est enim malitia, versuta et fallax nocendi ratio. Iidem etiam dii fraudem dederunt, facinus, ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione, nec effici potest. Utinam igitur, ut illa anus optat,

Ne in nemore Pello[14] securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes!

11. *Ope consilioque tuo furtum aio factum esse.* Hæc erat formula in accusatione furti. Vide Brisson. de Form. V, 25. WYTT.

12. *Lege Lætoria.* Sic ex antiquis nummis et fastis Capitolinis, non *Lectoria*, ut antea, legendum est. P. MAN. — Ne res a nummis et fastis solis, non item a MSS, pendeat, Med. noster clare dat *lege Lætoria.* Quin et sic edidit Ascensius. De hac et aliis, quas memorat Noster, vide sis J. V. Gravinæ librum de Legg. et S. Consultis. DAV. — *Lege Lætoria.* Conf. Ernesti Ind. Legg. (ubi tamen corrigendum: Cicero de Nat. Deor. III, 30, pro 39), ibique laudd. Prisciani locus (VIII, 744) nunc legitur in Suetonii fragg. pag. 288 (pag. 66 ed. Wolf. vol. III). Quod Heindorfius codicum MSS Prisciani fidem attigit: possem equidem fidem præstare codicis antiqui, qui J. Gœrresii est. In eo libro luculenter scripto plane legitur *Lætoria.* Post *stipulor* idem liber omisit ἐπερωτᾶσθαι, qui tamen aliis locis græca omnia, majusculis perscripta literis, exhibere soleat. Plura de lege Lætoria citavit Bachius in Hist. Jurispr. Rom. II, 2, § 26. CA.

13. *C. Aquillius, familiaris noster.* Hic fuit Ciceronis collega in prætura, et hanc legem de dolo malo tulit an. Urb. 686. Vid. Ernest. in Clave Legum, et notam nostram ad Offic. III, 14. WYTT.

14. *Ne in nemore Pelio.* Est initium Medeæ Ennii, quod Cicero etiam reponit in libro de Fato, cap. 15, et alibi. In fragmentis veterum tragicorum latinorum a P. Scriverio collectis, relatum p. 21. Ennius expressit suam

Digitized by Google

sic istam calliditatem hominibus dii ne dedissent! qua perpauci bene utuntur, qui tamen ipsi sæpe a male utentibus opprimuntur; innumerabiles autem improbe utuntur: ut donum hoc divinum rationis et consilii, ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur.

XXXI. Sed urgetis identidem, hominum esse istam 76
culpam, non deorum: ut si medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset. Etsi hi quidem homunculi; sed tamen ridiculi. Quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista non essent? Contra deum licet disputare liberius. In hominum vitiis ais esse culpam. Eam dedisses hominibus rationem, quæ vitia culpamque excluderet. Ubi igitur locus fuit errori deorum? Nam patrimonia spe bene tradendi relinquimus; qua possumus falli: deus falli qui potuit? An ut Sol, in currum quum Phaethontem filium sustulit; aut Neptunus, quum Theseus Hippolytum perdidit[1], quum ter optandi a Neptuno patre habuisset potestatem? Poetarum ista sunt: nos autem philoso- 77
phi esse volumus, rerum auctores, non[2] fabularum. Atque ii tamen ipsi dii poetici si scissent, perniciosa fore illa filiis, peccasse in beneficio putarentur. Et, si verum est, quod Aristo Chius[3] dicere solebat, nocere audientibus philosophos iis, qui bene dicta male interpretarentur; posse enim asotos ex Aristippi, acer-

Medeam ex Medea Euripidis, ubi hic versus initio legitur. Wytt.

XXXI. 1. *Sol ..... Phaethontem filium sustulit ... Theseus Hippolytum perdidit.* De Phaethonte conf. Ovid. Metamorph. imit. lib. II, ibique interprr. et e Tullianis locis adhibe ad has fabulas de Officiis, I, 10, ibique Heusing. ibid. III, 25, ibique Gernhard. vir. doctiss. pag. 374 seqq. et Euripideos locos in Hippolyto, v. 887 seq. ubi plura Valckenaer. qui etiam illa Ciceroniana attigit. Cr.

2. *Rerum ..... non fabularum.* Græce πραγμάτων, οὐ μύθων: res autem dicuntur pro veris actionibus, veritate. Wytt.

3. *Aristo Chius.* Conf. sup. I, 14; Acadd. II, 39, 123 (p. 223 Gœr.); de Fin. III, 4, init. (p. 323 seq). Cr.

Digitized by Google

bos e Zenonis schola exire[4]: prorsus, si, qui audierunt, vitiosi essent discessuri, quod perverse philosophorum disputationem interpretarentur; tacere præstaret
78 philosophis, quam iis, qui se audissent, nocere. Sic, si homines rationem, bono consilio a diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque convertunt; non dari illam, quam dari humano generi melius fuit. Ut, si medicus sciat, eum ægrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumpturum, statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista providentia reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos scierit ea perverse et improbe usuros. Nisi forte dicitis, eam nescisse. Utinam quidem! Sed non audebitis. Non enim ignoro, quanti ejus nomen putetis[5].

79 XXXII. Sed hic quidem locus concludi jam potest. Nam si stultitia, consensu omnium philosophorum, majus est malum, quam si omnia mala et fortunæ et corporis ex altera parte ponantur; sapientiam autem nemo assequitur: in summis malis omnes sumus, quibus vos optime consultum a diis immortalibus dicitis. Nam ut nihil interest, utrum nemo valeat, an nemo

4. *Asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire.* Eam sententiam Antigoni Carystii fide ab Athenæo, lib. XIII, 19 (pag. 565, d.), pag. 41 Schweigh. non Aristoni discipulo, sed ipsi magistro Zenoni tributam reperias. Ca. — *Asotos.* Græca vox ἄσωτος proprie est qui conservari nequit, ut est apud Terent. «homo, quem ne ipsa quidem salus servare potest». *Luxuriosus* item dicitur *perditus.* Wytt.

5. *Quanti ejus nomen putetis.* Legendum videtur, «quanti ejus numen putetis». Has certe voces passim confuderunt librarii. Dav. — Idem mihi quoque in mentem venit ante plures annos, prius quam viderem Davisium conjecisse *numen*, idque probatum esse Ernesto. Sed satis bene tuetur Heind. vulgatam, monetque, tum scripturum fuisse Ciceronem «quantum ejus numen putetis, quod ab h. l. alienum esset. Concedo jam, ferri posse vulgatam; sed illud improbo, ab Heindorfio ad eam fulciendam in subsidium vocari poetæ græci locum Eurip. Phœn. 1696, quum præsto sint latinorum scriptorum loca, quæ vel lexica exhibebunt. Ceterum de vocum *nomen* et *numen* confusione vid. Drakenborch. ad Sil. I, 669; III, 655. Ma.

Digitized by Google

possit valere : sic non intelligo, quid intersit, utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit. Ac nos quidem nimis multa de re apertissima. Telamo autem uno versu locum totum conficit[1], cur dii homines negligant:

Nam si curent [2], bene bonis sit, male malis : quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem 80
hominum generi consulebant : sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant. Cur igitur duo Scipiones[3], fortissimos et optimos viros, in Hispania Pœnus oppressit? Cur Maximus extulit filium consularem[4]? Cur Marcellum[5] Annibal interemit? Cur Paullum Cannæ[6] sustulerunt? Cur Pœnorum crudelitati Reguli[7] corpus est præbitum? Cur Africanum do-

XXXII. 1. *Uno versu,...conficit.* Id est, totum argumentum concludit uno versu : est autem iambicus octonarius ex Ennii, ut videtur, Telamone : duos versus addidit Cicero de Divin. II, 50 : « Ego deum genus esse semper dixi et dicam cœlitum, Sed eos non curare opinor, quid agat hominum genus : Nam si curent, etc. » Vide Hieronymum Columnam ad Ennii Fragg. pag. 224. Est autem haec vulgaris reprehensio providentiæ confutata a Platone de Legg. et Seneca de Providentia. Wytt.

2. *Nam si curent, bene nobis sit, male malis : quod nunc abest.* Himerius apud Photium, Cod. CCXLIII, col. 1085 : Εὐτυχοῦσι γὰρ, φησὶν Ἐπίκουρος, οἱ κακοί. Καὶ τί κακίας μεῖζον δυστύχημα; Δυστυχοῦσι γὰρ οἱ σοφοί. Εἶτα εὐτυχίαν ἄλλην ἀρετῆς ἡγῇ βελτίω; vide Theophilum Antiochenum, lib. III, pag. 296; Martialem, IV, 21. Dav. — Himerii locus, a Davisio laudatus, nunc legitur in Eclogis, III, 17, pag. 80, ubi vide Wernsd. Cr.

3. *Duo Scipiones.* Cn. et P. Scipiones, quorum P. fuit Africani majoris pater, bello Punico secundo in Hispania ab Hasdrubale, fratre Hannibalis, cum exercitu cæsi. Vide Livium, XXV, 36; Cic. de Offic. I, 18, et III, 4. Wytt.

4. *Cur ... consularem?* Q. Fabius Maximus, cognomine Cunctator, filium consularem morte amisit. Cic. de Sen. cap. 4; ad Div. IV, 6; Plutarch. in ejus vita, p. 188. Wytt.

5. *Marcellum.* De eo vide Livium, XXVII, 27; Plutarch. in vita Marc. pag. 315 seqq. Wytt.

6. *Paullum Cannæ.* L. Æm. Paullus cos. pater L. Æmilii Paulli, qui Macedoniam subegit, avus P. Scipionis Africani, in pugna ad Cannas adversus Hannibalem commissa, cum majore parte exercitus cæsus interiit. Vid. Liv. XXII, 49. Wytt.

7. *Reguli.* Res pervulgatior quam verior. Eamdem repetit Cic. Offic. I, 13; III, 26; ubi vide Heusingerum. Jam contra hunc Palmerius in Exerc. ad græc. auct. p. 151, contendit perperam hanc opinionem de Carthagi-

Digitized by Google

mestici parietes non texerunt[8]? Sed hæc vetera, et alia permulta: propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentissimus, idemque doctissimus, P. Rutilius in exsilio est? Cur sodalis meus interfectus domi suæ Drusus[9]? Cur temperantiæ prudentiæque specimen, ante simulacrum Vestæ, pontifex maximus est Q. Scævola[10] trucidatus? Cur ante etiam tot civitatis principes a Cinna[11] interempti? Cur omnium perfidiosissimus, C. Marius, Q. Catulum, præstantissima
81 dignitate virum, mori potuit jubere? Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit; nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter, septimum consul, domi suæ senex est mortuus? Cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit?

XXXIII. At dedit pœnas. Prohiberi melius fuit, impedirique, ne tot summos viros interficeret, quam

niensibus a Romanis jactatam esse, eos Regulum exquisitis suppliciis excarnificasse: at verisimilius et eum in Carthagine morbo exstinctum fuisse. Wytt.

8. *Africanum . . . texerunt.* Hic est Africanus minor, de quo modo diximus, filius naturalis L. Æmil. Paulli, qui Macedoniam subegit, adoptatus a P. Scipione, filio P. Scipionis Africani majoris. Hic Carthaginem delevit bello Punico tertio: at major Africanus Hannibalem debellaverat bello Punico secundo. Hic igitur minor Africanus domi suæ noctu interfectus est, incerto auctore, Carbone conscio, ut Cicero affirmat de Orat. II, 40; ad Div. IX, 21; orat. pro Mil. cap. 7; Vell. Pat. II, 4. Wytt.

9. *Drusus.* M. Livius Drusus tribunus plebis causam senatus contra Saturninum defendit, et socios Italicos cum Romanis conciliare instituit: e concione domum deductus in turba amicorum, atrium domus suæ ingressus ab incerto sicario interfectus est. Vid. Cic. de Orat. III, 1, et Vell. Pat. II, 13, 14. Wytt.

10. *Scævola.* Q. Mucius Scævola, pontifex maximus, Ciceronis in jure civili præceptor, ut novimus ex libro de Amic. cap. 1. Hujus sunt partes colloquentis in libris de Oratore. Sylla in Asiam profecto, a Marii factione ad Vestæ simulacrum occisus est. Vid. de Orat. III, 3; Vell. Pat. II, 26. Wytt.

11. *Cinna.* L. C. Cinna a Sylla in Asiam proficiscente cos. relictus cum M. Octavio hunc expulit, cum M. Mario ab exsilio redeunte se conjunxit, Urbem cædibus Syllanorum replevit. Vid. Cic. orat. Philipp. I, 13; Tusc. V, 19; Vell. Pat. II, 20 qq. Wytt.

Digitized by Google

ipsum aliquando pœnas dare. Summo cruciatu supplicioque Q. Varius[1], homo importunissimus, periit: si, quia Drusum ferro, Metellum[2] veneno sustulerat; illos conservari melius fuit, quam pœnas sceleris Varium pendere. Duodequadraginta Dionysius tyrannus annos fuit opulentissimæ et beatissimæ civitatis[3]. Quam multos ante hunc, in ipso Græciæ flore, Pisistratus[4]? At Phalaris[5], at Apollodorus[6] pœnas sustulit[7]. Multis quidem ante cruciatis et necatis. Et prædones multi sæpe pœnas dant: nec tamen possumus dicere, non plures captivos acerbe, quam prædones 82

XXXIII. 1. *Q. Varius* in oratoribus numeratur a Cicerone de Orat. I, 25, et in Brut. 49 et 62. Fuit seditiosus civis, cui restitit M. Scaurus, ut Cicero prodit in orat. pro Sext. cap. 47. Ab hoc trib. pleb. ann. Urb. 662 lata est lex Varia, ut quæstio haberetur de iis, quorum consilio socii Italici arma sumpsissent contra populum romanum, qua lege ipse postea condemnatus est, ut Cicero memorat in Bruto, cap. 89. Conf. Wesseling. Obss. I, 11. De ejus autem hominis supplicio hic est singularis Ciceronis locus. WYTT.

2. *Drusum... Metellum.* De Druso modo vid. cap. 32. Metellus ex multis cognominibus quis significetur, non apparet. WYTT.

3. *Dionysius..... civitatis.* Hic est Dionysius major, qui e privato factus est rex Syracusarum, urbis in Sicilia opulentissimæ et beatissimæ, id est, ditissimæ et florentissimæ. Hic mortuus est Olymp. CIII, 1 a. C. 368; tyrannidem occupavit Olymp. XCIII, 4 a. C. 405. Vide Diodor. Sic. XIII-XV. WYTT.

4. *Quam multos ante hunc, in ipso Græciæ flore, Pisistratus?* Ita nunc edendum curavi, MSS librorum auctoritatem sequutus, qui sic plane habent. Sententia autem hujus scripturæ in promptu est; hoc enim significat Cicero, etiam Pisistratum multos annos tyrannum fuisse in civitate libera et omnium totius Græciæ urbium principe, Athenis. Atheniensium tyrannus fuit Pisistratus per XXXIII annos. Vide Joan. Meursii Pisist. capp. 5, 20. DAV.

5. *Phalaris* Agrigentinorum tyrannus in Sicilia, immanis homo sævitiæ. Vid. Cic. de Off. III, 6; in orat. adv. Pis. cap. 18. Taurus ejus minime fabulosus affirmatur a Diodor. Sic. XIII, 90, ubi vid. Wessel. WYTT.

6. *Apollodorus* Cassandreæ urbis tyrannus in Græcia, passim in exemplum crudelitatis citatur, vixit Olymp. CXX, circiter 300 annis ante Christ. Præter Davisium ad h. l. vid. Nic. Heins. ad Ovid. Am. II, 9, 43, et nostra annott. ad Plut. de S. N. V. p. 55 et p. 62. WYTT.

7. *Pœnas sustulit.* Fortasse Cicero scripsit *pœnas tulit*, quod multo est frequentius quam *pœnas auferre*: poterat autem dici, « Phalaridem et Apollodorum pœna sustulit »: dicitur autem hoc tamquam responsum Stoicorum. WYTT.

Digitized by Google

necatos. Anaxarchum Democriteum[8] a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus; Zenonem Eleæ in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrymari soleo, Platonem legens[9]. Videsne igitur, deorum judicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum?

83 XXXIV. Diogenes quidem cynicus dicere solebat, Harpalum[1], qui temporibus illis prædo felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa

8. *Anaxarchum Democriteum*, etc. Utriusque, et Anaxarchi et Zenonis, exemplum in eodem argumento conjungit Cic. Tuscul. II, 21, et alii multi celebrant. De Anaxarcho in primis vid. Diog. Laert. IX, 59, ibique Menagius. Fuit autem Anaxarchus comes Alexandri M. in expeditione, indeque redux a Cyprio tyranno Nicocreonte in mortarium conjicitur, vivusque in eo contusus est. Zeno autem Eleates, i. e. civis Græcæ Italiæ urbis Eleæ, unde Eleatica secta exstitit, discipulus Parmenidis, in conjuratione adversus patriæ tyrannum deprehensus, quum cogeretur consocios conjurationis prodere, linguam ipse sibi suam præcidit, ne socios proderet. Vide Diog. Laert. IX, 26, et Davis. ad h. l. Wytt.

9. *Platonem legens*, sc. dialogum Phædonem, quo mors Socratis ejusque de immortalitate animorum disputatio continetur. Wytt.

XXXIV. 1. *Harpalum... quod tam diu viveret.* Hunc Ciceronis locum cum historicorum narrationibus composuit Sancto-Crucius (*Sainte-Croix*) in opere: *Examen critique des historiens d'Alexandre-le-Grand*, p. 433 ed. alter. Nimirum cum Arriani fide (de reb. gest. post Alex. apud Phot. Bibl. pag. 208), item Diodori Siculi (XVIII, 19) hoc posuisset vir doctissimus: Harpalum, plebiscito ejectum Athenis, et deinde Tænaro Laconiæ profugum, in insula Creta per insidias Thimbronis amici sui necatum esse, posteaquam Alexander Magnus diem suum obiisset Babylone, secus atque Curtius (X, 6) narret; qui Harpalum tradat sua morte Alexandri obitum prævertisse: igitur his positis ita pergit: « Les paroles que Cicéron met dans la bouche du philosophe Diogène, qui mourut le même jour que le conquérant, confirment en quelque sorte le récit de ces historiens ». Subjicitur locus Ciceronis. Vides Sancto-Crucium h. l. de Alexandri præfecto accipere. De hoc Harpalo neminem pœniteat legisse, quæ Jacobsius in Museo Attico, II, 3, pag. 154 seqq. congessit. Ac si cogites, quoties comici in eo homine notando Babyloniæ, cui præfectus fuerat, mentionem faciant (vide v. c. Athenæum, XIII, pag. 595, C), et attendas aliquot librorum MSS lectiones, possis conjectando effingere: « qui temporibus illis prædo summus in felici Babylonia habebatur ». Felix Babylonia quid sit, docere unumquemque potest Herodot. lib. I, cap. 193. *Summus* autem prætorum prædonumque principi congruat. Sed hoc nimirum est hariolari.

Digitized by Google

fortuna tam diu viveret. Dionysius, de quo ante dixi, quum fanum Proserpinæ Locris expilavisset[2], navigabat Syracusas; isque quum secundissimo vento cursum teneret, ridens: Videtisne, inquit, amici, quam bona a diis immortalibus navigatio sacrilegis detur? Atque homo acutus, quum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseverabat: qui, quum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii[3], aureum ei detraxit amiculum, grandi

Cr.—*Harpalum, qui temporibus illis prædo felix habebatur.* Wower. MS «prædo in Pamphylia habebatur, etc.»; alii aliter. Has varietates exercendis felicium ingeniis recensui; nam ipse quidem nihil vulgata melius possum comminisci. Porro de Harpalo Alexandri præfecto, qui, ingente rapta pecuniarum vi, Athenas profugit, agi non videtur. Adi sis, inter alios, Plutarch. Phoc. p. 751; Demosth. p. 857, ac Photium, Codd. 91, 92. Eum crediderim piratam intelligendum, quem *Scirpalum* vocat Diogenes Laertius, lib. VI, § 74. Suidas autem *Scirtalum*. Non aliter Æg. Menagius et J. F. Gronovius statuerunt. Res tamen est parum certa. Davis.

2. *Dionysius... quum fanum Proserpinæ Locris expilavisset.* De his tyranni Syracusani facinoribus videatur Dionysius Hal. in Excerptt. nuper a Maio editis, lib. XIX, pag. 89 edit. Francof. Narratur alter ejusdem descensus in Italiam. Illud sacrilegium si in priore factum est: vides quomodo ipsos socios tractaverit Dionysius. Cr.

3. *Qui quum ad Peloponnesum classem appulisset, et in fanum venisset Jovis Olympii.* Dionysium hunc juniorem fuisse produnt Arnob. lib. VI, pag. 258 ed. Her. et Clemens, Protr. pag. 15. Adeo ut Cicero in Peloponneso, Clemens autem in Sicilia, hoc sacrilegium admissum fuisse testetur. Quod quum observasset Pet. Victorius, Var. Lect. lib. XXI, cap. 10, sic infit: «ut autem libere quod sentio aperiam, quum memoriæ proditum sit, templum Jovis Olympii in Sicilia quoque fuisse; vereor, ne hoc M. Tullio imposuerit; ut legens apud aliquem scriptorem hoc factum fuisse in fano Jovis Olympii, ob dignitatem Peloponnesii fani, et non recordatus eidem deo ædificatum dicatumque in Sicilia templum esse, putaverit in Peloponneso id ab Dionysio commissum, addideritque ipse, quod ad rem verisimilem reddendam desiderari videbatur». Hactenus insignis ille vir, et, ut equidem arbitror, rectissime. Nam cum Clemente facit Ælian. Var. Hist. lib. I, cap. 20. Deinde probabilius est Hieronem, sive Gelonem, Siciliæ tyrannum, suæ quam alienæ ditionis templum manubiis Carthaginiensibus exornasse. Dubium tamen non est, quin peregrinarum regionum locis sacris dona mittere soliti sint reges. Vide sis Athenæum, lib. VI, p. 231; L. Florum, lib. I, cap. 12, 10, et Nostrum de Divin. I, 19. Ac Ciceroni quidem favet Lactant. Div.

Digitized by Google

pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo[4]. Atque in eo etiam cavillatus est, æstate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum; eique laneum pallium injecit, quum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Æsculapii Epidauri[5] barbam auream demi jussit. Neque enim convenire, barbatum esse filium, quum in omnibus fanis
84 pater imberbis esset[6]. Jam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri : in quibus quod more veteris Græciæ inscriptum esset, BONORUM DEORUM,

Inst. lib. II, cap. 4, 16, ut et Lucianus in Timone, si verax est Cl. Cuperus, Observ. lib. III, c. 10. Dav. — *Jovis Olympii fanum ad Peloponnesum.* Error est scriptoris, quem Cicero sequutus est : neuter Dionysiorum classem appulit ad Peloponnesum : et hoc sacrilegium erga Jovem in Sicilia et Syracusis patrasse Dionysium tradunt Ælian. Var. Hist. 1, 20; Clemens Alex. in Protrept. pag. 340. Sed Lucianum in Timone, § 4, p. 106, Jovis simulacrum Olympiæ spoliatum a Dionysio significare putat Cuperus, Obss. III, 10, pag. 298, perperam quidem ille, judice Tib. Hemsterhusio ad illum Luciani locum. Interpretes non videntur animadvertisse discrimen inter Olympius et Olympicus : Olympius, græce Ὀλύμπιος, est cælestis, et Jovis Olympii multis locis erant templa et statuæ : at Olympicus refertur ad urbem Peloponnesi Olympiam, ubi agebantur ludi Olympici, non Olympii : itaque in verbis *Jovis Olympii* nullum est vitium, sed in eo, quod dicitur Dionysius classem ad Peloponnesum appulisse. Wytt.

4. *Quo Jovem ornarat ex manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo.* Olim *Hiero.* Hieronis frater Gelo fuit, qui sæpe adversus Carthaginienses victor in Sicilia rem præclare gessit et copias Pœnorum duce Hamilcare infestas Siciliæ delevit, ut Herodotus scripsit Polymnia. Sed et Hieronis multæ adversus barbaros victoriæ memorantur, ut non existimem mutandam scripturam, præsertim quum apud Valerium Maximum (lib. I, cap. 1, 3, extern.), qui hanc etiam ut alias plerasque narrationculas de Cicerone collegit, *Hiero* legatur. Mr.

5. *Idemque Æsculapii Epidauri.* Scribendum vel *Æsculapii Epidaurii*, prout voluit Lambinus, et habet Pal. quint. vel *Æsculapio Epidauri*, quemadmodum legit Val. Max. lib. I, c. 1, 3, extern. Dav. — Scripsit Heindorf. *Æsculapi Epidauri*, defenditque vulgatam loco simili ex Tusc. V, 25. Ms. — Simile facinus in Apolline commisit Dionysius, teste Plutarcho de Isid. et Osirid. (pag. 379, d.), pag. 552 Wyttenb. τὸν δὲ Ἀπόλλωνα χρυσοῦς βοστρύχους ἔχοντα Διονύσιος ἀπέκειρεν. Illud etiam attigit Arnob. adv. Gent. VI, 21. Cr.

6. *B. esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset.* Notum est græcum carmen, οὔ ποτε Φοίβου Θαλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς. Unsin.—Est Callimachi Hymn. in Apoll. vs. 36. Dav.

Digitized by Google

uti se eorum bonitate velle dicebat[7]. Idem Victoriolas aureas, et pateras, coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur[8], sine dubitatione tollebat; eaque se accipere, non auferre dicebat; esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere. Eumdemque ferunt hæc, quæ dixi, sublata de fanis in forum protulisse, et per præconem vendidisse[9]; exactaque pecunia edixisse, ut, quod quisque a sacris haberet, id ante diem certam in suum quodque fanum referret. Ita ad impietatem in deos in homines adjunxit injuriam.

XXXV. Hunc igitur nec Olympius Jupiter fulmine percussit, nec Æsculapius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit: atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis[1] rogum illatus est; eamque potesta-

7. *Quod more veteris Græciæ inscriptum esset, Bonorum Deorum, uti se eorum bonitate velle dicebat.* Illud observatione dignum, quod hanc historiam aliter prorsus narret Athen. lib. XV, pag. 693. Idem etiam statuit Pet. Victorius, Var. Lect. lib. I, init. aliisque Veterum locis confirmat Joan. Schefferus ad Æliani Var. Hist. lib. I, cap. 20. Cum Cicerone tamen facit Valer. Max. lib. I, cap. 1, 3, extern. At is Nostrum exscribit. Mn.

8. *Victoriolas aureas, et pateras, coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur.* Vide Val. Max. lib. I, cap. 1, 3; Lactant. Div. Inst. lib. II, cap. 4, 19, et Arrian. Epict. lib. II, cap. 8. Et hoc modo Palladem repræsentant plurimi nummi. Videas licet inter alios J. C. Gevartium ad Statium in equum Domit. vs. 39; Cl. Liebei Gotham Nummariam, cap. 1, § 6, cap. 4, § 18, et cap. 5, § 28. Nec ea solum, sed etiam Jupiter aliique dii Victoriolas protensa manu gerebant. Vide eis eumdem cap. 9, § 22, cap. 11, § 15, et Ciceronem in Verrem, IV, 49, 50. Dav.

9. *Per præconem vendidisse.* Alia narrantur ab Aristot. in Œconom. II, 20. Quædam etiam de Dionysio majore. Wytt.

XXXV. 1. *Atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogum illatus est.* Olim *tympanidiis. Tympana* ligna erant, quibus verberabantur a tyranno damnati. *Tympanidia*, parva tympana. Significatur igitur aliqua ex parte illa ποικιλία et κατασκευὴ ἡ περὶ τὴν ἐκφορὰν Διονυσίου, id est, varius ille et multiplex apparatus circa funus et exsequias Dionysii tyranni, quem græci scriptores tantopere prædicant, sed non describunt, neque exprimunt. Lamb. — At non, quid scripserit Tullius, adsequi possum divinando. Hoc etiam de se confessus est Pet. Victo-

Digitized by Google

tem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi justam et legitimam, hereditatis loco filio tradidit.

rius, V. L. lib. XXXVIII, c. 10. Quod igitur solum queo, codicum diversitates et aliorum conjecturas referam. Pall. pr. sec. *in typanidis*; quart. *in tipanidis*; Reg. noster, *vitimpanitis rogo*; et pro varia lectione, *in tympanis rogo illatus est*; quod eumdem sensum fundit ac emendatio Lambini; sed mihi nullo modo placet. Fazellus, Hist. Sic. Dec. II, lib. III, cap. 1, legit, «triumphantis in modum in rogum illatus est». Pet. autem Petitus, Miscell. I, cap. 4, rescribit, «in Thymaridæ Heroum illatus est». Ampliss. denique Boherius vult, «in Pentapylis rogo illatus est». Diodorus enim tradit, Dionysium sepultum fuisse κατὰ τὴν ἀκρόπολιν πρὸς ταῖς βασιλίσι καλουμέναις πύλαις, easque portas numero fuisse quinas docet Plutarchus in Dione, p. 970. In hac conjiciendi licentia quid obstat, quo minus ipse quod mihi venit in mentem proferam? Pal. tert. Asceus. et Vict. *in tyrannidis rogum*. Legerim, «atque in suo lectulo mortuus et in tyrannide, rogo illatus est». Davis. — Pro *atque* est *atqui* in codd. D. et I. Jam, quæ sequuntur, ita sunt depravata, ut vix sanitati restitui aliquando posse videantur. Ex codd. et edit. alii *tympanidis*, alii *tympadis*, alii aliter. Lambini se explicationem non intelligere ait Heind. Marsi vero, qui scripsit: «i. magnifica funeris pompa honestatus est. Tympanidia posuit pro solemni cantu et sono, quo prisci utebantur in funere; ut Romani tibiciniis: tympanidia dicuntur cantus et sonitus tympanorum». Quamquam hisce *tympanidiis* magnam illam pompam significari non est verisimile. Marklandus conjecit in Ep. Crit. pag. 26, «in triumphantis toga elatus est», quam vero conjecturam in Præfat. ad Statii Silvas retractavit. Davisii conjecturæ obstare ait Heind. inscitam compositionem «in suo lectulo et in tyrannide». Cannegieterum de Notis, p. 317, conjecisse ait Ernest. «verum etiam impunitus», et Trillerum, Obss. p. 60, «vita impunitus»; cur non, pergit, simpliciter «impunitus in rogum est illatus?» Sed otiosum esset illud *impunitus* post ea, quæ præcesserunt. Wyttenbachius denique in Bibl. Crit. 3, p. 22, conjecit «in suo lectulo immortuus tyrannidi in rogum illatus est», cui opponit Heind. *immori* aut proprie usurpari vel de loco, ubi quis moriatur, vel de re, in qua quis ita moriatur, ut ipsa moriendi causam attulerit; aut translate, si quis omnes vires in aliquo labore consumat; quorum nullum in hunc locum cadat. Vult igitur Heindorf. pompam potissimum funebrem iis in verbis latere, quod ita potuerit exprimere Cicero: «atque in lectulo suo mortuus tyrannidis pompa in rogum illatus est»; an ita scripserit, præstare non audet; neque ausit alius quispiam. Hemsterhusium Schützius conjecisse memorat: «in Temeno (prope Syracusas) in rogum illatus est». Kindervaterus conjecit: «atque in suo lectulo mortuus tympanite», (morbo, quo, ventre vehementer intento, creber intus ex motu spiritus, sonus est: quoque nonnumquam homines celeriter exstinguuntur) *rogo* (s. *in rogum*) *illatus est*. Quam conjecturam probat ejus censor Ienensis (1794, 167). Irritus certe (vel saltem non extra omnem dubitationis aleam positus) aliorum labor ita me a conjecturis proponendis deterruit, ut vix audeam proferre, quæ mihi aliquando

Digitized by Google

Invita in hoc loco versatur oratio. Videtur enim aucto- 85
ritatem afferre peccandi: recte videretur, nisi et virtutis, et vitiorum, sine ulla divina ratione, grave ipsius conscientiæ pondus esset. Qua sublata, jacent omnia. Ut enim nec domus, nec respublica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis præmia exstent ulla, nec supplicia peccatis: sic mundi divina[2] in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum.

At enim minora dii negligunt, neque agellos sin- 86
gulorum, nec viticulas persequuntur; nec, si uredo, aut grando quippiam nocuit, id Jovi animadvertendum fuit. Ne in regnis quidem reges omnia minima curant: sic enim dicitis. Quasi ego paullo ante de fundo Formiano P. Rutilii sim questus, non de amissa salute.

in mentem venerunt. Erat enim quum conjicerem, «atque in suo lectulo mortuus et intra parietes, in rogum illatus est»; vel, «atque in suo lectulo mortuus (gulæ) intemperantia (Diod. Sic. l. l. neque vero deorum ira), in rogum illatus est». Judicent acutiores. Schützius nihil tentat. Possit etiam aliquis, collata codicum scriptione, qui fluctuant inter *tymp.* et *tyrann.* proxime ad Hemsterhusii et Wyttenbachii sententiam conjicere: «Atque in suo lectulo immortuus tyrannidi, in Temenite rogo illatus est». Fuit enim *Temenites* extrema pars septemtrionalis ejus urbis Syracusarum partis, quæ dicebatur *Neapolis*, prope murum, vel murum potius complectens. V. Arnold. Gesch. v. Syrakus, p. 87. Non favet conjecturæ nostræ supra expositæ (*gulæ intemperantia*) neque Kindervateri *tympanite*, quod ait Cicero de Dionysio Tuscul. lib. V, cap. 20, summam fuisse ejus in victu temperantiam. Mr.

2. *Sic mundi divina.* Nihil huc facit vox media, quam, velut adscititiam, cinximus uncinis. Dav. — Uncinis liberaverunt vocem *mundi* Ernestus et Heindorfius (itemque Schutz.), diversa vero uterque ratione ductus. Ernest. enim vulgatam ait ita posse accipi, ut primum universa moderatio divina intelligatur in mundum sc. universum, deinde separatim ejus pars, quæ ad homines pertinet; Boherium velle deleri *in homines*: si alterutrum sit faciendum, malle se tamen Davisium sequi. Heind. vero *mundi* h. l. verbum adhiberi a Cotta ait ex Stoicorum sententia, qui mundum animantem esse et sapientem et deum statuerent (cf. 2, 8, 9, 11), mundo igitur ipsi divinam tribuerent in homines moderationem. Mr.

Digitized by Google

XXXVI. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitæ, a diis se habere : virtutem autem nemo umquam acceptam deo retulit[1].
87 Nimirum recte. Propter virtutem enim jure laudamur, et virtute recte gloriamur. Quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis haberemus. At vero aut honoribus aucti, aut re familiari, aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni, aut depulimus mali, quum diis gratias agimus, tum nihil nostræ laudi assumptum arbitramur. Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit umquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis; Jovemque optimum, maximum, ob eas res appellant, non quod nos justos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod salvos, in-
88 columes, opulentos, copiosos. Neque Herculi quisquam decumam[2] vovit umquam, si sapiens factus esset. Quamquam Pythagoras, quum in geometria

XXXVI. 1. *Virtutem ... retulit.* «Alicui quid acceptum referre» est alicui pro munere quodam gratias habere. Metaphorica est dictio sumpta de tabulis rei familiaris seu œconomicis, quæ tabulæ duplices erant, alteræ accepti, alteræ expensi. Itaque «aliquid in tabulas accepti referre certo nomine», velut acceptum a Scipione vel a deo, idem est atque aliquid memoriæ mandare tamquam beneficium ab illo viro acceptum. Sententia autem maxime a Stoicis celebrabatur, sed etiam ab aliis philosophis, qui providentiam divinam non tollerent, hominem sibi ipsum virtutem aut pravitatem adjungere, deum neutrius rei causam exsistere. Plato de Rep. lib. X, p. 520, ἀρετὴ ἀδέσποτος, θεὸς ἀναίτιος, «virtus non pendet ab externo dominio, deus culpa vacat», quam sententiam pluribus explicat Plut. in Symp. lib. IX, cap. 5. Huc pertinet item illud Horatii lib. I, Ep. 18 fin. «Sed satis est orare Jovem, qui donat et auffert, Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo». Quo loco Lambinus hanc ipsam Ciceronis disputationem adhibuit. Socrates quidem apud Platonem in Menone, p. 24, virtutem divino munere hominibus impertiri ait, et ipse Cicero de Legg. lib. II, cap. 9. Wytt.

2. *Herculi ... decumam.* Hic erat Veterum mos, de quo quædam notavit P. Wessel. ad Diod. Sicul. lib. IV, cap. 21, et nos ad Plut. Quæst. Rom. cap. 18. Wytt.

Digitized by Google

quiddam novi invenisset[3], Musis bovem immolasse dicitur. Sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine adspergeret[4]. Ad rem autem ut redeam, judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Quamvis licet Menti[5] delubra, et Virtuti, et Fidei consecremus; tamen hæc in nobis ipsis sita videmus: Spei, Salutis, Opis, Victoriæ facultas a dïis expetenda est.

3. *Quum in geometria quiddam novi invenisset*, etc. Εὑρὼν, inquit Plutarchus, Συμποσ. lib. VIII, cap. 2, ὅτι τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου ἡ ὑποτείνουσα ἴσον δύναται ταῖς περιεχούσαις, id est, quum reperisset, latus subjectum triangulo rectangulo tantumdem valere, quantum ambientia, seu continentia. Lamb.—Hujusce famæ meminit etiam Laertius, I, 25. At hunc bovem σταίτινον, *e farina confectum*, fuisse, φασὶν οἱ ἀκριβέστεροι, si fides sit adhibenda Porphyrio, vit. Pythag. § 36. Nonnulli tamen eum hac de causa ἑκατόμβην θῦσαι tradiderunt. Vide Athenæum, lib. X, p. 418, et Diogenem Laertium, lib. VIII, § 12. Plura Veterum loca suppeditabit Hadr. Junius, Anim. lib. V, cap. 9. Dav. — *Musis bovem immolasse dicitur*. Plane sic noster G. Ad rem quod attinet, Davisianis adde hoc: Sponium in Miscell. Antiqq. p. 46, hinc explicasse caput bovis, sub clava, quam Melpomene gestat, insculptum in urna sepulchrali Barberinorum, quæ eadem reliquas quoque musas exhibet, dissentiente tamen Winkelmanno de Allegoria (in Operib. vernac. vol. II, p. 617 seq. ed. nov. Dresd.) Cr.

4. *Ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine adspergeret.* Ciceronis autem μνημονικὸν ἁμάρτημα nullo modo videtur prætereundum: non enim res sic se habuit, ut retulit Noster; sed Pythagoras Apollinis Delii aram, velut inviolatam, adoravit, quod in ea nullum sacrificaretur animal. Censorinus de Die Natali, cap. 2: « Deli ad Apollinis Genitoris aram, ut Timæus auctor est, nemo hostiam cædit ». Adi Diogenem Laertium, lib. VIII, § 13; Porphyrium, περὶ ἀποχῆς, II, § 28; Cyrillum in Julianum, lib. IX, pag. 307, et Macrobium, Saturn. III, 6. Dav.

5. *Quamvis licet Menti delubra.* Secundam vocem omittit Bonon. 1494. Reg. autem, « quamvis enim Menti delubra ». Sed recte Jac. Gronovius ex Pall. pr. sec. Buslid. et Vossian. edidit, « quamvis licet Menti delubra ». Cic. Tusc. lib. IV, cap. 24: « Quamvis licet insectemur istos, ut Carneades solebat, metuo ne soli philosophi sint ». Lucretius, lib. VI, pag. 796, vs. 660: « Proinde licet quamvis cælum terramque reantur Incorrupta fore, æternæ mandata saluti ». Iterum, p. 799, v. 620: « Proinde licet quamvis ex unoquoque loco Sol Humoris parvam delibet ab æquore partem ». Perperam igitur Janus Gruterus horum verborum alterutrum supervacaneum pronuntiavit. Dav.

Digitized by Google

XXXVII. Improborum igitur prosperitates secundæque res redarguunt, ut Diogenes dicebat, vim om-
89 nem deorum ac potestatem. At nonnumquam bonos exitus habent boni. Eos quidem arripimus, attribuimusque sine ulla ratione diis immortalibus. At Diagoras[1], quum Samothraciam venisset, Atheos ille qui dicitur, atque ei quidam amicus, Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis[2], quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint? Ita sit, inquit: illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt, in marique perierunt. Idemque, quum ei naviganti vectores, adversa tempestate timidi et perterriti, dicerent, non injuria sibi illud accidere, qui illum in eamdem navem recepissent: ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantes; quæsivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent[3]. Sic enim res se habet, ut ad prosperam, adversamve fortunam, qualis sis, aut quemadmodum vixeris, nihil intersit.

90 XXXVIII. Non animadvertunt, inquit, omnia dii: ne reges quidem[1]. Quid est simile? Reges enim si

XXXVII. 1. *Diagoras*. Diog. Laert. VI, 59, hoc referens ab aliis Diagoræ, ab aliis Diogeni Cynico tribui ait. Wytt.

2. *Tabulis pictis*. De *tabulis pictis* eorum, qui servati essent e periculis, est Plutarchi locus de Mario, qui præter spem ex hostium manibus evaserat, in ejus vita p. 428, E. Francof. Quam in rem plura congessit doctissimus Paciaudi in Monumentt. Peloponn. II, pag. 167 seq. nec nostri loci oblitus. Ca. — Votivæ tabulæ mentio est apud Horatium, Carm. I, 5, et Ars Poet. I, 21. Wytt.

3. *Idemque... in iis navibus Diagoram vehi crederent*. Explicuit hunc locum similesque ex Veterum moribus Walckenaer. in Scholiis in N. T. nuper a Wassenberghio V. Cl. editis ad locum Evang. Luc. V, 8, p. 107, contulitque Diogen. Laert. I, 86, et Horat. Carm. III, 2, 26: «... vetabo, qui Cereris sacrum Volgarit arcanæ, sub isdem Sit trabibus fragilemve mecum Solvat phaselon». Cujus loci sententia plane ad Diagoram referri potest, ut qui Eleusinia vulgasse dictus esset (vide locos supra pag. 6 laudd.) Ad illa autem Horatii Mitscherlichius commode adhibuit Euripid. Electr. 1334, et Callimachi H. Cer. 118. Ca.

XXXVIII. 1. *Non anim.... ne r. quidem*. Hæc dicuntur tamquam a Stoi-

Digitized by Google

scientes prætermittunt, magna culpa est. At deo ne excusatio quidem est inscientiæ. Quem vos præclare defenditis, quum dicitis, eam vim deorum esse, ut, etiam si quis morte pœnas sceleris effugerit, expetantur eæ pœnæ a liberis, a nepotibus, a posteris. O miram æquitatem deorum! Ferretne ulla civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut avus deliquisset[2]?

> Quinam Tantalidarum[3] internecioni modus
> Paretur? aut quænam umquam ob mortem Myrtili[4]?
> Pœnis luendis dabitur satias[5] supplici?

Utrum poetæ stoicos depravarint, an stoici poetis de- 92
derint auctoritatem, non facile dixerim: portenta enim et flagitia ab utrisque dicuntur. Neque enim, quem Hipponactis iambus læserat, aut qui erat Archilochi versu vulneratus, a deo immissum dolorem, non conceptum a se ipso, continebat; nec, quum Ægisthi libidinem, aut quum Paridis videmus, a deo causam requirimus, quum culpæ pæne vocem audiamus; nec ego multorum ægrorum salutem non ab Hippocrate potius, quam ab Æsculapio datam judico; nec Lacedæmoniorum disciplinam dicam umquam ab Apolline

cis objecta, quod significat etiam verbum *inquit*, quo sæpe utuntur Græci et Latini, quum alium loquentem inducunt. Argumentum autem ipsum a Stoico supra erat allatum, II, 66 fin. Wytt.

2. *Ferretne ulla civitas... deliquisset.* Tractavimus hoc placitum Stoicorum ad Plutarch. de S. N. V. p. 63 et 65. Wytt.

3. *Quinam Tantalidarum internecioni modus Paretur.* Attii sunt versus, ut patet ex Charisio, Inst. Gramm. lib. I, col. 7. At apud eum legitur *internecioni modus sit*, eamque lectionem sequutus Paullus Manutius, metrum vitiavit. Ei tamen hæc laus debetur, quod hos iambicos esse primus animadvertit. Dav.

4. *Myrtili.* Mercurii filius erat Myrtilus, quem Pelops in mare jecit. Vide Schol. Eurip. ad Orestæ v. 810, 992, ipsum Euripidem, v. 1582, seq. Dav.

5. *Satias*, —*tis*, ponitur pro *satietas: modus* autem idem est ac *finis*. Versus hos refert sub Accii nomine Charisius, vetus grammaticus, Instit. I, pag. 70: in Fragm. vet. tragœd. a P. Scriverio collectis hic locus exhibetur p. 151. Wytt.

Digitized by Google

potius Spartæ, quam a Lycurgo datam. Critolaus, inquam, evertit Corinthum; Carthaginem Hasdrubal[6]: hi duo illos oculos oræ maritimæ effoderunt, non iratus alicui, quem omnino irasci posse negatis, deus[7].

92 XXXIX. At subvenire certe potuit, et conservare urbes tantas atque tales. Vos enim ipsi dicere soletis, nihil esse, quod deus[1] efficere non possit, et quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa ac voluntate moveantur; sic numine deorum omnia fingi, moveri, mutarique posse. Neque id dicitis superstitiose atque aniliter, sed physica constantique ratione. Materiam enim rerum, ex qua, et in qua omnia sint, totam esse flexibilem et commutabilem, ut nihil sit, quod non ex ea quamvis subito fingi convertique possit; ejus autem universæ fictricem et moderatricem divinam esse Providentiam; hanc igitur, quocumque se moveat, efficere posse, quidquid velit. Itaque aut nescit, quid possit; aut negligit res humanas; aut, quid sit optimum, non potest judicare.

Non curat singulos homines. Non mirum[2]: ne ci-
93 vitates quidem. Non eas? ne nationes quidem et gentes.

6. *Critolaus... Hasdrubal.* Iniquissimum fallacissimumque judicium plane rhetoricum ad veritatem pervertendam factum. Nam hi duo viri in patria adversus Romanorum vim defendenda cives suos, ne Romanis cederent, incitarunt. Critolaus, Achæorum prætor, etiam reprehenditur a Polybio in Excerpt. de Legatione, cap. 144, p. 810. De Hasdrubale vide Appianum in Punicis, cap. 70-130. Carthago et Corinthus eodem ann. Urbis 608, ante Christ. 146, deletæ sunt. Verius Cicero de Off. lib. I, cap. 11, et lib. II, cap. 22, ipsos Romanos facti auctores facit. Wytt.

7. *Deus.* Nonnulli volunt *deum*, et codd. et edd. complures *deum* exhibent.

XXXIX. 1. *Deus.* De dei omnipotentia secundum Stoicos vide Diogen. Laert. lib. VII, cap. 139 seq. item Lipsius de Phys. Stoicorum, lib. II, cap. 8. Wytt.

2. *Non mirum: ne civitates quidem.* Hunc locum sic interpungendum puto: «Non curat singulos homines. Non mirum. Ne civitates quidem. Non eas. Ne nationes, etc». Est enim quædam dialogi species. Dav.

Digitized by Google

Quod si has etiam contemnet, quid mirum est, omne ab ea genus humanum esse contemptum? Sed, quo modo iidem dicitis, non omnia deos persequi; iidem vultis, a diis immortalibus hominibus dispartiri ac dividi somnia? Idcirco hæc tecum[3], quia vestra est de somniorum veritate sententia.

Atque iidem etiam vota suscipi dicitis oportere. Nempe singuli vovent: audit igitur mens divina etiam de singulis. Videtis ergo, eam non esse tam occupatam, quam putabatis? Fac esse distentam, cælum versantem, terram tuentem, maria moderantem: cur tam multos deos nihil agere, et cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos præficit[4]? qui a te, Balbe, innumerabiles explicati sunt.

Hæc fere dicere habui de natura deorum, non ut eam tollerem, sed ut intelligeretis, quam esset obscura, et quam difficiles explicatus haberet.

3. *Somnia? Idcirco hæc tecum, quia vestra est de s. v. sententia.* Vox *somnia* abest ab antiquo codice, nec dubito, quin sit omnino inducenda. Ursinus. — Si Ursino pareremus, tota funditus periret loci venustas. Eamque vocem, quam retinendam contendo, servant omnes nostri: præterquam quod Med. repræsentet *omnia*. Sed et ille perperam. Davis. — Pro *somnia* est *omnia* in ed. Marsi, Asc. et Th. Heindorf. conjicit ex lectione *omnia*, Ciceronem scripsisse: *dispartiri et dividi omnia*, et deinde, ut sequentia his conveniant, «de ominum veritate» vel «de somniorum ominumque omnium veritate»; quia non somnia tantum, sed etiam prodigia et omnino rerum futurarum indicia a diis mitti dispertirique censuerint Stoici. Schütz. vulgatam non movit loco; et cur non unum h. l. ex pluribus indiciorum rerum futurarum generibus proferre potuerit? Vereor ne Heind. ut nonnumquam fecit, hoc quoque loco Ciceronem potius, quam librarios corrigat. Mr. — *De somniorum veritate.* Conf. Ciceronem, Acad. II, 16 et 17, et quæ ad eos locos erudite disputat Boost. in Annotat. vernacul. pag. 331 seq. Ceterum de somno et somniis neminem pœniteat legisse quæ nunc ab omnibus legi possunt Frontonis in operr. nuper a Maio editis, p. 4 sqq. p. 188 sqq. ed. Med. Cr.

4. *Cur non rebus humanis aliquos otiosos deos præficit?* etc. Atqui secundum Chrysippum quædam in mundi administratione vel negliguntur vel a malis dæmonibus reguntur, ut docuit Plutarchus de Repugn. Stoicorum, pag. 1051. Conf. Lipsium de Phys. Stoicorum, lib. I, cap. 19, 20. Wytt.

Digitized by Google

94 XL. Quæ quum dixisset, Cotta finem[1]. Lucilius autem, Vehementius, inquit, Cotta, tu quidem invectus es in eam stoicorum rationem, quæ de providentia deorum ab illis sanctissime et providentissime constituta est. Sed quoniam advesperascit, dabis diem nobis aliquem, ut contra ista dicamus. Est enim mihi tecum pro aris et focis[2] certamen, et pro deorum templis atque delubris, proque urbis muris, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis[3], diligentiusque urbem religione, quam ipsis mœnibus cingitis. Quæ deseri
95 a me, dum quidem spirare potero, nefas judico. Tum Cotta, Ego vero et opto redargui me, Balbe; et ea, quæ disputavi, disserere malui, quam judicare[4]; et facile me a te vinci posse, certo scio. Quippe, inquit Velleius, qui etiam somnia putet ad nos mitti ab Jove[5]: quæ ipsa tamen tam levia non sunt, quam est stoicorum de natura deorum oratio[6].

XL. 1. *Cotta finem.* Sc. fecit, quod verbum quum multi veteres codices exhibeant, non erat causa, quare omitteretur ab editoribus, præsertim quum ejusmodi breviloquentia durior sit quam pro ratione Ciceronis. Wytt. —*Cotta finem.* Ellipsin agnoscit etiam Gœrenz. ad Cic. de Fin. II. II. (p. 140 et p. 419). Ca.

2. *Pro aris et focis.* Significantur res sacræ et domesticæ. Aræ enim pertinent ad deos, foci ad singulas familias. Habet autem dictio vim proverbii «pro aris et focis pugnare». Sic Cic. ad Attic. VII, 11, et in Or. pro Domo, cap. 40. Wytt.

3. *Quos (muros) vos pontifices sanctos esse dicitis.* Vide sis Justinianum, Inst. lib. II, tit. 1, 10; interpretes ad Caii Inst. lib. II, tit. 1, p. 71, 72 ed. Schulting. Dav.

4. *Disserere... judicare. Disputare* et item *disserere* per præpositionem *dis* significat in utramque partem rationes exponere, nam *putare* proprie est *numerare: serere* autem est non tantummodo σπείρειν, id est, *seminare*, sed nectere; inde dicitur sermonem nectere, a græco ῥέω. Wytt.

5. *Mitti ab Jove.* De hac opinione Veterum diximus ad locum Xen. ex Anab. in Sell. Hist. Græc. pag. 454. Wytt.

6. *Oratio.* Poterat item dici *ratio*, id est, doctrina. Græci una voce dicunt λόγος, Latini duabus dicunt rationem et orationem Wytt.—*Verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem propensior.* Hæc ita distinguuntur, ut Velleius, quippe dogmaticus, veritatem ipsam teneri posse judicaret, Cicero autem, ut Academicus, verisimilitudine contentus esset. Nam illud «ad veritatis similitudinem pro-

Digitized by Google

Hæc quum essent dicta, ita discessimus, ut Velleio

pensior » ornatiùs et auctius dicitur pro simplici verisimilitudine, id est, quasi magis inclinans ad similitudinem veri : hæc autem ipsa repetit Cicero ex persona Quinti fratris de Divin. lib. I, cap. 5, et memorat Augustin. de Civ. Dei, lib. V, cap. 9. WYTT. — *Mihi Balbi ad veritatis similitudinem vid. esse propensior.* Apud Nostrum de Divin. lib. I, cap. 5, ait Quintus frater : « Satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio : cujus disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior ». Huc etiam respicit Augustinus, Civit. Dei lib. V, cap. 9. DAVIS. — *Ut Velleio Cottæ disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.* Ad verba conf. Burmanni et Spalding. Annotat. ad Quintiliani Inst. Orat. V, 10, 6; qui quidem scriptor vocem *propensus* primus absolute usurpavit. Ad argumentum quod attinet, nimirum si quæratur, quid in hac universa causa Cicero ipse statuerit : varias in partes inde a renatis literis hæc quæstio est. Nam primum, ut insigniora certe adumbremus, Petavius, Moshemius (ad Cudworthi System. Intellect. p. 519 seq.) atque Ernestus (Init. Doctrin. solid. p. 238 ed. quint. et in Præfat. ad Ciceronem) hoc posuerunt : ut aliis in rebus, sic in hac quoque Tullium *Academici* partes tueri. Atque ei sententiæ etiam Heindorfium (Præfat. ad hos libros, pag. 12, et Annot. p. 7) video adstipulari. Middletonus contra (in vita Ciceronis, parte IV) reapse favere Stoicis Ciceronem pronuntiavit. Quocum ex parte facit Cudworthus (l. l.) dicens : Stoicorum plurimis in rebus de deo probasse sententiam Ciceronem : maxime tamen Platoni deditum fuisse. Taceo quæ Baylius in Dictionnario sub voc. Spinoza not. M. Bruckerus, Hist. Philos. tom. II, p. 50, aliique eam in rem disputarunt. Illud omittere nolo, eamdem quæstionem nuper etiam a Tennemanno esse agitatam in Histor. Philosoph. vol. V, p. 116 seq. itemque a Boostio, viro erudito, in Annott. Vernacull. ad Ciceron. Academ. p. 216 sqq. ed. altera, et p. 259 sqq. In primis in re consulendus est sæpiuscule ab nobis laudatus Scholtenius in Dissert. de Philosophiæ Ciceronianæ loco qui est de Divina Natura, p. 9 seq. p. 14, ubi probabiliter ponitur : Ciceronem in his libris illud etiam egisse, ut superstitionem late fusam tolleret. Conf. Cic. de Divinat. lib. II fin. Plura disputat idem Scholten. pag. 28 seqq. Denique pag. 79 disputationis suæ summam paucis verbis ita describit : « Verum ex iis, quæ disputavimus, id confectum esse puto, Ciceronem in pleriisque de hoc argumento (de divina natura) locis Platonem et Stoicos fuisse sequutum ». A qua viri docti sententia non abhorrent ea, quæ G. S. Frankius, vir sagax et eruditus, in libello vernaculo posuit, qui inscribitur : *Geist und Gehalt der Ciceronischen Bücher von der Natur der Götter*, Altona, 1806. Qui quidem sigillatim in hanc causam inquisivit, atque (ut ejus summam dumtaxat delibem) probatum iit : contra Epicureos cum Cotta facere Ciceronem, non item cum eodem, ubi is Stoicorum sententiam de Providentia hujusque vestigiis in hac rerum universitate, etc. impressis refutare conetur : « Inque universa doctrina de Deo et Providentia Ciceronem esse germanum Socraticum atque adeo Stoicum, quatenus Stoicos inter atque Socraticos conveniat » : contra a Stoicorum auctoritate suam sententiam se-

Digitized by Google

Cottæ disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.

jungere Tullium, ubi ii portentis, vaticiniis, hariolationibus, etc. nimium dediti reperiantur. Jam, si requiras, quid ea de re ipse sentiam : maxime probatur mihi hæc ipsa ratio, quam Cudworthus jam antehac non tam explicuerat, quam adumbraverat, collectis ex alio genere librorum Ciceronianorum locis haud paucis. Ac Ciceronem, licet probe teneret, rebus *forensibus* recte tractandis *patronique causarum* consiliis omnium disciplinarum maxime inservire *Academicam*, in *philosophia* tamen veritatem unice esse sectatum, docere nnumquemque potest ejusdem locus de Offic. lib. II, cap. 14, 16; unde insigniora tantum adscribam : « Judicis est semper in causis verum sequi : patroni nonnumquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere : « quod scribere (præsertim quum de philosophia scriberem) non auderem », nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panætio». Quo cum loco Lyndenus V. Cl. (de Panætio, pag. 108 seq.) contulit alterum de Amicitia, cap. 17, et ex Plutarcho de Stoicorum Repugn. (pag. 1039, B.) p. 234 ed. Wyttenbach. et (pag. 1045, D.) p. 260, probabiliter conjicit, ejusmodi præcepta exstitisse Chrysippi in libris περὶ φιλίας et περὶ τοῦ δικάζειν. Atque, ut illuc revertar, ego ad Ciceronis philosophiam recte judicandam vel maxime facere arbitror, quæ in his libris (I, 9, fin.) leguntur : « Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi et assentiendi nota; ex quo exsistit (et) illud, multa esse probabilia, quæ quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quendam insignem et illustrem, hic sapientis vita regeretur ». Hæc si cum libri tertii fine, in quo ipso versamur, contuleris, recte, uti equidem statuo, collegeris, Tullium, licet fortasse de Deo ac Providentia certo pronuntiare noluerit, utrumque tamen, et Deum et Providentiam, probabiliter posuisse, et, quod caput rei est, non minus quam Socraticos ac Stoicos utrimque vitam suam suspensam esse voluisse. Ca-

Digitized by Google

DE NATURA DEORUM FRAGMENTA.

E LACTANTII DIV. INST. LIB. II, CAP. 3.

Intelligebat Cicero, falsa esse, quæ homines adorarent; nam quum multa dixisset, quæ ad eversionem religionum valerent; ait tamen, « non esse illa[1] vulgo disputanda, nè susceptas publice religiones disputatio talis exstinguat ».

EX EJUSDEM LIB. II, CAP. 8.

Cicero de Natura Deorum disputans[2], sic ait: « Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam; sed[3] habere et habuisse vim, et naturam suam.

1. *Non esse illa*, etc. Quamvis Lactantius librum non memoret, ex quo hæc sint hausta; tertium tamen libro de N. D. adscribere nullus equidem dubitavi; nam, ut ait ille lib. I Div. Inst. cap. 17 : « Totus liber tertius de Natura Deorum omnes funditus religiones evertit ac delet ». Idem de Ira Dei, cap. 11 : « Tullius tertio de Natura Deorum libro dissolvit publicas religiones ». Vide sis et Augustinum, C. D. lib. V, cap. 9. Dav.

2. *Cicero de Natura Deorum disputans.* Notat Chr. Cellarius, « materiam disputationis significari, non titulum libro præscriptum, quia verba hæc in tribus de Natura Deorum libris, quos habemus, non reperiuntur. Aut ergo, inquit, ex libro sunt deperdito, aut ampliores fuere, de Natura qui sunt Deorum ». Miror, unde factum, ut in hoc expediendo laborarit vir ille doctus; ampliorem enim fuisse librum III de N. D. aperte monstrant ingentes lacunæ in eo obviæ; et hanc ῥῆσιν ex isto libro desumptam esse patet, quod § 55 Cottæ illam contra Lucilium disserenti tribuat. Locus est adducendus, ut res in clara luce ponatur. « Explicet, ait ille, se Cotta, si potest, ex hac voragine ... ostendat, quomodo quidquam ponderosum et grave aut esse potuerit sine auctore; aut immutari valuerit; ac desierit esse, quod semper fuit; ut inciperet esse, quod numquam fuit ». Dav.

3. *Sed habere et habuisse vim, et naturam suam.* In Walchii editione, Operum Lactantii pag. 208, scribitur, « sed et habere et habuisse vim et naturam suam ». Ernestus Davisium sequutus est. Ma.

Digitized by Google

Ut igitur faber, quum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata; fictorque item[4] cera: sic isti providentiæ divinæ materiam præsto esse oportuit, non quam[5] ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a deo materia facta, ne terra quidem, et aqua, et aer, et ignis a deo factus est ».

EX ARNOBII LIB. III, CAP. 6, PAG. 103.

Adduci... ut credamus non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, et esse partem unam mares, partem alteram feminas. Quem quidem locum plene jamdudum homines pectoris vivi tam romanis literis explicavere, quam Græcis : et ante omnes[6] Tullius, romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter, et libere, quid super tali opinatione sentiret, pietate cum majore monstravit. A quo si res sumere judicii veritate conscriptas, non verborum licentias pergeretis, perorata[7] esset et hæc causa, nec secundas, ut dicitur, actionis nobis ab infantibus postularet. Sed quid aucupia verborum, splendoremque sermonis peti ab hoc dicam? quum sciam[8] esse

4. *Fictorque item*, etc. Ernestus dedit *fictorque item e cera;* minus bene. Mr.

5. *Non quam ipse*, etc. Ern. *non quam ipsa faceret.* Accuratius ad grammaticæ præcepta. Mr.

6. *Tullius ... nullam veritus impietatis invidiam.* Certo certius videtur, Arnobio in mentem fuisse tertium de N. D. librum. Quod si sit, hic multo candidior fuit, quam Evangelus, qui censuit, ipsum Tullium, « quoties aut de Natura Deorum, aut de Fato, aut de Divinatione disputat, gloriam, quam oratione conflavit, incondita rerum relatione minuere ». At, ut recte Symmachus, Cicero *conviciis impenetrabilis est.* Vide Macrobium, Saturn. lib. I, cap. 24. Omnino certe falsus est acerbus iste censor. Dav.

7. *Perorata esset et hæc causa.* Leg. *perorata esset hæc causa*, deleta conjunctione, quam verbi præcedentis finis repetitus procreavit. Dav.

8. *Quum sciam esse non paucos, qui aversentur.* Ergo fieri potest, ut superstitiosis his Ethnicis debeatur, quod mutilus sit tertius de N. D. liber.

Digitized by Google

non paucos, qui aversentur et fugiant libros de hoc ejus, nec in aurem velint admittere lectionem, opinionum suarum præsumpta vincentem.

E NONIO MARCELLO VOCE *Dulcitas*.

Cicero de Deorum Natura, lib. III: « Quin etiam gustatus[9], qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine præter ceteros sensus commovetur ».

SERVIUS AD ÆN. III, 284.

Tullius in libris de Natura Deorum tria millia annorum[10] dixit magnum annum tenere.

IDEM AD VERS. 600.

Cicero *spiritabile* dixit in libris de Deorum Natura.

IDEM AD ÆNEID. VI, VS. 894.

Per portam *corneam* oculi significantur, qui et cornei sunt, et duriores ceteris membris: nam frigus non sentiunt: sicut etiam Cicero[11] dixit in libris de Natura Deorum.

Fortasse tamen meticulosi quidam Christiani hac culpa non fuerunt immunes. Non alii certe, quam hi, multos MSS a libri II, cap. 6, ad cap. 33, mancos reddidere. DAV. — Hic solus est locus, quo Davisius de insigni illa transpositione loquitur, quæ in omnibus nostris libris, et diversa quidem ratione, comparet, quamque suis locis accurate exposuimus. Davisius vero h. l. ita loquitur, ut lacunam potius a meticulosis Christianis consilio factam exspectes. MA.

9. *Quin etiam gustatus.* Locus hic legitur lib. III de Orat. c. 25. Ut librariis sit adscribendum, quod « libro III de Nat. Deorum » tribuitur. DAV.

10. *Tria millia annorum.* Hoc iis repugnat, quæ statuit Noster N. D. lib. II, cap. 20, et Servium memoriæ falsum puto. DAV.

11. *Sicut etiam Cicero*, etc. Hæc verba cur hoc loco ponenda esse duxerimus, vide in annotatt. nostris ad lib. II, cap. 57, sub fin. Augeri fortassis queat hic fragmentorum gravissimi libri numerus ex codice Scorialensi, qui sic inscribitur: « Ciceronis Fragmenta de Natura Deorum et Divinatione ». Cujus libri notitia exstat in Indice MSS latinorum Bibliothecæ Scorialensis in Büschingii: *Magazin für die neueste Historie und Geographie* tom. V, p. 123; ubi item memorantur: « Varia ejusdem (Ciceronis) Fragmentorum volumina ». CA.

Digitized by Google

Digitized by Google

EXCURSUS I

Ad ea Ciceronis verba, de Nat. Deor. lib. III, cap. 21, § 54:

Quem heroicis temporibus Acantho Rhodi peperisse dicitur, Ialysi, Camiri, et Lindi, etc.

Non modo librorum varietas corruptum locum arguit, verum etiam res ipsa. Nam primum Rhodi in insula Sol natus esse non potuit, qui, ut ibi habitare ac parere Rhodos uxor sua posset, depellendis aquis, quæ inundaverant, nunc demum effecerat. Testes Pindarus Olymp. VII, 100 seqq. Diodor. V, 56 sq. Deinde nemini cuiquam, præter unum Arnobium, IV, 14, qui Ciceronis verba descripsit, memoratur illa *Acantho*, vel, uti plurimis librariis placuit, *Acanto*, *Achanto*. Quapropter vereor, ut Heindorf. licet acute super hoc loco disputarit, eumdem persanatum præstiterit nobis. Recte autem idem vir acutus attendere nos jussit iteratam in haud paucis libris vocalem *Rhodi*. Verum, priusquam, quid ipse in loco pæne conclamato statuam, eloquar, subjiciam lectorum oculis Solis hanc progeniem, ad fidem Diodori loc. cit. et Scholiastæ Pindari Olym. VII, 128:



Jam illa Solis uxor Rhodus dicitur νύμφη Ῥόδος Scholiastæ Pindari loc. cit. *Rhode* Tzetzis in Lycophr. 923, Apollodoroque, I, p. 25. Ochimus autem in fratribus natu maximus

Digitized by Google

perhibetur a Diodoro l. l. et Scholiast. Pindari ad vs. 135 (unde corrigendus ejusdem alter locus ad 131, ubi perperam legitur ὁ νεώτατος Ὄχιμος). Tenebat autem Ochimus rex πόλιν Ἀχαΐαν Rhodi insulæ, « quam urbem ipse cum fratribus condiderat », eique in regno successit frater idemque gener Cercaphus, qui ex Ochimi filia Cydippe genuit Ialysum, reliquos. His ego insistens et historiarum et librorum vestigiis legendum arbitror : « quartus is, *cui* heroicis temporibus *Achaiæ conditores Rhode* peperisse dicitur, *avum* et *patrem* Ialysi, Camiri et Lindi; *unde* (vel: *inde*) *Rhodii* ». Jam primum reposui *cui* etiam propter sequens « heroicis temporibus »; quæ formula satis declarat, « non tam origines Solis », quam ipsius « inter homines progeniem » memoratum iri. (Attigit eam formulam Wesseling. ad Herodot. IX, 27.) Deinde in insulæ Rhodi originibus illud maxime fuit memorabile, quod ea *Solis* insula et erat et dicebatur (vid. l. l. et Strabon. XIV, 8, pag. 602, Tzsch. Aristid. Or. Rhod. p. 546 Jebb. Interprr. Iliad. II, 656; Conon. narrat. 47, ibiq. Kann. et præsertim Ez. Spanh. de U. et Pr. N. I, pag. 321 sqq.). Inde celebrabant incolæ illud « Solare certamen τῶν Ἁλίων seu Ῥοδοναλείων ἀγῶνα », et ad nympham *Rhoden* atque Heliadas s. « Solis progeniem » suarum rerum initia referebant. Quidquid urbium in ea insula fuit, id « Solis et Rhodes » posteri condidisse ferebantur. Atque utriusque *filii* natu maximi Ochimus et Cercaphus condiderant « urbem Rhodi primigeniam Achaiam » (eamque deinceps regiam habuere sedem, Diodor. l. l. Athenæus, VIII, p. 360). Ex eaque urbe exstitere, quos ex Cydippe susceperat Cercaphus; qui et ipsi urbium auctores fuere et quidem cognominum. Igitur ex Solis et Rhodes coitu nati sunt *heroes*, qui et primam urbem Rhodiam condidere et deinceps alteras. Atque ex his vicissim coalescentibus inter se enata est tertia eaque clarissima urbs, quæ ab ipsa insula nomen invenit *Rhodi;* cujus incolas *Rhodios* dicunt (cf. Strabon. pag. 966; Diodor. Sic. XIV, 75). Cr.

Digitized by Google

EXCURSUS II

Ad ea Ciceronis verba, de Nat. Deor. lib. III, cap. 22, § 56:

Mercurius unus Cælo patre, Die matre natus, cujus obscœnius excitata natura traditur, etc.

Atque his solis universi hujus loci etiam explicatio continetur. Quo insigniorem autem extremæ antiquitatis significationem habet hoc argumentum, et usque ab historiæ patre ad extremæ ætatis scriptores per manus quasi traditum hodieque pro exemplo esse potest, quæ fuerit priscæ sacerdotalis doctrinæ indoles: hoc magis faciam, ut illud mea qualicumque opera in luce clariore collocetur.

Nimirum, ut hinc ordiar, Herodotus, non minus atque Cicero, noverat hunc Mercurium, « cujus natura obscœnius excitata traditur ». Pelasgicum vocat (II, 51) ejusque ἱεροῦ λόγου sensum explicari dicit in mysteriis Samothraciis. Jam in Samothraciis diis principes Varro (de Ling. Lat. IV, 10) numerat: « Cælum et Terram » addens: « hi dii iidem, qui in Ægypto Serapis et Isis ». Paucis interjectis pergit: « Terra enim et Cælum, ut Samothracum initia docent, sunt dei magni... mas et femina, et hi, quos Augurum libri scriptos habent sic, Divi potes... Cælum et Terra... anima et corpus ». Postea (pag. 12, Gothofred.) ita: « Terra Ops... et ideo dicitur Ops mater, quod Terra nutriat ... quæ quod gerit fruges, Ceres ». Hæc Varro. Neque necesse arbitror, operose monstrare, quod haud pauci e veteribus scriptoribus ponunt, « in mysteriis Cererem pro terra habitam esse ». Itaque exsistunt nobis *Cælus* et *Terra* sive *Ceres*, tamquam dii principes, tamquam *mas* et *femina*, idque in religionibus Samothracum, quæ eædem nobis exhibent et « Mercurium excitata natura s. ithyphallicum » et *Proserpinam*. Atque hos ternos in *Cabiris* agnoscunt Mnaseas et Dionysidorus

Digitized by Google

apud Schol. Apollonii I, 915 sqq. nimirum Δήμητραν, Περσεφόνην et Ἑρμῆν. Mercurii autem ithyphallici plura restant vestigia apud scriptores : Lucian. Jov. tragœd. (tom. VI, pag. 275 Bip.) θύοντες Κυλλήνιοι Φαλητι. Locum infaustis conjecturis tentarunt critici. Sunt iidem Cyllenii, qui ap. Pausaniam (VI, 26, pag. 518) Mercurium ithyphallicum colunt. Eumdem Mercurium agnoscit Plutarchus de Republ. gerend. p. 797, F. (quem locum descripserunt Cornutus, de Nat. Deor. 16, p. 167, et Eudocia, p. 155). Agnoscit Plotinus, pag. 321 sq. pluribus verbis exponens eam fabulam, unde insigniora tantummodo adscribam : . . . μόνον γὰρ τὸ εἶδος γόνιμον, ἡ δὲ ἑτέρα φύσις ἄγονος· ὅθεν οἶμαι καὶ οἱ πάλαι σοφοὶ μυστικῶς καὶ ἐν τελεταῖς αἰνιττόμενοι Ἑρμῆν μὲν ποιοῦσι τὸν ἀρχαῖον τὸν τῆς γεννήσεως ὄργανον ἀεὶ ἔχοντα πρὸς ἐργασίαν. Sequuntur plura de « ratione generatrice » et de « materia sterili ». Huc pertinet Mercurius, tamquam λόγος ἥκων διὰ πάντων, Procli apud Jo. Lydum de Menss. pag. 101, et Mercurius λόγος ὁ διὰ πάντων πεφυκὼς Aquilini apud eumdem l. c. Qui idem Ἑρμῆν filium dicit τῆς νοητῆς ὕλης et ex *materia* (ὕλης) et *specie* (εἴδους) omnia constare. Tu attende « Mercurium priscum », et cogita etiam Ciceronis Mercurium primum. Quo autem penitus dispiciamus fabulæ sententiam, et discamus etiam, quid sibi velit illud, quod « Proserpinæ adspectus commovisse Mercurium excitavisseque dicatur »; circumspicienda sunt nobis alia scriptorum testimonia. Proficiscamur a Tzetzarum Scholio in Lycophr. 698 (p. 744 Mueller.) Βριμὼ καὶ Ὀβριμὼ ἡ Περσεφόνη, ὅτι τῷ Ἑρμῇ βιάζοντι αὐτὴν ἐν κυνηγεσίῳ ἐνεβριμήσατο, καὶ οὕτως ἐκεῖνος ἐπαύθη τοῦ ἐγχειρήματος. Iidem ad vs. 1176 (p. 945) in eadem fabula addunt : Βριμώ· ἡ αὐτὴ Ἑκάτη. Quæ fluxerunt ex Etymol. magn. in Βριμὼ (p. 194 ed. Lips.). Vides variari in hac fabula, quum aliis Mercurius continenter excitatus dicatur : ab aliis feratur desistere a libidinibus. Quæ varietas non minus spectanda est, quam quod eadem dea et *Proserpina* et *Hecate* dicitur. In universæ causæ arcem recta via nos ducet Plotini discipulus Porphyrius, qui ita apud Eusebium in Pr. Ev. III, p. 114 Colon.

Digitized by Google

Τοῦ δὲ λόγου τοῦ πάντων ποιητικοῦ καὶ ἑρμηνευτικοῦ, ὁ Ἑρμῆς παραστατικός· ὁ δὲ ἐντεταμένος Ἑρμῆς δηλοῖ τὴν εὐτονίαν· δείκνυσι δὲ καὶ τὸν σπερματικὸν λόγον τὸν διήκοντα διὰ πάντων· λοιπὸν δὲ σύνθετος λόγος· ὁ μὲν ἐν ὑλίῳ Ἑρμῆς· Ἑκάτη δὲ, ὁ ἐν σελήνῃ· Ἑρμόπαν δὲ ὁ ἐν τῷ παντί. Quo in loco Kuhnius ad Pausaniæ l. l. ad vocem ἐντεταμένος recte supplevit : τοῖς μορίοις, i. q. erecto fascino s. excitata natura. Universum autem Porphyrii locum male accepit Vigerius. Quocirca et interpunctionem emendavi, et breviter explicabo argumentum : videlicet Mercurius ithyphallicus est ratio seminalis et effectrix, quum generatione rerum, plantarum animalium rel. tum cogitatione et loquela. In utrovis negotio Mercurius effectas præstat perennes rerum formas s. ideas. Jam hæc ratio seminalis et effectrix adsciscit sibi rationem receptricem et generatricem. Ille est mas : hæc femina; ille, sol: hæc, luna. Verno autem tempore, quo natura denuo vegetatur et fecunda redditur, sol lunam dicitur vegetare et implere rationibus seminalibus, quibus ea rursus implet terram. « Nam Mercurium in luna locatum fabulantur, quia quæ luna efficit ea rationis ac sapientiæ operum sunt similia » dicit Plutarchus de Isid. et Osir. p. 367, D. de facie in orb. lun. p. 943, B. Igitur vis vegetans et ratio seminalis solis est, et quidquid ejus rationis lunæ impertitur, id ei a sole impertitum esse significatur. Igitur rationis facta particeps luna quodammodo Mercurialis redditur, quatenus quæ in sole inest ratio seminalis a Mercurio profecta dicitur. Jam Plotinus, qui Mercurium semper excitatum l. l. exhibet, accipit eum « universe pro ratione seminali » eique adeo opponit *materiam* (τὴν ἑτέραν φύσιν) non capacem omnium rationum s. idearum, sed reluctantem atque sterilem. Cicero, Plutarchus et Porphyrius sigillatim accipiunt de « sole vegetante et luna vegetata ». Cui et ipsum opponunt Mercurium, hoc pacto : Non continuo et usquequaque rationibus seminalibus implere Mercurius lunam potest, ut quæ ab initio obnititur et suam ipsa aliquantisper rationem sectari mavult; sed ille instat et molitur, do-

Digitized by Google

nec ea paullatim illam alteram superioremque rationem recipit, atque in se convertit. Nonnumquam tamen prorsus respuit oblata, et hactenus a generando desistere cogitur Mercurius (vide Tzetzar. Schol. et Etym. m. l. l.) — Hinc illa fabula, quam Tullius attigit: Mercurius (sol, mas, vel potius solaris genius, ratio solaris) adspiciens Proserpinam (lunam virginem) commovetur et cum ea coire discupit. At illa, utpote virgo, reluctatur, irascitur, ultro citroque commeat (hoc est, Proserpina irata, terribilis igiturque Brimo sive Hecate, eademque venatrix), nimirum quoad paullatim exhilaretur, et cum Mercurio concumbat. Ex quo coitu, nonnulli tradiderunt, natum esse *Eleusinem* heroem (Pausan. I, 38, 7), i. e. eum, qui « frugum proventum instituit ». Quæ omnia ubi in unum colligimus, hæcce nobis exsistit progenies ex fabula Samothracia:



Atque illa *Dia* est eadem Δηὼ, quam Jupiter testiculis arietinis implevisse et gravidam reddidisse fertur (Clemens Alex. Cohort. p. 13 Potter. h. e. *Cælum*, quo tempore sol in « signo arietis » versatur, s. verno tempore, reclusit et fecundam reddidit *terram*). Quod vero ex Mercurio et Proserpina *Eleusinem* heroem progenitum tradiderunt nonnulli (Pausan. l. l.): hoc conjunctum cum altera fabula est, quæ ferebat: in Eleusinio agro raptam fuisse a Plutone Proserpinam, eaque de causa Cererem matrem se afflixisse lamentationibus. Et in hac quoque fabula redit sanctior illa re-

Digitized by Google

conditiorque Δηώ. Quam vocem in Homerico hymno (Cer. vers. 47, et passim) non felicius critici tentarunt, quam in loco Ciceronis librarii *Diam* in *Diem* converterunt. Utut tamen de *Dia* judices (nolo enim morosior videri, neque *Dies* mater a Mercurii ratione abhorreat): fabulæ certe, quæ Mercurium concubitu Proserpinæ jungit, ea sententia est, quam certa scriptorum fide præstitimus. Quod extrema attinet: in ipsis *Samothraciis* Cabiris *Plutonem* (Ἀιδῆν) numerat Mnaseas apud Schol. Apollonii l. l. Ciceronianam autem fabulam indignabundus sic effert (ut assolent talia increpare ecclesiæ patres) Arnobius, IV, 14: « Jam Mercurius, qui in Proserpinam dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis, supremi progenies Cæli est ».

EXCURSUS III

Ad ea Ciceronis verba, de Nat. Deor. lib. III, cap. 23, § 59:

Dionysos multos habemus; primum e Jove et Proserpina natum, etc.

Vide supr. c. 21. Quinque Dionysos numerat etiam Jo. Lydus de Menss. pag. 82, ubi de hoc primo ita: πρῶτος Διὸς καὶ Δυσθίας. Quod fortasse de ipsa Proserpina accipias, si *Liberam* cogites. Sed tamen alium insuper scriptorem sequutus esse potest. Neque idem Joannes non agnoscit Jovis et *Proserpinæ* filium, Terpandri fide, in antecedentibus. — Mox: « Nilo... Nysam... interemisse ». Quod Heindorfius vulgatæ præfert lectionem ed. Marsi: *condidisse*: de eo ego pronuntiare nolim. Certe advertere nos debet locus Plinii, V, 8, 16: « Scythopolin ante Nysam a Libero patre sepulta nutrice ibi ». Et notum est a νύσσειν, a *pungendo*, hoc nomen duxisse nonnullos. Cf. Cornut. cap. 39; Eudocia, pag. 118. Fabularum certe indoles non respuit necem ab

Digitized by Google

alumno illatam ipsi nutrici, siquidem symbolice accipiatur, quomodo accipi hæc omnia maxime debent. Lege modo excerpta scriptorum apud Jo. Lydum, p. 81, ubi Dionysus est *Sol:* νύσσα autem « circuitus orbisque temporis ». Jam sicut *Saturnus* (Cronus) liberos suos devorasse significatur: ita *Sol* quoque « temporum orbem interimere » poterat tradi, nimirum per significationem. Et *Jovis* etiam *patris* femur dicitur Bacchus pupugisse; vide Cornut. et Eudoc. l. l. Nec obstat, in tali quidem tesserarum indole, quod idem Bacchus, tamquam medicus, vulneratæ Nysæ medetur ap. Nonnum Dionys. XXIX, p. 757. Ceterum de Nysa Bacchi nutrice vid. Wesseling. ad Diodor. III, 69, et Schweighæuser. ad Athen. V, 28 (pag. 238 Animadvv.); adde Mytholog. nostr. III, 16. — De hoc secundo Dionyso Jo. Lydus hæc profert p. 82 : δεύτερος ὁ Νείλου, ὁ καὶ βασιλεύσας Λιβύης καὶ Αἰθιοπίας καὶ Ἀραβίας. Hoc duce aliud et ipse periculum faciam : habes *Libycum* Dionysum, hoc est, eum, qui apud Diodor. Sicul. III, 71, Nysa cum exercitu profectus adversus Saturnum, in media Libya *Campen*, monstrum quinquaginta capita gestans (vide Wesseling. ad l. l. ibiq. Nonni Dionys. XVIII, vs. 232), interfecit, eique tumulum exstruxit, in rei memoriam. Vides rursus allegoriis contineri fabulam. Cogita modo Herculem et Phanetem Orphicum (in Fragg. p. 503), per quem et ipsum « temporis rerumque orbis significabatur, plurium bestiarum capitibus præditum ». Jam attende Joannis Lydi hæc l. l. Διόνυσος, δι' ὃν ἡ νύσσα (ὁ καμπτὴρ) καὶ ἡ περιφόρησις τοῦ χρόνου. Antea ab eo Dionysus dictus erat *Sol*. Exsistit igitur nobis in « Ægyptiaco Libycoque Dionyso Osiris — Sol », qui temporis annui orbem, tamquam « multis capitibus », s. « zodiaci signis, præditum animal et gignit et conficit ». Quid igitur ? — Si is Dionysus, qui a Diodoro l. l. dicitur interfecisse τὴν ὀνομαζομένην Κάμπην, quasi καμπὴν retracto accentu, ut fieri solet (75, τὸν καμπτῆρα, per significationem declaratum), ab alio, quem Cicero est sequutus, necasse dictus est τὴν Νύσσαν : vides, expeditum præ-

Digitized by Google

stari impeditum antea locum.—Mox: « tertium Caprio patre ». Jo. Lydus l. l. τρίτος Καβίρου παῖς. Vides in salvo esse Jac. Gron. conj. Similiter Ampelio qui alia saniora reddidit Munckerus ad Hygin. p. 692 : idem *de Cabiro* reddere debebat. — Deinde : « cui Sabazia, etc. » *Sabazium* in peregrinis diis agnoscit Tullius de Legg. II, 15, et nequit dubitari, Bacchia fuisse festa Sabazia; cf. Mythol. nostr. III, 360 seq. Verumtamen *Cabirica* initia non minus pertinebant ad Dionysum. Jam haud pauci codd. habent *Abarea*, Joannes autem Lydus diserte hæc :... ὅστις τῆς (supple ex Cicerone Ἀσίας) ἐβασίλευσεν, ἀφ' οὗ ἡ Καβιρικὴ τελετή. Quocirca equidem *Cabiria* verius existimo. Et Jo. Lydus in antecedd. *Jovis* et *Proserpinæ* filium Dionysum dicit Σαβάζιον. De *Cabiris* et ipse monui in Myth. et nuper docte disputarunt Munter. in Commentt. archæologg. vernacc. p. 190 sqq. et Schelling. de diis Samothrac. p. 97 sqq. — Mox : « Quartum Jove et Luna ». Ampelius : « quartus ex *Saturno* (s. Saturnio) et *Semela* ». Similiter Arnobius, IV, 20, « ex *Semela* atque ipso Jove Liber qui Bromius dicitur, etc. » Sed hæc universe : distinctius Jo. Lydus : τέταρτος ὁ Διὸς καὶ Σεμέλης, ὃν (leg. ᾧ) τὰ Ὀρφέως μυστήρια ἐτελεῖτο, καὶ ἀφ' οὗ οἶνος ἐκεράσθη. Et reapse Orphici invocant Semelam; vid. hymn. XLIV (43), 2, et Εὐχ. πρὸς Μούσ. vs. 34. Proinde arridet mihi Moseri suspicio, quam nunc silentio pressit. Nimirum ita conjectabat : voces *Selene* et *Semele* confusas esse, indeque *Lunam* inductam in hunc locum esse. Quodsi legeris *Semela:* debet Cicero in iis censeri, qui Semelam diversam volebant a Thyone. De Semela quæ traduntur, iis adde Scholia Gregor. Nazianz. carmm. p. 49, ed. Gaisford. et quæ exhibui in Opuscull. Mythologg. p. 21. — Postremo : « ... Niso et Thyone... Trieterides ». Jo. Lydus : πέμπτος ὁ Νύσου καὶ Θυώνης, ὃς κατέδειξε τριετηρίδα. Similiter variatur in Hygino, cui tamen Munckerus *Nysum* reddendum censuit pag. 236 et 692. Vides Lydum adstipulari. De trieteridibus plura monui in Mythologia, III, 113 seq. Ceterum ad Bacchicas fabulas recte explicandas nuper admodum plurimum contulit vir

Digitized by Google

illustr. Ouwaroff in libro vernaculo de Nonno Panopolitano poeta, Petropoli 1817, nec minus in libro elegante gallico de Mysteriis Eleusiniis, cujus tertia editio proxime prodiit. Cr.

EXCURSUS IV

Ad ea Ciceronis verba, de Nat. Deor. lib. III, cap. 23, § 59:

Venus prima Cælo, et Die nata, etc.

Multas Veneres in mundo esse docet Plotinus, p. 292, A. loco memorabili et qui ad universum hunc multiplicium deorum recensum adhibendus sit : οἴεσθαι δὲ χρὴ καὶ Ἀφροδίτης ἐν τῷ ὅλῳ πολλὰς, δαίμονας ἐν αὐτῷ γενομένας μετ' ἔρωτος, ῥυείσας ἐξ Ἀφροδίτης τινὸς ὅλης, ἐν μέρει πολλὰς ἐκείνης ἐξηρτημένας μετὰ ἰδίων ἐρώτων. Jo. Lydus de Mensibus, p. 89, posteaquam de Platonis duplice Venere monuerat (de qua nos plura diximus ad Plot. de Pulchr. p. XXIII, p. 521, itemque de Cupidinibus, p. XL sqq. p. CIII sqq.) ita pergit : οἱ δὲ ἄλλοι τῶν ποιητῶν τέσσαρας παραδιδόασι. Tum duplici ratione quatuor Veneres enumerat. — Mox : « prima Cælo et Die nata... Elide delubr. » Jo. Lydus l. l. μίαν μὲν ἐξ Οὐρανοῦ καὶ Ἡμέρας τεχθεῖσαν. Altero loco idem eadem, hoc insuper addens : Οὐρανίαν καλουμένην. *Venus cœlestis* etiam in marmoribus vett. Romanorum obvia, ut in illo, quod est apud Marinium in Actis Fratrr. Arvall. p. 358. Sequentia illustrat Pausanias, VI, 20, p. 502 Kuhn. Πλησίον δὲ τῆς Εἰλειθυίας ἰρείπια Ἀφροδίτης Οὐρανίας ἱεροῦ λείπεται, θύουσι καὶ αὐτόθι ἐπὶ τῶν βωμῶν. Porro : « altera procr. . . . Cupidinem secundum ». Jo. Lydus : ἑτέραν δὲ ἐξ ἀρροῦ, ἐξ ἧς καὶ Ἑρμοῦ Ἔρως ἐτέχθη. Idem secundo loco : δευτέραν δὲ Ἀφροῦ καὶ Εὐρυνόμης τῆς Ὠκεανοῦ. De Eurynome, quæ vulgo Gratiarum parens dicitur, vide Hesiodi Theogon. 906, et Apollod. l. 3, 1, ibiq. Heyn. p. 12. Ceterum de ortu ex spuma cf. Cornut. de Nat. Deor. 24, p. 197, quem, ut assolet, descripsit Eudocia, pag. 13;

Digitized by Google

adde Scholia in Gregor. Nazianz. Carmm. p. 51, ed. Gaisford. Jo. Lydus ita pergit altero loco : Καὶ τρίτην τὴν συναφθεῖσαν Ἑρμῇ τοῦ Νείλου, ἐξ ἧς καὶ ὁ δεύτερος Ἔρως ὁ ὑπόπτερος. Atqui « secundum Cupidinem » a *pinnato* disjungit Tullius, illum Dianæ primæ attribuens (vid. sup.), hunc Veneri spuma natæ. Et priore quoque loco pro « secundo Cupidine » Tullii solummodo Ἔρωτα posuit Joannes. Quæ ego h. l. annotari maluerim, quam corrigi. Cr.

EXCURSUS V

Ad ea Ciceronis verba, quæ citat Lactantius, supra p. 365 :

Primum igitur non est probabile, eam materiem rerum, unde orta sunt omnia, etc.

« Ce passage mérite un petit éclaircissement, afin que l'on n'infère pas de là que Cicéron ait connu la création proprement dite.

« Pour juger si cette conséquence est légitime, souvenons-nous que Cicéron attaque ici un stoïcien. Or, les stoïciens, que prétendaient-ils ? Que le feu, qu'ils croyaient intelligent, était l'unique principe actif de toutes choses ; que c'était lui qui démêlait, qui formait l'eau, la terre, l'air, et qu'ainsi ces trois derniers éléments n'étaient à proprement parler que des modifications du premier. Voilà ce que nous avons vu dans le second livre. Quand donc il est dit ici, *Que la matière dont toutes choses ont été formées a été faite par une providence divine,* cela ne signifie pas qu'une providence divine ait réellement *créé*, *tiré du néant* cette matière, mais qu'elle l'a modifiée, et qu'en arrageant les parties de matière qui étaient confondues, elle a fait l'eau, la terre, l'air, et ce feu grossier que nous connaissons.

« On me soutiendra peut-être que ces paroles, *eam materiam rerum esse divina providentia effectam*, doivent na-

Digitized by Google

turellement s'entendre de la création proprement dite, et que j'en donne une explication forcée. Je réponds à cela, en premier lieu, que, pour nous persuader que Cicéron ait eu une notion aussi singulière que celle de la création proprement dite, laquelle notion ne se trouve point dans tout le reste de son ouvrage, il nous faudrait quelque chose de plus qu'un seul passage détaché, dont nous ne voyons point la suite, ni ce qui le précédait. Je réponds, en second lieu, que si l'on veut qu'il s'agisse ici de la création proprement dite, c'est vouloir que Cicéron oublie contre quel adversaire il dispute, puisque l'objection de la création proprement dite, non seulement ne lui avait pas été faite par Balbus, mais choquait directement tous les principes de Balbus.

« Ce passage sert à découvrir quel tour prenait Cicéron pour réfuter les stoïciens. Voyons, autant qu'il nous est possible, sur quoi roulait cette réfutation. Il faut pour cela nous ressouvenir que Balbus, livre II, chap. 30, voulant prouver la providence des dieux, la fonde sur trois raisons :

« 1° *Que l'existence des dieux une fois reconnue, il s'ensuit que le monde est réglé par leur sagesse.* On peut aisément juger que Cotta niant le principe des stoïciens, il niait aussi leur conséquence. Niant des dieux tels que les stoïciens les croyaient, il niait par conséquent la providence de ces dieux.

« 2° *Que tout étant soumis à une nature douée de sentiment, et qui entretient dans l'univers un ordre admirable, il faut, pour trouver l'origine de cette nature, remonter à des principes intelligents.* C'est ici, sans doute, que Cotta mettait dans tout son jour le système de Straton. Mais pouvait-il dire quelque chose de raisonnable, pour montrer qu'un monde si bien composé, si bien gouverné, était la production d'une nature inanimée? Tout ce que les successeurs de Cotta, tout ce que les impies ont dit là-dessus, fait pitié, et révolte le sens commun.

« 3° *Les merveilles que le ciel et la terre présentent à nos*

Digitized by Google

yeux. On voit assez ce qu'un académicien, qui cherchait à combattre les vérités les plus évidentes, pouvait trouver à reprendre dans la construction de ce monde-ci considéré par rapport à l'utilité particulière de l'homme. Apparemment Cotta ne manquait pas d'employer les plus beaux tours de l'éloquence, pour éblouir par des arguments tels qu'en ont proposé Lucrèce dans son cinquième livre, depuis le vers 157 jusqu'au 237, et Cicéron lui-même, Acad. II, 38. Pourquoi tant de plantes, tant de bêtes venimeuses? pourquoi tant de terres arides? pourquoi des grêles, des orages qui gâtent les moissons? pourquoi la pluie tombe-t-elle dans la mer, tandis que les sables de la Libye sont brûlants? pourquoi cette quantité innombrable d'étoiles pendant la nuit, puisque aucune d'elles, ni toutes ensemble, ne fournissent une lumière qui suffise pour nous éclairer quand le soleil est loin de nous? On a fait et on fera cent questions plus impertinentes les unes que les autres, lorsqu'on voudra mesurer à la faiblesse de l'esprit humain la sagesse infinie du Créateur, et la bonté physique de son ouvrage.

« Voilà donc à peu près ce qui pouvait entrer dans cette troisième partie, où Cotta devait réfuter les raisons par lesquelles Balbus lui voulait prouver qu'une providence divine avait fait ce monde-ci, et continuait à le gouverner.

« Pour ce qui est de la quatrième partie, dont le commencement nous manque, si nous en voulons remplir le vide par nos conjectures, il faut suivre la méthode que nous avons suivie dans l'examen de la troisième; il faut, dis-je, commencer par une exacte analyse, qui nous remette devant les yeux toutes les preuves de Balbus. Elles se réduisent aux quatre suivantes : 1° La structure de notre corps; 2° les perfections de notre âme; 3° l'utilité de tout ce qui est dans le monde, par rapport à nous; 4° divers exemples d'hommes illustres qui ont été protégés singulièrement par les dieux.

« Cicéron, pour conserver à son discours cet air de liberté que la conversation demande, ne reprend pas ici les preuves

Digitized by Google

de Balbus dans le même ordre qu'elles ont été proposées. C'est ce qui fait que nous n'avons point la réfutation de la troisième, quoique nous ayons celle de la seconde et de la quatrième. Mais il n'est pas difficile de voir ce que la première et la troisième pouvaient devenir entre les mains d'un rhéteur, qui s'étudiait à embellir des paradoxes.

« En effet, quoique la mécanique du corps humain soit admirable, ne faut-il pas convenir que l'éloquence a un champ bien vaste, si elle veut décrire nos infirmités, nos maladies, nos besoins corporels ? Cicéron ne fait-il pas semblant de porter l'excès de son pyrrhonisme jusqu'à douter que l'homme soit l'ouvrage d'une puissance intelligente ? *Etiamne hoc affirmare potes, esse aliquam vim, cum prudentia et consilio scilicet, quæ finxerit, vel, ut tuo verbo utar, quæ fabricata sit hominem ?* Acad. II, 27.

« Je ne m'arrêterai pas à montrer comment la troisième preuve de Balbus pouvait être réfutée. Cotta, pour répondre au détail que Balbus lui a fait des choses qui nous sont utiles dans le monde, n'avait qu'à lui en faire un des choses qui nous sont inutiles, ou même pernicieuses. Quand on n'a pas un principe fixe, comme la foi chrétienne, il n'y a presque rien sur quoi on ne puisse avancer le pour et le contre. C'est par les maximes invariables de notre foi que nous devons nous prémunir contre les vaines subtilités des impies ; et je ne veux employer ici que la parole sainte, pour détruire les réflexions de Cotta sur la seconde, et sur la quatrième preuve de Balbus.

« Il répond à la seconde, *Que la raison humaine étant l'instrument du crime plus souvent que de la vertu, il n'est guère croyable que ce soit un présent de la divine bonté.* Ne faisons point l'apologie de notre raison. A tout moment nous éprouvons sa faiblesse. Souvenons-nous seulement que ses défauts ne lui viennent point de son créateur (*Viditque deus cuncta, quæ fecerat ; et erant valde bona.* Genes. I, 31) ; que ce sont les suites du péché dont le premier homme fut cou-

Digitized by Google

pable; que nous sommes enfants de colère (Psalm. I, 7), conçus dans l'iniquité; mais que malgré cela nous pouvons tout (Ep. ad Philipp. IV, 13), avec la grâce de celui qui nous fortifie.

« Enfin, pour attaquer la quatrième preuve de Balbus, Cotta lui oppose, *Qu'il y a beaucoup de crimes heureux, tandis que la vertu souffre.* La prospérité des méchants n'est point un scandale pour le chrétien, puisqu'il ne connaît d'autre bien que la vertu. Quelle proportion entre ses souffrances passagères, et une éternelle félicité? (Rom. VIII, 18.)

« Je me sers uniquement de nos saintes Écritures, pour aller au-devant des mauvaises impressions que le discours de Cotta pourrait faire sur un chrétien à qui les maximes de notre foi ne seraient pas toujours présentes. En matière de religion, quand nous avons des doutes à prévenir, ou des difficultés à résoudre, la voie de l'autorité divine vaut beaucoup mieux pour nous que celle du raisonnement. Elle est plus sûre, elle est plus courte. Notre raison toute seule est ordinairement plus ingénieuse à se tendre des piéges, qu'à s'en débarrasser.

« — L'abbé d'Olivet, dans cette longue note, rétablit avec beaucoup de sagacité l'ordre et les principales idées de la réfutation de Cotta; mais il y insinue, comme dans quelques autres de ses remarques, et surtout dans sa Théologie des philosophes, que les anciens sages reconnaissaient tous la préexistence de la matière. Sans vouloir discuter ici cette grande question, qui ne nous semble pas encore décidée, malgré l'important ouvrage de Mosheim, *de Creatione ex nihilo*, nous observerons seulement, d'après nos recherches sur le platonisme, que la plupart des anciens livres religieux que nous connaissons semblent admettre la création proprement dite; le Shastah des Brames: « L'Éternel résolut, dans la plénitude des temps, de former des êtres divins et heureux comme lui. Ces êtres n'étaient pas; il voulut et ils furent ». L'Edda des Scandinaves: « C'était l'aurore des siècles; Dieu seul vivait. Il n'existait encore ni rivage, ni mer, ni

Digitized by Google

douce haleine des vents; point de terre, point de cieux; partout le vaste abîme de l'espace, etc.»

« Dans Platon lui-même, dont le spiritualisme sublime devrait au moins inspirer quelques doutes à ceux qui croient cette question jugée, Gassendi, Hardouin, Brucker, etc. prétendent qu'on ne trouve nulle part le dieu créateur; Mosheim s'applique surtout à le prouver dans les chap. 15 et suiv. de sa dissertation sur ce sujet, pag. 973 de sa traduction latine de Cudworth; et saint Basile, avant eux, croyait que l'erreur de Platon venait de ces mots de la Génèse, I, 2: « Or la terre était vide, solitaire, et les ténèbres couvraient la face de l'abîme». Mais que signifient donc ces termes platoniques, *l'auteur*, *le formateur*, *le père*? Ne valent-ils pas bien κτίστης, que l'on voudrait voir dans le texte du philosophe, que l'on attaquerait s'il s'y trouvait, et qui ne veut dire que *fondateur*? Sans doute la matière préexiste, suivant le Timée; mais elle avait été créée par Dieu même (Sophist. p. 185, C; Phileb. p. 378, A. Éd. de Francf.). C'est l'opinion des platoniciens, Clément d'Alexandrie, *Stromat.* V, p. 592, D; Jamblique, *de myst. Ægypt.* V, 23, VIII, 2; Porphyre, *ap. Æneam in Theophr.* pag. 56; Hiéroclès, *de Provident.* ap. Phot. codd. 214, 242; et le formateur du monde est toujours le dieu créateur.

« Si l'on veut cependant s'en tenir à l'opinion de Gassendi, de Brucker et des autres, qu'on ne s'imagine point que l'école de Socrate en ait eu pour cela une idée moins haute de la Divinité. D'Olivet, plus juste que le P. Hardouin, qui cherche partout des preuves d'athéisme, prend un sage parti dans l'ouvrage même où il examine un peu trop légèrement la question, et il justifie Platon, s'il s'est trompé: « Un métaphysicien le sauvera en disant que la qualité de créateur, qui suppose la puissance réduite à l'acte, n'est pas un des attributs essentiels de la divinité, puisque Dieu, ayant créé le monde librement, pouvait ne pas le créer ». Les textes que j'ai cités rendent peut-être cette tolérance inutile. Ils méritent au moins d'être discutés.» J. V. L.

Digitized by Google

NOVI EDITORIS PRÆFATIO.

Credo hunc Ciceronis de Divinatione librum in mentem injecisse clarissimi *Montesquieu* (1) ea quæ vir ille de Romanorum religione ita disputat:

« Je trouve cette différence entre les législateurs romains et ceux des autres peuples, que les premiers firent la religion pour l'état, et les autres l'état pour la religion. Romulus, Tatius, et Numa, asservirent les dieux à la politique; le culte et les cérémonies qu'ils instituèrent furent trouvés si sages que, lorsque les rois furent chassés, le joug de la religion fut le seul dont ce peuple, dans sa fureur pour la liberté, n'osa s'affranchir.

« Quand les législateurs romains établirent la religion, ils ne pensèrent point à la réformation des mœurs, ni à donner des principes de morale; ils ne voulurent point gêner des gens qui ne connaissaient pas encore les engagements d'une société dans laquelle ils venaient d'entrer: ils n'eurent donc d'abord qu'une vue générale, qui était d'inspirer à un peuple qui ne craignait rien, la crainte des dieux, et de se servir de cette crainte pour le conduire à sa fantaisie.

« Les successeurs de Numa n'osèrent point faire ce que ce prince n'avait point fait. Le peuple, qui avait beaucoup perdu de sa férocité et de sa rudesse, était devenu capable d'une plus grande discipline. Il eût été facile d'ajouter aux cérémonies de la religion des principes et des règles de morale dont elle manquait;

(1) *Politique des Romains dans la religion.*

Digitized by Google

mais les législateurs des Romains étaient trop clairvoyants pour ne point connaître combien une pareille réformation eût été dangereuse : c'eût été convenir que la religion était défectueuse; c'était lui donner des âges, et affaiblir son autorité en voulant l'établir. La sagesse des Romains leur fit prendre un meilleur parti en établissant de nouvelles lois. Les institutions humaines peuvent bien changer, mais les divines doivent être immuables comme les dieux mêmes.

« Ainsi le sénat dé Rome, ayant chargé le préteur Q. Pétillius (T. Liv. XL, 29) d'examiner les écrits du roi Numa, qui avaient été trouvés dans un coffre de pierre, cinq cents ans après la mort de ce roi, résolut de les faire brûler, sur le rapport que lui fit ce préteur, que les cérémonies qui étaient ordonnées dans ces écrits différaient beaucoup de celles qui se pratiquaient alors; ce qui pouvait jeter des scrupules dans l'esprit des simples, et leur faire voir que le culte prescrit n'était pas le même que celui qui avait été institué par les premiers législateurs, et inspiré par la nymphe Égérie.

« On portait la prudence plus loin : on ne pouvait lire les livres sibyllins sans la permission du sénat, qui ne la donnait même que dans les grandes occasions, et lorsqu'il s'agissait de consoler les peuples. Toutes les interprétations étaient défendues; ces livres même étaient toujours renfermés; et, par une précaution si sage, on ôtait les armes des mains des fanatiques et des séditieux.

« Les devins ne pouvaient rien prononcer sur les affaires publiques sans la permission des magistrats; leur art était absolument subordonné à la volonté du

Digitized by Google

sénat ; et cela avait été ainsi ordonné par les livres des pontifes, dont Cicéron (*de Leg.* II, 8,9) nous a conservé quelques fragments.

« Polybe met la superstition au rang des avantages que le peuple romain avait par-dessus les autres peuples : ce qui paraît ridicule aux sages est nécessaire pour les sots ; et ce peuple, qui se met si facilement en colère, a besoin d'être arrêté par une puissance invisible.

« Les augures et les aruspices étaient proprement les grotesques du paganisme ; mais on ne les trouvera point ridicules si on fait réflexion que, dans une religion toute populaire comme celle-là, rien ne paraissait extravagant ; la crédulité du peuple réparait tout chez les Romains : plus une chose était contraire à la raison humaine, plus elle leur paraissait divine. Une vérité simple ne les aurait pas vivement touchés ; il leur fallait des sujets d'admiration ; il leur fallait des signes de la divinité ; et ils ne les trouvaient que dans le merveilleux et le ridicule.

« C'était, à la vérité, une chose très-extravagante de faire dépendre le salut de la république de l'appétit sacré d'un poulet, et de la disposition des entrailles des victimes ; mais ceux qui introduisirent ces cérémonies en connaissaient bien le fort et le faible, et ce ne fut que par de bonnes raisons qu'ils péchèrent contre la raison même. Si ce culte avait été plus raisonnable, les gens d'esprit en auraient été la dupe aussi bien que le peuple, et par là on aurait perdu tout l'avantage qu'on en pouvait attendre. Il fallait donc des cérémonies qui pussent entretenir la superstition des uns, et entrer dans la politique des autres.

Digitized by Google

C'est ce qui se trouvait dans les divinations. On y mettait les arrêts du ciel dans la bouche des principaux sénateurs, gens éclairés, et qui connaissaient également le ridicule et l'utilité des divinations. Cicéron (*de Divinat.* II, 35) pense, comme Marcellus, que, quoique la crédulité populaire eût établi au commencement les augures, on en avait retenu l'usage pour l'utilité de la république, etc. »

Ea aliquis acriora fortasse inveniet. Etenim sic fraudis et fallaciæ insimulantur cuncti reipublicæ romanæ principes, qui, quum civiles magistratus obirent, religionis cerimonias implere cogebantur. Sed postquam de Divinatione Tullii librum perlegeris, necesse erit ut fatearis non aliter rem se habere, et *Montesquieu*, loco supra adhibito, mirabili quodam ingenii acumine, veritatem, ex factis quorum meminit historia, ut solet, abstraxisse.

Eadem fere ac *Montesquieu* disputat *Voltaire*, sed jocando et hilariter, nec minus subtili acie introspicit mendacia illa, quibus publica religio nitebatur, et quæ civitati non mediocriter proderant. Laudat, et merito, Ciceronem, qui fabulas illas aniles non dubitavit in lucem proferre, et, ut philosophum decet, veritatisque amatorem virum, judicare.

« Il y a des cas (1), où il ne faut pas juger d'une nation par les usages et par les superstitions populaires. Je suppose que César, après avoir conquis l'Égypte, voulant faire fleurir le commerce dans l'empire romain, eût envoyé une ambassade à la Chine par le port d'Arsinoé, par la mer Rouge, et par l'Océan

(1) Quest. sur l'Encyclopédie, art. *Usages*.

Digitized by Google

indien. L'empereur Yventi, premier du nom, régnait alors; les annales de la Chine nous le représentent comme un prince très-sage et très-savant. Après avoir reçu les ambassadeurs de César avec toute la politesse chinoise, il s'informe secrètement par ses interprètes des usages, des sciences et de la religion de ce peuple romain, aussi célèbre dans l'Occident que le peuple chinois l'est dans l'Orient. Il apprend d'abord que les pontifes de ce peuple ont réglé leurs années d'une manière si absurde, que le soleil est déja entré dans les signes célestes du printemps, lorsque les Romains célèbrent les premières fêtes de l'hiver. Il apprend que cette nation entretient à grands frais un collége de prêtres qui savent au juste le temps où il faut s'embarquer, et où l'on doit donner la bataille, par l'inspection d'un foie de bœuf, ou par la manière dont les poulets mangent de l'orge. Cette science sacrée fut apportée autrefois aux Romains par un petit dieu nommé Tagès, qui sortit de la terre en Toscane. Ces peuples adorent un Dieu suprême et unique, qu'ils appellent toujours Dieu très-bon et très-grand. Cependant ils ont bâti un temple à une courtisane nommée Flora, et les bonnes femmes de Rome ont presque toutes chez elles de petits dieux pénates, hauts de quatre ou cinq pouces..... L'empereur Yventi se met à rire. Les tribunaux de Nankin pensent d'abord avec lui que les ambassadeurs romains sont des fous ou des imposteurs qui ont pris le titre d'envoyés de la république romaine; mais comme l'empereur est aussi juste que poli, il a des conversations particulières avec les ambassadeurs. Il apprend que les pontifes romains ont été très-ignorants, mais que César ré-

Digitized by Google

forme annuellement le calendrier. On lui avoue que le collége des augures a été établi dans les premiers temps de la barbarie; qu'on a laissé subsister cette institution ridicule, devenue chère à un peuple long-temps grossier; que tous les honnêtes gens se moquent des augures; que César ne les a jamais consultés; qu'au rapport d'un très-grand homme, nommé Caton, jamais augure n'a pu parler à son camarade sans rire; et qu'enfin Cicéron, le plus grand orateur et le meilleur philosophe de Rome, vient de faire contre les augures un petit ouvrage, intitulé *de la Divination*, dans lequel il livre à un ridicule éternel tous les aruspices, toutes les prédictions, et tous les sortiléges dont la terre est infatuée. L'empereur de la Chine a la curiosité de lire ce livre de Cicéron; les interprètes le traduisent; il admire le livre et la république romaine(1). »

Ex his duobus locis, egregie patet quid sentire debeamus de subsequenti Tulliano libro. Sed vir antiquitatis et philosophiæ studiosus insuper adeat *Van Dale*, de Oraculis Veterum; cujus quidem liber obsoletus rarissime adhibetur. Consulere magis expediat alterum, sub eodem titulo, librum auctore *Fontenelle*. Major inde voluptas, utilitas non minor. Etenim *Fontenelle* prioris auctoris sententias in brevius coegit, venustaque oratione dilucidoque dicendi genere exornavit. Non sine fructu legeris quoque *Histoire des Augures*, a doctissimo *Le Brun*, et quæ disputavit *Morin*, *sur*

(1) Sunt nonnulli in hoc loco errores. Ex ipso Cic. libro patet post Cæsaris mortem conscriptum fuisse, II, 9, 54; et ab Cæsare consuli aruspices, augures, et ipsos Chaldæos, I, 52, II, 47.

Digitized by Google

les Augures : quædam alia disputata, in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, et quæ scripsit *Diderot*, verbo *Divination*, in *Encyclopédie*, videre operæ pretium erit.

Ea sunt de Veterum religione vernacule conscripta, non desunt autem latino sermone conscripti libri; exempli gratia exstant Tractatus de Sapientia, auctore *Cardano*, et *Disquisitiones magicæ*, auctore Delrio. Si libet, plures consulantur libri : ornithomantia, seu divinatio per aves; asteromantia, per astra; necromantia, per defunctorum umbras; cleromantia, per sortes; oneiromantia, per somnia; hydromantia, per aquam; pyromantia, per ignem; botanomantia, per plantas; lithomantia, per lapides; onomatomantia, per nomina; rhabdomantia, per virgas; oomantia, per ova; chiromantia, per manus; omphalomantia, per umbilicum; omomantia, per humeros, etc. etc. somnia vana, deridiculæ mentis humanæ aberrationes, quas uno nomine non male dixeris, *pseudomantiam*.

Jam, Eusebii ætate, qui adversus divinationem scripserant sexcenti numerabantur (Præp. Evang. IV). Eusebius ipse laudat fragmenta Œnomai Cynici, qui inter tot scriptores oraculis bellum gerentes, inclaruerat; istius Œnomai sententias quasdam egregie sequutus est *Fontenelle*, *Histoire des Oracles*, cap. 7. Sed feliciter evenit quum alii omnes libri adversus oracula perierint omnino, ad nos pervenisse incolumem Tullii de Divinatione librum.

Hunc scribebat Cicero a. U. 709, paullo post quam edidisset librum de Natura Deorum. Ex omnibus Tullii philosophicis operibus, non aliud magis Tul-

Digitized by Google

lianum dixerim. Non enim constat ex græcorum philosophorum decretis quæ vir consularis in latinum sermonem, veluti scribendi quadam voluptate ductus, convertere solebat. Nonnulla quidem adhibet ex Chrysippo, Carneade, Panætio, et sine dubio ex Epicuro, sed illorum tantummodo opiniones memorat, ut philosophica, ut ita loquar, trutina, patriæ religionis cerimonias perpendat; explicat sexcentas superstitiones, ex Etruscis ortas, quæ apud Græcos numquam viguerant; congerit, congestaque dijudicat, permulta facta sive ex historia civili romanæ reipublicæ, sive ex pontificum annalibus; nec dubitat ante rationis suæ tribunal vocare, quidquid tum temporis Romæ sanctissimum habebatur, auguria, deorum sacerdotes, oracula, prodigia, et ea ipsa quæ Cæsaris mortem præcesserant. Si cogitaveris quis esset in civitate Tullius, quum ea scriberet, non inficias iveris nullum ex tota antiquitate librum ad nos pervenisse, ubi tanta appareat libere cogitandi, et libere dicendi audacia.

Anno Urbis 571 senatusconsulto proscripti fuerant Numæ libri, quippe qui in mentes superstitionibus addictas dubitationem quamdam injicere potuissent. Quantum ab illis temporibus tempora mutata, quum vir consularis, et idem augur, romanæ religionis ipsa fundamenta aperte oppugnabat, et declarabat libros sibyllinos, aruspices, et alia ejusdem generis, nihil aliud esse quam artes a reipublicæ rectoribus excogitatas, ut populus libentius pareret. Epicurei multa libere de diis disputaverant; sed generaliter; jam dudum, quod vehementer, sed frustra, indignatus fuerat Cato, in philosophorum gymnasiis de qualibet quæstione, sive ad rempublicam, sive ad virtutem spe-

Digitized by Google

ctante, in utramque partem disputandi mos prævaluerat; sed nemo publicam religionem reprehensione gravi, vel quod pejus, jocose et cavillando aggredi ausus fuerat. Tum primum romanus civis quos coluerat Roma deos ex altaribus dejicere, totumque patriæ cultum proturbare, et in contemptum adducere quidquid ab ipsa origine urbs veneratione summa prosequuta fuerat, suscepit : in ejus libro ista verba legebantur : « errabat in multis rebus antiquitas; quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus». II, 33: «Hæc, aiebat de sacrosanctis mysteriis, crede mihi, ne aniculæ quidem existimant ».

Primi Christiani, quum sensim oblivione obrui sinerent Antiquorum adversus falsa numina libros, invalescente religione Christiana, in veneratione summa retinuerunt Ciceronis de Natura Deorum et de Divinatione libros, et quantum tunc temporis licebat, nova exemplaria edere curaverunt. Ita credebant se non male fidei propagandæ consulere. Non aliter sentiebant pagani; qui aboleri nostros hos libros a senatu postulaverunt. Arnobius adversus Gent. lib. III, ait: «oportere statui per senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus Christiana religio comprobetur, et vetustatis opprimatur auctoritas ». Rogo impositi fuerunt duo libri Ciceronis, cum ipsis sacris codicibus, a. J. C. 302, regnante Diocletiano. Sed, Christianorum industria servata, nonnulla exemplaria ignem evasere feliciter.

Quum tantopere Christiani de Divinatione librum colerent, et quum sæpius usurpare solerent, creditum est ab iis in græcum sermonem translatum

Digitized by Google

fuisse; sed non liquet. Plutarch. apud Paul. Æmil. laudat locum ex lib. I, cap. 46, et opus de quo locum desumpsit, ait inscribi περὶ μαντικῆς. Sed quamvis romanam linguam non optime calleret, ut ipse fatetur initio vitæ Demosthenis, tamen Tullii opus in latina lingua adire potuisset. Nicephorus Gregoras similiter laudat Ciceronem περὶ μαντικῆς, in notis ad Synesium, περὶ ἐνυπνίων, pag. 359.

Quæ in hac præfatione admisimus, deprompsimus ex J. V. *Leclerc.*

Digitized by Google

RUDOLPHUS GODOHOLDUS RATH

LECTORI ERUDITO

S. P. D.

Hoc etiam anno, quo Gallus nostrum murum circumsonat armis, quartum Davisianarum editionum volumen prodire vides. Debetur hoc potissimum facili crebræque superiorum voluminum venditioni : ex qua apparet, multos quidem antea editiones has ob præstantiam desiderasse, ob raritatem autem in paucorum fuisse manibus. Post libros itaque de Finibus Bonorum et Malorum, editos 1804, subsequutæ sunt Tusculanæ 1805, et Academica 1806, et jam libri de Divinatione, addito libro singulari de Fato.

Hos libros bis edidit Davisius, inscripsitque : « M. T. Ciceronis libri de Divinatione et de Fato. Recensuit et suis animadversionibus illustravit ac emendavit Joannes Davisius. Accedunt integræ notæ Paulli Manutii, Petri Victorii, Joach. Camerarii, Dion. Lambini, et Fulv. Ursini, una cum Hadriani Turnebi commentario in librum de Fato. Cantabrigiæ 1721, in-8, typis Academicis, sumptibus Cornelii Crownfield ». Posterior editio ibidem impressa et apud eumdem, 1730, appellatur, « Editio secunda, melior et emendatior », nec injuria melior atque emendatior appellatur. Etenim non Addenda solum, quæ in calce prioris leguntur, suo quæque loco inserta sunt, sed novæ etiam accesserunt animadversiones, multæque ex superioribus multo sunt pleniores. In contextu ipso alia atque alia emendavit, partim ex fide novorum codd. quos post primas curas nactus erat (vid. ejus præfat. ad edit. sec.);

Digitized by Google

partim ex editionibus veteribus, Victorii potissimum et Camerarii. Secundam hanc jam tibi tradimus editionem, additis, ut in reliquis libris fecimus, notis Gruteri.

In animadversionibus a me ipso adjectis, aut locos quosdam corruptos tentavi, aut aliorum interdum emendationes excussi, aut addidi passim lectionis varietatem, vel a Davisio relictam, vel ex codd. recens collatis erutam. Qua quidem in re non id egi, ut quidquid post Davisium aut feliciter inventum esset, aut acute excogitatum, id supplerem quasi atque recenserem; hic enim campus, quoniam post Davisium plures egregiorum virorum partim singulos locos tentarunt, partim universos ediderunt libros, hic igitur campus latius patebat, quam ut emetiri animo proposuissem: sed ea fere mente paucula hæc addidi, ut meam de locis quibusdam sententiam proferrem, eamque criticis, si quid forte iis examine dignum videretur, ad examinandum proponerem. Quum egomet enim ipse in nova sim Tullianorum de philosophia librorum recensione occupatus, permultum mea interest scire, quid probent viri eruditi, quidve reprobent.

Ut in superioribus, ita in his quoque ad libros de Divinatione animadversionibus, libere ingenueque dixi, quod sentiebam, ubique id maxime studens, ut aliorum judicia, si operæ pretium videbatur, examinarem. Nullius enim viri eruditi auctoritas tanta esse debet, ut animum cæcet vana ejus admiratione abreptum; præsertim quum sint, semperque fuerint, qui maxima auctoritate aut parum aut nihil dicerent. At hi ipsi fere sunt reipubl. literariæ clamatores, qui alios, in quibus aliquid aut acuminis vident aut eruditionis, inhumaniter lacessere insectarique solent, ne ista auctoritas, quam ipsi sentiunt, quam caduca sit, quum haud sane altissimis sit defixa radicibus, ne quid igitur, si et alii laudentur, detrimenti capere videatur.

Quod reliquum est, censuræ severitatem, si quid erravero, qua de re non dubium est, a me haud deprecor; lau-

Digitized by Google

dem, si quid forte feliciter cesserit, non obsecro; id autem maxime velim, ut, quidquid moneamur (idque, credo, fiet, ut inter homines artium ingenuarum, ingenue), id vel ad emendandum Ciceronem, vel ad majorem ejus intelligentiam aliquid conferat. Vale, lector erudite, iisque fave, qui sese student de Tullio bene mereri.

Halæ, mense maio 1807.

DAVISIUS LECTORI S.

EX PRIMA EDITIONE.

In manus tibi, lector, Ciceronis libros de Divinatione et de Fato, meis observationibus illustratos et emendatos trado. Iis recensendis tres præcipue MSS adhibuimus, Baliolensem, Regium, et Cantabrigiensem.

Eorum primum amico cuidam meo conferendum dedit Joannes Baronius, dignissimus collegii Baliolensis apud Oxonienses magister; cui propterea gratias ingentes habeo atque ago. Ut autem ipse codicem Regium præ oculis haberem, singularis eximii Viri Richardi Bentleii fecit benivolentia. Tertium vero suppeditavit publica Cantabrigiæ nostræ Bibliotheca.

His accessit editio Veneta anno Domini 1471, quam ex ditissimo suo librorum penu comiter, ut solet, utendam dedit vir nobilissimus Thomas Harleius, illustrissimi comitis Oxoniensis hæres, ob morum facilitatem, pietatem et ceteras omne genus virtutes summa laude perquam dignus.

Quantum his aliisque subsidiis instructi, de Cicerone meruerimus, aliorum sit judicium. Pro virili certe conten-

Digitized by Google

dimus, ut usibus tuis accommodata horum opusculorum prodiret editio. Vale.

Cantabrigiæ a. d. 10 kal. mart. 1721.

EX SECUNDA EDITIONE.

In manus tibi, lector, Ciceronis libros de Divinatione deque Fato, non minus aliorum quam meis observationibus illustratos et emendatos trado. Iis recensendis (intelligo præsertim duos de Divinatione: ad istum enim mutilum de Fato tot adminiculis uti non potuimus), libris, inquam, de Divinatione recensendis sex in primis MSS adhibuimus, Parisinum, Mertonensem, Balliolensem, Regium, Meadianum et Cantabrigiensem.

Parisini simul ac Mertonensis ἀντιβολὴν viro doctissimo Joanni Walkero debemus. Balliolensem vero conferendum dedit Joannes Baronius, dignissimus collegii Balliolensis apud Oxonienses eo tempore magister; eique jam μακαρίτῃ gratias ingentes habeo atque ago. Ut autem ipse codices Regium et Meadianum præ oculis haberem, singularis eximiorum virorum Richardi Bentleii et Richardi Meadii fecit benivolentia. Porro Cantabrigiensem suppeditavit publica Cantabrigiæ nostræ Bibliotheca.

Mertonensis codex non ultra cap. 48 primi libri de Divinatione pertinet: Parisinus in medio capite 66 libri secundi desinit. Hic sexcentos circiter annos præ se fert, Mertonensis autem quadringentos, ut et Regius. Balliolensis, Meadianus et Cantabrigiensis, ut arbitror, iis sunt ætate nonnihil inferiores.

MSS quos memoravimus accessit editio Veneta an. Dom. 1471. Eam ex ditissimo suo librorum penu comiter, ut solet, utendam præbuit illustrissimus Edvardus Harleius,

Digitized by Google

comes Oxoniensis; vir ob morum facilitatem, pietatem, et ceteras omne genus virtutes summa laude perquam dignus.

Quantum his reliquisque subsidiis instructi de Cicerone meruerimus, aliorum sit judicium. Operam certe non mediocrem dedimus, ut usibus tuis accommodata prodiret opusculorum editio.

Quum volumen pæne totum fuit typis excusum, Cantabrigiam perlatæ sunt Thomæ Wopkensii Tullianæ lectiones; in quibus quum hæc, tum alia quædam Ciceronis opera philosophica nonnumquam conjecturis emendat, plerumque adversus criticos, ut ei videtur, παραδιορθοῦντας receptam propugnat lectionem. Verum licet a me non raro diversus abeat; ne tamen ejus animadversiones in hosce libros excuterem, causa jam dicta præpedivit. Interim aliorum dissensum, ita me Deus amet, haud moleste fero; nec indignor, nisi forte superbos et inhumanos mores prodat orationis asperitas. Sed in hac parte non est cur de viro doctissimo queramur: nam nimiis fere laudibus eos, quos censet refutandos, insignit atque cohonestat. Vale.

Cantabrigiæ pridie kal. mart. 1730.

EXCERPTA

EX PRÆFATIONE JO. JAC. HOTTINGERI.

De augenda lectionis varietate parum sollicitus, tamen ea, quæ ante me viri docti congessissent, etiam mea ratus, et copia usus sum ea omni, quam editio quum Davisiana, tum Ernestina suppeditabat; et præterea codicum diversitatem Ciceroni Oxoniensi subjunctam ita adhibui, ut eorum, quæ digna memoratu visa essent, a me nihil omitteretur. Quorum quidem codicum, quos literis E, O, U, ψ

Digitized by Google

notatos reperies, postremus est idem ille Balliolensis, jam ante a Davisio, sed, ut apparet, non per omnia eadem diligentia collatus.

Atque his primum opibus et paratis, nec, ut videbatur, contemnendis, me continere decreveram, quum laboris jam plurima parte perfunctus forte incidi in editionem illam, quæ ex ædibus Cratandri Basileæ prodiit anno 1528.

Proxima cura fuit, ut virorum doctorum adirem, atque excuterem commentarios maxime illos, quos editio Davisiana plures amplectitur. Neque si quid ab singulis seorsim vel in universum opus, vel in singula loca scirem esse notatum, illud non diligenter contuli, ut Wopkensii Lectiones Tullianas, Jortini animadversiones, Schelleri observationes, alia. E quibus omnibus, quamquam quum observationum, tum lectionum atque emendationum silvam collegissem eam, quæ ad recensendum denuo opus prope jam valeret, tamen plurimas adhuc superesse videbam locorum corruptelas, vel ab aliis frustra tentatas, vel ab nemine ante me animadversas. His ego pro mea virili mederi conatus sum.

In textu autem mutando hanc mihi ipsemet legem tuli, ut neque vana novandi libidine quidquam moverem, quod non aut aperte vitiosum, aut ex pluribus male lectum videretur, neque vero inepta religione me paterer prohiberi, quo minus lectionem, quam ego certam judicarem, sive suadentibus libris, seu de conjectura postliminio reducerem. In quo plus tamen libris putavi tribuendum, quam conjecturæ, præsertim meæ, ut qui probe scirem, quod Cicero aliquo loco de natura dixit, «eam blandissimam esse conciliatricem, et quasi sui lenam», id in hanc maxime convenire.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

DE DIVINATIONE

LIBER PRIMUS

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGUMENTUM

LIBRI PRIMI.

Orditur Cicero quædam generaliter de divinatione præfando, cap. 1-4. Fingit fratrem suum Quintum divinationem tueri suscipere, ex Stoicorum doctrina. Quintus duplex divinationis genus agnoscit: alterum ex natura, alterum ex arte. Posterius consistere ait in hostiarum extis inspiciendis, in omni prodigiorum genere, in aruspicum, augurum, et omnium qui signa et præsagia observant, prædictionibus. Prius vero divinationis genus esse ait, quum animus, divino veluti furore incensus, futura prævidet; et quum, inter somnium, corporis vinculis liberatus, a diis monita quædam accipit. Hanc vero duplicem divinationem magna exemplorum copia confirmat; de causis vero utriusque disserere supervacaneum arbitratur, cap. 5-13. Si quando contra prædictiones divinantium res cedant, non idcirco divinandi artem non exsistere, concludendum est. Etenim ars quælibet, quum in conjiciendo versetur, sæpe fallitur. Sufficit semel res prædictas evenisse, ut divinationi fides debeatur. Qui autem inficias eat prædictiones re semel confirmatas esse, is ipsam Romæ historiam in dubium revocet, necesse est, cap. 14-17. His præmissis, Quintus multa narrat primum de divinatione ex natura, cap. 18-32. Inde ad divinationem ex arte transgreditur, cap. 33-37. Regreditur deinde ad Stoicorum de divinatione decreta, quæ confirmat poetarum, philosophorum et populorum auctoritate, cap. 38-48. Tandem declarat omnem divinationem vel diis, vel fato, vel naturæ referendam esse, cap. 49 ad finem libri.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

DE DIVINATIONE

LIBER PRIMUS.

I. VETUS opinio est, jam usque ab heroicis ducta 1
temporibus, eaque et populi romani et omnium gentium firmata consensu, versari quamdam inter homines divinationem, quam Græci μαντικὴν[1] appellant, id est, præsensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quidem res[2], et salutaris, si modo est ulla; quaque proxime ad deorum vim[3] natura mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa, quam Græci, sic huic præstantissimæ rei[4] nomen nostri a divis,

I. 1. *Quam Græci* μαντικὴν *appellant.* Apud Græcos μαντικὴ et μάντις, μάντις autem ex μανία, idem quod furor, insania. Hoc etymon dedit ipse Plato, in Phædro, t. X, p. 316 edit. Biponti. Vide infra not. 4.

2. *Magnifica quidem res.* Vulgo *quædam:* sed melior videtur ea lectio, quam nos fide MSS Pal. pr. et Wower. recepimus. DAV. — Dav. sequutus est Ernest. Idem vero addit: «alibi Ciceronem simpliciter dicere, *magna res*, etc. ut in lib. III de N. D. et alibi». At conf. Cicer. Offic. III, 1, *Magnifica vero vox.* Infra II, 26, *magnum vero.* RATH.

3. *Quaque proxime ad deorum vim.* Sic restituit hunc locum Adr. Turnebus, Adversar. lib. V, cap. 20; nam vulgo legitur, «quæque proxima ad deorum vim natura mortali, etc.» Plane mendose. LAMB.

4. *Huic præstantissimæ rei*, etc. Hunc locum laudat Servius in Virgil. Æneid. III, 443, ubi μάντις etiam ἀπὸ μανίας dici testatur. Platonis vero ῥῆσις, ad quam respexit Noster, exstat in Phædro, p. 343, G. Τῶν, inquit ille, παλαιῶν οἱ τὰ ὀνόματα τιθέμενοι, οὐκ αἰσχρὸν ἡγοῦντο οὐδὲ ὄνειδος, MANIAN· οὐ γὰρ ἂν τῇ καλλίστῃ τέχνῃ, ᾗ τὸ μέλλον κρίνεται, αὐτὸ τοῦτο τοὔνομα ἐμπλέκοντες, MANIKHN ἐκάλεσαν· ἀλλ' ὡς καλοῦ ὄντος, ὅταν θείᾳ μοίρᾳ γίγνηται, οὕτω νομίσαντες ἔθεντο· οἱ δὲ νῦν ἀπειροκάλως τὸ T ἐπεμβαλόντες, MANTIKHN ἐκάλεσαν. Falsus igitur est Scholiastes in Euri-

Digitized by Google

2 Græci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem tamque barbaram, quæ non significari futura, et a quibusdam intelligi prædicique posse censeat. Principio Assyrii[5], ut ab ultimis auctoritatem repetam[6], propter planitiem magnitudi-

pidis Hecubam, vs. 676, qui notat, φησὶ Πλάτων ἐν ΓΟΡΓΙΑι, ὡς ἡ μαντικὴ μανικὴ οὖσα πρῶτον, προστεθέντος τοῦ Τ, μαντικὴ γέγονεν. Nam, memoriæ vitio, Gorgiam pro Phædro laudavit. Cælius Aurelianus, Morb. Chr. lib. I, cap. 5, pag. 325: «Plato in Phædro duplicem furorem dixit: unum fieri mentis intentione, ex corporis causa, vel origine; alterum divinum, sive immissum, ejusque Apollinem inspiratorem esse, atque hunc vocari divinationem: ab antiquis vero appellatum furorem. Magna Græcorum vetustas μανίαν appellabat, quæ nunc μαντικὴ dicta est». Antiquo autem more loquutus est Aristides, Hymn. in Jovem, pag. 5: Δότε μοι ΜΑΝΙΚΟΝ γενέσθαι τὸν λόγον. Hinc etiam Tertullianus de Anima, c. 21: «Amentiam vocat spiritalem vim, qua constat prophetia». Vide sis et ejusdem libri cap. 45, et Suidam in μανίαι οὐ πᾶσιν δμοιαι. Nimirum τοῦτο μάντεως ἴδιον τὸ ἐξιστηκέναι, ut ait Joannes Chrysostomus, Hom. XXIX, in Epist. I ad Corinth. tom. III, pag. 430 ed. Eton. Philo in libro *Quis verum Divin. heres.* p. 383, D. Vide sis ejusdem libri pag. 404, G. Viri tamen ecclesiastici veras ἐκστάσεις a furore distinguebant, putabantque θεοπνεύστους prophetas e statu mentis non abripi. Adeas licet Henr. Valesium ad Eusebii H. E. V, 16, 17. Dav.

5. *Principio Assyrii.* His Prometheus astrologiam indicavit, si fides Servio in Virgilii Eclog. VI, 42. Adi sis et Æschylum, Prom. Vinct. vers. 456, 483. At Babylonii (qui sub Assyriorum nomine continentur) hanc artem ἐφεῦρον διὰ Ζωροάστρου, μεθ' ὃν καὶ Ὀστάνης· οἳ ἐπίστησαν τῇ οὐρανίᾳ κινήσει τὰ περὶ τοὺς τυτομένους συμβαίνειν (lego, οἳ ΗΠΙΣΤΑΝΤΟ τῇ οὐρανίᾳ κινήσει τὰ περὶ τοὺς τυτομένους συμβαίνειν ΜΕΛΛΟΝΤΑ), ἀφ' ὧν Αἰγύπτιοι καὶ Ἕλληνες ἐδίξαντο, ut ait Suidas in Ἀστρονομία. Vide Nonnum in Gregorii Nazianzeni Stelit. lib. I, pag. 150; Tatianum, Orat. ad Græc. cap. 1; Julianum apud Cyrillum, V, p. 178, B, et Cosmam, Indopleustem, lib. III, p. 159. Dav.

6. *Ut ab ultimis auctoritatem repetam.* Ultimos, *antiquissimos* passim denotare, vel iis notum, «qui nondum ære lavantur»; adeo ut plus quam puerililer lapsus sit Aldus nepos, qui *ultimos* interpretatur barbaros, quia Cicero «nationem barbaram ultimo loco recensuit». Sed hunc missum facere par est, ut aliud videamus. Quum Pithœanus codex haberet, «ut ab ultimis auctoritate repetam», ea lectio Jano Gulielmio placebat. At illa loquendi ratio ne latina quidem est; nam qui *repetit*, retrorsum petit, adeoque casus accusativus plane flagitatur. Virgilius, Georg. IV, v. 286: «...prima repetens ab origine famam». Scriptor ad Herennium, lib. I, cap. 9: «Rem breviter narrare poterimus... si non ab ultimo initio repetere volemus». Vide et Justinum, lib. II, cap. 1. Dav.

Digitized by Google

nemque regionum, quas incolebant, quum cælum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observaverunt[7]; quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriæ prodiderunt. Qua in natione Chaldæi[8], non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. Eamdem artem etiam Ægyptii[9] longinquitate tempo-

7. *Motusque stellarum observitaverunt.* Vulgo *observaverunt;* at quum verbum frequentativum in nostris et aliorum MSS compareret, cur id repudiarem, non erat. Vide sis infra cap. 45, et nos ad lib. I de Legg. c. 4. Davis. — Id genus verborum Noster frequentat: hinc *responsitare* de Legg. lib. I, cap. 4; *defensitare* Offic. III, 33, idque genus alia. Rath.

8. *Qua in natione Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati.* Ita loquitur, quod omnes *Genethliacos*, quæcumque demum iis patria contigerat, *Chaldæos* nominabant. Adi modo Agellium, lib. I, cap. 9, XIV, 1. Alioqui proprie *Chaldæi* vocabantur inter Babylonios ii qui siderum scientiæ se dabant. Vide Nostrum infra cap. 41; Strabonem, lib. XVI, p. 1074, et Diodorum Siculum, Bibl. lib. II, p. 98, 115. Dav. — *Chaldæi.* Ciceronis ætate Chaldæi dicebantur quicumque futura prædicendi artem exercebant. J. V. L.

9. *Eamd. artem... Ægyptii.* Clemens Alexandrinus, Strom. lib. I, p. 361, et ex eo Eusebius, Præp. Evang. X, 6: Αἰγύπτιοι γοῦν πρῶτοι Ἀστρολογίαν εἰς ἀνθρώπους ἐξήνεγκαν, ὁμοίως δὲ καὶ Χαλδαῖοι. Iamblichus, Vit. Pythagor. § 158: Τὰ γὰρ οὐράνια θεωρήματα κατὰ κοινόν τινες Αἰγυπτίοις καὶ Χαλδαίοις ἀναφέρουσιν. Ut eos vero præteream, qui magos fraudis hujusce faciunt architectos; inter se discrepant auctores, Ægyptiine an Chaldæi, primi τέχνην γενεθλιακὴν invenerint. Vide quoque Theodoretum, Therap. lib. I, p. 6. Auctor de rerum repertoribus apud Cotelerium, PP. Apost. tom. I, p. 545: Χαλδαῖοι (ἐφεῦρον) Ἀστρολογίαν καὶ Γενεθλιολογίαν. Pro Chaldæis etiam testimonium dicunt Josephus, Antiqq. Jud. lib. I, cap. 8, 2; Agellius, lib. XIV, cap. 1, et Proclus in Platonis Timæum, lib. IV, pag. 277. At supposititius iste Clemens, Hom. X, cap. 26, et Recogn. lib. V, cap. 20, hæc Ægyptiis attribuit. Vide sis et Lactantium, Divin. Instit. lib. II, cap. 13, 10, ac Diodorum Siculum, Bibl. lib. I, p. 46, 63, 73. Arnobius, lib. II, p. 116 ed. Herald. «Quando siderum motus aut ratio cœpta est Genethliaca sciri? Non post Theutatem Ægyptium, aut post Atlantem?» qui Libycus erat. Adeatur et Eusebius, P. E. lib. IX, cap. 17. Sane secundum Plinium, Hist. Nat. VIII, § 57, p. 416: «Astrologiam (invenit) Atlas, Libyæ filius; ut alii, Ægyptii; ut alii, Assyrii». At pro Luciani mente, tom. I, pag. 848 seqq. Æthiopes primi, dein Ægyptii, tum vero Babylonii hanc artem calluerunt. Dav.

Digitized by Google

rum innumerabilibus pæne sæculis consequuti putantur. Cilicum autem, et Pisidarum gens, et his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus[10] ipsi, volatibus avium cantibusque, ut certissimis signis, declarari
3 res futuras putant. Quam vero Græcia coloniam misit in Æoliam[11], Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam, sine Pythio, aut Dodonæo, aut Hammonis oraculo[12]? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est?

II. Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. Nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera complexus est? Principio, hujus urbis parens, Romulus, non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optimus augur fuisse traditur. Deinde auguribus et reliqui reges usi; et exactis regibus, nihil publice sine auspiciis[1] nec domi, nec militiæ gerebatur. Quumque magna vis videretur esse et in impetrandis consulendisque rebus, et in monstris interpretandis[2] ac procurandis, in aruspicum

10. *Quibus nationibus præfuimus ipsi.* Iis tribus Asiæ provinciis præfuerat Tullius proconsul, II, 702.

11. *Misit in Æoliam.* Sic emendavit Adr. Turnebus et hunc locum, Advers. lib. V, cap. 10; nam vulgo legitur *in Ætoliam*. Lambin. — Est, non tam a conjectura Turnebi, quam prodidit d. cap. 20, quam ab auctoritate Pal. pr. atque Pithœani cod. a Gulielmio consulti : expresseratque item Marsi editio, post publicati, *Ætoliam*. Grut.

12. *Dodonæo... oraculo.* Dodone urbs Epiri. Oracula dicebantur in templo Jovis, prope urbem sito. Antiquissimum ex omnibus oraculis oraculum illud habebatur. Ex duabus columnis ibi oracula recinere solitis, narratur alteram Delphos, ubi fuit Apollinis templum; alteram in Libyam, ubi Jovis Ammonis fanum evolavisse.

II. 1. *Nihil publice sine auspiciis.* Postquam Attius Navius cotem novacula discidisset, «auguriis sacerdotioque augurum tantus honos accessit, ut nihil belli domive postea, nisi auspicato, gereretur», ut ait Livius, I, 36. Idem, lib. VI, cap. 41 : «Auspiciis bello ac pace, domi militiæque omnia geri, quis est qui ignoret?» Vide Valerium Maximum, lib. II, cap. 1, et Servium ad Virgilii Æneid. I, 350. Dav.

2. *Et in impetrandis... et in monstris interpretandis.* Pal. sec. ac Elicns. habent, *et in patrandis*. Primus vero et Cantab. dant, *et impetrandis*. Totum igitur locum sic refinge : «Quumque magna vis videretur esse et impetrandis consulendisque rebus, et mon-

Digitized by Google

disciplina; omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis, quod neglectum ab iis videretur. Et, quum duobus modis 4 animi, sine ratione et scientia, motu ipsi suo, soluto et libero, incitarentur; uno furente, altero somniante: furoris divinationem [3] Sibyllinis maxime versibus [4] contineri arbitrati, eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. Ex quo genere sæpe hariolorum etiam et vatum furibundas prædictiones, ut Octaviano bello [5], Cornelii Culleoli, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si quæ ad rempublicam pertinere visa sunt [6], a summo consilio neglecta sunt. Quin etiam memoria nostra templum Junonis Sospitæ L. Julius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ, Balearici filiæ, somnio [7].

stris interpretandis ac procurandis in aruspicum disciplina». Vix opus est, ut moneam in omnibus nostris esse, «sine aruspicum disciplina»; quippe ea lectio menti Ciceronis adversatur. At, nisi fallor, negari non potest, quin præpositiones illæ, quas delendas censeo, latinitatis elegantiam turbent ac destruant. Dav.

3. *Furoris divinationem.* Postquam locum protulerat Servius in Æneid. III, 443, cujus supra meminimus ad cap. 1, ita pergit: «Prorsus furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati». Legendum *rursus*: furoris divinationem, etc. primaque vox grammatici illius, non Ciceronis est habenda. Dav.

4. *Sibyllinis ... versibus.* Sibyllini versus primum duumviris traditi: Dionys. Halicarn. IV, 62, deinde (a. U. 387) duumviris, Tit. Liv. lib. VI, cap. 37, Sulla dictaturam occupante, apparet quindecemviros lectos fuisse, qui eos consulerent. Servius ad Æneid. VI, 73. De Sibylla hic agitur Erythræa, quæ sic appellabatur ex urbe Asiæ Minoris, ubi domicilium habebat. Vide Gell. I, 19.

5. *Octaviano bello.* Vide Florum, lib. III, cap. 21, 9, seqq. Davis. — *Ut Octaviano bello, Cornelii Culleoli.* In illo bello, quod Octavio cos. contra Marium et Cinnam exarsit, portenta nuntiata esse, ex Ciceronis quoque de Natur. Deor. II, 5, discitur. Ubi autem portenta, ibi et interpretes atque harioli, quorum nomina non ita clara esse solent. De Cornelio itaque Culleolo etiamsi nusquam alibi commemoretur, ut Hottingerus animadvertit: recte tamen habere se lectionem vulgatam crediderim. Rath.

6. *Si qua ad remp. pertinere visa sunt.* Vulgo *si quæ*; sed Balliolensis optime dat *si qua*, nimirum ratione; nec aliter Lambinus olim repræsentavit. Dav.

7. *Ex Cæciliæ, Balearici filiæ, somnio.* Hanc historiam tangit iterum

Digitized by Google

III. Atque hæc, ut ego arbitror, veteres, rerum magis eventis moniti, quam ratione docti, probaverunt. Philosophorum vero exquisita quædam argumenta, cur esset vera[1] divinatio, collecta sunt. E quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes, unus, qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes, præter Epicurum[2], balbutientem de natura deorum, divinationem probaverunt; sed non uno modo. Nam quum Socrates, omnesque Socratici, Zenoque, et hi, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, vetere academia et peripateticis consentientibus[3]; quumque huic rei magnam auctoritatem

Noster hujusce cap. 44; sed eam fuse narrat Jul. Obseq. de Prodig. c. 115. Graviter vero lapsus est Metaphrastes gallicus, quum locum sic reddat: «*Sur le rapport d'un songe qu'avait fait une certaine Cécilie, fille d'un homme des îles Baléares:*» nam Cæcilia Metella, filia fuit Metelli, qui, devictis insulis Balearibus, Balearicus vocabatur. Vide Florum et ejus interpretes lib. III, cap. 8. Sed ex pede Herculem. Dav.

III. 1. *Vera.* Vocem hanc suspectam habent Ernest. et Hotting. Forsan rectius *vere.*

2. *Colophonius Xenophanes... divinationem funditus sustulit. Reliqui verò omnes, præter Epicurum*, etc. Vide infra cap. 39. Similiter Plutarchus de Placit. Philos. lib. V, cap. 1; Laertius de Epicuro, lib. X, § 135. Nec hoc ulla ratione mirum potest videri; quum, si deos non sustulerit, ut multi statuunt; certe, quod omnes concedunt, providentiam negarit. Dav.

3. *Vetere Academia et Peripateticis consentientibus.* Sic omnes quidem nostri et aliorum MSS; nullus tamen dubito, quin locus sit mendosus: nam *vetus Academia* nihil aliud est quam *Socratici*, quorum supra meminit Tullius; et infra cap. 39, «veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos» memorare satis habuit. Vide et lib. I de Legg. cap. 13, et Tusc. lib. V, c. 26. Repono «veteri Academiæ Peripatetici consentientibus»; quæ sane minima est mutatio, sensumque dat rei congruum. Ceterum Aristotelici cunctique Cynici divinationem quodammodo labefactarunt, siquidem τῶν μαντείων κατεγέλασαν, uti quidem testantur Origenes in Celsum, lib. VII, pag. 333, et Eusebius, P. E. lib. IV, cap. 2, 3. Huc adprime facit egregia Diogenis sententia, qui dixit, ὡς ὅταν μὲν ἴδῃ κυβερνήτας ἐν τῷ βίῳ καὶ ἰατροὺς καὶ φιλοσόφους, συνετώτατον τῶν ζώων εἶναι τὸν ἄνθρωπον· ὅταν δὲ πάλιν ὀνειροκρίτας καὶ μάντεις καὶ τοὺς προσέχοντας τούτοις, οὐδὲν μανιώτερον νομίζειν ἄνθρώπου. Exstat apud Laertium, lib. VI, § 24. Dav. — Interdum vulgatam non deserimus.

Digitized by Google

Pythagoras jam ante tribuisset[4], qui etiam ipse augur vellet esse[5]; plurimisque locis gravis auctor Democritus præsensionem rerum futurarum[6] comprobaret: Dicæarchus[7] peripateticus cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit; Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis peripateticis judico, iisdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera rejecit. Sed quum stoici omnia fere illa 6
defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quædam sparsisset, et ea Cleanthes[8] paullo uberiora fecisset: accessit acerrimo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno præterea de oraculis, uno de somniis; quem subsequens, unum librum Babylonius Diogenes[9] edidit, ejus auditor; duo Antipater; quinque noster Posidonius. Sed a stoicis, vel princeps ejus disciplinæ, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, de-

4. *Huic rei magnam auctoritatem Pythagoras jam ante tribuisset.* Præcipiebat ille μαντικὴν πᾶσαν τιμᾶν, ut tradit Diogenes Laertius, VIII, 24, et ex eo Suidas, tom. III, pag. 234. Excipienda tamen est, ut plerisque videtur, ἡ θυτικὴ seu aruspicina, quum animalia non esse trucidanda censuerit. Vide Plutarchum, Placit. Philos. lib. V, cap. 1, et Iamblichum, Vit. Pythag. § 147. Dav.

5. *Qui etiam ipse augur vellet esse.* Pythagoras, μαντικῇ ἐχρῆτο τῇ διὰ τῶν... οἰωνῶν, uti docent Laertius et Suidas. Cf. Iamblich. Vit. Pyth. § 62. Eumdem vero fabulam referunt alii, eumque «cum aquila subinde colloquentem visum fuisse» tradit Ammianus Marcellinus, XXII, 16. Dav.

6. *Democritus præsensionem rerum futurarum comprobaret.* Nec mirum, quum ipse multa feratur prædixisse. Vide Menagium in Laertii lib. IX, cap. 39. Dav.

7. *Dicæarchus.* Is Aristotelem audierat; Messenis natus erat. — *Cratippusque.* Quod de Dicæarcho Cratippoque refert Noster, id iterum repetit lib. II, cap. 48. Plutarchus, Placit. Philos. lib. V, cap. 1: Ἀριστοτέλης καὶ Δικαίαρχος τὸ κατ' ἐνθουσιασμὸν μόνον παρεισάγουσι καὶ τοὺς ὀνείρους. Adeo ut hi Peripatetici non abierint a magistro suo diversi. Dav. — Cratippus Mitylenensis, in insula Lesbo, philosophiam docuerat filium Ciceronis.

8. *Cleanthes.* Is, Zenone exstincto, Stoicorum princeps fuit: successorem habuit Chrysippum.

9. *Babylonius Diogenes.* Stoicus philosophus, ex urbe Seleucia: Babylonium vero dictum esse constat, quia Babylon, Seleuciæ vicina, multo clarior erat.

Digitized by Google

generavit Panætius[10] : nec tamen ausus est negare, vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re, invitissimis stoicis, stoico facere licuit, id, nos ut in reliquis rebus[11] faciamus, a stoicis non concedetur? præsertim quum id, de quo Panætio non liquet, reliquis ejusdem disciplinæ solis luce videatur
7 clarius. Sed hæc quidem laus academiæ præstantissimi philosophi judicio et testimonio comprobata est.

IV. Etenim nobismet ipsis quærentibus, quid sit de divinatione judicandum, quod a Carneade[1] multa acute et copiose contra stoicos disputata sint, verentibusque, ne temere vel falsæ rei, vel non satis cognitæ, assentiamur : faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in his tribus libris, quos de natura deorum scripsimus. Nam quum omnibus in rebus temeritas in assentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo judicandum est, quantum auspiciis, rebusque divinis, religioniqué tribuamus : est enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut, susceptis, anili superstitione obligemur.

10. *A Stoicis, vel princeps ejus disciplinæ ... degeneravit Panætius.* Vulgo « principibus ejus disciplinæ ». Nos vero Pal. secundi lectionem summus amplexi, quam « clariorem verioremque » merito judicavit Gruterus; ego sane eam certissime veram pronuntio. Noster infra lib. II, cap. 47 : « Quæ princeps Stoicorum Panætius dixerit ». Idem Acad. lib. II, cap. 33 : « Quum Panætius princeps prope, meo quidem judicio, Stoicorum, ea de re dubitare se dicat, quam omnes præter eum Stoici certissimam putant, vera esse aruspicum auspicia (leg. *aruspicium, auspicia*), oracula, somnia, vaticinationes, seque ab assensu sustineat ». Hanc autem Panætii fuisse mentem confirmant etiam Diogenes Laertius, lib. VII, § 149, et Epiphanius, tom. I, p. 1090. Dav.

11. *Nos ut in reliquis rebus.* Balliol. « id nobis, in reliquis rebus faciamus, a Stoicis non concedetur? » quod mihi placet : et ita Lambinus, sola conjectura ductus, rescribi voluit. Dav. — *Ad rem.* Cicero novam Academiam sequebatur; ea de quaque re, perpendere solebat, quid afferri posset in utrumque sensum : Acad. II, 33.

IV. 1. *Carneade.* De Carneade adi de Finib. III.

Digitized by Google

V. Quibus de rebus et alias sæpe, et paullo accu- 8
ratius nuper, quum essem cum Q. fratre in Tusculano, disputatum est. Nam quum ambulandi causa in Lyceum[1] venissemus (id enim superiori gymnasio nomen est): Perlegi, ille inquit, tuum paullo ante tertium de natura deorum; in quo disputatio Cottæ, quamquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. — Optime vero, inquam : etenim ipse Cotta sic disputat, ut stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem. — Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et vero sæpius : credo, ne communia jura migrare videatur[2]; sed studio contra stoicos disserendi deos mihi videtur funditus tollere. Ejus orationi, non sane desi- 9
dero, quod respondeam : satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio; cujus disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior. Sed, quod prætermissum est in illis libris, credo, quia commodius arbitratus es, separatim id quæri, deque eo disseri, id est, de divinatione, quæ est earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio atque præsensio, id, si placet, videamus, quam habeat vim, et quale sit. Ego enim sic existimo : si sint ea

V. 1. *Lyceum.* Cicero in villa sua duos habebat locos, ubi ambulare solebat : alterum editum et apertum, ubi mane versabatur; alterum demissum et arboribus consitum, ubi meridie tempus terebat. Tusc. II, 3.

2. *Ne communia jura migrare videatur.* Sic habet codex MS, et ita legendum. Sic loquitur Offic. lib. I, cap. 10 : « Quæque pertinent ad veritatem et fidem, ea migrare interdum, et non servare sit justum ». Et de Fin. lib. III, cap. 20 : « Quoniamque ea natura esset hominis, ut cum genere humano quasi civile jus intercederet; qui id conservaret, eum justum : qui migraret, injustum fore ». Lamb. — *Ne communia jura migrare videatur.* Sic primus emendavit Hadr. Turnebus, Advers. lib. V, cap. 20, ejusque conjecturam firmant Pall. tres, S. Victoris liber, nostri septem et Ven. 1471. Passim ferebatur *communi jure*, ipsumque Victorium traxit ea contagio. De phrasi videas oportet Paullum Manutium ad Ciceronis de Fin. III, 20; de Legg. III, 4, et Casp. Scioppium, Susp. Lect. II, 1. Dav.

Digitized by Google

genera divinandi vera, de quibus accepimus, quæque colimus, esse deos; vicissimque, si dii sint, esse, qui divinent.

10 VI. — Arcem tu quidem stoicorum, inquam, Quinte, defendis[1], si quidem ista sic reciprocantur, ut et, si divinatio sit, dii sint, et, si dii sint, sit divinatio. Quorum neutrum tam facile, quam tu arbitraris, conceditur. Nam et natura significari futura sine deo possunt; et, ut sint dii, potest fieri[2], ut nulla ab iis divinatio generi humano tributa sit. — Atque ille, Mihi vero, inquit, satis est argumenti, et esse deos, et eos consulere rebus humanis, quod esse clara et perspicua divinationis genera judico. De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni prævertendum putes. — Ego vero, inquam, philosophiæ, Quinte, semper vaco: hoc autem tempore, quum sit nihil aliud quod libenter agere possim, multo magis aveo audire, de divinatione quid sentias.

11

— Nihil, inquit, equidem novi, nec, quod præter ceteros ipse sentiam. Nam quum antiquissimam sen-

VI. 1. *Arc. tu quidem Stoicorum... defendis.* Argumentum profers, quo præcipue nituntur Stoici. Eadem metaphora usus est Augustinus contra Acad. lib. I, cap. 9, 24: «Ubi enim arcem locaverunt Academici, quorum tueris sententiam, nisi in erroris definitione?» Idem de Vita beata, n. 10: «Ipsam prorsus, mater, arcem philosophiæ tenuisti». Hanc vero rationem ex Stoicis ita tradit Sextus Empiricus advers. Math. lib. IX, § 132: Εἰ μὴ εἰσὶ θεοὶ, οὐδὲ μαντικὴ ὑπάρχει, ἐπιστήμη οὖσα θεωρητικὴ καὶ ἐξηγητικὴ τῶν ὑπὸ θεῶν ἀνθρώποις διδομένων σημείων, οὐδὲ μὴν θεοληπτικὴ καὶ ἀστρομαντικὴ, οὐ λογικὴ (forsan οὐ θεϊκὴ, ut etiam Cl. Fabricius legendum conjecit), οὐχ ἡ δι' ὀνείρων πρόρρησις· ἄτοπον δέ γε τοσοῦτο πλῆθος πραγμάτων ἀναιρεῖν πεπιστευμένων ἤδη παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις· εἰσὶν ἄρα θεοί. Cum Stoicis facit Iamblichus, Vit. Pythagori. § 138. Vide quoque Nostrum infra cap. 38, et de Legg. lib. II, cap. 13. Dav.

2. *Et, ut sint dii, potest fieri.* Locus quidem, ut nunc legitur, satis apertus. At Med. «et ita ut sint di»; alii, «et ut ita sint di». Melius, me judice, «et, ut tamen sint di, etc.» Vide infra II, 17. Dav.

Digitized by Google

tentiam, tum omnium populorum et gentium consensu comprobatam sequor. Duo sunt enim divinandi genera; quorum alterum artis est, alterum naturæ. Quæ 12
est autem gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura[3] interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium (ea enim fere artis sunt), aut somniorum, aut vaticinationum[4] (hæc enim duo naturalia putantur), prædictione moveatur? Quarum quidem rerum eventa magis, arbitror, quam causas quæri oportere : est enim vis et natura quædam, quæ quum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura prænuntiat.

VII. Quare omittat urgere Carneades, quod faciebat etiam Panætius, requirens, Jupiterne cornicem a læva, corvum a dextra canere jussisset[1]. Observata sunt hæc tempore immenso, et in significatione eventus animadversa et notata. Nihil est autem, quod longinquitas[2] temporum, excipiente memoria, prodendisque monumentis[3], efficere atque assequi non possit. Mirari 13
licet, quæ sint animadversa a medicis herbarum ge-

3. *Quæ non aut extis pecudum; aut monstra, aut fulgura interpretantium.* Vir Cl. Jos. Mercerus ad Nonium in *Extispices* acutissime legendum conjecit *extispicum*. Ejus conjecturam firmare videatur Noster lib. II, cap. 11 : « Artificiosæ, inquit, divinationis illa fere genera ponebas, extispicum, eorumque, qui ex fulguribus ostentisque prædicerent ». Malim tamen « quæ non aut exta pecudum, aut monstra, aut, etc. » Similiter *exta* interpretari dixit Noster infra lib. II, cap. 12. Dav.

4. *Vaticinationum.* H. v. intelligit ea quæ prædicuntur vel ab oraculis, vel ab hominibus divina mente afflatis.

VII. 1. *Cornicem a læva, corvum a dextra canere jussisset.* Hoc modo rata fiebant auguria. Plautus, Asinar. act. II, scen. 1, v. 11 : « Impetritum, inauguratum est ; quovis admittunt aves. Picus et cornix est ab læva ; corvus porro ab dextera ». Noster infra cap. 39 : « Quid (habet) augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum ». Plura suppeditabit J. C. Bulengerus de Augur. et Ausp. III, 2. Dav.

2. *Quod longinquitas.* Alii, *quod non.*

3. *Prodendisque monumentis.* I. e. quum monumenta produntur. Forsan, « prodentibusque monumentis ». Grut.

Digitized by Google

nera, quæ radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera: quorum vim atque naturam ratio numquam explicavit; utilitate et ars est, et inventor probatus. Age, ea, quæ, quamquam ex alio genere sunt, tamen divinationi sunt similiora, videamus.

Atque etiam ventos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, quum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana, salis niveo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere voces;
Aut densus stridor quum celso e vertice montis
Ortus, adaugescit scopulorum sæpe repulsus [4].

VIII. Atque his rerum præsensionibus Prognostica tua[1] referta sunt. Quis igitur elicere causas præsensionum potest? etsi video Boethum stoicum esse conatum. Qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem
14 rerum explicaret, quæ in mari cælove fierent. Illa vero cur eveniant, quis probabiliter dixerit?

Cana fulix[2] itidem fugiens e gurgite ponti,

4. *Adaugescit scopulorum sæpe repulsus.* Alii *repulsu*. *Repulsus* Victorius ac Gruterus in suis, et nos in nostris reperimus MSS. Sed, præterquam quod oratio parum sit latina, sensui cedant oportet codices; quapropter veterum editt. lectionem revocavimus. Noster autem hos Arati versus in linguam latinam transtulit: Σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα Γιγνέσθω· καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες, Ἀκταί τ' εἰνάλιοι ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι Γίγνονται, κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι. Exstant Διοσημείων vs. 177. Pariter Virgilius, Georg. I, vers. 356: « Continuo, ventis surgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere, et aridus altis Montibus audiri fragor; aut resonantia longe Litora misceri, et nemorum increbrescere murmur ». Theophrastus de Signis Vent. p. 420: Θάλασσα οἰδοῦσα, καὶ ἀκταὶ βοῶσαι, καὶ αἰγιαλὸς ἠχῶν, ἀνεμώδης. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. XVIII, § 85, 86; Archilochum apud Heraclidem Ponticum, Alleg. Hom. p. 412; Senecam, Agam. vs. 466 seqq. et Cassiani Bassi Geopon. lib. I, cap. 11. Dav. — Eadem tempestatis advenientis signa egregie adumbravit, Virgilio ipsi haud impar noster, *Bernardin de St-Pierre*, 10 *Études de la Nature*.

VIII. 1. *Prognostica tua*. Cicero in latinam orationem transtulerat Arati prognostica; idcirco ait Quintus *tua prognostica*.

2. *Cana fulix*. Olim *rava*: sic nunc edidimus, codices MSS sequuti. Quid sit *ravum* docuimus in Commentariis Horatianis ad lib. III, Od. 27. Et supra in Academicis Cicero dixit *ravum mare*. Lamb. — *Cana* præferunt, quam-

Digitized by Google

Nuntiat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis acredula vocibus instat [3],
Vocibus instat, et assiduas jacit ore querelas,
Quum primum gelidos rores aurora remittit.
Fuscaque nonnumquam cursans per litora cornix
Demersit caput, et fluctum cervice recepit [4].

IX. Videmus hæc signa numquam fere ementientia; nec tamen, cur ita fiat, videmus.

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ [1],
Quum clamore paratis inanes fundere voces,
Absurdoque sono fontes et stagna cietis.

vis nonnulli corrupte. Graut. — Aratus, Διοσημ. vs. 181 : Καὶ δ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρώδιος οὐ κατὰ κόσμον ἔξ ἁλὸς ἔρχηται, φωνῇ περὶ πολλὰ λελακὼς, Κτυμένου κε θάλασσαν ὑπερφορέοιτ' ἀνέμοιο. Theophrastus de Signis Ventor. pag. 420. Vide et pag. 418. Confer Ælianum, Hist. Anim. lib. VII, c. 7. Davis. — Vide Georg. I, 360, de his et seqq. edit. nost. t. I, p. 308 et seq.

3. *Et matutinis acredula vocibus instat.* Isidorus, Orig. lib. XII, cap. 7, *acredulam* cum lusciuia confundit, et hunc versum ita laudat : « Et matutinos exercet acredula cantus ». Mihi quidem utrobique lapsus videtur, et Isidorianæ lectioni G. J. Vossium favisse miror; a scriptis enim Tullii codicibus tantum recedit, ut soli memoriæ vitio, non discrepantibus exemplaribus, tribui possit. Adi sis ejus Etymologicon in *acredula*. Aratus, Διοσημ. vs. 216 : Ἢ τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίνη ὀλολυγών. Theophrast. p. 438 : Ὀλολυγὼν ᾄδουσα μόνη ἐπ' ἀκρωρείας, χειμέριον. Cassianus Bassus, Geopon. lib. I, cap. 3 : Ὀλολυγὼν τρύζουσα ἰωθινὸν, χειμῶνα δηλοῖ. Ὀλολυγὼν Avieno est *ulula*, quam sententiam probat Cl. Salmasius, Exerc. Plin. pag. 1318 ed. Paris. Vide sis Theocriti Scholiasten ad Idyll. VII, 139. Dav.

4. *Demersit caput, et fluctum cervice recepit.* Sic MSS : Janus tamen Gulielmius malebat, «Demersat caput, et fluctum cervice receptat». Causa fuit, ut opinor, quod Noster verba præsentis temporis superius adhibuerit. Sed Aratum sunm Διοσημ. v. 217, imitatus est Cicero : Ἤπου καὶ λακέρυζα παρ' ἠιόνι προυχούσῃ Χείματος ΑΡΧΟΜΕΝΟΥ χέρσῳ ΥΠΕΚΥΨΕ κορώνη· Ἤπου καὶ ποταμοῖο ΕΒΑΨΑΤΟ μέχρι παρ' ἄκρους Ὤμους ἐκ κεφαλῆς. In secundo versu forsan legendum χείματος EPXOMENOY, hæc enim sunt prognostica. Ælianus, Hist. Anim. lib. VII, cap. 7. Vide sis et Geop. lib. I, cap. 3, ac Claudianum, Bell. Gildon. v. 493.

IX. 1. *Aquai dulcis alumnæ.* Ranas intelligit. Aratus, Διοσημ. v. 21 : Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων. Inter tempestatis signa « ranæ ultra solitum vocales » ponuntur a Plinio, Histor. Natur. lib. XVIII, § 87. Præivit Theophrastus, p. 418, Βάτραχοι μᾶλλον ᾄδοντες σημαίνουσιν ὕδωρ. Vide Virgilium, Georg. I, 378. Dav.

Digitized by Google

Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest in rivis et ranunculis[2] natura quædam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesque boves [3], spectantes lumina cæli,
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

Non quæro, cur; quoniam, quid eveniat, intelligo.

Jam vero semper viridis [4], semperque gravata
Lentiscus, triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

16 Nec hoc[5] quidem quæro, cur hæc arbor una ter floreat, aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet. Hoc sum contentus, quod, etiam si,

2. *Sed inest in rivis et ranunculis.* Sic edidit Gruterus. Is. autem Vossius ad Mel. lib. I, cap. 9, p. 68, quasi novum quid et inauditum eruisset, ex melioribus, ut ait, codicibus legit, « inest gerinis et ranunculis »; sed quum γερίνοι sint ranunculi, purus putus ταυτολογίας reus esset Noster; quare γερίνους huc non convenire recte statuit Jac. Gronovius. Quod autem vulgatam lectionem tuetur vir ille doctus, in eo quidem vehementer errat; nihil enim hæc omnino faciunt *rivi*, planeque ridiculus fuisset Cicero, si naturam significantem aliquid *rivis* inesse dixerat, quod eam ranis, aquas ut plurimum colentibus, competere statueret. Pall. pr. sec. *inest in renis.* Reg. vero « est inest mire et ranunculis ». Denique Paris. Med. et Merton. « inest mire et ranunculis ». Cum Cl. Clerico legerim, « sed inest vere et ranunculis ». Quomodocumque vero se res habent, perplacet judicium, quod de hujusmodi σημείοις tulit Epicurus. Vide Diogenem Laertium, X, § 115. Dav.

3. *Mollipedesque boves, spectantes lumina cæli.* Aratus, Διοσημ. vers. 222 : Καὶ βόες ἤδη τοι πέρος ὕδατος εὐδίοιο Οὐρανὸν εἰσαναβάντες, ἀπ' αἰθέρος ὠσφρήσαντο. Theophrastus, pag. 418 : Βοῦς... ἐὰν εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπωσιν ὀσφραίνεται, ὕδωρ σημαίνει. Similiter Virgilius, Georg. I, 375 (in quem locum Servius etiam verba Varronis huc facientia suppeditat), et Plinius, Hist. Nat. lib. XVIII, § 88. Dav.

4. *Jam vero semper viridis.* Aratus, Διοσημ. vs. 319 : Τριπλόα δὲ σχῖνος κυέει, τρισσαὶ δέ τε ἄξαι Γίνονται καρποῖο · φέρει δέ τε σήματ' ἐκάστη Ἐξείης ἀρότου · καὶ γάρ τ' ἀροτῆσιν ὄπωρη Τριπλόα μείρονται, μίσσην καὶ ἐπ' ἀμφότερ' ἄκρα. Pari modo Cassianus Bassus, Geopon. lib. XI, cap. 12, et Theophrastus, de signis Seren. pag. 129 ed. Hanov. Hoece vero Tullii versus laudat Plinius, Histor. Natur. lib. XVIII, § 61. Dav.

5. *Nec hoc quidem quæro, cur*, etc. Malim « ne hoc quidem quæro, cur, etc. » Dav.

Digitized by Google

quomodo[6] quidque fiat, ignorem, quid fiat, intelligo. Pro omni igitur divinatione idem, quod pro iis rebus, quas commemoravi, respondebo.

X. Quid scammoneæ radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit[1], quæ nomen ex inventore reperit[2], rem ipsam inventor ex somnio,

6. *Quomodo.* Quidam malunt *quo modo.*

X. 1. *Quid aristolochia ad morsus serpentum possit.* Lambino placet « aristolochiæ nimirum radix ». Et vere quidem; nam omnia ejus genera « radice tantum valere » monet Plinius, Hist. Natur. lib. XXV, cap. 8. Nisi forsan potius legendum sit, « quid scammoneæ radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit ». Sic enim loquitur Noster infra lib. II, cap. 20: « Prognostica nostra pronuntiabas, et genera herbarum, scammoneam aristolochiamque radicem ». Sed ibi quoque « scammoneæ aristolochiæque radicem » scribit idem vir doctissimus. Aristolochiam vero serpentum morsibus curandis utilem esse docent Theophrastus, Hist. Plant. lib. IX, cap. 22, et Plinius, XXV, cap. 8; lib. XXVI, cap. 8. Vide Gul. Canterum, Nov. Lect. lib. I, cap. 14, et Joan. Brodæum, Misc. lib. I, c. 1. Davis.

2. *Nomen ex inventore reperit.* Explicat Gulielm. Canterus, Nov. Lect. lib. I, cap. 14, videatur et Victorius, Var. Lect. lib. VI, cap. 3. Gaut. — *Quæ nomen ex inventore reperit, rem ipsam inventor ex somnio.* Locum mendi suspectum habuit Pet. Lescaloperius; Var. Lect. lib. VI, cap. 3. At suam conjecturam usque adeo certam putavit D. Lambinus, ut, si fides ei sit habenda, « hanc esse veram et germanam scripturam nemo nisi vel improbissimus, vel tardissimus sit negaturus ». Verba sunt hominis ad Corn. Nepotem, p. 253. Ita pro lana caprina, quasi pro aris et focis, contenditur! Sed hoc misso, num scopum tetigerit vir eruditus, videamus. Emendationis fundus est, quod aristolochiam, quasi ταῖς λοχείαις ἄρίστην, dictam tradant non modo Plinius, lib. XXV, § 54, sed et Dioscorides, lib. III, cap. 4. De veriverbiis autem inter omnes raro convenit, aliamque procul dubio famam sequitur Tullius; nam manifeste statuit, quod vidit etiam Turnebus, Adversar. lib. V, cap. 20, aristolochiam ab Aristolocho quodam nominatam, qui hanc herbam ad serpentum posse morsus ex somnio didicit. Ejus sane, tamquam ταῖς λοχείαις ἄριστα βοηθούσης, mentio, supervacua prorsus hic esset et importuna. Historiæ, fateor, ad quam respexit Cicero, nulla jam supersunt vestigia; nec mirum, quum tam multos auctores nobis inviderit edax vetustas. At vero *Aristolochus* nomen est græcum; sic enim e. g. vocabatur Σταδιονίκης quidam Olymp. CIX. Inventæ quidem aristolochiæ gloriam feminæ tribuit Nicandri Scholiastes ad Theriac. vers. 511; illam tamen *Aristolochiam* vocatam fuisse non tradit. Ejus opinionem verisimilem reddit herbæ virtus insita, si modo vulgatam, quod arbitror, etymologiam in animo habuit; sed tum demum nihil ad Ciceronem facit. Dav.

Digitized by Google

video, quod satis est[3]; cur possit, nescio. Sic ventorum et imbrium signa, quæ dixi, rationem quam habeant, non satis perspicio; vim et eventum agnosco, scio, approbo. Similiter, quid fissum in extis, quid fibra valeat[4], accipio; quæ causa sit, nescio. Atque horum quidem plena vita est : extis enim omnes fere utuntur[5]. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus? Nonne quum multa alia mirabilia, tum illud in primis? quum Summanus in fastigio Jovis optimi maximi[6], qui tum erat fictilis, e cælo ictus esset[7], nec usquam ejus simulacri caput inveniretur, aruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt; idque inventum est eo loco, qui esset ab aruspicibus demonstratus.

3. *Video, quod satis est.* Apertus est sensus, si modo codices addicerent. Sed quum Victoriani, Gruteriani nostrique MSS summo consensu dent, « posse video quod satis est », nisi quod Paris. *possit video;* forsan ita rescribi possit locus : « Quid scammonea radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum (quæ nomen..... somnio) possit, video; quod satis est : cur possit, nescio ». Dav.

4. *Quid fissum in extis, quid fibra valeat.* De fisso jecoris, fibrisque, vide Barn. Brissonium, Form. lib. I, p. 20, 21. Dav.

5. *Extis enim omnes fere utimur.* Vulgo *utuntur.* At nos MSS Ursin. et Balliol. fidem sequuti sumus : Q. enim Cicero Stoicus erat, adeoque non mirum est, si semet inter eos numeret, qui extis utuntur. Dav.

6. *Quum Summanus in fastigio Jovis optimi maximi.* Hanc historiam nonnihil immutatam, et ad alienum tempus relatam narrat vetus Scholiastes ad Ciceronis Catilin. III, cap. 8, pag. 706 : « Jovis, inquit, statua sic turbine depulsa est, ut caput perderet, et mergeretur in medio Tiberi. Tunc aruspex quidam, quum sacerdotes sequerentur vestigia fulminis et caput dejectum quærerent, nec invenirent, hasta pulsum locum (*forsan hasta pulsu loco*, vel *pulsans locum*) invenit et dixit : Ecce caput; et levavit de hasta ». Quis vero fuerit Summanus, Ovidio Fast. VI, v. 731, non satis constitit. Constat tantum, huic nocturna, Jovi vero diurna fulmina tribui. Vide Plinium, Hist. Nat. lib. II, § 53, et Augustinum, Civit. Dei, IV, 23. At quum aliis, tum Arnobio, V, pag. 230, et VI, pag. 240, ac Martiano Capellæ, lib. II, pag. 40, idem cum Plutone numen censetur. Adi Gyraldum, Hist. Deorum, Syntagm. VI, col. 196. Davis. — Adi quoque Lambinum in Commentariis Plautinis. — *Summanus.* Quidam affirmant Summanum non alium esse ac Plutonem, ita dictum, utpote summum manium rectorem.

7. *E cælo ictus esset.* Infra cap. 43, « Ictus Centaurus e cælo est ». Primam tamen voculam non agnoscunt nostri codices; sed eam postulat latinitas.

Digitized by Google

XI. Sed quo potius utar aut auctore, aut teste, quam te? cujus edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo Consulatus [1] Urania musa pronuntiat: 17

Principio ætherio flammatus Jupiter igni
Vertitur, et totum collustrat lumine mundum,
Menteque divina cælum terrasque petessit;
Quæ penitus sensus hominum, vitasque retentat,
Ætheris æterni septa atque inclusa cavernis.
Et, si stellarum motus, cursusque vagantes
Nosse velis, quæ sint signorum in sede locatæ [2],
Quæ verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioque feruntur:
Omnia jam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucres, te consule, motus, 18
Concursusque graves stellarum ardore [3] micantes;
Tu quoque, quum tumulos Albano in monte nivales [4]

XI. 1. *In secundo Consulatus.* Paullum Manutium reponentem « in secundo de Consulatu », sequitur etiam D. Lambinus; nec aliter conjecit Hadr. Turnebus, Advers. vers. 20. At mihi cum Gulielmio placet « in secundo Consulatus »; hæc enim lectio vulgatæ propius accedit. Hieronymus advers. Jovin. lib. I, p. 345: « Anaxilides in secundo libro philosophiæ ». Sic « Agrippam in secundo vitæ suæ » laudat Philargyrius ad Virgilii Georg. II, 162. Lactantius, Div. Inst. III, 17, 14. Cicero in libris Consulatus sui eadem dixit quæ Lucretius. Denique Tullium, Consulatus sui lib. II, profert Nonius in *eventus*. Hinc patet non fuisse cur Henr. Valesius reponeret ἐν δευτέρῳ ΠΕΡΙ ἐπαγγελιῶν apud Eusebium, H. E. III, 28, quum minime necessaria sit ista præpositio. Dav. — Cicero de rebus quæ ipso consule evenerant tres libros versibus conscripserat, quorum pauca tantummodo fragmenta ad nos pervenerunt: de longiore fragmento mentio fit in una epistola ad fratrem: « Quod me admones de nostra Urania ». Fingebat enim Noster Uraniam talibus cum vocibus alloqui: quod lector non omittat, dum versus Ciceronis perlegit. Non inutile forsan erit, si contuleris quæ hoc loco narrat de prodigiis quæ Catilinæ conjurationem præcessere, cum iis quæ eadem de re narrat, Catilin. III, 8. Inde lector studiosus colliget parum inesse discriminis inter poetam qui legentium animos perstringere studet, et oratorem qui populares verbis exagitare sibi proposuit. J. V. L.

2. *Quæ sint signorum in sede locatæ.* Puto, « qua sint signorum in sede locatæ », hoc est, in qua zodiaci parte. Dav.

3. *Graves stellarum ardore.* Rescribi debere « gravi stellarum ardore » conjecit Hadr. Turnebus, Adv. lib. V, c. 20. Passim certe fit, ut literæ perperam repetantur; ea tamen emendatio mihi non videtur necessaria. Dav.

4. *Quum tumulos Albano in monte nivales.* Quum coss. ceterique magi-

Digitized by Google

Lustrasti, et læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti, et claro tremulos ardore cometas,
Multaque misceri nocturna strage putasti :
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ [5];
Quum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est.
Quid vero Phœbi fax [6], tristis nuntia belli,
Quæ magnum ad culmen [7] flammato ardore volabat,
Præcipites cæli partes, obitusque petisset [8]?
Aut quum terribili perculsus [9] fulmine civis,
Luce serenanti, vitalia lumina liquit [10]?
Aut quum se gravido tremefecit corpore tellus?
Jam vero variæ nocturno tempore visæ
Terribiles formæ, bellum motusque monebant;
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant, tristes minitantia casus;
19 Atque ea, quæ lapsu tandem cecidere vetusto [11],

stratus romani ferias Latinas celebrarent, in Albano monte fiebant sacrificia. Vide Varronem, Ling. Lat. lib. V, § 3, et Dionysium Halicarnassæum, lib. IV, cap. 49. Dav. — Vide quoque Epist. ad Attic. I, 3.

5. *Cecidere Latinæ.* Vulgo *cecinere*; quæ quidem lectio, si commodus inde proveniret sensus, loco movenda mihi non videretur. Quum vero ex ea sani nihil exsculpere queam, codicis Eliensis fidem sum sequutus. Sed et Aldus nepos eodem modo jampridem edidit. Dav.

6. *Quid vero Phœbi fax.* Lambinus ex conjectura recepit, *quum vero.* Melius, ut opinor, repones, *quin vero*; easque voces pro transitionis formula capies. Dav.

7. *Magnum ad culmen.* Olim, *magnum ad columen.* Instar columnæ, seu ad columnæ magnitudinem, prout explicat Turnebus, Adv. V. 20. Dav.

8. *Præcipites cæli partes, obitusque petisset.* Contra λαμπάδες ἀνιοῦσαι εἰς τὸν οὐρανὸν ἀπὸ τῶν δυσμῶν ἀνέδραμον, ut tradit Dion Cassius, lib. XXXVII, pag. 41, B. Julius Obsequens de Prodig. cap. 122 : « Trabs ardens ab occasu ad cælum extenta ». At *visas nocturno tempore* ab occidente *faces* memorat ipse Cicero, Catil. III, cap. 8. Davis.

9. *Perculsus.* Hottingerus putat legendum omnino *percussus.*

10. *Vitalia lumina liquit.* Hæc est omnium nostrorum, credo et reliquorum, codicum lectio; nec erat, cur eam sollicitarent D. Lambinus, et Ob. Gifanius in collect. Lucretianis ad vocem *lumen*; nam pari modo dixit Ovidius, Metam. XIV, 175 : « ut lumen jam nunc vitale relinquam ». Similiter *vitales auræ* passim dicunt poetæ. Vide Lucretium, III, 406, 576 Virgilium, Æn. I, 391, et Dracontium, II, 69. Dav.

11. *Quæ lapsu tandem cecidere vetusto.* Non intelligo, qui *lapsus* dici possit *vetustus*, quum duobus circiter annis Tullii consulatum præcesserit. Forsan igitur reponendum *vetusta*;

Digitized by Google

Hæc fore, perpetuis signis, clarisque frequentans
Ipse deum genitor cælo, terrisque canebat.

XII.

Nunc ea, Torquato quæ quondam, et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis aruspex [1],
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans, stellanti nixus Olympo,
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit [2],
Et Capitolinis injecit sedibus ignes.
Tum species ex ære vetus, generataque Nattæ [3],
Concidit, elapsæque vetusto numine leges [4];

qua ratione Noster ad eorum, quæ ceciderant, ætatem respiciet. Dav.

XII. 1. *Lydius... aruspex.* Etrusci originem ducebant a colonis, qui e Lydia profecti, Aty regnante, domicilium in Etruria sibi constituerant.

2. *Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit.* Lactant. Div. Inst. III, 17, habent : « Ipse suas arces atque inclyta templa petivit ». Hæ vero diversitates ex alia causa non sunt natæ, quam quod memoriæ suæ nimium tribuerit scriptor elegantissimus : hunc enim versum Noster eodem modo repetit, lib. II, cap. 20, nec in hoc vel in illo loco variant MSS. De re ipsa vide Isidorum Pelusiotam, lib. I, ep. 73. Dav.

3. *Generataque Nattæ.* Olim : « generosaque Nattæ ». Sic legendum ; non, ut vulgo, « generataque Nattæ ». Neque me movet Adr. Turnebus, qui lectionem hanc tutans, sic eam interpretatur, speciem Nattæ effictam, et simulatam, non veram. Nam primum non loquuntur ita Latini. Deinde satis hoc a Cicerone dictum est, quum dixit *ex ære*. Dicitur autem *generosa*, quia « Pinarii Nattæ erant nobiles : a nobilitate igitur periculum ». Lamb. — *Generataque Nattæ.* Satis mirari nequeo, cur Janus Gulielmius conjecerit, « veneratasque Nattæ », vel « genet Attaque Nattæ » ; quasi vel cultu divino Nattæ statuam prosequuti sint Romani ; vel species, quam memorat Cicero, non Nattæ, sed Attæ, fuerit ; quod falsi convincitur ex lib. II, cap. 20. Felicior est Lambini, vel Mureti potius, hariolatio, cui placet *generosaque*. Dav. — Ad vulgatam Turnebus, Adv. V, 20 : « Species, ait, generata Nattæ est statua nata et facta Nattæ, i. e. in ejus honorem facta ». Similiter Ernestius, « facta in memoriam Nattæ ». Pearcius, « hoc poetice loquutus voluit Cicero, *concidit Nattæ species vetus et generata ex ære ;* ut esset *generata* idem quod confecta et formata. De Leg. I, 9. » Et ita auspicandum est, semper fore, qui durissimam hanc librariorum scripturam acutissimorum criticorum, Mureti ac Lambini, emendationi anteponi malint. Rath.

4. *Elapsaque vetusto numine leges.* Janus Gulielmius reponebat *vetusto ærumine*, quod infra lib. II, cap. 21 : « Æra legum de cælo tacta » memoret Cicero. Sed, ut puto, *æramen*, non *ærumen*, latine dicitur. Ipsam vero rem multi firmam scriptores. Julius Obsequens de Prodig. cap. 122 : « Tabulæ legum æneæ literis liquefactis » ; quem locum frustra sollicitant. Dion Cassius, lib. XXXVII, pag. 33 :

Digitized by Google

Et divum simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat romani nominis altrix,
Martia [5], quæ parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quæ tùm cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.
Tum quis non, artis scripta ac monumenta volutans,
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes civili generosa stirpe profectam [6]
Vitare ingentem cladem [7], pestemque monebant;

Τάτε γράμματα τῶν στηλῶν, ἐς ἃς οἱ νόμοι ἐσεγράφοντο, συνεχύθη καὶ ἀμυδρὰ ἐγένετο. Vide et Catil. III, cap. 8. Dav.

5. *Martia.* Lupa, quæ Romulum Remumque nutriisse fertur. Manilius, IV, 26: « Aut Lupa projectos nutriset Martia fratres ». Livius, lib. X, cap. 27. « Hinc victor Martius Lupus, integer et intactus ». Ratio nominis est quod ea fera sit Marti sacra. Auctor de Orig. gentis romanæ, quem Aurelium Victorem vocant, cap. 20: « Inde videlicet lupum picumque Martiæ tutelæ esse ». Idem tradunt Plutarchus in Romulo, pag. 19, et Servius ad Æn. II, 355, IX, 556. Jul. Obsequens de Prodig. cap. 122: « Relatum .... Lupam Remi et Romuli fulmine ictam ». Adi sis et Dionem, lib. XXXVII, pag. 33, et Ciceronem, Catil. cap. 8. Dav. — Hos Ciceronis versus forsitan ante oculos habebat Virgilius, Æneid. VIII, 630. De lupa Romulo et Remo ubera præbente, adi *le président De Brosses*, *Lettres sur l'Italie*; tom. III, *lett.* 4); *Winkelmann* (*Hist. de l'Art*, t. III, 2, 34), nos monet lupam antiquam esse, ambo vero pueros recentius adjectos fuisse. Quamvis *Nardini* (*Roma antica*, V, 4, pag. 200), et *Ficorini* (*le vestigia di Roma ant.* I, 10, pag. 47) istam lupam agnoscant eamdem de qua loquitur Tullius. Carolus Fea ad Winkelm. ait et lupam et pueros, fulmine incensos, simili ruina periisse; adhibet ad rem comprobandam, hunc ipsum de Divin. locum, et alterum in Catil. III, c. 8: « fuisse meministis». Lupa quæ nunc in Capitolio exstat eamdem esse ait de qua memorat Dion. Halicarn. Antiq. Rom. I, p. 65, et quæ est a priori secernenda. J. V. L.

6. *Omnes civili generosa stirpe profectam.* Vulgo *generosam*, quod absurdum est: qui enim, quæso, *clades* dici possit *generosa*, quæ a nefaria parricidarum manu fuit perpetranda? Aldin. Ursin. Reg. et Cantab. habent, « civili generosa stirpe profectos ». Perperam; responsum enim est, « res sævas tristissimasque portendi ..... maxime ab domesticis hostibus », ut ait Arnobius, lib. VII, pag. 307, et Catilinam ejusque socios nobiles fuisse, nemini latet. Veram igitur esse lectionem, quam recepimus, et quæ Mureto placuit, abunde liquet, eamque stabilinnt Med. et Balliol. præterquam quod hic *prophetam*, non *profectam*, manifesto librarii lapsu repræsentet. Dav.

7. *Vitare ingentem cladem.* In Victorianis Gruterianisque libris hujus et sequentis versus immutatur ordo. Quin et omnes nostri dant: « Vel le-

Digitized by Google

Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis, urbesque jubebant[8]
Eripere, et stragem horribilem, cædemque vereri.
Atque hæc fixa gravi fato ac fundata teneri,
Ni post, excelsum ad columen[9] formata decore,
Sancta Jovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore, ut occultos populus, sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes populique videret.
Hæc tardata diu species, multumque morata, 21
Consule te[10] tandem celsa est in sede locata.
Atque una fixi ac signati temporis hora
Jupiter excelsa clarabat sceptra[11] columna;
At clades[12] patriæ flamma ferroque parata

gum exitium constanti voce ferebant, Vel diram ingentem cladem pestemque monebant ». Quamvis hoc perperam factum videatur, tamen in tanto MSS consensu rem lectori celatam nolumus. Dav.

8. *Urbesque jubebant.* Optime, quemadmodum puto, Balliol. exhibet, *urbemque jubebant*, ut de Roma κατ' ἐξοχήν intelligatur. Dav.

9. *Ni post, excelsum ad columen.* Vulgo *excisum*. Quod vero nonnulli codices darent, *nepus excisum* vel *excesum*, Gulielmius legendum conjecit, *ni prius*. At frustra fuit vir eruditus. Multi MSS *excessum*. Merton. *excelsum*, prout olim dedit Lambinus; et in eam lectionem quadrat historia: nam, quod paullo post ait Noster, « Jupiter excelsa clarabat sceptra columna ». Arnobius, lib. VII, pag. 307: « Responsum ... aliter publicari scelerata non posse consilia, nisi Jupiter rursus altiore in culmine figeretur, orientalem conversus ad cardinem, radiisque oppositus solis ». Cicero, Catil. III, c. 8, haruspices « jusserunt, simulacrum Jovis facere *majus*, et in *excelso* collocare, et, contra atque fuerat, ad orientem convertere ». Non dispar est, quod de Horatii Coclitis statua de cælo tacta memorat Agellius, N. A. lib. IV, cap. 5. Dav.

10. *Consule te.* Perhibent Noster de Divin. II, 20, et Dion, XXXVII, 34, coss. Torquato et Cotta, duobus annis ante Ciceronis consulatum, inceptam fuisse columnam e marmore albo, in qua imponeretur Jovis signum coruscum ad orientem, ad loca ubi populus et senatus convenire solebant. Sed quum columna Cicerone consule tantummodo perfecta fuisset, vix impositum est Jovis signum, quum Catilinæ conjuratio detecta est. Eadem memorat Noster in oratione quam habuit ante populum (in Catil. III, 8) post Catilinæ discessum. J. V. L.

11. *Clarabat sceptra.* I. e. conspicienda exhibebat; dictione magis poetica: pro quo vulgare hoc erat; signum cum Jovis sceptro in excelso collocatum conspiciebatur. Hott.

12. *At clades.* Sic vulgo; *et clades* corrigit Hott. nec male. Necessariam emendationem meam faciunt, ait, illa verba: *una fixi* et *signati temporis hora*. Nam hoc dicit Cicero: una

Digitized by Google

Vocibus Allobrogum [13] patribus populoque patebat.

XIII.

Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbesque modo [1] ac virtute regebant;
Rite etiam vestri, quorum pietasque fidesque
Præstitit, ac longe vicit sapientia cunctos,
Præcipue coluere vigenti numine divos [2].
Hæc adeo penitus cura videre sagàci,
Otia qui studiis læti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera [3], nitidoque Lyceo [4]
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo jam a flore [5] juventæ,
Te patria in media virtutum mole locavit [6]:
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ vocis studiis nobisque sacrasti [7].

eademque hora *et* Jovis statuam fuisse positam *et* conjurationem Catilinæ detectam fuisse. Quod firmant ejusdem verba in Cat. III, c. 1, et infra II, c. 11: « at eodem tempore signum Jovis collocabatur quo conjuratio indicabatur ». Quis autem ignorat ut elegantem apud Græcos usum particulæ καί, sic apud Latinos *et*, *atque*, et *que* copulativi, in temporis mentione, in primis ad significandam celeritatem. Vid. Virg. Æneid. III, 8. Adsentientem habeo MS. HOTT.

13. *Vocibus Allobrogum.* Vide Sallustium, Cat. 40, seqq. Cf. Ciceronem in Catil. III. HOTT.

XIII. 1. *Modo.* I. e. sapientia: salutari legum ceterarumque rerum ad reipublicæ administrationem pertinentium, temperamento. HOTT.

2. *Vigenti numine divos.* I. e. divos, minime otiosos illos, aut inertes, sed rebus humanis intentos. In primis hic respici putem ad signa quibus hominibus res futuras significent. HOTT.

3. *Academia umbrifera.* Erat locus arboribus consitus, unde Horatius ait *Silvas Academi*, Ep. II, 2, 45. HOTT.

4. *Nitidoque Lyceo.* Lyceum erat gymnasium, seu locus destinatus exercitationibus palæstricis, in quo etiam Aristoteles disputare solebat. Epitheton autem *nitidum* ad eos ipsos labores gymnicos referendum videtur, quoniam luctatores oleo corpus ungebant, cui rei proprium est verbum *nitere*. Ita Ovidius, Fast. V, 667, de Mercurio: « Lætæ lyræ pulsu, nitida quoque læte palæstra; Quo didicit culte lingua favente loqui ». Adde Heroid. XVI, 149. HOTT.

5. *Primo jam a flore.* E Græcia Romam rediit anno ætatis XXX. HOTT.

6. *In media virtutum mole locavit.* I. e. ni fallor, te vocavit ad res gerendas, et ampliissimam tibi dedit materiam in qua vires tuæ exerceri, et virtus tua spectari posset. Aliud cogitans Ernesti: propter virtutum tuarum multitudinem et magnitudinem. HOTT.

7. *Quod patriæ vocis studiis nobisque sacrasti.* Hujusce versiculi mentem non capio, quapropter mihi merito suspectus est. Nonnulli MSS *voces*; alii *votis*; Pal. sec. *vota his*. Forsan reponendum, « Quod patria vacat,

Digitized by Google

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quæ a me disputantur de divinatione, dicere[8], qui et gesseris ea, quæ gessisti, et ea, quæ pronuntiavi, accuratissime[9] scripseris? Quid? quæris, Carneades[10], cur 23
hæc ita fiant, aut, qua arte perspici[11] possint? Nescire me fateor; evenire autem, te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itane vero? quidquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? Quatuor tali jacti casu venereum efficiunt[12]. Num etiam centum venereos, si cccc talos jeceris[13], casu futuros putas? Adspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt; num etiam Veneris Coæ[14]

his studiis nobisque sacrasti ». Vide lib. II de Divin. cap. 2. Dav. — Bene vero Ernest. intelligit : *patriæ vocis studiis* pro, *linguæ et eloquentiæ latinæ studiis*. Hac sæpe laude, nec immerito gloriatur Cicero. Igitur *patriæ* est adjectivum. Ad *quod* assumi potest otium ex verbo *requiete*. Hott.

8. *Contra ea, quæ a me disputantur de divinatione, dicere.* Vulgo « quæ a me disputantur, et de divinatione dicere », nec aliter omnes nostri. Conjectura tamen, quam loci sensus veram probat, illis codicibus præferenda videbatur. Aldus etiam Manutius et D. Lambinus particulam copulantem prætermittunt; at distinctionem prorsus alieno ponunt in loco. Dav.

9. *Accuratissime.* I. e. verissime, ita ut quæque acciderunt. Hot. — Intelligunt alii, elegantissime veribus conscripseris.

10. *Quæris, Carneades*, etc. Minime mihi persuasit vel Jortinus, Miscellan. Observatt. vol. III, t. I, *Quæris ut, Carneades*, vel Dorvillus, *Quæris quis Carneades*, aut, *Quæris quasi quis Carneades*, legendum esse. Quis non sentit his mutationibus orationem frangi? Convertit enim Quintus orationem ad Carneadem tamquam præcipuum divinationis oppugnatorem, vid. cap. 4 et 7; aut si mavis, vel fratrem, vel quemcumque alium de divinatione dubitantem Carneadis nomine notat. Hott.

11. *Perspici.* Ed. Venet. 1494, *perfici*, quod Ernest. reduxit. Vulgatam retinet Hott.

12. *Jacta venereum efficiunt.* De jactu venereo vide Joan. Meursium de ludis Græc. pagg. 7, 26, aut Dan. Souterii Palameden lib. I, capp. 26, 27. Dav.

13. *CCC talos jeceris.* Vulgo *ejeceris*. Nos vero Reg. Cantab. et veteres editos sequimur; quum *talos jacere*, non *ejicere*, dicant Latini. Dav.

14. *Veneris Coæ.* Vulgo *Veneris Gnidiæ Coeque*. Mediam vero vocem prætermittunt MSS. Et recte quidem; hic enim de pictura agitur, quum Cnidia Venus statua fuerit a Praxitele facta. Vide Plinium, H. N. lib. XXXVI, §. 4, 5. Dav. — Venus Coa, quæ et Anadyomene, seu surgens a mari, dicitur, ab Apelle Coo picta; in quam

Digitized by Google

pulchritudinem effingi posse adspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A literam impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Ennii ab ea posse describi? Fingebat[15] Carneades, in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput exstitisse Panisci. Credo, aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa[16] diceres : sic enim se profecto res habet, ut numquam perfecte veritatem[17] casus imitetur.

24 XIV. At nonnumquam ea, quæ prædicta sunt, minus eveniunt. Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ conjectura continentur, et sunt opinabiles[1]. An medicina, ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores nonne falluntur? an Achivorum exercitus, et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio,

Ut profectione læti piscium lasciviam
Intuerentur (ut ait Pacuvius), nec tuendi satietas capere posset[2]?
Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare[3],
Tenebræ conduplicantur, noctisque et nimbum occæcat nigror.

Num igitur tot clarissimorum ducum regumque nau-

exstant diversa græcorum poetarum in Anthologia epigrammata, expressa etiam ab Ausonio. Hott.

15. *Fingebat.* I. e. pro vero narrabat, quamvis falsum et effictum. Cf. II, 21. Hott.

16. *A Scopa.* Nobilissimus statuarius, quem cum Phidia et Praxitele, summis in hoc genere artificibus, comparat Plinius, Hist. Nat. l. c. Hott.

17. *Veritatem.* Veritas h. l. est ordo ac ratio scilicet causarum, quibus quid efficitur, certa series atque connexio. Hott.

XIV. 1. *Et sunt opinabiles.* I. e. quarum ratio non certa atque explorata, quæque modo probabilitatem sequuntur. Hott.

2. *Satietas capere posset?* Hæc scriptura metrum prorsus vitiat. Gruterus legendum conjecit *satias capere possiet. Satias* sane pro *satietate* passim Veteribus usurpatur. Vide modo Nonium, cap. 2. Malim vero, transpositis vocibus, rescribere *capere posset satietas :* quæ vox ut *satyetas* pronuntiabatur. Vide Cl. Bentleium de Metris Terentianis, pag. 14. Dav.

3. *Inhorrescit mare.* Hos et qui sequebantur apud Pacuvium versus adducit Noster lib. III de Orat. cap. 39. Dav.

Digitized by Google

fragium sustulit artem gubernandi? Aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit, amisso exercitu? Aut num propterea nulla est reipublicæ gerendæ ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quædam M. Catonem, nonnulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est aruspicum responsio, omnisque opinabilis divinatio[4]. Conjectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. Ea fallit fortasse nonnumquam; sed tamen ad veritatem sæpissime dirigit[5]. Est enim ab omni æternitate repetita; in qua quum pæne innumerabiliter res[6] eodem modo evenirent iisdem signis antegressis, ars est effecta, eadem sæpe animadvertendo ac notando.

XV. Auspicia vero vestra quam constant[1]? quæ

4. *Omnisque opinabilis divinatio.* Davisius, probante Ernestio, vocem *opinabilis*, tamquam glossema delendam existimat. « Quum enim, inquit, medicorum, gubernatorum, et imperatorum scientiam opinabilem esse comprobasset, addit, similem esse aruspicinam, omnemque divinationem ». Quod si ita esset, ineptum sane foret, dicere; « omnem divinationem opinabilem, esse opinabilem ». Sed recte Davisium refellit Wopkensius in Lectt. Tull. ostendens, hic Quintum loqui nonnisi de divinatione *artificiosa*. Conf. cap. 6. Eam nimirum, quod sit *opinabilis*, perinde ut reliquas artes omnes *opinabiles*, interdum fallere posse, ut, quæ prædicta sint, minus eveniant, Quintus contendit. Unde infra 55: « Equidem sic arbitror, inquit, etiamsi multa fallant eos, qui aut arte, aut conjectura divinare videantur, esse tamen divinationem ». Hott. — *Opinabilis divinatio.* I. e. artificiosa, quod genus divinandi distinguitur supra, cap. 6, a naturali. Rath.

5. *Ad veritatem sæpissime dirigit.* Vel *gressum* subaudi, vel melius fortasse, *jaculum*. Nam hoc de certo ictu, poetæ in primis sæpius dicunt. Virgil. Æn. XII, 488. Ergo a correctoribus sunt, quæ habent E et ψ, *a veritate sæpissime dirigitur*, et ed. Cratand. *ad veritatem sæpissime dirigitur*. Mox, *ab omni æternitate*, i. e. tempore immenso, ut sup. 7. Dav.

6. *Innumerabiliter res.* Vulgo *innumerabiles res*. At renituntur MSS, nec est causa sat idonea cur in hoc loco eorum fidem deseramus: quippe mirum non est si, infinito tempore, prout arbitrati sunt, antegresso res eodem modo pæne *innumerabiliter* evenerint. Dav. — *Innumerabiliter* probat Hott.

XV. 1. *Auspicia vero vestra quam constant?* I. e. quam sunt certa, atque raro fallentia? Auspicia vero *vestra* quum dicit, non romana intelligit,

Digitized by Google

quidem nunc a romanis auguribus ignorantur (bona hoc tua venia dixerim); a Cilicibus, Pamphyliis, Pisi-
26 dis, Lyciis tenentur. Nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optimum virum, Dejotarum regem, commemorem? qui nihil umquam nisi auspicato gerit: qui, quum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset, aquilæ admonitus[2] volatu; conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset,
27 proxima nocte corruit. Itaque, ut ex ipso audiebam, persæpe revertit ex itinere, quum jam progressus esset multorum dierum viam. Cujus quidem hoc præclarissimum est, quod, posteaquam a Cæsare tetrarchia, regno, pecuniaque[3] multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quæ sibi ad Pompeium proficiscenti secunda evenerint, pœnitere: senatus enim auctoritatem, et populi romani libertatem, atque imperii dignitatem suis armis esse defensam; sibique eas aves, quibus auctoribus officium et

quæ incerta esse, propter augurum romanorum imperitiam, ipse fatetur, sed respicit ad auguratum fratris, qui scil. in P. Crassi locum a Cn. Pompeio et Q. Hortensio fuit augur nominatus. Eodem spectant verba illa: « bona hoc tua venia dixerim ». Ex quibus patet, nihili esse, quod habent E et U, *auspicia vero nostra*. Hott.

2. *Aquilæ admonitus volatu*. Hoc memorat Valerius Maximus, lib. I, cap. 4, 2, extern. et Noster infra lib. II, cap. 8. Dav.

3. *Tetrarchia, regno, pecuniaque*. Olim *tetrarchiæ regno*. Rescribendum videtur *tetrarchia, regno*. Dejotarus enim Trocmanorum tetrarchiam, Armeniæ vero minoris amisit regnum. Noster inf. lib. II, 37, « Cæsar *quum* Dejotaro Trogmorum tetrarchiam eripuisset .... eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam ». Auctor de Bell. Alex. cap. 67: « Dejotarus, Tetrarches Gallograeciæ .... Rex Armeniæ minoris ». Vide et cap. 11. Frequentes sunt in Veterum monumentis hujusmodi mendæ. Sic apud Lactantium, Div. Inst. lib. III, cap. 12, 18: « Immortalitas ... non potest cuiquam sine scientiæ virtute (leg. *scientia et virtute*), id est, sine Dei cognitione et justitia provenire ». Vide § 28, 29. Idem Epit. cap. 4, de Trismegisto: « Qui et doctrinæ vetustate philosophos antecessit ». Reponendum, *qui et doctrina et vetustate*, prout olim monuimus. Adde Justinum M. Cohort. ad Græc. cap. 42, et Cyrillum in Julian. lib. I, pag. 30. Dav. — Davisio suffragant Hott. et Rath.

Digitized by Google

fidem[4] sequutus esset, bene consuluisse : antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam[5]. Ille mihi videtur igitur vere augurari[6]. Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis[7] : necesse enim est, offa objecta[8], cadere frustum ex pulli ore, quum pascitur. Quod autem scriptum habetis, aut 28
tripudium fieri[9], si ex ea quid in solum[10] ceciderit: hoc quoque, quod dixi, coactum, tripudium solistimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato[11] ille sapiens queritur, negligentia collegii amissa plane et deserta sunt.

XVI. Nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem, gerebatur : quod etiam nunc nuptiarum auspices[1] declarant, qui, re omissa,

4. *Fidem.* Quam scil. Romanis tamquam socius debebat. Hott.

5. *Gloriam.* Veram sc. viri probi honestique laudem. Hott.

6. *Vere augurari.* Augurii ita uti, quemadmodum fas est, atque oportet. Hott.

7. *Auspiciis utuntur coactis.* Auspicia coacta sunt, quum, qui illis utuntur, ea arte regunt, ut talia eveniant, qualia ipsi optant. Totum hunc locum plane illustrant ea, quæ leguntur infra II, 35. Hott.

8. *Offa objecta. Offa* dicebatur *puls*, s. farina aqua adspersa, manuque glomerata. Eam pullis in auspiciis potissimum datam, « quia ex ea necesse erat, aliquid decidere, quod tripudium faceret », scribit Festus in v. *puls*. Hott.

9. *Aut tripudium fieri. Hinc* edidit Davisius e MSS Reg. et Cantab. Vulgo legitur, *aut tripudium*, etc. unde Turnebus conjecit, *avi tripudium fieri.* Ego Ernestio assentiar, *aut* delendum potius, quam mutandum censenti. Quid sit *tripudium* pluribus ipse Cicero docet infra, II, 34. Hott.

10. *In solum ceciderit.* Sic edidere Manutius et Lambinus, cum quibus facit Eliens. noster. Vulgo *in solidum;* quam quidem lectionem defendit Barn. Brissonius Form. I, pagg. 124, 125, eo quod *sollum* pro solido dixerint Osci, quemadmodum testatur Festus in *solitaurilia :* quapropter non *solistimum*, sed *sollistimum*, tripudium dici vult eruditissimus ille JCtus. At omnino fallitur; nam *solistimi* veriverbium a *solo*, quod terram significat, est deducendum. Vide Nostrum infra, lib. II, cap. 13. Alioqui *solidum* pro terra dixit Florus, lib. II, cap. 2, 9. Dav.

11. *Cato ille sapiens.* Cato Censor, quem Sapientem vulgo dicebant. Vide Cic. de Senect. 2. Hott.

XVI. 1. *Nuptiarum auspices.* Hunc locum in animo habuit Valerius Maximus, lib. II, cap. 1 : « Apud antiquos, inquit, non solum publice, sed etiam privatim, nihil gerebatur, nisi auspi-

Digitized by Google

nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis (quamquam id ipsum aliquanto minus, quam olim), sic tum avibus magnæ res impetriri[2] solebant. Itaque, sinistra dum non exquirimus[3], in dira et vitiosa[4] incurrimus. Ut P. Claudius[5], Appii Cæci filius, ejusque collega, L. Junius, classes maximas perdiderunt, quum vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni; qui, quum Achivi cœpissent

Inter se strepere [6], aperteque artem obterere[7] extispicum,
Solvere imperat secundo rumore [8], adversaque avi [9].

cio prius sumpto; quo ex more nuptiis etiamnum auspices interponuntur. Qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpant». Vide Servium ad Virgilii Æn. I, 350, IV, 45, et J. C. Bulengerum de Aug. et Ausp. lib. III, c. 13. Dav. — Videntur autem esse posteriori tempore adhibiti nuptiarum auspices, ad consignandam dotem. Vid. Sueton. Claud. 26. Hott.

2. *Magnæ res impetriri.* De hoc verbo editum e conjectura Manutii, quum antea legeretur, *impertiri*, aut *impartiri*. Hott.

3. *Sinistra dum non exquirimus.* Recte Ernestius : dum non attendimus ad sinistra auspicia, incidimus in mala dira. Itaque *sinistra* auspicia h. l. sunt mala s. adversa : alio sensu ac infra, II, 39 : « Nobis sinistra videntur, Graiis et Barbaris dextra meliora ». Hott.

4. *Dira et vitiosa.* Utraque vox augurâlis est. Ita de Legg. II, 8 : « Quæ augur injusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit, irrita infectaque sunto : quique non parnerit, capital esto ». Sunt autem *dira*, quæ adversis avibus, ac velut diis iratis (unde Festus h. v. derivat) suscipiuntur : *vitiosa*, quæ contra auspicia, aut religionem fiunt. Hott.

5. *P. Claudius.* Is nempe « bello Punico primo, quum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent ». De Nat. Deor. II, 3. Hott.

6. *Strepere.* Frequenti murmure indignationem testari. Hott.

7. *Aperteque artem obterere extispicum.* Extenuare, atque ut vanam irridere. Hott.

8. *Secundo rumore.* Recte, opinor, Ernestius, *approbantibus Achivis*. Conf. Heynius V. Cl. ad Virg. Æn. VIII, 90, ed. altera. Gesnerus in Thes. s. h. v. accipit de murmure aquæ, navim propellentis. Quod, ut de reliquis, quæ ibi laudantur, poetarum locis concedam, in nostro hocce minus placet. Primum enim naves nondum vehuntur, sed eas modo solvi rex jubet. Deinde aperta est hic oppositio inter auspicia ac militum voluntatem. Hott.

9. *Adversaque avi.* Ita legendum : olim *aversa avi*. Prior *adversa* Pet. Victorius edidit. Nec aliter exhibent Paris. Med. Balliol. aliique nostri MSS. Dav.

Digitized by Google

Sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit[10], videmus, dirarum obnuntiatione[11] neglecta. In quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum, et civem egregium censor C. Ateium[12] notavit, quod ementitum auspicia subscripserit[13]. Esto: fuerit hoc censoris, si judicabat ementitum. At illud minime auguris, quod adscripsit, ob eam causam populum romanum calamitatem maximam cepisse[14]. Si enim ea causa calamitatis fuit, non in eo est culpa, qui obnuntiavit, sed in eo, qui non paruit. Veram enim fuisse obnuntiationem, ut ait idem augur et censor, exitus approbavit; quæ si falsa fuisset[15], nullam afferre potuisset causam calamitatis. Etenim diræ[16], sicut cetera auspicia, ut omina, ut signa,

10. *Crasso quid acciderit.* Crassus, ut notum, a Parthis est interfectus, et copiæ miserabili clade deletæ. Dav.

11. *Dirarum obnuntiatione. Diræ* sunt exsecrationes. De re ipsa vid. Plutarch. in Crasso, et qui illum sequitur, Appianum. Hott.

12. *C. Ateium.* Ita correxit Manutius, pro quo vulgo legebatur *Ætheium*. *Ateium* autem et Plutarchus nominat, et Dio, et Appianus. Florus autem, III, 11, *Metellum*, nisi iste potius librarii, quam scriptoris error sit putandus. Hott.

13. *Censor ... subscripserit.* Intelligendum hoc est de nota censoria, quo pertinet etiam verbum *subscripserit*. Nam censores, si quem notabant, ejus rei causam in tabulis censoriis nomini subscribere solebant. Hott. — *Subscripserit. Subscriberet* prætulit Davisius ex Paris. Reg. et Merton. eamdemque habent lectionem codd. Oxoniens. omnes. Vulgo: *subscripserit*. Utrum melius, vix decernam. Rectius, ni fallor, utroque *subscripsisset*. Hott. — *Subscripserit* omnes editi vett. præter Venet. 1494, quæ habet *subscriberet*, quod recepit Davis. in sec. et nuper Hott. Neutrum placet: nam quum Appius subscripsisset non Ateius; latinitas postulare videtur *subscripserit*. Rath.

14. *Calamitatem maximam cepisse.* Lambinus: *accepisse*. Quamquam satis tritum est illud *detrimentum capere*, tamen *calamitatem capere* nusquam alibi, quod sciam, legitur; ubique potius, *calamitatem accipere*. Rath.

15. *Quæ si falsa fuisset, nullam afferre potuisset causam calamitatis.* Vulgo *fuissent* et *potuissent*, quo modo solœca fit oratio: ad *obnuntiationem* enim illa referuntur verba. Quod igitur vel invitis codicibus fecissem, id, volentibus Med. Reg. et Cantab. jam nunc facio, Ciceronemque fœdis illis libero maculis. Dav.

16. *Etenim diræ, sicut cetera auspicia.* Sic correxit Turnebus, atque ediderunt Davisius et Ernestius. Vulgo: *dira*. Hott.

Digitized by Google

non causas afferunt[17], cur quid eveniat, sed nuntiant
30 ventura[18], nisi provideris. Non igitur obnuntiatio Ateii causam finxit[19] calamitatis, sed signo objecto monuit Crassum, quid eventurum esset, nisi cavisset. Ita aut illa obnuntiatio nihil valuit; aut si, ut Appius judicat, valuit, id valuit, ut peccatum hæreat[20] non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non obtemperarit.

XVII. Quid, lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit[1] tum, quum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus (id est, incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit[2]), quum situs

17. *Non causas afferunt.* Hæc magis ex sese, quam ex Veterum superstitione disserit Quintus. Si enim vera sunt, quæ Plutarchus in Crasso memorat, vulgaris hominum opinio diris ipsis vim quamdam tribuit, quæ calamitatem necessario afferret. Idem ille auctor, tum quoque Ateio vitio datum esse memorat, quod eam urbem, cujus nomine Crasso succenseret, tam gravi religione obstrinxisset. Hott.

18. *Ventura.* Sic Ernest. e MS Guelf. quod et editt. pr. habent. *Eventura* quidam volunt, inter quos Hott.

19. *Causam finxit.* I. e. creavit, seu effecit, ut aliquid fieret, quod sine obnuntiatione non accidisset. Hott.

20. *Hæreat.* Davisius maluit *hæreret*, atque sic edidit Ernestius. Ego neque alterum damnare ausim. Nam Cicero de suo, suæque ætatis hominum judicio loquens, uti sane potuit tempore præsenti. Hott. — *Valuit* ἀορίστως accipiendum est, unde hæreat. Conjicit Davisius *hæreret*, quod Ernest. festinantius arripuit. Rath.

XVII. 1. *Regiones direxit.* I. e. determinavit. Hott.

2. *Id est, incurvum . . . similitudine nomen invenit.* Hæc verba primus glossematis damnavit Just. Lipsius in Var. Lect. lib. I, cap. 20, quoniam non modo Cicero, sed vulgus, et pæne pueri, quid esset lituus, tum temporis probe noverant. Mihi tamen haud ita firma claraque videtur hæc ratio, ut rem in aperta luce collocet. Nam, ne memorem de solo Romuli lituo hic agi, licet Marcum Ciceronem, augurem lituo frequenter usum, Q. frater adloquatur; ea miscere, quæ Tullium non fugerunt, haud erat importunum: siquidem liber in lectorum gratiam fuit editus. Nec forte litui forma cunctis innotuit: cum enim Livius etiam describendum putavit. «Augur, inquit ille in lib. I, cap. 18: . . . baculum sine nodo adunco *tenens, quem* lituum *appellaverunt*». Præterea latinitas est elegantior, quam ferre solet librariorum captus; quapropter ab ipsius Ciceronis manu fuisse præfracte non negarim. Utcumque se res habeat, huc facit Macrobii locus, Saturn. lib. VI, c. 8: «Posse quæri animadvertimus, utrum

Digitized by Google

esset in curia Saliorum[3], quæ est in Palatio, eaque deflagravisset[4], inventus est integer. Quid? multis an- 31
nis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio, quis veterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio? qui quum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex his amissa, vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum, quæ maxima esset in vinea. Itaque, sue inventa, ad meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse; quumque in quatuor partes vineam divisisset, tresque partes aves abdixissent[5], quarta parte, quæ erat reliqua in regione distributa[6], mirabili ma-

a tuba lituus auguralis appelletur, an tuba a lituo augurum litnus dicta sit; utrumque enim pari forma et pariter in capite incurvum est. Sed si, ut quidam putant, tuba a sonitu lituus appellata est ... necesse est, ut virga auguralis a tubæ similitudine lituus vocetur». Id quod aperte statuit sive Noster, sive glossographus. Dav. — *Id est, incurvum*, etc. Ista verba uncinis inclusa omnia, Lipsius, Lambinus, et Ernestius pro glossemate habent. Davisius tamen hæsitat, dicens, Ciceronem, quamvis ad fratrem loquentem, lectorum causa ea immiscere potuisse, quæ hunc non fugerent; quemadmodum item Livius, I, 18, lituum descripserit. Verum aliud est munus scriptoris historici. Præterea Tullius lectores sperabat omnino doctiores, quibus talia explicare ridiculum foret. Quod deinde addit Davisius, latinitatem elegantiorem esse, quam ferre soleat librariorum captus, non necesse est, ut hæc putemus a librario esse profecta. Potest enim hoc esse glossema grammatici cujusdam aut antiquarii: potuerunt item hæc verba huc transferri a bono scriptore. Mihi quidem, aliorum notis nondum inspectis, satim suborta fuit suspicio de glossemate, eoque minus muto sententiam, quod hac labe sæpius, etiam in his libris, infectum esse Ciceronem deprehendi. Vid. inf. 23, et II, 57. Hott. — Vide me, si placet, ad Cic. Fin. II, 1, 2, 7, 11; Tuscul. I, 17. Rath.

3. *In curia Saliorum*. *Salii* erant sacerdotes Martis. Eorum autem curia, ut recte Ernestius in Clavi int. sine dubio nil est aliud, quam ædes, in qua conveniebant, quum sacra facturi, tum aliis de rebus suis. *Sacrarium* vocat Val. I, 8, 11, eamdem rem narrans. Hott.

4. *Eaque deflagravisset*. Urbe Roma a Gallis occupata et incensa. Istud de lituo Romuli miraculum narrat Plutarchus in Romulo, atque Camillo. Hott.

5. *Abdixissent*. Est verbum augurale: i. q. auspicio negassent. Hott.

6. *In regione distributa*. Davisius vet. Lambini cod. sequutus, edidit *regiones*, quod recte improbat Ernestius. Neque enim Attius quartam partem iterum distribuit, sed in quarta

Digitized by Google

gnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit. Qua re celebrata, quum vicini omnes ad unum de rebus
32 suis referrent[7], erat in magno nomine et gloria: ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus arcesseret[8]. Cujus quum tentaret scientiam auguratus, dixit ei, cogitare se quiddam; id possetne fieri, consuluit[9]. Ille, augurio acto[10], posse, respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse, cotem novacula posse præcidi. Tum Attium jussisse experiri. Ita cotem, in comitium allatam, inspectante et rege, et populo, novacula esse discissam[11]. Ex eo evenit, ut et Tarquinius[12] augure Attio Navio uteretur[13], et populus de suis rebus ad eum

parte vineæ s. regionis distributæ uvam invenit. Hott.

7. *Omnes ad eum referrent.* Ita edidit Davisius, MSS sequutus auctoritatem. Vulgo editur *unum* pro *eum;* idque defendunt Wopkensius et Ernestius. Quod quamquam non displiceat, tamen sine necessitate recedendum a MSS non erat. Oxonienses omnes cum ceteris MSS faciunt. Hott.

8. *Ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus arcesseret.* Revera quum Tarquinius equitum centuriis quas Romulus scripserat, novas adjicere vellet, et id Attius Navius augur, nisi aves addixissent, fieri prohiberet; ira regi mota est, eludensque artem, interrogavit : Possetne fieri quod ipse mente conceperat ? hinc Ciceronem memoria lapsum patet. Vid. Liv. I, 37; Dionysium Halicarnassem, III, 71; Valerium Maximum, I, 4, et Lactantium, Div. Inst. II, 7. Dav.

9. *Id possetne fieri, consuluit. Consuluit*, quod duriorem faceret orationem, et glossam saperet, delendum censet Ernestius. Mihi potius, addita copula, ita legendum videtur, « idque possetne fieri, consuluit ». Hott. — Malim pro *id*, quod mendosum videtur, *et.* Rath.

10. *Augurio acto.* Eam lectionem recte afferunt Gruterus et Davisius contra Lambinum, qui præter codd. fidem dedit *capto.* Hott. — Vid. Obs. Gefanii, obs. l. l. pag. 24. — Admodum joculare est omnes hic Lambini audaciam sugillare, quod dederit *augurio capto.* Scripsit cum reliquis omnibus *augurio acto;* nec aliter voluit. Rath.

11. *Novacula esse discissam. Discisam* dedi, sic sensu postulante. Est enim a *discido.* Vulgo perperam editur, *discissam;* quod est a *discindo.* Vid. Duker. ad Florum, II, 2, 2. Hott. — Cf. Lucret. de Nat. Deor. lib. III, vs. 659. Rath.

12. *Ut et Tarquinius augure Attio.* Davisius tacite copulam expunxit. Hott.

13. *Augure Attio Navio uteretur.* Interpres Franco-Gallus *Regnier* vult a *Navio* ortum esse nomen *novacula.* Hoc etymon melius servaverunt Hispani, qui novaculam dicunt *navaja.* Quidam grammatici aliud etymon proferunt : novacula dicitur, aiunt,

Digitized by Google

referret. Cotem autem illam et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal[14] accepimus. Negemus omnia; comburamus annales; ficta hæc esse dicamus; quidvis denique potius, quam deos res humanas curare, fateamur. Quid? quod apud te scriptum est[15] de Tib. Graccho, nonne et augurum et aruspicum comprobat disciplinam? qui quum tabernaculum vitio cepisset[16] imprudens, quod inauspicato pomœrium transgressus esset, comitia consulibus rogandis habuit[17]. Nota res est, et a te ipso mandata monumentis. Sed et ipse augur Tib. Gracchus[18] auspiciorum auctoritatem confessione errati[19] sui comprobavit, et aruspicum disciplinæ magna accessit auctoritas, qui 33

quia mentum, quum raditur, novatur. J. V. L.

14. *Puteal.* Proprie est operculum putei h. l. sign. lapides, super locum illum, in quo novacula defossa erat, congestos et exstructos, quibus significaretur, rem sacram ibi latere. Hott. — Adi Cl. Salmasium, Exercit. Plin. pag. 1138 ed. Paris. Davis. — De cote tantummodo memorat Livius, I, 36 : « cotem quoque eodem loco sitam, ut esset apud posteros miraculi hujus monumentum ». Adjicit ibi quoque positam fuisse Attii statuam, capite velato. J. V. L.

15. *Quod apud te scriptum est.* « Quod scriptum apud te est » Davisius habet, et dicit ordinem se verborum jubentibus MSS mutasse. — Ceterum conf. de Nat. Deor. II, 4.

16. *Quum tabernaculum vitio cepisset. Tabernaculum* dicebatur locus ille, quo augur, augurii capiendi gratia, considebat. *Vitio* autem captum erat tabernaculum, si quid in eo capiendo adversus disciplinam auguralem esset peccatum. Jam Tiberius, tabernaculo in hortis Scipionis capto, interea senatus habendi causa intrabat pomœrium (vid. de Nat. Deor. l. c.), atque inde ad capienda auspicia rediens, vitio idem iterum tabernaculum occupabat. Oportebat enim eum, auspiciis interpellatis, prius tabernaculum relinquere, atque aliud petere. Vid. Plutarch. in Marcello. Hott.

17. *Comitia consulibus rogandis habuit.* Ven. 1494 et Sturmian. *rogatis*, latinitate invita. Conf. Liv. XXXIII, 42 : « Comitia consulibus rogandis fuerunt, etc. » Rath.

18. *Sed et ipse augur Tib. Gracchus auspiciorum.* Is de quo agitur est Tib. Sempronius Gracchus, Gracchorum pater, Scipionis Africani gener. Consules in ea occasione creati, erant Scipio Nasica et C. Marius Figulus. J. V. L.

19. *Confessione errati.* « Ex provincia literas ad collegium misit, se, quum legeret libros, recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse » : et q. s. de Natura Deorum, lib. II, cap. 4. Hott.

Digitized by Google

recentibus comitiis[20] in senatum introducti, negaverunt, justum comitiorum rogatorem[21] fuisse.

34 XVIII. Iis igitur assentior, qui duo genera divinationum esse dixerunt: unum, quod particeps esset artis; alterum, quod arte careret. Est enim ars in iis, qui novas res[1] conjectura persequuntur, veteres observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui, non ratione aut conjectura observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi, aut soluto liberoque motu futura præsentiunt (quod et somniantibus sæpe contingit, et nonnumquam vaticinantibus per furorem): ut Bacis Bœotius[2], ut Epimenides[3] Cres, ut Sibylla Erythræa[4]. Cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quæ æquatis sortibus[5] ducuntur, sed illa, quæ instinctu divino afflatuque funduntur. Etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis, ut eæ sunt sortes[6], quas e terra editas acce-

20. *Recentibus comitiis.* Nuperrime habitis. Hott.

21. *Comitiorum rogatorem.* Erat magistratus is, qui comitiis præesset, s. illa *rogaret.* Conf. inf. II, 35. Hott.

XVIII. 1. *Qui novas res*, etc. *Novas res*, dicit ea, quæ nondum evenerunt. Respicit nimirum Quintus ad sua tempora, quibus jam exculta esset et perfecta ars divinandi. Itaque *conjecturam* et *observationem* ita illum puto distinguere, ut hæc sit divinatio rudior illa, quæ iisdem signis antegressis, eadem eventa obscuro magis sensu, quam certa perspicientia exspectat: quum conjectura proficiscatur a certis regulis ante constitutis. Hott.

2. *Ut Bacis Bœotius.* Cf. Clemens Alexandrinus in I Στρωμ. pag. 398. Tres fuere Bacides. Vide Scholiasten ad Aristophanis Pacem, vs. 1071, et interpretes ad Æliani V. H. XII, 35. Dav. — *Bacis Bœotius.* Vetustus vates cujus oracula inter Græcos sunt nobilitata. Ejus sæpius mentionem facit Aristophanes. Hott.

3. *Epimenides Cres.* Etiam Gnosius dictus, de quo videndus, præter alios, Diogenes Laertius. Pythagoræ tempore vixisse dicitur, atque annum centesimum quinquagesimum ac septimum vivendo attigisse. Hott.

4. *Sibylla Erythræa.* Ab *Erythris* Asiæ civitate sic dicta. Eam Varro facit auctorem librorum Sibyllinorum, quibus fata urbis Romæ continebantur. Hott.

5. *Æquatis sortibus. Æquare sortes* sine dubio nihil est aliud, quam discrimen inter illas tollere, ita ut nulla ratio appareat, cur hæ potius quam illæ prodeant. Hott.

6. *Si et auctoritatem habet vetusta-*

Digitized by Google

pimus[7] : quæ tamen ductæ ut in rem apte[8] cadant, fieri credo posse divinitus[9]. Quorum omnium interpretes, ut grammatici poetarum[10], proxime ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur[11] accedere.

tis, ut eæ sunt sortes. Si lectio sana est, particula *et* idem fere significabit ac *in primis*. Sed malim ita legere : « si et auctoritatem habet vetustatis, et eæ sunt sortes » : i. e. si et vetustæ sint, et similem habeant originem, atque illæ, quas e terra editas accepimus. Erunt forte, quos loquendi ratio, in hoc sensu, parum conformis severis dicendi legibus, offendat. Earum autem si tam diligens fuisset Cicero, neque sic scripsisset : « si et auctoritatem habet vetustatis, ut eæ sunt sortes, etc. » Nam regula postulabat, « ut eæ habent sortes, etc. » Plena oratio in nostro sensu hæc fuisset : « si tales sunt sortes, quales eæ sunt, quas e terra editas accepimus ». Quod brevius dicere potuit ita, ut vidimus. Neque profecto hæc βραχυλογία durior habenda est illa, quam notavimus supra, 1 : « Qua in natione Chaldæi, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, etc. » Hott. — Particula *et* molesta videtur. Potius exspectatur *præsertim si*, vel *siquidem*. Rath.

7. *Quas e terra editas accepimus.* Loquitur de sortibus Prænestinis, quarum origo narratur inf. II, 41. Hott.

8. *Ut in rem apte cadant.* Ut ex iis responsum concinnetur rei, de qua fuerit consultum, conveniens. Hott.

9. *Fieri credo posse divinitus.* Verbum *posse* mihi suspectum est. Nam qui sortibus aliquid tribuat, illum plane necesse est, existimare, illas *divinitus* cadere. Itaque Quintus non vult dicere, quid fieri *possit*, sed quid *fiat*. Neque is oraculis per sortes quidquam derogatum vult, sed ea tantummodo sejungit a genere divinatione *naturali*. Conf. sup. c. 6. Neque vero hoc ipsum ita facit, ut arti omnia tribuat, siquidem fatetur, illas divinitus apte cadere. Et hanc nimirum vim habet particula *tamen*, quam non intelligens corrector, ad sensus integritatem suum illud *posse* desideravit. Simile σφάλμα deprehendimus inf. II, 44, ubi vide, quæ notavimus ad hæc verba : « posse in dissimiles incidere naturas, etc. » Hott.

10. *Ut grammatici poetarum.* Eleganter hæc de re Socrates apud Platon. Ion. pag. 145, A. Dav. — Conf. not. seq.

11. *Proxime ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere.* Neque ista ego sana duco. Sensum equidem tolerabilem ex his verbis extorquere nequeo, nisi forte hunc : « quemadmodum grammatici poetarum interpretes, afflatu illo, quo poetæ concitati carmina fuderunt, et ipsi quodam modo corripiantur, ita oraculorumceterorumque signorum divinorum interpretes in se habere quædam quasi semina divinationis ». Ita Davisium intellexisse patet ex loco illo, quem ex Platonis Ione (tom. III, pag. 186 ed. Bipont.) laudavit. Is autem mihi sensus probari nequit. Nam quid hoc sit, « proxime accedere ad divinationem », ego haud intelligo. Qui enim non penitus ad illam accesit, ab ea profecto longissime abest ; neque quisquam propemodum vates esse, aut futura prope scire dici potest. Nam inter *scire* et *nescire* tertium

Digitized by Google

35 Quæ est igitur ista calliditas, res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Non reperio causam. Latet fortasse obscuritate involuta naturæ. Non enim me deus ista scire, sed his tantummodo uti voluit. Utar igitur, nec adducar, ut rear[12], aut in extis totam Etruriam delirare, aut eamdem gentem in fulguribus errare, aut fallaciter portenta interpretari, quum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus multa nostræ reipublicæ, multa ceteris civitatibus gravia et vera prædixerint[13]. Quid? qui irridetur[14], partus hic mulæ[15], nonne, quia fœtus exstitit in sterilitate na-

nihil est. Itaque locus sine dubio est corruptus. Et fuit, quum pro *divinationem*, *divinitatem* legendum putarem, quod propter scribendi compendium facile poterat confundi. Sed nunc potius placet *divinationem*: quæ vox et poetis perinde ac diis est conveniens, et sensum efficit facilem, perspicuum, quemque ipse Cicero jam ante sibi vindicavit, sup. 1, de Divinatione sic scribens: « magnifica quidem res, et salutaris ... quaque proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere ». Hott.

12. *Nec adducar, ut rear.* Sic ante Davisium nemo præter Aldum N. Duo autem ultima verba abesse possent. Cic. de Leg. II, 3: « Ut jam videar adduci, hanc quoque ... esse patriam tuam ». Attic. XI, 16: « Sed ego non adducor, quemquam bonum ullam salutem putare mihi tanti esse ». Duo hæc loca Wopkensius protulit, Lect. Tull. p. 244. Adde Cic. de Fin. I, 5; IV, 19; unde discitur, qui hæc loquendi forma variet. Rath.

13. *Gravia et vera prædixerint.* I. e. « gravia et quidem vere prædixerint ». Cic. de Off. II, 20: « Quis est tandem, qui inopis, et optimi viri causæ non anteponat, in opera danda, gratiam fortunati et potentis? » Vell. Pat. II, 26: « C. Marius multa fortiterque molitus ». Ubi frustra copulam sollicitavit Wopkensius, Misc. Obs. VIII. Sed malim in nostro loco, adverbio expresso, sic legere, *gravia et vere*. Sic alibi Cicero; ut Tusc. II, 20: « At laudat (Epicurus) et sæpe, virtutem ». Hott.

14. *Quid? qui irridetur*, etc. Ernestius monet orationem non constare, quia nihil sit, quod his verbis, *qui irridetur*, respondeat. Posset tolli difficultas, ejecta voce *fœtus*. Hott.

15. *Partus hic mulæ ... partus malorum?* Paris. « partus hic mulæ, nonne quia fetus hic exstitit ». Lego « qui inridetur partus mulæ, nonne quia fetus hic exstitit, etc. » Mulæ partus semper inter prodigia fuit habitus, quia res solito rerum ordine fieri non posse credebatur. Hinc Babylonii apud Herodotum, lib. III, 151: Τί κάτησθε, inquiunt, ἐνθαῦτα, ὦ Πέρσαι, ἀλλ' οὐκ ἀπαλλάσσεσθε; τότε γὰρ αἴρήσετε ἡμέας, ἢπερ ΗΜΙΟΝΟΙ ΤΕΚΩΣΙ. Ratio est διὰ τὸ ἄσπερμον εἶναι τὸ ζῷον, ut tradit Artemidorus, Oneir. lib. II, cap. 12. Vel idcirco

Digitized by Google

turæ, prædictus est ab aruspicibus incredibilis partus malorum[16]? Quid? Tib. Gracchus, P. F. qui bis consul 36
et censor fuit, idemque et summus augur, et vir sapiens, civisque præstans, nonne (ut C. Gracchus, filius ejus, scriptum reliquit) duobus anguibus domi comprehensis, aruspices convocavit? qui quum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum; si feminam, ipsi: æquius esse censuit, se maturam oppetere mortem[17], quam P. Africani filiam adolescentem. Feminam emisit; ipse paucis post diebus est mortuus.

XIX. Irrideamus aruspices; vanos[1], futiles esse dicamus; quorumque disciplinam et sapientissimus vir, et eventus, ac res comprobavit, contemnamus; contemnamus etiam Babylonios[2], et eos, qui e Caucaso

mulæ non pariunt, quod « e duobus diversis generibus nata non gignunt in omni animalium genere », si Plinio fides, H. N. lib. VIII, cap. 44. Plura vide sis apud Aristotelem de Gener. Anim. lib. II, cap. 8, et Ælianum, Hist. Anim. lib. XII, cap. 16. « Quidam vero non dissimulandi auctores, ut M. Varro et ante eum Dionysius ac Mago, prodiderunt mularum fetus regionibus Africæ adeo non prodigiosos haberi, ut tam familiares sint incolis partus earum, quam sint nobis equarum ». Verba sunt Columellæ, VI, 37. Utcumque sit, mula pariens, discordiam, bonorum interitum, mutationem legum, turpes matronarum partus significare censebatur, adeoque sat uberem *malorum* denotat partum. Adi Julium Obsequentem, de Prodig. cap. 125, et Dionem, lib. LXXVIII, cap. 25, pag. 41 ed. Falcon. Hinc, ut et ex ipsa sententiæ vi, patet corruptum esse Ursini codicem, qui *mularum*, non *malorum*, vocem repræsentat; licet ei lectioni faveat vir ille doctus. Corrupti sunt etiam Merton. et Med. qui *mulorum* exhibent. Dav.

16. *Incredibilis partus malorum?* MSS plures habent, *mulorum*. Ursini cod. *mularum*, cui lectioni ipse favet. Male. Hott.

17. *Se maturam oppetere mortem. Maturum* correxit Davisius, recepitque Hottingerus, probante Ernestio. Rath. — *Maturam* defendit Wopkensius, et nos retinemus. — Est autem *maturus*, qui satis diu vixit. Sic Ovid. Met. X, 36, de Euridice: « Hæc quoque, quum justos matura peregerit annos, Juris erit vestri ». Conf. Plutarch. in Ti. Graccho. Hott.

XIX. 1. *Vanos*. I. e. artem suam inanem ac falsam, tamquam veram certamque jactantes. Hott.

2. *Contemnamus etiam Babylonios, et eos, qui*. Ego copulam fidenter delevi. Nam ii, de quibus sermo est in sequentibus, nulli alii sunt,

Digitized by Google

cæli signa servantes[3], numeris et motibus stellarum cursus persequuntur[4]; condemnemus, inquam, hos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ[5], qui CCCC LXX millia annorum[6], ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et mentiri judicemus, nec sæculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futu-
37 rum sit, pertimescere. Age, barbari vani, atque fal-

quam ipsi Babylonii. Conf. inf. II, 46. Pronomen vero sine copula positum, singularem habet vim. Prorsus hoc modo Noster, Tusc. Quæst. I, 32: « M. Num igitur est causæ, quin amicos nostros Stoicos dimittamus; eos dico, qui aiunt animos manere, e corpore quum excesserint, sed non semper. A. Istos vero ». Sed et in bonam partem valet, ut de Finib. I, 5: « Audiam, quid sit, quod Epicurum nostrum non tu quidem oderis ... sed certe non probes, eum, quem ego arbitror, unum vidisse verum ». Hott. — Non a vulgata recedendum credidimus.

3. *Cæli signa servantes.* I. e. observantes : verbum augurio proprium. Inf. 48 : « Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam Solus avem servat ». Hott. — Vide Servium ad Virgilii Georg. I, 205. Dav.

4. *Numeris et motibus stellarum cursus persequuntur.* Quibus, quæso, motibus stellarum cursus persequuntur hi viri? Permultum fallor, aut reponendum, « numeris stellarum cursus et motus persequuntur ». Geminus germanus est locus infra lib. II, cap. 6 : « Solis defectiones, itemque lunæ prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus et motus numeris persequuntur ». Julius Firmicus, Mathes. lib. 1, cap. 2 : « Ecce motus et cursus ejus (Saturni) per dies singulos horasque colligimus ». Dav. — Probat hanc correctionem Hottingerus. — *Numeris et motibus stellarum cursus persequuntur.* I. e. stellarum cursus tractant ἀριθμητικῶς et μηχανικῶς, ut motibus fit, secundum leges motus. Quæ emendatio si vera est, emendatione locus non eget. Rath.

5. *Aut imprudentiæ.* Recte, ut puto, Ernestius, post Lambinum, legendum suspicatur *impudentiæ*. Nam « impudentiæ erat, sæculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum esset, non pertimescere ». Rath.

6. *CCCC LXX millia annorum.* Frustra sunt Paullus Manutius et Fulvius Ursinus, qui mutandos hosce numeros censuere. Quamvis enim futilem prorsus et vanam horum jactantiam esse scimus; recta tamen est lectio recepta : rem enim ita se habere prædicabant Chaldæi. Diodorus Siculus, Bibl. lib. II, pag. 118 : Χαλδαῖοι ἀπὸ καὶ τετταράκοντα μυριάδας καὶ τρεῖς ἐπὶ ταύτας χιλιάδας (anni sunt 473000) εἰς τὴν Ἀλεξάνδρου διάβασιν γεγονέναι καταριθμοῦσιν, ἀφ' ὅτου τὸ παλαιὸν ἤρξαντο τῶν ἄστρων τὰς παρατηρήσεις ποιεῖσθαι. Lactantius, Div. Inst. lib. VII, cap. 14 : « Sequuti fortasse Chaldæos, qui, ut Cicero tradidit in libro de Divinatione primo (ad hunc ipsum locum respicit) quadringenta septuaginta millia annorum monumentis comprehensa se habere delirant ». Quin et idem numerus servatur infra lib. II, cap. 46. Dav.

Digitized by Google

laces : num etiam Graiorum historia mentita est? Quæ Crœso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quæ Atheniensibus, quæ Lacedæmoniis, quæ Tegeatis[7], quæ Argivis, quæ Corinthiis responderit, quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus, nec ullum sine locuplete auctore atque teste : quæ quia nota tibi sunt, relinquo. Defendo unum hoc: numquam illud oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset, neque tantis[8] donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis ætas oraculorum illorum veritatem esset experta. Jamdiu idem non facit[9]. Ut igitur nunc minore gloria 38
est, quia minus oraculorum veritas excellit; sic tum, nisi summa veritate, in tanta gloria non fuisset. Potest autem vis illa terræ[10], quæ mentem Pythiæ divino afflatu concitabat, evanuisse vetustate, ut quosdam exaruisse amnes[11], aut in alium cursum contortos et

7. *Tegeatis.* Ita emendarunt viri docti. Lectio vulgata erat *Taygetis;* nisi quod Ursinus antiquum librum commemorat, *Tegeatibus* legentem. Hott.

8. *Tantis donis. Tantis* dictum putem, pro *tot ac tantis:* nam *tantus*, et *quantus*, non magnitudinem solum, sed et multitudinem sæpius significare, satis notum est. Hott.

9. *Jamdiu idem non facit.* Ut nempe verum ac certum sit. Davisius edidit : « idem jamdiu non facit ». Atque ita habet ed. Cratand. Hott.

10. *Vis illa terræ.* Exhalationem terræ dicit, qua repletam et in furorem actam vatem oracula edere ferebant. Plin. Hist. Nat. II, 15 : « Alibi fatidici specus, inquit, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, ut Delphis, nobilissimo oraculo ». Conf. Justin. XXIV, 6, ubi ampla ornataque legitur oraculi Delphici descriptio. Hott. — Vide Strabonem, lib. IX, pag. 641; auctorem libri de Mundo, cap. 4. Plura congessimus ad cap. 36. Dav.

11. *Ut quosdam exaruisse amnes.* Ita Davisius et Ernestius ediderunt, MS Reg. Merton. et Guelf. atque edd. vett. sequuti. Lectio olim vulgata erat *evanuisse et exaruisse*, quod fuit sine dubio additamentum scioli cujusdam, cui placeret illa diligentia, « vim illam ... evanuisse, ut quidam amnes evanuerint » : quique haud videret, hanc diligentiam in verborum sono inesse, neque in sensu. Non enim ita *evanuerunt* amnes, ut spiritus ille, seu vapor *evanuit*. Amnes suppressis fontibus *disparuerunt*. Spiritus autem ipsa exhalatione absumptus *attenuatusque* periit. Hott. — Ad rem eadem fere φυσικα Plutarchi obversatur animo : de Orac. Defect. pag. 411, quem locum adeas. Dav.

Digitized by Google

deflexos videmus. Sed, ut vis, acciderit[12]; magna enim quæstio est : modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam perverterimus, multis sæculis verax fuisse id oraculum.

39 XX. Sed omittamus oracula, veniamus ad somnia. De quibus disputans Chrysippus, multis, et minutis[1] somniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quæ Antiphontis[2] interpretatione explicata, declarant illa quidem acumen interpretis; sed exemplis grandioribus[3] decuit uti. Dionysii mater ejus, qui Syracusiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem, et diligentem, et æqualem temporum illorum, quum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Satyriscum. Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ[4] tum in Sicilia nominabantur, responderunt (ut ait Philistus), eum, quem illa peperisset, clarissi-
40 mum Græciæ diuturna cum fortuna fore. Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Græcorum poeta-

12. *Sed, ut vis, acciderit.* Ursinus e MS aliquo hanc lectionem affert : *sed, ut ut vis*, etc. quod placet : est enim clarius lectione vulgata ; quæ tamen eodem sensu est accipienda. Hott. — Pal. pr. et secund. *occiderit*, quod salivam nonnullis movebit. GrutER.

XX. 1. *Minutis.* I. e. levioribus. Hott.

2. *Antiphontis.* Is erat Atheniensis, et Platonis σύγχρονος. Lucianus, loquens de quodam templo apud insulam Somniorum, hujusce templi sacerdotem ait esse Antiphontem. J. V. L.

3. *Exemplis grandioribus.* Dubitat Ernestius, an forte legendum sit *gravioribus*. Sed nihil mutandum. Plus inest in altero dignitatis. Ita Ovid. Trist. I, 3, 25 : « Si licet exemplis in parvo grandibus uti ». Hott.

4. *Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ.* Eliens. *interpretes somniorum.* Ipsam vero rem modo nonnihil diverso tradit Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, 7, extern. « Mater, inquit, Dionysii, quum eum conceptum utero haberet, parere visa est Satyriscum; consultoque prodigiorum interprete, clarissimum ac potentissimum Graii sanguinis futurum, certo cum eventu cognovit ». Nobis autem hi portentorum interpretes, sunt *Galeotæ*, prout olim dedit Victorius, non *Galleotæ*, quemadmodum vulgati. Stephanus Byzantius Γαλεῶται μάντεων εἶδος Σικελῶν. Ælianus etiam Γαλεωτῶν meminit; cujus adi, V. H. lib. XII, cap. 49. Dav.

Digitized by Google

rum? Narrat enim et apud Ennium Vestalis illa[5]:

Excita quum tremulis anus attulit artubu' lumen,
Talia commemorat[6] lacrymans exterrita somno:
Eurydica prognata, pater quam noster amavit,
Vires, vitaque corpu' meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amœna salicta
Et ripas raptare, locosque novos[7]. Ita sola
Postilla, germana soror, errare videbar,
Tardaque vestigare, et quærere te, neque posse
Corde capessere[8]: semita nulla pedem stabilibat[9].
Exin compellare pater me voce videtur 41
His verbis: O gnata[10], tibi sunt ante gerendæ[11]
Ærumnæ; post ex fluvio fortuna resistet[12].
Hæc pater effatus, germana, repente recessit,
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus;
Quamquam multa manus[13] ad cæli cærula templa

5. *Vestalis illa.* Hier. Columna conjecit *Ilia.* Et de Vestali Ilia hic sermonem esse, dubium nullum est. Neque vero ideo necessario sic est legendum. Nam, ut recte monet Ernestius, *illa* sign. clara illa Vestalis, quæ Romulum peperit. Hott. — I. e. clara illa Vestalis. Rath.

6. *Talia commemorat.* Nempe Vestalis, ut ex seqq. patet. Quod ideo moneo, quia interpres Francogallus perperam intellexit de anicula illa, quæ lumen attulit. Hott.

7. *Locosque novos.* Mihi ante non visos. Hott.

8. *Corde capessere.* I. e. invenire. Additum *corde* videtur indicare curam investigandi. Hott.

9. *Semita nulla pedem stabilibat.* I. e. nulla erat semita, quæ certum iter atque viam monstraret, cui pedes, sine vagi erroris metu, insisterent. Hott.

10. *O gnata.* Ita conjecit Lambinus, et in MS Reg. legit Davisius. Cum quo faciunt codd. E, O, U, et ed. Cratand. Vulgo, *cognata.* Hott.

11. *Tibi sunt ante gerendæ.* Vulgo isti versus hoc ordine edebantur: « tibi sunt ante gerendæ. Hæc pater effatus, germana, repente recessit. Ærumnæ post: ex fluvio fortuna resistit ». Sed versum medium eo loco reposuit Davisius, quem edd. vett. et res ipsa vindicant. Idem *gerendæ*, pro *gerenda*, *resistet*, pro *resistit*, dedit; utrumque firmantibus et MSS nonnullis et edd. vett. ut codd. E, O, U, et Guelf. atque ed. Cratand. Denique pro, *hæc pater effatus*, codd. Oxonienses iidem, cum Victorian. et ed. Crat. habent, *hæc effatu' pater*, quod Ennianum, recte, ut puto, judicat Gronovius. Hott.

12. *Post ex fluvio fortuna resistet.* Pertinent hæc ad infantes expositos, quos flumen terræ reddidit. Hott.

13. *Multa manus.* Hic, noto satis hellenismo, *multa* valet multum. Virgilius, Georg. III, 206: « Multa gemens ignominiam plagasque superbi Victoris ». Idem IV, 320: « Multa

Digitized by Google

Tendebam lacrymans, et blanda voce vocabam.
Vix ægro tum corde meo me somnu' reliquit.

XXI. Hæc, etiam si ficta sunt a poeta, non absunt
42 tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commentitium, quo Priamus est conturbatus,

Quia mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba : quo facto pater
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus [1], curis [2] sumptus [3] suspirantibus,
Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum conjectorem [4] postulat, pacem petens [5],
Ut se edoceret [6] obsecrans Apollinem,
Quo sese vertant [7] tantæ sortes somnium [8].
Ibi ex oraclo voce divina edidit [9]

querens, atque hæc adfatus voce parentem ». Sic et alii scriptores optimi. Vide Statium, Theb. II, 635, et Joan. Vorstium ad Sulpicii Severi Hist. Sacr. lib. I, cap. 4. Dav.

XXI. 1. *Mentis metu Perculsus.* Lambinus legendum censuit *mentem*. Contra quem *mentis perculsus*, ita dici posse, ut « perculsus animi, suspensus animi, etc. » monent Gulielmus et Davisius. Hott.

2. *Curis ... suspirantibus.* Paullo insolentius dictum pro, *curis anxiis*. Hott.

3. *Sumptus.* Dictum videtur pro, *consumptus*. Vid. Davis. Ita recte legunt plures MSS, quum olim male ederetur *sumptis*. Hott.

4. *Conjectorem.* Refero ad Apollinem ; quo pacto et *vates* et *augur* dicitur a poetis. Nam ne proprie de *conjectore* a. somniorum interprete accipiamus, vetant sequentia, quibus dicitur ipse Apollo respondisse. Ceterum Pall. omnes, S. Victoris exemplar Paris. Oxonienses, itemque, quod forsan lectorem non parum movebit, Davisii codd. omnes habent, *conjecturam*. Hott.

5. *Pacem petens.* Formula in sacrificiis solemnis. Vid. Brisson. de Formulis, etc. I, 138. Hott.

6. *Edoceret.* Plures codd. quos memorat Davisius, *doceret*. Hott.

7. *Quo sese vertant.* Quid spectent, quam vim habeant. Hott.

8. *Tantæ sortes somnium.* Somnium, quod videretur res gravissimas portendere. Hott.

9. *Oraclo voce divina edidit.* Legendum videtur, *ex oraclo vocem divinam edidit*, quemadmodum dicere repræsentat Elienus. Vide Phædrum, lib. I, Fab. XII, 12, et Agellium, N. A. XII, 5. Quod autem Apollini tribuit poeta, id alii Æsaco, alii Herophilæ, alii denique aruspicibus adscribunt. Vide sis interpretes ad Dictyn, III, 26. Dav. — MS Elienus *vocem divinam*, quod placet Davisio. Sed et lectio vulgata recte habet, et defensa est exemplis a Wopkensio in Lectt. Tull. Hott. — Cum Davisio maluerim *vocem divinam*. Rath.

Digitized by Google

Apollo; puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus, temperaret tollere [10];
Eum esse exitium Trojæ, pestem Pergamo.

Sint hæc, ut dixi, somnia fabularum; hisque adjungatur etiam Æneæ somnium: quod in Numerii [11] Fabii Pictoris Græcis annalibus ejusmodi est, ut omnia, quæ ab Ænea gesta sunt, quæque illi acciderunt, ea fuerint, quæ ei secundum quietem visa sunt. 43

XXII. Sed propiora [1] videamus. Cujusnam modi est Superbi Tarquinii somnium, de quo in Bruto [2] Attii loquitur ipse?

Quum jam quieti corpus nocturno impetu [3] 44
Dedi, sopore placans artus languidos;
Visum est in somnis pastorem [4] ad me appellere [5],

10. *Temperaret tollere.* I. e. caveret. Ita emendavit Sigonius; ejusque conjectura confirmata est cod. Isaaci Vossii; cujus vid. not. ad Pomp. Melam, I, 8. Proxime accedit Pal. sec. ita legens: *temptaret tollere.* Plures alii: *tempora et tollere.* Lectio vulgata hæc fuit: « Post illa natus tempora, hunc si tolleret ». Hott. — *Temperaret tollere.* Ita Agellius, XVI, 19, « ut ei necem adferre per vim suis manibus temperarent». Plura J. B. Gronovius, Observ. II, 20. Dav.

11. *In Numerii Fabii.* Sic restituit lectionem Sigonius. Antea *in numerum Fabii*, aut *innumerum Fabii* legebatur. Hott. — Tres Fabii Pictores fuere, clari omnes antiquitatis notitia, Quintus, Numerius, Servius; quorum antiquissimus Quintus. Nominantur a Livio, Agellio, Macrobio, Orosio, Nonio, Cicerone. P. Manutius.

XXII. 1. *Propiora videamus.* Propiora veteribus opponuntur, infra II, 9, « abeamus a fabulis; propiora videamus». Ratz.

2. *De quo in Bruto Attii*, etc. Eam esse veram lectionem monuit Camerarius. Vulgo: « de quo in Bruto Accius loquitur ipse ». Pro *Accii* vero dedi *Attii*, quemadmodum scribendum esse hoc nomen monuit Christ. Saxius, V. Cl. in Onomast. lit. I, 138. Hott.

3. *Nocturno impetu.* I. e. noctu: quum cælum vertens, sidera, eumque his noctem extulisset. Virg. Æneid. II, 250: « Vertitur interea cælum et ruit Oceano nox ». *Cæli impetum ingentem*, pro cælo magno impetu se circumagente dicit Lucretius, V, 201. Conf. Cic. de Nat. Deor. II, 38. Hott.

4. *Visum est in somnis pastorem*, etc. Eam lectionem Ernestius revocavit. Recte, ni fallor. Quis primum dederit *pastorem*, nescio. Nam libri scripti editique plerique habent, « visum est in somnis pastor ». Unde alii huic casui verbum accommodantes fecerunt *visus*, vel *visu'st*. Ita vero sequentia nullum habent verbum, e quo pendeant. Nam *visu'st* et *eligi* jungi non possunt. Hott.

5. *Ad me appellere*, *Duos consan-*

Digitized by Google

Duos consanguineos arietes inde eligi,
Pecus lanigerum eximia pulchritudine,
Præclarioremque alterum[6] immolare me;
Deinde ejus germanum cornibus connitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari;
Exin prostratum terra graviter saucium,
Resupinum, in cælo contueri maximum ac[7]
Mirificum facinus; dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier[8] cursu novo.

45 Ejus igitur somnii a conjectoribus quæ sit interpretatio facta, videamus:

Rex, quæ in vita usurpant[9] homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea si cui in somno accidunt[10],
Minus mirum est[11]; sed in re tanta haud temere improviso offerunt[12].

guineos, etc. Muretus versus ita transponendos voluit, quod sequuti sunt plerique editores: « ad me appellere Pecus lanigerum eximia pulchritudinem: Duos consanguineos, etc. » quem sequuti sumus. Ordinem libri editi vett. et scripti omnes tenent. Illud pro ordine vulgato afferri posse videtur, quod ab *eximia pulchritudine*, arietes potius illos, quam gregem universum laudari, poetæ consilium, et somnii ratio postulabat. *Appellere* autem absolute etiam dicitur. Vid. Gesn. in *thesauro* s. h. v. Ernestius nihil mutavit. Hott.

6. *Præclarioremque alterum*, etc. Pertinent hæc ad L. Junii Bruti fratrem, quem Tarquinius interfecit. Liv. I, 56. Hott.

7. *Maximum ac Mirificum facinus*. Sic edidi jubente metro. Vulgo conjunctio, quam in prioris versus fine posui, sequentem incipit. Eo tamen modo violatur lex pedaria. Dav.

8. *Liquier*. Nonnulli codd. legunt *linquier*, quod Grutero rectius videtur; ego autem non intelligo. Davisius conjecit, *nitier*. Sed emendatione nulla opus. Recte enim, Ernestius int. *delabi* et quasi *defluere*. Sic Lucret. II, 1131: « In partem pejorem liquitur ætas ». Hott.

9. *Usurpant*. Complectitur hoc verbum sequentia omnia. Pertinet enim ad omnem vitæ usum atque experientiam. Hott. — De re ipsa vide Hieronymum Columnam ad Ennii frag. p. 4, et nos ad lib. II, cap. 62. Dav.

10. *Accidunt*. Obversantur, sese offerunt. Nam ita hoc verbum intelligendum est, ut *sonus* dicitur auribus, vel ad aures *accidere*. *Accidant* præstulit Davisius e MSS Paris. Med. Balliol. et Cantab. Vulgo, *accidunt*. Hott.

11. *Minus mirum est*. Plerique codd. *minus mirandum est*. Alterum viri docti metri causa prætulerunt. Hott. — Refragantibus omnibus nostris. Dav.

12. *Haud temere improviso offerunt*. Dubium nullum est, quin hæc depravata sint. Codd. autem in hanc labem conspirant, præter Cantab.

Digitized by Google

Proin vide, ne, quem tu esse hebetem deputes æque ac pecus[13],
Is sapientia munitum pectus egregium gerat,
Teque regno expellat. Nam id, quod de sole ostentum[14] est tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore
Perpropinquam[15]: hæc bene verruncent[16] populo. Nam quod ad dexteram[17]
Cepit cursum ab læva signum præpotens[18]; pulcherrime
Auguratum est, rem romanam publicam summam fore.

XXIII. Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in[1] somnis 46

improviso se offerunt, atque Eliens. *temere visa afferunt* legentes. Inde Davisius, præeunte J. G. Vossio, ita emendandum censet: « haud temere visa se offerunt »: quod probo. Fuit tamen, quum potius existimarem sic legendum: « haud temere invisa se offerunt ». Tum conjectores nimirum hoc dicerent: « Mirum non est, somnia nobis referre ea, quæ vigilantes egimus aut vidimus. Sed si non visa, non gesta offerunt, illud quidem, præsertim in re magna, h. e. si rem novam ac singularem nobis objiciunt, haud temere fieri censendum est ». Hott.

13. *Hebetem ... æque ac pecus.* « Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiæ, quum se suaque prædæ esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen: ut sub ejus obtentu cognominis, liberator ille populi romani animus latens, opperiretur tempora sua ». Livius, I, 56. Hott.

14. *Ostentum est.* Plures alii, *ostensum*. Sed illud rarius est, adeoque magis poeticum. Hott.

15. *Perpropinquam.* Ita Turnebus sensu perquam commodo, conjecit, atque edidit Davisius, qui in MSS Eliens. Merton. et Balliol. reperit *propinquam*. Lectioni Turneb. favere etiam videntur E. et U. Vulgo male sic voces distrahebantur: « Portendit fore. Propinqua hæc bene verruncent populo ». Hott.

16. *Verruncent.* I. e. vertant, pro quo sæpius illud poetæ antiqui dixerunt. Vid. Brisson. de Formul. I, 90. Hott. — Olim *averruncent*, quod absurdum. Significationem verbi *verruncent* illustravit egregie J. F. Gronovius ad Livii lib. XXIX, cap. 27. Dav.

17. *Nam quod ad dexteram.* Nepos Creticus in versu sit trochaico, G. J. Vossius ad Fragm. Trag. pag. 110, legit, « nam quod dexterum Cepit cursum »; vel, trajecto præverbio, *nam ad quod dexteram*. Sed nescius erat vir ille magnus, voces *quod ad* apud poetas dramaticos unius tantum syllabæ locum crebro tenere. Multis id exemplis probavit Chr. Wasius de Senar. cap. 13, pag. 166 seqq. Dav.

18. *Signum præpotens.* Sol dicitur ob eximiam ejus quum magnitudinem, tum vim. Hott.

XXIII. 1. *In somnis.* Ita dedit Lambinus atque in codd. pluribus legerunt Davisius et Ernestius. Vulgo, *in somniis*, contra consuetudinem latinam. Hott.

Digitized by Google

simulacra deorum, quæ ipse Phalaris[a] domi consecravisset; ex his Mercurium e patera, quam dextra manu teneret, sanguinem visum esse fundere; qui quum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium immanis filii crudelitas comprobavit. Quid ergo, quæ magi Cyro illi principi[3] interpretati sunt, ex Dinonis Persicis libris[4] proferam? Nam quum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum, scribit, frustra appetivisse manibus, quum se convolvens[5] sol elaberetur, et abiret: ei magos dixisse (quod genus sapientum et doctorum habebatur in Persis[6]), ex triplici appetitione solis, XXX annos Cyrum regnaturum esse, portendi. Quod ita contigit[7]: nam ad septuagesimum
47 pervenit, quum XL natus annos regnare cœpisset. Est

2. *Quæ ipse Phalaris.* Ita legendum censuit Davisius, atque edidit Ernestius. Lectio vulgata hæc fuit, *quæ ipsa Phalaris*. Balliol. vero habet, *quæ ipse Phalaridis*. Codd. Reg. et Cantab. *ipsa* omittunt: Pithœanus vero *Phalaris* non habet, quod ut glossema delendum puto. HOTT.

3. *Cyro illi principi.* Cyrum majorem dicit, regni Persarum conditorem: eo enim pertinet vox *principi*. HOTT.

4. *Ex Dinonis Persicis libris.* Vocem *libris*, ut manifestum glossema, delevit Davisius, uncinis inclusit Ernestius, quod Dinonis non βίβλους Περσικὰς, sed Περσικὰ laudant Athenæus, Diogenes Laertius et alii scriptores. HOTT.

5. *Quum se convolvens sol.* Postrema vox multo elegantius abesset, quum et paullo ante legatur, et mox iterum occurrat. Immo non tantum inest, sed prorsus tolerari nequit, ob præcedens pronomen *eum*, item ad *solem* referendum. Quæ enim ista latinitas? « quum ei sol visus esset, ter eum (sc. solem) appetivisse, quum sol elaberetur? » HOTT.

6. *Quod genus sapientum ... in Persis.* Hoc, ut puto, nec Cicero frater, nec Romanorum doctior quisquam ignorabat. Itaque verba ista glossematis mihi simillima videntur. HOTT. — De re vide Baru. Brissonium de Reg. Persarum, II, 54 seqq. et Rich. Montacutium, Orig. Eccles. part. I, pag. 167. DAV.

7. *Quod ita contigit: nam ad septuagesimum pervenit.* Ita quidem plerique. Vide Photium, cod. LXXII, col. 112, et Justinum, lib. I, cap. 8, 14. Sed pro Herodoti mente lib. I, cap. 214, Cyrus τελευτᾷ βασιλεύσας ἐνὸς δέοντα τριήκοντα ἔτεα. At Cyrus « uno et triginta annis rerum potitus est », ut ait Sulpicius Severus, H. S. II, 9. Quin et eum ἑκατονταέτη γενόμενον excessisse vita tradit Lucianus Macrob. tom. II, pagg. 470, 471. Hunc ipsum locum adi. DAV.

Digitized by Google

profecto quiddam etiam in barbaris[8] gentibus præsentiens atque divinans : siquidem ad mortem proficiscens Calanus Indus, quum adscenderet[9] in rogum ardentem, « O præclarum discessum, inquit, e vita ! quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, in lucem[10] animus excesserit ». Quumque Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret[11] : « Optime, inquit ; propediem te videbo[12] ». Quod ita contigit : nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somniis; ad quæ mox revertar. Qua nocte templum[13] Ephesiæ Dianæ deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum, atque, ubi lucere cœpisset, clamitasse magos, pestem ac perniciem Asiæ proxima nocte natam. Hæc de Indis et magis. Redeamus ad somnia.

XXIV. Hannibalem Cœlius[1] scribit, quum colu- 48
mnam auream, quæ esset in fano Junonis[2] Laciniæ,

8. *In barbaris.* H. l. non exteris, ut sæpe, sed humanitatis cultu carentibus. Ipsum Calanum *indoctum et barbarum* vocat, Tusc. II, 21. Hott.

9. *Quum adscenderet. Inscenderet* Davisius edidit, e Pal. pr. S. Victoris, Paris. et Med. Eodem ducunt E et U, *incederet*, atque O, *incenderet* legentes. Vulg. *adscenderet.* Hott.

10. *In lucem.* I. e. in vitam, quam *lucem* appellat, quum animus e corpore, tamquam e carcere tenebricoso fuerit emissus. Hott.

11. *Ut diceret.* Conjunctionem E non agnoscit. Hott.

12. *Propediem te videbo.* Nostrum sequitur Valerius Maximus, lib. I, cap. 8, 10 extern. Paullo aliter Arrianus de Exped. Alex. lib. VII, 18. Vide sis et Plutarch. in Alex. pag. 703, c. Dav.

13. *Qua nocte templum.* Vid. Plut. p. 665, F. Dav.

XXIV. 1. *Cœlius.* L. Antipater Cœlius, qui belli secundi Punici scripsit historiam. De quo vid. in prim. Cic. de Orat. II, 12, 13. Hott. — Et de Oratore, cap. 69.

2. *Junonis Laciniæ.* De hoc templo pluribus agit Livius, XXIV, 3, ubi et hujus columnæ aureæ docet originem his verbis : « Lucus ibi frequenti silva, et proceris abietis arboribus septus : læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum deæ pascebatur pecus sine ullo pastore : separatimque egressi cujusque generis greges nocte remeabant ad stabula; numquam insidiis ferarum, non fraude violati hominum. Magni igitur fructus ex eo pecore capti, columnaque aurea solida facta, et sacrata est ». Ejusdem Livii auctoritate lectio *Laciniæ* firmatur, quum plerique codd. habeant *Liciæ*, *Lyciæ*, vel *Luciæ*. Hott. —

Digitized by Google

auferre vellet, dubitaretque, utrum ea solida esset, an extrinsecus inaurata, perterebravisse; quumque solidam invenisset, statuissetque tollere[3], ei secundum quietem visam esse Junonem prædicere[4], ne id faceret, minarique, si id fecisset[5], se curaturam, ut eum quoque oculum, quo bene videret[6], amitteret; idque ab homine acuto non esse neglectum: itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse fa-
49 ciendam, et eam in summa columna[7] collocavisse. Hoc item in Sileni[8], quem Cœlius sequitur, Græca historia est, is autem diligentissime res Hannibalis persequutus est: Hannibalem, quum cepisset Saguntum[9], visum

Hoc templum situm erat in magna Græcia, in promontorio Lacinio, Nunc *il Capo delle Colonne*. J. V. L.

3. *Statuissetque tollere*. Pall. primus et sec. Eliens. atque E, O, U, legg. *statuisse tollere;* quod receptum in priori edit. Davisius, in altera mutavit. Hott.

4. *Junonem prædicere*. Ernestius verbum hoc, inquit, non videtur aptum; nam prædictio sequitur. Quare putat legendum *edicere*. Immo hoc verbum non modo est futura ante denuntiantis, sed saepissime etiam vel monentis, vel vetantis. Nepos, 2, 7: « Cum his collegas suos Themistocles jussit proficisci; eisque prædixit, ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus ». Plura ibi dabit Boeius. Hott.

5. *Si fecisset*. Vulgo, *si id fecisset*. Sed mediam vocem Paris. et Med. haud agnoscent, nec eam postulat oratio. Dav.

6. *Eam quoque oculum, quo bene videret*. Malim *videbat*, ut habent Reg. et Cantab. Apuleius de Deo Socratis, p. 675: « Horum enim (Dæmonum) munus et opera atque cura est, ut Hannibali somnia orbitatem oculi comminentur ». Hannibalem vero μονόφθαλμον fuisse liquet ex Polybii lib. III, cap. 79; Livii lib. XXII, cap. 2; Scholiaste Juvenalis ad Satir. X, 158, aliisque quam plurimis. Dav. — *Videbat* malit Davisius, ego non. Hott.

7. *In summa columna*. Quidam: « in summo columnæ ». Recepta lectio Davisio magis arridet, et merito. Sic Noster « in summo sepulchro sphæram esse positam » dixit Tusc. V, 23. — Similiter *ab infimo ara* infra I, 33. Rath.

8. *Hoc item in Sileni*. Nisi forte in sequentibus aliquid excidit, hoc loco legendum videtur, *hoc item*, vel *itidem*, quemadmodum Lambinus probante Davisio conjecit. Nam hæc sunt referenda ad sequentia. Hott.

9. *Hannibalem, quum cepisset Saguntum*. Mutatis quibusdam nullius fere momenti circumstantiis, hanc fabulam narrant Livius, lib. XXXI, cap. 22; Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, 1, extern. Zonaras, Annal. lib. VIII, cap. 22, et, quem utpote postam maxime decet, Silius Italicus, lib. III, 163, seqq. Dav.

Digitized by Google

esse in somnis a Jove in deorum concilium vocari; quo quum venisset, Jovem imperasse, ut Italiæ bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum; quo illum utentem, cum exercitu progredi cœpisse; tum ei ducem illum præcepisse, ne respiceret; illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate respexisse; tum visam belluam vastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere; et eum admiratum quæsisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum; et deum respondisse, vastitatem esse Italiæ, præcepisseque, ut pergeret protinus[10]; quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret[11]. Apud Agatho- 50
clem[12] scriptum in historia est, Hamilcarem Carthaginiensem, quum oppugnaret Syracusas[13], visum esse audire vocem, se postridie cœnaturum Syracusis; quum autem is dies[14] illuxisset, magnam seditionem in castris ejus inter Pœnos et Siculos milites esse factam; quod quum sensissent Syracusani, improviso eos in castra irrupisse, Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium comprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. At vero P. Decius ille, Q. F. qui primus e Deciis consul 51
fuit[15], quum esset tribunus militum M. Valerio, A. Cor-

10. *Protinus.* Id est, ulterius, recta via. Liv. XXI, 22: « Pergeret porro ire ». Hott.

11. *Ne laboraret.* Reg. *nescire laboraret:* i. e. *ne scire:* quo tamen nihil opus. Hott. — Hæc loquendi ratio hoc idem denotat quod, ne curaret, non esset sollicitus. Dav.

12. *Agathoclem.* Duos novimus historiæ scriptores hoc nomine dictos; priorem Babyloniensem, alterum Samiensem. Vossius, de Hist. Gr. lib. III, p. 158, credit hoc loco agi de Babyloniensi. J. V. L.

13. *Oppugnaret Syracusas.* Hanc historiam narrat Diodorus Siculus, qui tamen a Cicerone diversus abit, l. XX, pag. 767. Nostrum sequitur Valerius Maximus, lib. I, cap. 8 extern. Dav.

14. *Quum autem is dies.* Pronomine facile, ut puto, caremus. Hott.

15. *Consul fuit.* Davisius tacite ordinem mutavit, sic edens, *fuit consul.* Hott.

Digitized by Google

nelio consulibus, a Samnitibusque premeretur noster exercitus, quum pericula præliorum iniret audacius, monereturque, ut cautior esset, dixit, quod exstat in annalibus : sibi in somnis[16] visum esse, quum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxima gloria. Et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit. Post triennium autem, quum consul esset, devovit se[17], et in aciem Latinorum irrupit armatus. Quo ejus facto superati sunt et deleti Latini : cujus mors ita gloriosa fuit, ut eamdem concupisceret
5, filius[18]. Sed veniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum.

XXV. Est apud Platonem Socrates, quum esset in custodia publica, dicens Critoni, suo familiari[1], sibi post tertium diem esse moriendum; vidisse se in somnis[2] pulchritudine eximia feminam, quæ se nomine appellans diceret Homericum quemdam ejusmodi versum :

16. *Sibi in somnis.* Sic recte Paris. Merton. Med. Cantab. et Reg. nam vulgo perperam *somniis*. Licet autem bello Samnitico fortissime se gesserit P. Decius, non tamen tum temporis hoc accidisse somnium memorant auctores : sed « eadem nocte duo consules P. Decius Mus et T. Manlius Torquatus Latino bello somnium viderunt. Utrique enim quidam per quietis speciem prædixit ex altera acie imperatorem, ex altera exercitum, Diis Manibus Matrique Terræ deberi : utrius autem dux copias hostium aggrederetur, superque eas sese ipsum devovisset, victoriam habiturum ». Quod quum ita esset, se devovit Decius. Vide Valerium Maximum, lib. I, cap. 7, 3 ; et Livium, lib. VIII, cap. 6, 9. Dav.

17. *Devovit se.* Ut victoriam suis conciliaret, velato capite se in medios hostes conjecit. Nota res est. Omnem formulam devotionis refert Livius, VIII, 9. Hott.

18. *Ut eamdem concupisceret filius.* Quin et nepos « se e continenti genere tertium victimam reip. præbuit », ut ait Noster, Fin. lib. II, c. 19. Adi eis et Tusc. I, 37. Dav.

XXV. 1. *Critoni, suo familiari.* In quidem se res habet, ut constat ex Platonis Critone, pag. 370. Ergo memoria lapsus est Diogenes Laertius, qui lib. II, § 35, hoc Æschini dictum tradit. Vide Chalcidium, p. 372. Dav.

2. *Vidisse se in somnis.* Davisius e cod. Reg. et Cantab. edidit, « vidisse enim se », particulam causalem connectendæ orationi necessariam putans; qua opus non est. Nam sæpe omittitur, ubi per se potest intelligi. Vid. Wopkens. Lectt. Tull. p. 43, seq. — Pro *vidisse se*, E habet, *indicasse*. Herr.

Digitized by Google

Tertia te Phthiæ[3] tempestas[4] læta locabit.

Quod ut est dictum[5], sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus, qui vir et quantus? in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia[6]; quorum eventus mirabiles exstiterunt. Mentiri 53
Xenophontem, an delirare dicimus? Quid? singulari vir ingenio Aristoteles, et pæne divino, ipsene errat, an alios vult errare? quum scribit, Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quæ erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur[7]; in eo igitur oppido ita graviter ægrum

3. *Tertia te Phthiæ*, etc. Legitur iste versus apud Homer. Iliad. IX, 353, hoc modo: Ἥματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην. Atque hæc ibi de se dicit Achilles. Jam quærit ad hæc Lambinus, quid Phthia, urbs Thessaliæ, Achillis patria commune habeat cum morte, et qua ratione Socrates hoc versu præmoneatur, se tertio die moriturum esse. Atque ipse cum Simeone Bosio putat, per *Phthiam* mortem et interitum significari, a φθίνω, vel φθίω, *intereo*, *consumor*. Quod quidem, quamquam et Davisio probari video, tamen argutius, quam verius est cogitatum. Omnino vera est Jortini sententia, qui in Miscell. Obs. vol. III, tom. I, hæc de reditu in veram suam sedem atque patriam (sic enim de morte Socrates judicabat) intelligenda putat, illa laudans verba, quæ paullo post in hoc ipso capite sic leguntur: « ita illud somnium esse interpretatum, ut, quum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur ». Hott. — Hanc interpretationem probant Rathius, necnon J. V. L.

4. *Tempestas*. Pro *dies* rarius posita. Similiter, ut puto, Plautus, Mostell. I, 1, 17: « Cis hercle paucas tempestates, Tranio, Augebis ruri numerum, genus ferratile ». Hott.

5. *Quod ut est dictum*. Davisii codd. non agnoscunt particulam *ut*, et ab Reg. sequens verbum abest. Ex quo ille sic putat legendum: « quod sic scribitur contigisse. » Ego nihil mutaverim. Hott.

6. *Sua scribit somnia*. Lucianus in Somn. pag. 11, 12: Μὴ ὀνείρων τινῶν ἡμᾶς ὑποκριτάς τινας ὑπελίπφεν; Οὐκ, ἃ ἀγαθέ· οὐδὲ γὰρ ὁ ΞΕΝΟΦΩΝ ποτε διηγούμενος τὸ ἐνύπνιον, ὡς ἐδόκει αὐτῷ καὶ ἐν τῇ πατρῴᾳ οἰκίᾳ, καὶ τὰ ἄλλα· ἴστε γὰρ οὐχ ὑπόκρισιν τὴν ὄψιν, οὐδὲ ὡς φλυαρεῖν ἐγνωκὼς αὐτὰ διεξῄει, καὶ ταῦτα ἐν τῷ πολέμῳ καὶ ἀπογνώσει πραγμάτων, περιεστώτων πολεμίων· ἀλλά τι καὶ χρήσιμον εἶχεν ἡ διήγησις. Respicit autem Samosatensis ad Xenophontem de Exped. Cyri, lib. III, c. 1, § 9. Aliud somnium refert idem scriptor elegantissimus, lib. IV, c. 3, 7. Plurimum vero, nisi fallor, in hisce libris non meminit. Dav.

7. *Crudeli dominatu tenebatur*. Ita legunt codd. atque edidit Lambinus,

Digitized by Google

Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderint; ei visum in quiete egregia facie juvenem dicere, fore, ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita [8] quidem prima statim, scribit Aristoteles, consequuta; et convaluisse Eudemum; et ab uxoris fratribus [9] interfectum tyrannum; quinto autem anno exeunte, quum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, prælianteṁ eum ad Syracusas occidisse: ex quo [10] ita illud somnium esse interpretatum, ut, quum animus Eudemi e corpore excesserit, tum
54 domum revertisse videatur [11]. Adjungamus philosophis doctissimum hominem, poetam quidem divinum, Sophoclem: qui, quum ex æde Herculis patera [12] aurea gravis surrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem, qui id fecisset [13]. Quod semel ille, iterumque

quum antea legeretur, *premebatur*. Hottr.

8. *Ita*. Conj. Davisius *ista*. Non bene, ut videtur.

9. *Ab uxoris fratribus*. Diodorus Siculus, Bibl. lib. XVI, pag. 417: Ἀλέξανδρος ὁ Φερῶν τύραννος ὑπὸ τῆς ἰδίας γυναικὸς Θήβης καὶ τῶν ταύτης ἀδελφῶν Αυκόφρονος καὶ Τισιφόνου ἐδολοφονήθη. Tertium fratrem, nomine Pytholaum, iis accenset Plutarchus in Pelop. p. 297. Theben solam memorant Noster de Invent. lib. II, cap. 49, ac de Offic. lib. II, cap. 7; Valerius Maximus, lib. IX, cap. 13, 3, ext. et alii. Dav.

10. *Ex quo*. Sc. eventu. Hottr.

11. *Revertisse videatur*. Ernestius legendum putat *videretur*, quia nimirum præcessit *esse interpretatum*. Sed nil mutandum. Ita de Off. I, 11: «Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiæ sacramento». Eam lectionem e libris antiquioribus Heusingerus revocavit, pro vulg. *obligaret*. Add. Sall. Cat. 34, init. Hottr. — Ad rem; eodem modo loquitur Clemens Alexandrinus, Strom. lib. VII, pag. 869. Eadem quoque legantur apud Eusebium, H. E. III, 30. Nimirum, ut ait Æschines in Axioch. c. 3: Τὸ κοινὸν δίκτυον τοῦτο καὶ πρὸς ἁπάντων θρυλλούμενον, πορισπιδημία τίς ἐστι ὁ βίος. Vide sis interpretes in Epist. ad Hebræos, cap. 1, 9, 10, quibus adde quæ congessit Th. Gatakerus in Antonini lib. II, § 17. Dav.

12. *Patera aurea*. Non pateram auream, sed στεφάνην χρυσῆν, coronam auream, ab arce subreptam tradunt auctor vitæ Sophocleæ et Tertullianus de Anima, cap. XLVI. Dav.

13. *Qui id fecisset*. MS E. atque edit. Crat. legg. *quis fecisset*. Vulgatam retinendam puto. Hottr.

Digitized by Google

neglexit. Ubi idem sæpius, adscendit in Areopagum [14]; detulit rem. Areopagitæ comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is, quæstione adhibita [15], confessus est, pateramque retulit. Quo facto, fanum illud Indicis Herculis [16] nominatum est.

XXVI. Sed quid ego Græcorum? Nescio, quo modo 55
me magis nostra delectant. Omnes hoc [1] historici, Fabii, Gellii, sed proxime Cœlius [2]. Quum bello Latino ludi votivi [3] maximi [4] primum [5] fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque, ludis intermissis, instaurativi [6] constituti sunt. Qui antequam fierent, quum-

14. *Areopagum.* Davisius e nonnullis codd. legi vult *Arium pagum*, quod et Græci passim dicunt Ἄρειον πάγον. Contra quem Wopkens. in Lectt. Tull. monet, Ciceronem ubique *Ariopagum* una voce dicere. Hott. — Hac de voce vid. Heusing. ad Ciceron. Offic. I, 22, 4. Rath. — *Detulit rem.* Valkenarius ad Herodot. p. 641, legendum censuit, *detulit reum*, recte improbante Ernestio, maxime ob sequentia : « Areopagitæ comprehendi jubent eum, qui a Sophocle erat nominatus ». Hott.

15. *Quæstione adhibita.* Davisius ex MSS Reg. et Cantab. edidit, *quæstione habita*, quod sibi non liqueret, alteram lectionem latinam esse. Ernestius vero de eo non dubitat. Omnino, si per *quæstionem* intelligantur *tormenta*, res dubia non erit, sed minus fortasse, si de simplici dicatur *inquisitione*. Hott. — Non dubito quin *adhibita* rectum sit. Rath.

16. *Fanum illud Indicis Herculis.* Hesychius, Μηνυτὴς Ἡρακλῆς ἐν Ἀθήναις. At anonymo in vita Sophoclis cum Cicerone non convenit; is enim tradit ipsum Sophoclem λαβόντα τὸ τέλαντον, ἱερὸν ἱδρύσασθαι ΜΗΝΥΤΟΥ ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. Vide Pet. Victorium, Var. Lect. l. IV, c. 21, et Joan. Meursium, Athen. Attic. lib. II, cap. 10. Dav.

XXVI. 1. *Omnes hoc.* Pronomen refertur ad sequentia, ut supra c. 24 : « Hoc... in Sileni... historia est... » Ed. Cratand. habet, *hæc*. Hott.

2. *Sed proxime Cœlius.* Pearcius, sensus, inquit, est, ætas Cœlii ei facto proxima fuit. Falso : nam factum antiquissimum est : Q. autem Fabius Pictor Cœlium centum fere annis ætate antecedebat. Itaque hoc dicit: Cœlium inter illos, qui istam rem tradiderint, esse recentissimum. Hott.

3. *Ludi votivi* dicebantur, quos imperator victoriæ causa vovisset. Hott.

4. *Maximi.* Iidem, Romani magni, Circenses varie appellati. Vid. Liv. I, 35. Hott.

5. *Primum.* Tum scil. primum, quippe quum fuerint repetendi. Hott.

6. *Instaurativi.* Hi quoque manserunt. Nam « ex senatusconsulto et Mævia lege, ad propitiandum Jovem, additus est illis Circensibus dies, qui instauratitius dictus est ». Macrobius, Saturn. I, 11. Hott.

Digitized by Google

que jam populus consedisset, servus per circum, quum virgis cæderetur, furcam [7] ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano [8] dormienti visus est venire, qui diceret, præsulem [9] sibi non placuisse ludis, idque ab eodem jussum esse eum senatui nuntiare; illum non esse ausum. Iterum esse idem visum [10], et monitum, ne vim suam experiri vellet; ne tum quidem esse ausum. Exin filium ejus esse mortuum; eamdem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum, rem ad amicos detulisse; quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum; quumque

7. *Furcam.* Ridiculum est, quod editio Oxoniensis in textu, operarum sine dubio errore, *furcam* legens, in variis lectionibus *furcam* refert, et quidem ex uno MS ψ. Putares codd. illos conferendi munus demandatum fuisse homini, nec diligenti illi, et sane minime latine docto. Hott.

8. *Cuidam rustico Romano.* Hujusce viri nomen haud efferunt Arnobius, lib. VIII, pag. 306, et Minucius Felix, Octav. cap. 7; Dionysio quidem Halicarnassensi, lib. VII, c. 68; Plutarcho in Coriolano, pag. 225, et Augustino, C. D. IV, 26, VIII, 13, *Titus Latinus* vel *Latinius* appellatur: Macrobio vero, Saturn. lib. I, c. 11, *Annius.* At eum *Tib. Atinium* recte, puto, vocant Livius, lib. II, cap. 36; Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, et Lactant. Div. Inst. lib. II. Dav.

9. *Præsulem.* Id est, præsultorem, quod ipsum edd. ante Gruterum occupavit. Sed alterum in MSS ipse Gruterus, aliique legerunt. Hott. — *Præsulem sibi non placuisse ludis.* Jupiter hunc servum *præsulem*, sive præsultorem, nominabat, quia priusquam committerentur ludi, virgis cæsus στροφὰς παντοδαπὰς ὑπ' ὀδύνης ἐστρέφετο, gestusque saltatoriis similes edebat. Vide Plutarch. in Coriol. p. 225; Dionysium Halicarnassensem, lib. VII, cap. 69, et Des. Heraldum ad Arnobii pag. 306. Dav.

10. *Iterum esse idem visum.* Olim: « Iterum esse idem jussum, et monitum ». Non dubitavi revocare antiquam lectionem, immerito ab editoribus post Gruterum desertam. Hi enim ex Pall. Pith. et S. Vict. sic ediderunt: « Iterum esse idem visum, et monitum »: quod mihi sane durum videtur. Alterum nescio, quid habeat offensionis, nisi quis forte in *jussum* et *monitum* tautologiam inesse putet, quæ nulla est. Hoc enim dicit: « idem esse jussum; addita comminatione ». Lectionem nostram firmat edit. Cratand. Hott. — *Iterum esse idem jussum.* Ita editum est ante Gruterum, qui ex suis libris dedit *visum*, non bene, opinor. Ceterum *visum* et *jussum* ita sunt inter se permutata, ut *junctus* et *vinctus*, *jus* et *vis*, *usitatus* et *visitatus* ob soni similitudinem. Unde et paullo ante pro « jussum esse eum », reperi in Ven. « visum esse eum ». Rath. — Davis. maluit *visum*. Bene, ut videtur.

Digitized by Google

senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum domum revertisse [11]. Itaque somnio comprobato a senatu, ludos illos iterum instauratos, memoriæ proditum est. C. vero Gracchus multis dixit, ut scriptum 56
apud eumdem Cœlium est, sibi in somnis quæsturam petenti [12] Tib. fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur [13], tamen eodem sibi leto [14], quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc, antequam tribunus plebis C. Gracchus factus esset [15], et se audisse scribit Cœlius, et dixisse multis [16]. Quo somnio quid inveniri potest certius [17]?

XXVII. Quid? illa duo somnia, quæ creberrime commemorantur a stoicis, quis tandem potest contemnere? Unum de Simonide : qui quum ignotum

11. *Pedibus suis salvum domum revertisse.* Ernestius vocem *salvum* omisit, qua etiam Livius, II, 36, eamdem rem narrans, non utitur. Nos eam uncis inclusimus. Contra sex codd. apud Davisium, et ed. Cratand. vocem *domum* non agnoscunt. Hott. — Quæ vox *domus* sermoni utilior videtur. Et sic Liv. « pedibus suis domum rediisse ». J. V. L.

12. *Sibi in somnis quæsturam petenti.* Apposui virgulam post vocem *somnis*, quam sensus exigit, quæque vulgo negligitur. Hott.

13. *Quam vellet cunctaretur.* Vid. Plut. in Gracchis, p. 835. Idem somnium refert Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, 6. Dav.

14. *Eodem leto.* Vid. Vell. Paterc. II, 3 et 6. Hott.

15. *Antequam tribunus pl.... factus esset.* Nempe in tribunatu turbas illas est molitus, quibus fuit oppressus. Hott.

16. *Et dixisse multis.* Quid hoc ad rem? Nimirum seu multis hoc Cœlius, seu nemini dixerit, id profecto ad fidem prorsus nihil facit. An hæc verba non ad Cœlium, sed ad ipsum Gracchum pertinere dicemus? Ita quidem video intellexisse interpretem Francogallum *Desmarais*. Verum id sane durissimum foret, Gracchi nomine suppresso, et ne addito quidem pronomine : ut taceam, plane hoc supervacaneum fore, quum paullo ante legamus, « Gracchum id multis dixisse ». Itaque sic puto corrigendum : « et dixisse multos ». Scilicet, quo magis iste rumor invaluit, neque Graccho, neque alio quoquam contradicente, eo certior res fuit habenda. Valer. Max. lib. I, c. 7, idem somnium referens, « Cœlius, inquit, certus romanæ historiæ auctor, sermonem de ea re ad suas aures, illo (Graccho) adhuc vivo, pervenisse scribit ». Hott. — *Multos* pro *multis* placet Rath.

17. *Certius.* Id est, clarius apertiusque, quippe quod nihil haberet obscuri aut ambigui. Hott.

Digitized by Google

quemdam projectum[1] mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo navem[2] conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat; si navigasset, eum naufragio esse perituru m; itaque Simonidem redisse; perisse ceteros, qui
57 tum navigassent. Alterum ita traditum[3], clarum admodum somnium. Quum duo quidam Arcades[4] familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alterum ad cauponem devertisse; ad hospitem, alterum. Qui ut cœnati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur; eum primo perterritum somnio surrexisse; dein quum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse; tum ei dormienti eumdem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum; petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum[5], mane bubulco[6] præsto ad portam fuisse; quæsisse ex eo, quid esset in plaustro;

XXVII. 1. *Ignotum quemdam projectum.* Rem amplius deducit Valer. Max. lib. 1, cap. 7, 3, extern. Dav.

2. *Navem conscendere.* Ball. *navem* omittit. Atque sane interdum scriptores latini *conscendere*, quemadmodum Græci ἐπιβαίνειν, absolute dicunt. Hott.

3. *Ita traditum.* Quamquam nulla mutandi necessitas, malim tamen *traditur*. Nam aliquanto suavius sic immutatur oratio; quam omnem e verbo *contemnere* pendere, ni fallor, nimium diligens aliquis corrector potius, quam Cicero, voluit. Hott.

4. *Duo quidam Arcades familiares.* Hanc historiam nonnihil variatam scriptor græcus exponit, cujus verba laudat Suidas in τιμωρούντος, ut olim monuit Pet. Victorius, Var. Lect. lib. IX, cap. 12. Ast a Cicerone diversus non abit Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, 10 extern. Dav.

5. *Hoc vero somnio eum commotum.* Editio Cratand. hunc ordinem tenet: « hoc vero eum somnio commotum ». Hott.

6. *Mane bubulco præsto ad portam fuisse.* Eum esse præstolatum. Hott.

Digitized by Google

illum perterritum fugisse; mortuum erutum esse; cauponem, re patefacta, pœnas dedisse. Quid hoc somnio 58
dici divinius potest[7]?

XXVIII. Sed quid aut plura, aut vetera quærimus? Sæpe tibi meum narravi; sæpe ex te audivi tuum somnium: Me, quum Asiæ proconsul præessem, vidisse in quiete, quum tu equo advectus ad quamdam magni fluminis ripam, provectus subito, atque delapsus in flumen, nusquam apparuisses, me contremuisse, timore perterritum; tum te repente lætum[1] exstitisse, eodemque equo adversam adscendisse ripam, nosque inter nos esse complexos. Facilis conjectura hujus somnii; mihique a peritis in Asia prædictum est, fore eos eventus rerum, qui acciderunt. Venio nunc ad 59
tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi sæpius noster Sallustius[2] narravit: quum in illa fuga, nobis gloriosa, patriæ calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormitare[3] cœpisse.

7. *Quid hoc somnio dici potest divinius?* Hunc verborum ordinem e Victor. et Balliol. Davisius prætulit. Quem tenendum censeo eo, quod e Ciceronis mente orationis vis potissimum inesse debet in voce *divinius*, quod nulla alia sedes melius quam ultima declarabit. Ita cap. sup. in fine: « quo somnio quid inveniri potest certius? » Adde finem hujus ipsius cap. Hott. — Non vulgatam deserimus, quidquid valeant exposita ab Hott. argumenta.

XXVIII. 1. *Te repente lætum exstitisse.* Reg. et Cantab. habent *exsiliisse*: sed, renitentibus melioris notæ codicibus, nihil est mutandum. Auctor de Bell. Afric. cap. 7: « Latent enim insidiis cum equis inter convalles, et subito exsistunt », hoc est, apparent. Illic Eliens. noster *exsiliunt*; sed mihi jam non videtur audiendus. Infra Noster, cap. 33: « Submersus equus voraginibus non exstitit ». Ubi non erat cur vox ultima Grutero displiceret. Iterum lib. II, c. 23: « Tages quidam dicitur ... exstitisse repente, et eum adfatus esse qui arabat ». Agellius, Noct. Attic. lib. XVI, cap. 19: « Inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus et indumentis, cum quibus se in salum ejaculaverat, exstitisse ». Vide sis et Curtium, lib. VII, cap. 10, 14. Dav.

2. *Noster Sallustius.* Ciceronis libertus. Hott.

3. *Arcte et graviter dormitare cœpisse.* Alias *dormitare* est *leniter dormire*; unde Lambinus legendum censet *dormire*. Sed *dormitare* hic potius dici

Digitized by Google

Itaque, quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri jussisse, neque esse passum te excitari; quum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse: visum tibi esse, quum in locis solis mœstus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quærere ex te, quid tristis esses; quumque tu te tua patria vi[4] pulsum esse dixisses, prehendisse

videtur, pro somno vinci, s. somniculosum esse. Atque adverbia *arcte* et *graviter* indicant dormiendi cupiditatem, seu potius necessitatem talem, cui frustra Cicero obsisteret, quamque evincere plane non posset. Hunc sensum vindicant sequentia, quum dicitur jussisse *silentium fieri:* quod quidem jubere non potuit *dormiens*. Quum dudum hæc scripsissem, ad me perlata sunt, quæ egregie in hunc locum fuit commentatus Frid. Aug. Wolfius, V. Cl. quum prælectiones in Academia Fridericiana per hiemem anni 1791 habendas indiceret. Is igitur, « horum verborum, inquit, priori parti detractum esse patet pronomen ante voces, *dormitare cœpisse*. Tali enim in junctura omissum pronomen in poeta fortasse ferri potest; in prosaico scriptore, insolentiora quæque ellipseos genera vitante, non potest. Gravius autem aliud, quod sequitur: « Itaque, quamquam iter instaret, te tamen silentium fieri jussisse, neque esse passum te excitari ». Num ergo aliquid jussisse putemus Ciceronem eo tempore, quo tempore devinctus arcto graviquæ somno jaceret? An forte strepitu nescio quo excitatus, illud jussit? ut nimia lassitudine victi solemus interdum maximarum rerum, quæ animum occupabant, oblivisci. Verum si ita res fuisset, male optimus auctor, et præter consuetudinem suam, narrasset ambigue, si de ea re ne verbo quidem monuisset. An tandem silentium imperavit prius, quam ad dormiendum sese composuisset? At iter instabat, in quod ille prima luce se daturus erat, et cujus ipsius causa sine dubio noctem vigilaverat. Denique ista videte nobis, « te passum non esse te excitari! » Quis ita loquatur, bonam loquendi usum tenens, « passum non esse », de domino qui « imperare, jubere, vetare possit »? Nempe id, quod nunc invitis et sermonis, et narrationis, et verisimilitudinis legibus tribuitur domino, servo est tribuendum; ut is, illo dormiente, iis qui adessent, silentium imposuisse narretur, neque passus esse, dominum excitari. Scribendum igitur: « ad lucem denique arcte te et graviter, dormitare cœpisse. Itaque, quamquam iter instaret, se tamen silentium fieri jussisse, neque passum esse te excitari. » Hæc ille. Ego autem vehementer assentior viro doctissimo, vix mihi temperans, quin emendationem, quam utique veram judico, textui inferam. Horr. — Vulgo *te* tamen. Quo nihil potest esse absurdius. Miror scripturam hanc a nupero editore fuisse receptam. Rath. — Wolfii conjecturæ plaudunt omnes Germani, nos assensum sustinemus. J. V. L.

4. *Quumque tu te tua patria vi.* Gruterus ex S. Victoris libro hanc laudat lectionem: *quumque tu patriæ*. Ed. Cratand. sic habet: *quumque t*

Digitized by Google

eum dextram tuam, et bono animo te jussisse esse, lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret; et dixisse, in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse, Sallustius narrat, reditum tibi celerem et gloriosum paratum, et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses, in monumento Marii[5] de tuo reditu magnificentissimum illud[6] senatusconsultum esse factum, referente optimo[7] et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro[8], incredibili clamore et plausu comprobatum; dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

XXIX. At multa falsa. Immo obscura fortasse nobis. 60
Sed sint falsa quædam; contra vera quid dicimus? quæ quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri[1] iremus. Nunc, onusti cibo et vino, perturbata et confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis[2] Politia loquatur. Dicit enim, « Quum dormientibus ea pars

tua patria. Itemque O et U delent *tu*, E et O *tua*. Hott.

5. *In monumento Marii.* Hoc somnium fuse refert Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, 5, ubi notat « in æde Jovis Mariana SC. de reditu Ciceronis esse factum ». Pari modo *Æmilia monumenta* et *monumenta Cn. Pompeii* pro locis, quos struxerant vel refecerant, dixit Tacitus, Ann. III, 72, IV, 7. Vide et Senecam, Cons. ad Marciam, cap. 22. Consules autem fuere P. Lentulus et Q. Metellus quorum ille Nostro fuit præcipuus salutis auctor. Vide sis orat. ad Quir. post reditum, cap. 5 seqq. et post red. in Sen. capp. 3, 4. Dav.

6. *Magnificentissimum illud senatusconsultum.* « De me senatus ita decrevit ... ut, si quis impedisset reditum meum, in hostium numero putaretur ». Cicero orat. contra Pisonem. Hott.

7. *Referente optimo ... consule.* P. Lentulo. Hott.

8. *Frequentissimo theatro*, etc. Vide pro Sextio, 55. Hott. — Ern. ait h. l. theatrum dici pro concione; errare virum doctissimum credimus. J. V. L.

XXIX. 1. *Integri.* Aut nullis cibis, aut certe non intemperanter sumptis. Hott.

2. *In Platonis Politia.* Sic vocat libros de *Republica*: ibi vid. lib. IX, init. ὅταν τὸ μὲν ἄλλο τῆς ψυχῆς εὕδῃ, ὅσον λογιστικὸν, τ. κ. λ. Hott. — Hunc locum Platonis, ne Plutarchum memorem, tom. II, pagg. 83, 101, laudat Stobæus, Serm. V, p. 75, et latine vertit Chalcidius, pagg. 370, 371. Dav.

Digitized by Google

animi[3], quæ mentis et rationis sit particeps, sopita langueat; illa autem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas[4], quum sit immoderato obstupefacta[5] potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque jactari. Itaque huic omnia visa objiciuntur, a mente ac ratione vacua: ut aut cum matre corpus miscere videatur[6], aut cum quovis alio vel homine,

3. *Ea pars animi.* Nostri fere sic dicerent : « ea mentis facultas ». Ita Cicero sæpe *partem*, vel *partes animi* dicit de Offic. II, 10 : « Voluptates, blandissimæ dominæ, majores partes animi a virtute detorquent». Ubi recte Ernestius, «majores animi partes» expl. « superiores mentis facultates ». Conf. ibid. I, 28. Ceterum ad hunc locum omnem recte intelligendum, tenenda sunt ea, quæ legimus Tusc. I, 10 : « Plato triplicem finxit animum : cujus principatum, id est, rationem in capite, sicut in arce posuit, et duas partes parere voluit, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit ». Hott.

4. *Agrestis immanitas.* Τὸ ἄγριον inquit Plato, quod perinde ut lat. *agrestis* sign. *durum*, *barbarum*, *immansuetum*. Hott.

5. *Obstupefacta.* I. e. stupida reddita, menti velut caligine quadam offusa, per quam nequeat, quid verum rectumque sit, discernere. Hanc lectionem Ernestius asserit contra Davisium, e cod. Eliensi legentem *tumefacta*, quod etiam edit. habet Cratandri. Ipse autem Plato habet ἢ σίτων ἢ μέθης πλησθέν. Mihi tamen lectio Davisiana potius nata videtur a correctore. Neque est, ut vulgatæ putes repugnare illa, « exsultare eam, immoderateque jactari » : nam in *stupore* non necessario cogitandus est *languor*, quamvis utrumque fere jungi, non sim nescius. Placet etiam, quod Ernestius legendum suspicatur, *stupefacta*, ut prima syllaba nata sit ex finali litera verbi præcedentis. Nam simplex magis aptum est huic sensui. *Obstupefactus* vero plerumque idem est, ac *attonitus percussus*. Hott. — At qui possit illa pars ferina, sensu amisso, exsultare in somniis? equidem eam ne posse quidem somniare crediderim. Rath.

6. *Corpus miscere videatur, aut cum quovis alio vel homine.* Coire e græco μίγνυσθαι, quod imitantur Latini. Virg. Æn. VII, 661, *mixta deo mulier*. Ceterum istam lectionem Davisius atque Ernestius e codd. MSS et edd. vett. receperunt, eamque firmant codd. edit. Oxoniens. omnes. Vulgo, *videamur*, quod natum a correctoribus, qui haud scirent, sæpius tertiam personam sing. poni infinite, cum ellipsi τοῦ *aliquis*. Ita Tusc. IV, 8, « est æmulatio ægritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat ». Vide Wopkensii Lectt. Tull. pag. 2, et Conradum Heusingerum V. D. in præf. ad Offic. pag. 46. Itaque subaud. *homo, qui somniat*. Minus recte Ernestius intelligit *mentem*. Nam hoc quidem prorsus singulare, *mentem* sibi videri *corpus miscere*, etc. Quin ne *mens* quidem præcessit, sed *pars animi*. Pro *miscere*, habent *misceri*, E, O, atque ed. Cratand. Hott. — De significatione verborum μίγνυσθαι et *commisceri*, adi, præcor, quæ

Digitized by Google

vel deo[7], sæpe bellua; atque etiam trucidare aliquem, et impie cruentari, multaque facere impure atque tetre, cum temeritate et impudentia. At qui[8] salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis et consilii est, agitata[9] et erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis[10]; eaque parte animi, quæ voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti (quorum utrumque præstringere aciem mentis solet, sive deest naturæ quippiam, sive abundat atque affluit[11]); illa etiam 61

doctissime et acutissime disputat noster *Racine*, *lett.* XLIII *à Boileau*.

7. *Vel deo.* Dictum puto pro *numine*, vel adeo pro *dea*, quod Græcos imitati Latini interdum ausi sunt. Sic Virg. Æn. II, 632, de Venere dicit Æneas : « Descendo, ac ducente deo flammam inter et hostes Expedior ». Hott.

8. *At qui salubri.* Scribo, *at quum salubri*, ita enim totius orationis ductus postulare videtur, quæ incipit, *quum dormientibus*, sequiturque infra *tum*, quod huic *quum* respondet : « quum se tradiderit, tum eveniet, tum occurrent » : favent denique Platonis verba, ΟΤΑΝ τὸ μὲν ἄλλο τῆς ψυχῆς εὕδῃ... ΟΤΑΝ δέ γε ὑγιεινῶς τις ἔχῃ αὐτὸς αὑτοῦ καὶ σωφρόνως, καὶ εἰς τὸν ὕπνον ἴῃ. Indidem sequitur, ut *ei* post alterum *tum* recte se habeat, nec corrigi debeat in *et*, ut Bipontini fecerunt, utque Hottingerus vult. Rath.

9. *Ea parte animi..... agitata.* Lambinus conjecit, *excitata* : et sane *agitare mentem*, hoc sensu, mihi saltem novum; ipseque Plato sic habet τὸ λογιστικὸν μὲν ἐγείρας ἑαυτοῦ. Hott. — *Agitata et erecta.* Lambinus dedit *excitata*; sic interpretatus quoque est Ficinus : accedit, quod Cicero et alibi verba *excitandi* et *erigendi*, quum adfine quid habeant, conjunxit. Rath.

10. *Saturataque bonarum cogitationum epulis.* Platoni est ἐστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων. Nec infrequens est ea Philosopho metaphora, quemadmodum docet Pet. Victorius, Varr. Lectt. II, cap. 14. Eumdem adhibent alii scriptores. Plutarchus de Audit. pag. 42 : Ὁ δὲ ἐπὶ λόγων ἀφιγμένος ἑστίασιν ... ἀκροάσθω σιωπῇ τοῦ λέγοντος. Philostratus, vit. Apollonii, lib. VI, cap. 10 : Εἰς τὸν Θεσπεσίωνα εἶδον πάντες, οἷον ΕΣΤΙΑΤΟΡΑ τοῦ λόγου. Hinc λόγων κρατῆρας dixit idem lib. IV, cap. 4, et φιάλην λόγων. Anacreon, Od. LXIV. Dav.

11. *Sive deest naturæ quippiam, sive abundat atque affluit.* Hæc quamvis mihi fere abundant, non ausim tamen, ut a mala manu intrusa damnare. Exempla enim similia repetitionum, sermonis quotidiani negligentiam referentium, utriusque linguæ scriptores passim suppeditant. Noster de Finib. III, 11 : « Quid dici poterit, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus, quo minus homines, tenebras et solitudinem nacti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se fœditate sua turpitudo ipsa deterreat? » Quem locum frustra sollicitat Davisius. Seneca de Ira, I, 7 : « Ira extollit

Digitized by Google

tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta: tum eveniet, duabus animi temerariis partibus compressis[12], ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat, et se vegetam ad somniandum, acremque præbeat; tum et visa quietis[13] occurrent tranquilla atque veracia.» Hæc verba ipsa Platonis expressi.

62 XXX. Epicurum igitur audiemus potius? namque Carneades concertationis studio, modo ait hoc, modo illud. At ille quid sentit[1]? Sentit autem nihil umquam elegans[2], nihil decorum[3]. Hunc ergo antepones Platoni et Socrati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Jubet igitur Plato, sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis, per-

animos et incitat: nec quidquam sine illa magnificum in bello fortitudo gerit, nisi hinc flamma subdita est, etc.» Vide Wopkens. Lectt. Tull. pag. 55. Plat. Apol. Socr. 5 : Οὐ γὰρ δήπου, σοῦ γε οὐδὲν τῶν ἄλλων περιττότερον πραγματευομένου, ἔπειτα τοσαύτη φήμη τε, καὶ λόγος, γέγονεν, εἰ μή τι ἔπραττες ἀλλοῖον, ἢ οἱ πολλοί. Hott.

12. *Temerariis partibus compressis.* Med, priorem vocem omittit, nec Plato habet, quod ei respondeat: ideo delenda videtur Davisio: frustra, puto. Nam totum hunc locum liberius, ut solet, Cicero convertit, nonnulla addens, plura quoque omittens. Hott.

13. *Tum et visa.* Miror neminem his offendi: «tum eveniet ..... tum ei visa, etc.» Puto legendum: *tum et visa.* Hott.—Conf. not. 8 sup.

XXX. 1. *At ille quid sentit?* Isthæc ad Epicurum referuntur. Quod monendum censerem, vix nisi interpretem Francogallum viderem de Carneade accepisse. Huic autem quæstioni deinde non respondetur: quod ipsum valet ad contemptum; q. d. «quis dubitet, illum et in hac re sibi constare? Nihil autem umquam sentit, etc.» Hott.

2. *Nihil umquam elegans.* I. e. Nihil subtilius cogitatum, et quasi *lectum*, sed nonnisi vulgaria, atque e medio petita. *Elegantiam* pro acumine disserendi interdum dicit Cicero. Ut de Finib. II, cap. 9: «Epicurus primum divisit ineleganter. Duo enim genera, quæ erant, fecit tria.... Sed hoc sane concedamus; contemsit enim disserendi elegantiam». Conf. eod. 31. Sed neque de forma modo disserendi dicitur, verum etiam de materia, seu de iis, quæ subtiliter sunt cogitata, et ex interiori philosophiæ scientia deprompta: ut de Finib. IV, 10: «Mihi vero placet agi subtilius, et, ut ipse dixisti, pressius: quæ enim adhuc protulisti, popularia sunt; ego autem a te elegantiora desidero». Hott.

3. *Decorum.* I. e. philosopho dignum. Hott.

Digitized by Google

turbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærentis vera[4], contrariam. Quum ergo est somno 63
sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui; viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, quum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est divinior[5]. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero affecti, instare mortem[6]. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum; tumque vel maxime laudi student; eosque qui secus, quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet[7]. Di- 64

4. *Tranquillitati mentis, quærentis vera. Quærenti* mavult Hott. et ita rationes expouit : Non erat, cur in istis hærerent, Lambinus, Davisius, et Ernestius, qui e nonnullis codd. ediderunt *quærentis*, eo, quod *mens* quærat vera, non *tranquillitas*. Quæ ratio non satis firma videtur. *Tranquillitas mentis*, est nimirum hypallage pro, *tranquilla mens*. Ita Tusc. Quæst. I, 17 : « Reliquæ duæ partes, una ignea, altera animalis .... rectis lineis in cælestem locum subvolant, sive ipsa natura superiora appetente, etc. », ubi male item Davisius, probante Ernestio, dedit *appetentes*. Eod. IV, 24 : « Quid? ista bellatrix iracundia, quum domum rediit, qualis est cum uxore? cum liberis? cum familia? » De Finib. IV, 13 : « Si est quædam appetitio naturalis, ea quæ secundum naturam sunt, appetens ». Quibus adde κακόφατον illud *mentis quærentis*, in lectione illa auribus perquam molestum. Ceterum A. Gellius, IV, 11, hunc Ciceronis locum laudans, ita habet : « tranquillitatem mentis quærentibus », eodemque alludit E *tranquillitatem* legens, et vocabulum *vera* omittens : quod haud absurdum videtur.

5. *Multo est divinior.* Possint hæc videri intelligenda de *vi divinandi*. Nam interdum divinus idem est, qui vates, ut inf. 58 : « Non enim sunt, ii aut scientia, aut arte divini », atque libro II passim. Sed, quod non omnia, quæ illustrationis causa deinceps adducuntur, divinationem spectant, *divinior* dictum puto, pro *præstantior*, atque naturæ divinæ propior. Hott.

6. *Vident... instare mortem.* Ad rem vide Aretæum de causis et signis acut. morb. II, 4, et Eustathium ad Iliad. II, pag. 1119 ed. Basil. Dav.

7. *Peccatorum suorum tum maxime pœnitet.* Vide ad rem Platonem de Rep. lib. I, pag. 411; hanc Platonis ῥῆσιν affert etiam Justinus martyr co-

Digitized by Google

vinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert [8], Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps [9] moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum appulsu [10] homines somniare : uno, quod prævideat [11] animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur; altero, quod plenus aer sit immortalium animorum, in quibus tamquam insignitæ notæ veritatis appareant [12]; tertio, quod ipsi dii cum dormientibus colloquantur. Idque, ut modo dixi [13], facilius evenit ap-

hort. ad Græcos, cap. 27, p. 99. Dav.

8. *Quo affert.* Hoc duriuscule se habere monet Wopkensius in Lectt. Tull. Itaque conjicit, forte sic esse legendum, *quod affert*, quam lectionem repræsentant Oxonienses omnes. Sed et *afferre* absolute dici, pro *referre*, exemplo patet, ab ipso Wopkensio allato, inf. II, 16 : « Sed affers, in tauri opimi extis, immolante Cæsare, cor non fuisse ». Hott.

9. *Qui deinde deinceps.* Ita Gruterus e duobus Pall. melioribus edidit. Est autem *deinceps*, ut jam monitum fuit a Wopkensio et Ernestio, idem quod καθεξῆς, « alter post alterum ». Cet. eodd. valde variant. Al. « qui deinde, qui deinceps ». Al. « qui tertius, qui deinceps ». Eliens. « qui demum deinceps ». Hott. — *Qui deinde deinceps.* Ita Gruter. Davis. in pr. Ernest. Hotting. conf. Cic. de Legg. III, 2. Ante Gruterum omnino omnes, quos consuluerim, *qui secundus, qui deinceps moriturus esset.* Multi codd. « qui deinde, qui deinceps », ut inde fere colligere possis, istud *qui deinde* interpretamentum h. l. esse τοῦ *qui deinceps.* Rath.

10. *Deorum appulsu.* Recte hæc Ernestius intelligit de vi a diis orta et nata, non de actione deorum in mentem, quæ de primo certe genere intelligi non potest. Hott.

11. *Quod prævideat. Prævidere*, absolute sic dictum, me legere non memini. Forte excidit *futura.* Malim etiam *quo.* Hott.

12. *In quibus tamquam insignitæ notæ veritatis appareant.* Ista paullo obscuriora Ernestius ita explicat : « in quibus omnibus eæ sint notæ divinitatis, ut de ea dubitari non possit ». Mihi potius vocabulum *veritatis* videtur esse intelligendum de rebus futuris, quarum veritas inest in certo eventu. Harum igitur rerum *notas insignitas* habent animi illi immortales, seu genii : i. e. somnia nobis offerunt rebus ipsis conformia, adeoque quodam modo ipsi in se continent rerum futurarum imagines. Cet. conf. inf. II, 58. Hott.

13. *Idque, ut modo dixi*, etc. Davisius orationem haud bene connexam judicans, legendum censuit, *itaque*, vel *ideoque ut*, etc. quorum neutrum sane hic locum habet. Iis enim, quæ proxime dicta sunt, Cicero rationem

Digitized by Google

propinquante[14] morte, ut animi futura augurentur. Ex 65
quo et illud est Calani, de quo ante dixi, et Homerici Hectoris[15], qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat. Neque illud verbum[16] temere consuetudo approbavisset, si ea res nulla esset omnino,

Præsagibat animus[17], frustra me ire, quum exirem domo.

Sagire enim, sentire acute est[18]: ex quo sagæ anus,

reddit divinationis per somnia, neque vult explicare, qui fiat, « ut appropinquante morte animi futura augurentur ». Nimirum viro docto imposuit particula *que*, hoc loco minime copulandi vim habens. Ea autem Cicero sæpissime utitur, vel ad aliam rem transiens, vel ad rem ante commemoratam revertens. Sic de Offic. I, 4 : « In primisque hominis est propria veri inquisitio, etc. » Eod. 18 : « Maximeque ipse populus romanus animi magnitudine excellit ». Quæ verba, ut recte vidit Frider. Heusingerus, novam inchoant sententiam, adeoque a superioribus plena interpunctione sunt separanda : quod et fecimus in hocce nostro loco. *Idque* igitur sic int. *atque id*, vel, *id autem*. Refertur vero pronomen ad illa verba : « ut animi futura augurentur ». Hott.

14. *Facilius evenit appropinquante*. Ita omnes Davisii codd. atque etiam Guelf. et edd. vett. Vulgo, minus bene, *eveniet*. Hott.

15. *Homerici Hectoris*. Iliad. XXII, 358. Hott. — Vide Diodorum Siculum, Bibl. lib. XXIII; Sextum Empiricum adv. Mathem. lib. IX, § 20, 21. Homerum imitatus est Virgilius, Æn. X, 470. Vide sis et Lactantium ad Statii Theb. VII, 701. Dav.

16. *Neque illud verbum*. Olim « neque enim illud verbum ». Ista neque causam aliquam continent superiorum, neque cum iis ullo modo sunt conjuncta. Pergit nimirum Cicero a *somniis*, ad genus divinationis *naturalis* alterum, quod est *vaticinationis* s. *furoris*. Vid. sup. 6; conf. 18. Hinc paullo inf. cap. prox. « Exposui, inquit, somnii et furoris oracula, quæ carere arte dixeram ». Ex quibus omnibus, ut puto, clarum fit, particulam *enim* hic locum minime habere, pro qua sic opinor legendum : « Neque jam illud verbum, etc. » Ultima litera vocis præcedentis *e* sequenti voci adhærente, facile mutari potuit *jam* in *enim*. — Hisce jam sic scriptis, postea cognovi particulam *enim* ab E abesse. Itaque auctore illo fidenter deleo. Hott. — *Illud verbum*. Sc. verbum *præsagire*, quod paullo post in illo versu laudatur. Hott.

17. *Præsagibat animus*. Versus est Plauti, Aulul. II, 2, 1, ubi sic legitur : « præsagibat mihi animus, etc. » Atque sic edidit Lambinus. Sed quis nescit, Ciceronem aliosque vett. scriptores, in laudandis memoriter aliorum auctorum locis sæpe minus fuisse accuratos? Hott.

18. *Sagire enim, sentire acute est : ex quo sagæ anus, quia multa*, etc. Vide Festum de hoc verbo; cornicis clangorem sagum vocavit Prudentius, Apoth. vs. 298. Dav.

Digitized by Google

quia multa scire volunt [19]; et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur præsagire, id est, futura ante sentire.

66 XXXI. Inest igitur in animis præsagitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, quum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur.

Sed quid oculis [1] rabere visa est [2] derepente ardentibus?
Ubi illa paullo ante sapiens [3], virginali modestia [4]?
—Mater optuma, tum multo mulier melior mulierum [5],

19. *Quia multa scire volunt.* I. e. quia multa odorantur et pervestigant, naturali senectuti curiositate. Pro *quia* ed. Cratand. habet *quæ :* atque sic quoque Festus, apud quem hæc ipsa, a Planti versu, usque ad vocem *canes*, iisdem fere verbis leguntur; unde fateor, me haud procul abesse ab ea suspicione, ut omnia illa, quæ inter Planti versum et verba illa, *inest igitur*, sunt interjecta, pro grammatici cujusdam additamento habenda putem. Hotr.

XXXI. 1. *Sed quid oculis.* Mirum, quod Abbas *Desmarais* in subjecta huic loco nota, nescio unde, refert, versus istos ex Pacuvii tragœdia, quam *Herculem* inscripserit, esse petitos, eosque referri a Cassandra. Priores quidem duo, ut puto, Hecubæ sunt tribuendi, certe ab eadem, qua sequentes, persona non dici clarum est. Itaque ne quis turbetur, versui tertio ansus sum præfigere literam *C.* Hotr.

2. *Rabere visa est.* Ita emendavit Lambinus, atque in uno cod. legit Muretus. Cett. corrupte, *rapere*. Illud de inconstanti oculorum obtutu videtur intelligendum. Hotr. — *Rabere* autem dictum a *rabie*, inquit Nonius. Varro idem Attii, quod Titii : « quod est? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi? » Cæcilius Hypobolimæo : « Rastravis rabere se ait ». Lambinus.

3. *Sapiens.* Intelligendum de moribus decenter et ex pudore virginali compositis. Hotr.

4. *Virginali modestia.* Turnebus, lib. V, cap. 22, multum hæsitans, tandem reponit *virginis modestia*. Ego vero retinendum puto *virginali modestia ;* versus enim sic in pedes suos digerendus est : « Ubi illa paullo | ante sapiens | virg'nali mo | destia ». *Illa* priorem syllabam passim brevem habet : *virg'nali* vero per syncopen. Ennius apud Festum in *sas :* « Virg'nes nam sibi quisque domi Romanus habet sas ». Vide, si nescis, Christ. Wasium, de Senar. cap. III, p. 18, et cap. XII, p. 56 seq. Aurati conjectura, quam refert Lambinus, omnem metri speciem destruit. Dav.

5. *Mater optuma, tum multo mulier melior mulierum.* A vetustioribus editis abest vox ultima : quapropter Lambinus fulciendo, prout arbitratus est, versui legendum putabat, « Mater optuma, tum vero multo mulier melior ». Ei tamen hoc in loco pessime cesserunt conata, quemadmodum quivis, cui non ignota sit syllabarum quantitas, statim videbit. Quum igitur Pall. Gallic. duo et Vossianus darent

Digitized by Google

Missa sum [6] superstitiosis hariolationibus [7];
Neque me Apollo [8] fatis fandis [9] dementem invitam ciet.
Virgines vero æquales, patris mei, meum factum pudet,
Optumi viri; mea mater, tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo reperisti [10] extra me: hoc dolet,
Me obesse, illos prodesse; me obstare, illos obsequi.

O poema tenerum, et moratum [11], atque molle! sed hoc minus ad rem. Illud, quod volumus, expressum 67
est, ut vaticinari furor vera soleat [12]:

eam, quam Graterus exhibuit, lectionem; Gulielmius rescripsit « Mater optumatum, multo mulier melior mulierum ». Mallem ipse « Mater optuma tu, tum multo mulier melior mulierum »; γύναι πασῶν τῶν γυναικῶν πολλῷ κρείττων. Nam more Græcorum loquitur poeta: quod aliis tam solutæ quam ligatæ orationis scriptoribus est solenne. Prudentius, Cathem. XII, 77: « O sola magnarum urbium Major Bethlem ». Idem περὶ Στεφ. V, 293: « O miles invictissime, Fortissimorum fortior ». Vide sis et XIV, 115, ac Sidonium Apollinarem, Carm. XI, 52. Apuleius de Habit. Doctr. Platon. p. 579: « Animam... omnium gignentium esse seniorem ». Hieronymus in Epit. Paulæ, pag. 175, A. « Minimaque fuit inter omnes, ut omnium major esset ». Hinc apud Hermam, lib. II, Mand. 8, ex MSS reponendum, « humiliorem fieri omnium hominum ». Eodem modo Tertullianus, Apol. cap. 40, ut falsi sint Augustinus de Doctr. Christ. II, 13, et Perizonius ad Sanctii Minerv. II, 10, pag. 216, qui locutiones hujusmodi vitiosas esse statuerunt. Dav.

6. *Missa sum.* Rarius, pro *commissa, tradita.* Hott.

7. *Superstitionis hariolationibus.* Fatidicis; nam *superstitiosus* Veteribus haud raro *divinum* significat. Infra II, 56: « Unde superstitiosa primum sæva evasit vox fera ». Apud Plautum, Amphitr. act. I, sc. 1, 167, ait Sosia de Mercurio, qui eum non longe abesse præsentiebat: « Illic homo superstitiosus est ». Iterum Curcul. act. III, 27: « Superstitiosus hic quidem est: vera prædicat ». Et Rudent. act. IV, sc. IV, 95: « Quid si ista aut superstitiosa, aut ariola est, atque omnia. Quidquid insit, vera dicet ». Vide sis Hadr. Turnebum, Advers. lib. V, c. 22, et Jos. Scaligerum, Conj. in Varronis lib. VI L. L. pag. 68. Dav.

8. *Neque me Apollo. Namque* legendum. Ita corrigere non dubitavi, mutatione facillima, neque ausu, ut opinor, temerario. Quod autem vulgo editur, *neque me Apollo*, illud hujus loci sensui plane repugnare, quis non videt? quamvis ne verbum quidem interpretes. Hott. — *Namque* et *neque* sæpius a librariis inter se confusa sunt. Rath.

9. *Fatis fandis ... ciet.* Me cogit vaticinari. Hott.

10. *Reperisti.* Davisius e MS Eliensi dedit *peperisti*, atque ita conjecerat Jo. Auratus. Sed eam Ernestius glossam judicat, ut puto, recte. Hott.

11. *Moratum.* Quod indolem tenerosque virginis sensus referat. Hott.

12. *Ut vaticinari furor vera soleat.* At hoc versibus istis expressum esse,

Digitized by Google

Adest, adest fax obvoluta sanguine[13] atque incendio;
Multos annos latuit[14]. Cives, ferte opem[15], et restinguite.

Deus inclusus corpore humano jam, non Cassandra loquitur[16]:

Jamque mari magno classis cita
Texitur[17], exitium examen[18] rapit;
Advenit, et fera[19] velivolantibus
Navibu' complevit manu' litora[20].

68 XXXII. Tragœdias loqui videor, et fabulas. At ex te ipso non commentitiam rem, sed factam, ejusdem generis audivi: C. Coponium ad te venisse Dyrrhachio, quum prætorio imperio classi Rhodiæ præesset, cum-primis[1] hominem prudentem, atque doctum; eumque

quis dicat? Certe nihil aliud expressit poeta, nisi Cassandram furore correptam, atque invitam etiam ad vaticinandum actam. Itaque vox *vera* mihi non sani coloris est, eamque, ut a scioli cujusdam liberalitate profectam, delendam censeo, ideoque a ceteris uncinis intersepsi. Neque obstat, quod infra II, 55, illa legimus, « at multi sæpe vera vaticinati, ut Cassandra ». Id enim ibi non de istis versibus dicitur, verum de sequentibus: « jamque mari magno, etc. » Conf. sup. 2, init. Hott.

13. *Fax obvoluta sanguine.* Paris dicitur. Cf. sup. 21. — *Obvoluta sanguine*, i. e. cruenta. Hott.

14. *Multos annos latuit.* Expositus, atque inter pastores educatus. Hott.

15. *Ferte opem.* Multi quum scripti, tum editi habent *referte*, adversante tamen metro. Hott.

16. *Deus inclusus corpore humano jam, non Cassandra loquitur.* Voces *jam* et *non*, transposita distinctione, sic puto jungendas: « Deus inclusus corpore humano, jam non Cassandra loquitur ». Ita Velleius Paterc. II, 31: « quum belli more, non latrociniorum, orbem classibus, jam non furtivis expeditionibus piratæ terrerent ». Eam enim ibi distinctionem ex ed. Rhen. cum aliis prætulit Burmannus, quem de eleganti particularum *jam non* usu agentem, vide ad Quintil. Inst. VI, procem. Hott. — Cum Aldo Nep. et Hottingero facio. Rath.

17. *Classis... Texitur.* Construitur. Virg. Æn. XI, 326: « Bis denas Italo texamus robore naves ». Hott.

18. *Exitium examen.* I. e. turbam malorum. Nam *exitium* casu secundo pluralis numeri positum esse, ipse docet Cicero in Oratore, 46. Hott.

19. *Fera.* I. e. ferox, bellicosa. Nam jungitur cum *manu'*. Hott.

20. *Complevit manu' litora.* Herelius legere jubet *complebit*; male. Schütz. paruit. J. V. L.

XXXII. 1. *Cumprimis.* Sic vulgo dant. At Victorius edidit *cum primo*, nec aliter Gruteriani nostrique MSS. Fieri potest ut Cicero scripserit *cumprime*; de quo videatur Agellius, XVIII, 2. Non tamen ullus video cur codicum fides conculcetur: nam ho-

Digitized by Google

dixisse, remigem quemdam e quinquereme Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus xxx diebus Græciam sanguine; rapinas Dyrrhachii, et conscensionem in naves cum fuga; fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore; sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem[2] dari: tum neque te ipsum non esse commotum, Marcumque Varronem, M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalica fuga venisse Labienum, qui quum interitum exercitus nuntiavisset, reliqua vaticinationis brevi esse confecta. Nam et ex horreis direptum[3] effusumque frumentum 69
vias omnes angiportusque constraverat; et naves subito perterriti metu conscendistis; et noctu ad oppidum respicientes, flagrantes onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis; postremo a Rhodia classe deserti, verum vatem fuisse sensistis.

Exposui, quam brevissime potui, somnii, et furoris oracula, quæ carere arte dixeram[4]. Quorum amborum 70
generum una ratio est[5], qua Cratippus noster uti solet: animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos[6] et haustos. Ex quo intelligitur[7], esse extra

mo cum primo prudens est homo æque prudens ac prudentissimus. Dav.

2. *Domum itionem.* Nonnulli codd. composita voce legunt, *domuitionem.* Hott. — Quod verbum agnoscit Nonius, cap. 11.

3. *Direptum.* Malim ego *dereptum.* J. V. L.

4. *Quæ carere arte dixeram.* Davisius tacite verborum ordinem mutans, sic dedit: « quæ carere dixeram arte ». Hott.

5. *Una ratio est.* I. e. ad easdem causas utrumque genus refert. Itaque *ratio* h. l. est modus rem difficilem aut obscuram explicandi. Hottom.

6. *Extrinsecus esse tractos.* Esse naturæ a corpore diversæ, ex animo divino, quo plenus sit aer (conf. II, 58), quasi decerptos, adeoque extrinsecus in corpus injectos et inclusos. Hott.

7. *Ex quo intelligitur.* Ernestius, referri hoc debet, inquit, ad superius: alias esse deberet *intelligatur.* Immo in superioribus nihil est, ad quod hoc possit referri. Verum intelligitur ex Cratippi mente. Itaque brevius sic dixit pro: « Ex quo patet, Cratippum ita statuere ». Hanc nimirum vim ista

Digitized by Google

divinum animum, humanus unde ducatur; humani autem animi eam partem quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non esse ab actione corporis sejugatam[8]; quæ autem pars animi, rationis atque intelligentiæ sit particeps, eam tum maxime vigere,
71 quum plurimum absit a corpore. Itaque, expositis exemplis verarum vaticinationum et somniorum, Cratippus solet rationem concludere hoc modo : Si sine oculis non potest exstare officium et munus[9] oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere : qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret ; is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest et officium et munus divinationis exstare; potest autem quis, quum[10] divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere : satis est ad confirmandam divinationem,

formula apud Ciceronem interdum habet, nec semper indicat rerum veritatem, quam dicunt, *absolutam*, sed etiam ejus, de quo jam sermo est, de rebus judicium aut opinionem. Sic de Off. I, 11 : « Ac belli quidem æquitas sanctissime fetiali populi romani jure perscripta est. Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse justum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum ante sit, et indictum ». Hott.

8. *Non esse ab actione corporis sejugatam.* I. e. Nihil agere seorsim a corpore, neque vim suam pro se ostendere, sed corporis motu et actione indigere. Hott.

9. *Non potest... officium et munus.* Vulgo, « et officium et munus ». Sed copulam priori loco Davisius MS regii fide nixus, recte eliminavit. Neque enim modo abundat, sed vel obest : et, quod item Davisius monet, neque infra II, 52, occurrit, ubi totus iste locus de verbo repetitus legitur. Quod autem ed. Oxoniensis in textu Davisii lectionem exhibens, nullam offert codd. varietatem, id, ut tam multa alia, notantis potius tribuamus negligentiæ, quam librorum consensui. Hott.

10. *Potest autem quis, quum*, etc. Si de sensu atque vero enuntiatorum ordine quæras, isthæc in finem rejicienda videntur, ita scilicet : « Si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare ; satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur, neque omnino requiritur, ut divinantes semper vera cernant ». Tenendum autem est partic. *quum* habere vim concedendi, q. d. « potest autem aliquis errare aliquando, et nihilo minus habere divinationem ». Hott.

Digitized by Google

semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur[11]. Sunt autem ejus generis innumerabilia : esse igitur divinationem, confitendum est.

XXXIII. Quæ vero aut conjectura explicantur, aut 72
eventis animadversa et notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur : in quo[1] aruspices, augures, conjectoresque numerantur. Hæc improbantur a peripateticis ; a stoicis defenduntur. Quorum alia sunt posita in monumentis et disciplina ; quod Etruscorum declarant et aruspicini, et fulgurales, et tonitruales[2] libri, nostri etiam augurales[3] : alia autem subito ex tempore[4] conjectura explicantur, ut apud Homerum Calchas[5], qui ex pas-

11. *Ut nihil fortuito cecidisse videatur.* I. e. ut haud videri possit casu aliquo, aut forte eventus cum divinatione convenisse. Hott.

XXXIII. 1. *In quo.* Subaud. *genere*, sensu latiori : nam paullo ante *genera* dixit pro *speciebus*, s. *formis*. Neque opus est, cum Davisio aut Ernestio legere *in quis*. Hott.

2. *Tonitruales.* Ita Davisius edidit e Pal. sec. Reg. et Cantab. Cum quibus conveniunt O et ψ. Nisi quod hunc posteriorem, qui idem est Balliol. Davisius monet habere, *trituales*, quæ scriptura et in aliis nonnullis codd. quum scriptis, tum typis expressis occurrens lectionis depravatæ historiam perspicue offert. Vulgo : *rituales*. Hott.

3. *Vestri etiam augurales.* Vulgo : *nostri*. Davisius e pluribus MSS edidit *vestri*, quod jam probaverat Ursinus, eo, quod Quintus cum fratre augure loquatur. Eamdem lectionem offerunt Oxonienses omnes. Ernestius vulgatam mutare ausus non est, quod « Romanorum libri augurales » opponi viderentur « Etruscorum libris aruspicinis, etc. » Atqui hanc ipsam ob causam, quia ista ratio magis in promptu est, lectionem vulgatam correctorum acumini tribuere malim. Hott. — *Nostri etiam augurales.* Plerique tum editi, tum MSS codd. habent *vestri*. Inepte vulgo « nostri etiam augurales » ; nam Q. Tullius Marcum fratrem, qui augur fuit, adloquitur. Dav.

4. *Subito ex tempore.* MS Eliensis habet « subito ut ex tempore ». Inde Davisius reponendum suspicatur in ed. pr. quod facile hunc locum legenti sese offerat, « subito et ex tempore ». Ego autem fateor hunc mihi pleonasmum valde inertem videri ; quem alius licet satis putet defensum exemplis a Wopkensio in Lectt. Tull. allatis, quorum tamen quota pars glossatoribus debeatur, nemo facile dixerit. Aliquanto tamen lenius fuerit, si adverbio in adjectivum mutato, sic legas, « subita ex tempore conjectura ». Hott.

5. *Ut apud Homerum Calchas.* Vide infra II, 30. Cet. suppl. *fecit*, quod verbum facile adsumi potest ex præc.

Digitized by Google

serum numero belli Trojani annos auguratus est; et ut in Sisennæ scriptum historia videmus[6], quod, te inspectante[7], factum est, ut, quum Sulla in agro Nolano immolaret ante prætorium, ab infima ara subito anguis emergeret, quum quidem C. Postumius[8] aruspex oraret illum, ut in expeditionem exercitum educeret:

explicantur, ut adeo opus non sit delere sequens *qui*, ut visum Ernestio. Hott.

6. *Ut in Sisennæ scriptum historia videmus.* Davisius: «in Sullæ scriptum historia videmus». In editis, ait, plerisque perperam legitur *Sisennæ;* nam L. Corn. Sulla de rebus suis reliquit commentarios. Vide G. J. Vossium, de Histor. Latin. lib. I, cap. 9. Prodigium vero, quod hic memorat Tullius, ex eo repetit Valerius Maximus, lib. I, cap. 6, 4. Adi sis et Nostrum infra lib. II, cap. 30. Si Joanni quidem Freinshemio credimus ad Flori lib. III, cap. 18, 13, idem tradunt Obsequens, de Prodig. cap. 116, et Plutarchus in Sulla, cap. 17. At omnino falsus est vir eruditus; nam Conr. Lycosthenis additamenta pro verbis Obsequentis habuit, nec hujus ostenti meminit Plutarchus. Ait sane p. 457, A: Ὁ δὲ Σύλλας ἄγων ἐξ τάγματα τέλεια μετὰ τοῦ συνάρχοντος ἀπὸ Νώλης ἐκίνει ... Ὁ δὲ μάντις Ποστούμιος, θύσαντος αὐτοῦ, καταμαθὼν τὰ σημεῖα, καὶ τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας τῷ Σύλλᾳ προτείνας, ἠξίου δεθῆναι καὶ φυλάττεσθαι μέχρι τῆς μάχης, ὡς, εἰ μὴ πάντα ταχὺ καὶ καλῶς συντελεσθείη, τὴν ἐσχάτην δίκην ὑποσχεῖν βουλόμενος. Sed nulla hic est «anguis ab ara infima emergentis» mentio; nec congruunt tempora; nam «Sulla quum primum ad Urbem contra Marium castra movisset, adeo læta exsta immolanti fuisse scribit Livius, ut custodiri se Postumius aruspex voluerit, capitis supplicium subiturus, nisi ea quæ in animo Sulla haberet, diis juvantibus, implevisset». Verba sunt Augustini, de C. D. lib. II, cap. 24. — *Ut in Sullæ scriptum historia videmus ..... ut quum ille*, etc. Ita mutavit Gruterus, et post illum Davisius, quum editi plerique sic haberent, «ut in Sisennæ sc. h. v. ... ut quum Sulla, etc. » quod nescio an mutandum haud fuerit, quamquam Davisius ad commentarios provocet, quos de rebus suis Sulla reliquit. Nam et Sisennæ «opus belli civilis Sullanique» commemoratur a Velleio Paterculo, II, 9, et, quod majus est, Tullius infra II, 25, hæc ipsa attingens, «multa, inquit, ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti», nulla ibi notata codd. varietate. Hottr.

7. *Te inspectante.* Cicero tum temporis, Sulla duce, arma gerebat in bello Sociali.

8. *Quum quidem C. Postumius. Quidam* reperit Gruterus in codd. nonnullis. — *Quum quidam C. Postumius. Quidam* additur, ut inter omnes constat, nominibus obscurioribus, et quis novit istum Caium? omnisque omnes aruspices minus honorati erant, quam augures. Vide Cic. ad Div. VI, 19: nobiscum faciunt Ven. 1494, Sturm. Lamb. pr. reliquæ Lambb. In aliis legitur *quum quidem*, quod idem fere esset, quod *quum itaque*. Rath. — Nihilominus vulgatam non deserimus.

Digitized by Google

id quum Sulla fecisset[9], tum ante oppidum Nolam florentissima Samnitium castra[10] cepit. Facta conjectura etiam in Dionysio est paullo ante, quam regnare cœpit: qui quum per agrum Leontinum iter faciens, equum ipse demisisset in flumen, submersus equus voraginibus non exstitit[11]; quem quum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit, ut ait Philistus, ægre ferens. Quum autem aliquantulum[12] progressus esset, subito exaudivit hinnitum, respexitque, et equum alacrem lætus adspexit, cujus in juba examen apum consederat. Quod ostentum habuit hanc vim[13], ut Dionysius paucis post diebus regnare cœperit. 73

XXXIV. Quid? Lacedæmoniis, paullo ante Leuctricam calamitatem, quæ significatio facta est, quum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit? At eodem tempore Thebis, ut 74

9. *Id quum Sulla fecisset.* Ego libentius legerim: « quod quum, etc. » J. V. L.

10. *Fortissima Samnitium castra.* Ita omnino corrigendum: quod miror, ab nemine certe eorum esse animadversum, qui Val. Max. I, 6, 4, laudarunt. Is enim hanc ipsam rem narrans eodem vocabulo utitur. Vulgo, *florentissima S. castra;* quod vellem explicassent, qui se intelligere sunt arbitrati. Hott.

11. *Submersus ... voraginibus non exstitit.* Vox postrema mihi non placet, nihil tamen variant libri nostri. Gruterus. — Ultima vox perperam Grutero suspecta fuit habita, quod *apparendi* significationem ei convenire nesciebat. Vide quæ notavimus ad hujusce libri cap. 28. Historiam vero sic narrat Plinius, lib. VIII, § 64: « Philistus a Dionysio relictum (equum prodit) in cœno hærentem; ut sese evellisset, sequutum vestigia domini, examine apum jubæ inhærente; eoque ostento tyrannidem a Dionysio occupatam ». Eamdem refert et Ælianus, Var. Hist. lib. XII, cap. 46, ut olim monuit Pet. Victorius, Varr. Lectt. lib. XII, cap. 1. Dav.

12. *Aliquantulum. Aliquantum* Davisius præstulit e Paris. Med. Balliol. et libris Victorianis: cum quibus facit O. Vulgo, *aliquantulum.* Hott.

13. *Quod ostentum habuit hanc vim*, etc. Plinius, Hist. Nat. VIII, 42, dicit, « hoc ostento tyrannidem a Dionysio occupatam ». Quibus verbis inductus quis Ciceronis hæc verba ita forte intelligenda existimet: « ostento illo firmatum Dionysium regnum occupasse ». Sed verior, puto, Quintique consilio accommodatior hæc fuerit interpretatio: ostento illo, regni occupati eventum fuisse præsignificatum. Hott.

Digitized by Google

ait Callisthenes, in templo Herculis[1] valvæ clausæ repagulis subito se ipsæ aperuerunt; armaque, quæ fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa[2]. Quumque eodem tempore apud Lebadiam[3] Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos[4] in eo loco sic assidue canere cœpisse, ut nihil intermitterent; tum augures dixisse Bœotios, Thebanorum esse victoriam, propterea quod
75 avis illa victa silere soleret[5], canere, si vicisset: eademque tempestate multis signis Lacedæmoniis Leuctricæ pugnæ calamitas denuntiabatur. Namque et Lysandri, qui Lacedæmoniorum clarissimus fuerat, statuæ, quæ Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex

XXXIV. 1. *Thebis.... in templo Herculis.* Ad rem vide Xenophontem, Hellen. lib. VI, cap. 4, 7, et Diodorum Siculum, lib. XV, pagg. 368, 369. Dav.

2. *Armaque, quæ ... ea sunt humi inventa.* Ernestius, « *ea*, inquit, mihi h. l. suspectum est, nec sic Cicero solet in hac forma eo pronomine uti ». Mihi vero usus illo videtur perquam eleganter. Eo velut augetur rei miraculum, q. d. *ea ipsa*, etc. Sic Livius, I, 26: « Hunccine, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? » Sic ipse Cicero, de Off. I, 35: « Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem; quæ formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu ». Conf. sup. ad cap. 19: « Contemnamus etiam Babylonios, eos, qui, etc. » Horr.

3. *Lebadiam.* Lebadia, parva urbs Bœotiæ, apud quam Trophonius, celeberrimus architecta, templum Jovi subterraneum ædificavit; quod appellatum fuit antrum Trophonii. In hoc autem templo reddi oracula credebant. J. V. L.

4. *Gallos gallinaceos ... canere cœpisse.* Exemplum orationis obliquæ directam excipientis, eo magis notabile, quod verbum cum nominativo durius omnino adsumitur ex verbis illis, *ut ait*, *Callisthenes*. Simile exemplum habes supra cap. 26: « Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire, qui diceret ... iterum esse idem jussum, etc. » Horr.

5. *Quod avis illa victa silere soleret.* Davisius e Victor. et Ven. 1471 edidit *solet*, quod item lego in ed. Crat. Ea vero lectio mihi locum habere haud videtur, quia sequitur, *si vicisset*. Ex quo patet, Quintum ista non dicere ex sua persona, sed, perinde ut præcedentia, tribuere auguribus Bœotiis. Aliter enim non *si vicisset*, sed, *si vicerit*, ipsi dicendum erat. Aliud est, quod legimus infra, II, 26: « Tu vates Bœotios credis Lebadiæ vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum, qui galli victi silere solent, canere victores ». Nam *victi* et *victores* utrumque significare potest, vel, *si vicerint*, vel, *si vicissent*. Horr.

Digitized by Google

asperis herbis et agrestibus; stellæque aureæ[6], quæ Delphis erant a Lacedæmoniis positæ post navalem illam victoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt (qua in pugna quia Castor et Pollux cum Lacedæmoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellæ aureæ, quas dixi, Delphis positæ[7]), paullo ante Leuctricam pugnam deciderunt, neque repertæ sunt. Maximum vero illud portentum iisdem 76
Spartiatis fuit, quod, quum oraculum ab Jove Dodonæo petivissent, de victoria sciscitantes, legatique illud, in quo inerant sortes, collocavissent : simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas, et cetera, quæ erant ad sortem[8] parata, disturbavit, et aliud alio dissipavit. Tum ea, quæ præposita erat oraculo, sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedæmoniis esse, non de victoria cogitandum.

XXXV. Quid? bello Punico secundo, nonne C. Fla- 77
minius, consul iterum, neglexit signa rerum futurarum magna cum clade reipublicæ? qui, exercitu lustrato, quum Arretium versus castra movisset, et contra Hannibalem legiones duceret; et ipse, et equus ejus[1] ante

6. *Lysandri ... statuæ ... in capite corona subito exstitit ... stellæque aureæ.* Vide Plutarch. tom. II, pag. 397. Davis.

7. *Qua in pugna ... Delphis positæ.* Hæc omnia supervacanea judicat Gruterus, atque fateor, istam repetitionem mihi negligentiam orationis sapere, non illam admodum gratam. Sed codd. nihil variant; neque ratio medendi occurrit. Nam ne quis omnem illam interpositionem sublatam velit, nimia impedit verborum, *conciderunt ... deciderunt*, proximitas, auribus sane perquam molesta. Hott. — *Qua in pugna ... Delphis positæ.* Hæc scholiasten redolent, ut jam alii odorati sunt. Ac ne te, iis inductis, propinquitas illa ingrata auribus, *conciderunt, deciderunt*, offendat; scito, edd. vett. habere *decidere*. Rath.

8. *Ad sortem.* I. e. ad oraculum per sortes edendum. Hott. — Hanc historiam a Cicerone mutuatus est *Fontenelle, Histoire des Oracles*, cap. 18, *des sorts*. J. V. L.

XXXV. 1. *Et ipse, et equus ejus.* E habet, *ipse et equus ejus*, neglecta priori copula, quod placet. Hott. — *Equus ejus ante signum Jovis Statoris.* Quæ hic memorantur prodigia sic narrat Valerius Maximus, lib. I, cap. 6, 6 : « C. Flaminius quum inauspicato consul creatus apud lacum

Digitized by Google

signum Jovis Statoris sine causa[2] repente concidit, nec eam rem habuit religioni, objecto signo[3], ut peritis videbatur, ne committeret prælium. Idem quum tripudio auspicaretur[4], pullarius diem prælii committendi differebat[5]. Tum Flaminius ex eo quæsivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Quum ille quiescendum respondisset, Flaminius: « Præclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur ». Itaque signa convelli, et se sequi jussit. Quo tempore, quum signifer primi hastati[6] signum non posset movere loco, nec quidquam proficeretur, plures quum accederent; Flaminius, re nuntiata, suo more neglexit[7]. Itaque tribus his horis[8] concisus exercitus, atque ipse inter-

Thrasimenum cum Hannibale conflicturus convelli signa juberet; lapso equo super caput ejus, humi prostratus est: nihilque eo prodigio inhibitus, signiferis negantibus signa moveri sua sede posse, malum, ni ea continuo effodissent, minatus est ». Silius Italicus idem poeticis additamentis exornatum tradit lib. V, 59: « Tunc ales, priscum populis de more Latinis Auspicium, quum bella parant, mentesque deorum Explorant super eventu, ceu præscia luctus, Damnavit vesci, plangentuque alimenta refugit. Signa etiam affusa cruore certant dum vellere mole, Tæter humo lacera nitentum erupit in ora Exsultans cruor ». Vide Plutarchum in Fabio, p. 175, B; Livium lib. XXII, cap. 3, et Florum, lib. II, cap. 6, 14. Dav.

2. *Sine causa.* Sc. *apparente.* Livius, XXII, 3, id accidisse narrat, quum in equum Flaminius insiluisset. Hott.

3. *Objecto signo.* Quamvis objectum hoc a diis signum periti putarent. Hott.

4. *Idem quum tripudio auspicaretur.* I. e. quum *aves* auspicium facerent et Flaminius sine tripudio solistimo auspicaretur. Rath.

5. *Differebat.* Pro, differendum dicebat. Hott.

6. *Signifer primi hastati.* I. e. primi manipuli, seu ordinis hastatorum, ut recte monet Davisius adversus Aldum, laudans Lipsium, de Militia Rom. II, 8. Hott.

7. *Neglexit.* Nuntianti, « abi, inquit, dic signum effodiant, si ad convellendum manus præ metu obtorpuerint ». Livius l. c. Hott.

8. *Tribus his horis.* Mediam vocem supervacaneam censens Davisius MS Regii fide delevit: quem sequitur Ernestius, et ipse pronomen hic frigere judicans. Wopkensius vero illud asserit, ita explicans, « tribus horis proximis, et continuis cum illo tempore, de quo sermo est ». Quod omnino auget divinæ vindictæ severitatem. Hott. — Vulgatam tamen, pro qua stant codd. retinemus.

Digitized by Google

fectus est. Magnum illud etiam, quod addidit Cœlius, 78
eo tempore ipso, quum hoc calamitosum fieret prælium [9], tantos terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse [10], ut multa oppida corruerint, multis locis labes factæ sint, terræque desederint, fluminaque in contrarias partes fluxerint [11], atque amnes mare influxerit [12].

XXXVI. Fiunt certe divinationum conjecturæ [1] a peritis. Midæ illi Phrygio [2], quum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt: divitissimum fore, prædictum est; quod evenit. At Platoni [3] quum

9. *Quum hoc calamitosum fieret prælium*. Davisius tacite ordinem sic mutavit, «quum hoc cal. prælium fieret». Atque ita lego in ed. Cratand. Vocem *prælium* ignorant Gruteri et Davisii codd. itemque Oxonienses omnes: quæ fortasse haud ineleganter abesset. Sic Tacit. Annal. I, 41: «Quis ille flebilis sonus, quod tam triste?» Terent. Eunuch. V, 8: «Non cognosco vestrum tam superbum». Corn. Nep. 12, 1: «Id novum Agesilaus contuens, etc.» Horr.

10. *Tantos terræ motus in Liguribus, Gallia, compluribusque insulis, totaque in Italia factos esse*. Quum tam late se diffuderit, tantasque strages dederit hic terræ motus, absurde dubitat Florus, lib. II, cap. 6, 14: «non illum horrorem soli, equorum virorumque discursus et mota vehementius arma fecerunt». Adi Livium, lib. XXII, cap. 5; Plutarchum in Fabio, pag. 175; Plinium, H. N. lib. II, cap. 84; Orosium, lib. VI, cap. 14, et Silium Italicum, lib. V, 611, seqq. Dav.

11. *Fluminaque in contrarias partes fluxerint, atque amnes mare influxerit*. Jortinus in Miscell. Obs. vol. III, tom. I, p. 7, «flumina fluxerint ... influxerit», non nimis, inquit, elegans est, sed tamen locum sic a Cicerone scriptum credo. Quod posterius, ut ego quoque credam, a me vix impetrare queo. Itaque fortasse prius illud *fluxerint* delendum, utpote quod facile anticipari possit ex sequenti *influxerit*. Vide Perizon. ad Sanctii Minerv. IV, 8, 5. Quod autem ibidem Dorvillius addit, se ultima verba, ut laciniam inutilem malle rescindere, non enim in *contrarias partes* fluere solere flumina, nisi mare in ea influxerit; ego quidem illa verba de cursu fluminum mutato inflexoque intelligenda existimo. Quod suadent et Livii verba illa, «avertitque cursu rapido amnes», et Plutarchus, in Fabio, illum terræ motum «fluvios a suis alveis avertisse», dicens. Horr.

12. *Atque amnes mare influxerit*. Vulgo: *atque in amnes*. Sed præpositionem ejecit Davisius, eamque MS Paris. Balliol. Med. Reg. aliique haud aguoscunt. Quibus accedit E cum ed. Cratand. Horr.

XXXVI. 1. *Div. conjecturæ*. I. e. divinationes per conjecturam. Horr.

2. *Phrygio*. Ed. Cratandri *Phrygi*; ψ, *Phryggi*. Eodem alludit E, qui habet, *fagi*. Horr.

3. *At Platoni quum in cunis*. Sic

Digitized by Google

in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent[4], responsum est, singulari illum suavitate orationis fore : ita futura eloquentia provisa in infante
79 est. Quid? amores ac deliciæ tuæ, Roscius, num aut ipse, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui quum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini; noctu, lumine apposito, experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu : quo adspectu exterrita, clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad aruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem Praxiteles[5] cælavit argento, et noster expressit Archias versibus.

Quid igitur exspectamus? an dum in foro nobiscum dii immortales, dum in viis versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe lateque diffundunt : quam quum terræ cavernis includunt, tum hominum naturis implicant[6]. Nam terræ vis Pythiam Delphis incitabat[7], naturæ Sibyllam.

omnes editi; sed male : non enim hoc infanti Platoni, verum iis, qui peritos eo nomine consuluerant, est responsum. Itaque legendum : « At, Platoni quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, etc. » Scilicet mutandus est virgulæ locus. Dav.

4. *Apes in labellis consedissent.* Vide Olympiodorum in vita Platonis, pag. 583. Plinius, H. N. lib. XI, cap. 17 : « Apes sedere in ore infantis tum etiam Platonis, suavitatem illam prædulcis eloquii portendentes ». Eadem referunt Valerius Maximus, lib. I, cap. 6, 3, extern. Ælianus, Var. Hist. X, 21, XII, 45, ac Joannes Sarisberiensis, Policr. I, 13, pag. 39. Dav.

5. *Hanc speciem Praxiteles.* Non intelligitur celeberrimus ille statuarius; at ejusdem nominis cælator, qui Pompeii M. vixit ætate. Vide Fr. Junium in Catal. Artif. pag. 175. Dav. — Pro *Praxitele*, laudato tamen a Plinio, XXXIII, 12, Winkelmann. legi voluit *Pasiteles*, de quo idem Plinius, XXXVI, 5. J. V. L.

6. *Implicant.* I. e. inferunt in animum, et in illo quasi includunt, vel potius cum illo ita arcte copulant, ut ejus tamquam pars fiat. Herr.

7. *Terræ vis Pythiam Delphis incitabat.* Vide Diodorum Siculum, Bibl. lib. XVI, pag. 427. Locus est lectu dignus, sed prolixior quam ut transferatur. Totum vero χρεὼν, pauculis verbis omissis vel mutatis, laudat scholiastes ad Aristophanis Plutum, vs. 9. Justinus, lib. XXIV, cap. 6, 9 : « In hoc rupis anfractu,

Digitized by Google

Quid enim[8]? non videmus, quam sint varia terrarum genera? ex quibus et mortifera quædam pars est, ut et Ampsancti[9] in Hirpinis, et in Asia Plutonia[10], quæ vidimus[11]; et sunt partes agrorum aliæ pestilentes, aliæ salubres; aliæ, quæ acuta ingenia gignant, aliæ, quæ retusa. Quæ omnia fiunt et ex cæli varietate, et ex disparili adspiratione terrarum

XXXVII. Fit etiam sæpe specie quadam[1], sæpe vo- 80
cum gravitate, et cantibus[2], ut pellantur animi vehe-

media ferme montis altitudine, planities exigua est, atque in ea profundum terræ foramen, quod in oracula patet: ex quo *frigidus spiritus*, vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit, impletasque deo responsa consulentibus dare cogit ». Non multum abit et Plinius, H. N. lib. II, cap. 93. Hinc, oraculis ibi non redditis, videbatur « vis illa terræ, quæ mentem Pythiæ divino adflatu concitabat, evanuisse vetustate ». Verba sunt Nostri supra cap. 19. Adi sis et cap. 50, ac Plutarchum de Orac. defect. pag. 431 seqq. At, Origene contra Celsum teste, lib. VII, pag. 333: ἱστόρηται, ὅτι περιωσθεζομένη τὸ τῆς Κασταλίας στόμιον ἡ τοῦ Ἀπόλλωνος προφῆτις, δέχεται πνεῦμα διὰ τῶν γυναικείων κόλπων, οὗ πληρωθεῖσα ἀποφθέγγεται τὰ νομιζόμενα εἶναι σεμνὰ καὶ θεῖα μαντεύματα. Idem narraverat supra lib. III, pag. 125: nec dissimilia tradunt alii nonnulli. Vide Ant. Dalecum de Orac. pag. 153, seqq. Dav.

8. *Quid enim?* etc. Enuntiatum aliquod est suppressum, cujus causam reddunt sequentia, quodque ita fere videtur supplendum: « Talem vim me terræ tribuere, non est, cur quis miretur. Quid enim? non videmus, quam sint, etc. » Hott.

9. *Ampsancti.* Vid. Virg. Æn. VII, 563, seqq. ibique Heyn. V. Cl. Hott.

10. *Plutonia.* Spiracula mortiferum spiritum exhalantia, quale fuit prope urbem Hierapolin. Quem locum, cum aliis similibus, quod inde aditum ad inferos patere, vulgus existimaret, vel *Plutonia*, vel *Charonea* appellatum, mali cujusdam genii sedem esse, recens superstitio etiamnunc credit. Vid. *Rich. Chandlers Reisen in klein Asien*, etc. c. 69. Hott.

11. *Quæ vidimus.* Ita correxit Pearcius, ad tempus illud referens, quo Cicero proconsul in Asia fuerat, et fratrem secum habuerat. Quam emendationem, veram sine dubio, a manu docta in exemplo ed. Ven. 1594, adscriptam, Ernestius recepit. Vulgo: *videmus.* Hott.

XXXVII. 1. *Specie quadam.* Phantasmate quodam objecto. Inepte interpres Francogallus, *un certain air de visage.* Hott.

2. *Vocum gravitate, et cantibus.* Ἐν διὰ δυοῖν, pro, vocum, i. e. *sonorum* gravitate in cantu. Nam *loquentium* voci eam vim quis tribuat? Quamquam idem ille, quem modo dixi, interpres, sic vertat: *un certain son de voix. Gravitatem* autem intelligo de modis cantuum, in quibus insigne quoddam insit πάθος. Hott.

31.

Digitized by Google

mentius; sæpe etiam cura et timore : qualis est illa,

Flexanima[3] tamquam lymphata, ut Bacchi sacris[4]
Commota : in tumulis Teucrum commemorans suum.

Atque etiam illa concitatio[5] declarat vim in animis esse divinam. Negat enim, sine furore, Democritus, quemquam poetam magnum esse posse[6]. Quod idem dicit Plato : quem, si placet[7], appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus est[8]. Quid? vestra oratio in causis, quid? ipsa actio potest esse vehemens, et gravis, et copiosa, nisi est animus ipse commotior? Equidem etiam in te sæpe vidi; et (ut ad leviora veniamus[9]) in Æsopo familiari

3. *Flexanimæ.* Ita dedit Manutius, atque habet ed. Cratand. cum codd. scriptis pluribus. Al. *flexa anima*, quod recepit Ernestius, melius judicans, eo, quod femina illa non fuisset *flexanima*, i. e. flectens animos, sed ejus anima esset conturbata et flexa. Male, ut puto. Nam *flexa anima* magis sapit orationis pedestris tenuitatem. Neque video, cur non possit compositum illud etiam passive adhiberi. Certe non repugnat analogia, quum et *flexipedes hederas* dixerit Ovid. Met. X, 99. Hott. — Pacuvii sunt versus, ut patet ex Varrone, lib. VI Ling. Lat. pag. 79. Dav.

4. *Aut Bacchi sacris Commota.* Ita emendavit Auratus, quem sequuti sunt Lamb. et Davisius. Vulgo, *ut Bacchi*, etc. Quod vero e nonnullis libris Ernestius commemorat *Baccha*, illud, opinor, glossema est. Hott.

5. *Illa concitatio.* Suppl. *poetarum* : quæ vox, ut e contextu patet, est anticipanda. Hott.

6. *Negat enim, sine furore, Democritus, quemquam poetam magnum esse posse. Quod idem dicit Plato.* Clemens Alexandrinus, Strom. lib. VI, p. 827 : Περὶ μὲν ποιητικῆς Πλάτων, Κοῦφον γάρ τι χρῆμα καὶ ἱερὸν ποιητὴς, γράφει, καὶ οὐχ οἷός τε ποιεῖν, πρὶν ἂν ἔνθεός τε καὶ ἔκφρων γένηται. Καὶ ὁ Δημόκριτος ὁμοίως· Ποιητὴς δὲ ὅστις μὲν ἂν γράφῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν. Platonis locus, quem pariter laudat Theodoretus, Therap. II, pag. 25, extat in Ione, pag. 145, C. Idem docet philosophus ille præstantissimus in Menone, pag. 24, D; in Phædro, pag. 344; in Apol. Socratis, pag. 36e, et alibi. Vide sis Aristidem, tom. III, pag. 26. Plura diximus ad Tusc. lib. I, cap. 26. Dav.

7. *Quem, si placet, app. furorem.* Pronomen proprie referri debebat ad *concitationem*. De qua forma conf. Cort. ad Sall. Cat. 55 : « Quod Tullianum vocatur ». Adde Wopkens. Lectt. Tull. p. 31. Hott.

8. *In Phædro Platonis laudatus est.* Vide Phædrum, p. 343.

9. *Ut ad leviora veniamus.* Nempe ad actionem scenicam, leviorem illam eloquentia forensi. Similiter de Orat.

Digitized by Google

tuo, tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quædam abstraxisse a sensu mentis videretur. Objiciuntur etiam sæpe formæ, quæ reapse nullæ sunt; speciem autem offerunt. Quod contigisse Brenno dicitur, ejusque Gallicis copiis, quum fano[10] Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. Tum enim ferunt, ex oraculo effatam esse Pythiam[11], 81

Ego providebo rem istam, et albæ virgines[12].

Ex quo factum, ut et viderentur[13] virgines ferre arma contra, et nive Gallorum obrueretur exercitus.

Aristoteles quidem eos etiam, qui valitudinis vitio furerent, et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis præsagiens atque divinum[14]. Ego autem haud scio, an nec cardiacis[15] hoc tribuendum

I, 5 : « Quæ sola per se ipsa, quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat ». Hott.

10. *Quum fano Apollinis.* De hoc bello vid. Justin. XXIV, 7, seqq. Hott.

11. *Effatam esse Pythiam.* Al. *hæc fatam esse Pythiam.* Edit. Cratand. *hæc effatam.* Davisius dedit, *ecfatam.* Hott.

12. *Ego ... et albæ virgines.* Versum græcum ex Tzetzes Chil. XV, laudat, post Ursinum, Davisius, ita habentem, Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα, καὶ λευκαῖς κόραις. Albæ autem illæ virgines Minerva sunt, ac Diana. Consentit Justinus l. c. narrans, « universorum templorum antistites, simul et ipsos vates, sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis in primam pugnantium aciem procurrisse, clamantes; advenisse deum, eumque se vidisse desilientem in templum per culminis aperti fastigia. Juvenem supra humanum modum insignis pulchritudinis, comitesque ei duas armatas virgines, ex propinquis duabus Dianæ Minervæque ædibus occurrisse, nec oculis tantum hæc se perspexisse, audisse etiam stridorem arcus, ac strepitum armorum ». Hott.

13. *Ex quo factum, ut et viderentur.* Al. « ex quo factum est, ut viderentur. » Paris. et Med. neque verbum substantivum, neque copulam habent, quos sequitur Davisius. Male, ni fallor. Nam partic. *et* eventum certum signatius exprimit; eo fere modo, quo sup. 25, legimus : « quod, ut est dictum, sic scribitur contigisse ». Nostra lingua sic reddas, licet : *In der That sah man auch.* Hott.

14. *Censebat habere aliquid in animis præsagiens atque divinum.* Respicit Noster ad Aristotelis Problem. sect. XXX, pag. 471. Vide sis et librum de Divin. per somnum, cap. 2. Dav.

15. *Cardiacis.* Cardiacos Veteres dicebant, qui e stomacho laborarent, quem καρδίαν appellabant. De hoc morbo disserit Celsus, III, 19, eumque contrarium facit morbo insaniæ.

Digitized by Google

sit, nec phreneticis : animi enim integri, non vitiosi corporis, est divinatio.

82 XXXVIII. Quam quidem esse re vera, hac stoicorum ratione concluditur : Si sunt dii, neque ante declarant hominibus, quæ futura sunt : aut non diligunt homines; aut, quid eventurum sit, ignorant; aut existimant, nihil interesse hominum, scire, quid futurum sit[1]; aut non censent, esse suæ majestatis, præsignificare hominibus, quæ sunt futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At neque non diligunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici: neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta et designata[2] sunt: neque nostra nihil interest, scire ea, quæ eventura sunt[3]; erimus enim cautiores, si scie-
83 mus : neque hoc alienum ducunt majestate sua ; nihil est enim beneficentia præstantius: neque non possunt futura prænoscere[4]. Non igitur sunt dii, nec signifi-

Unde probabilis videtur opinio Gesneri in *thesauro* s. h. v. existimantis, Ciceronem quoque in hoc loco cardiacos et phreneticos, non ut adfini, sed ut diverso morbo adfectos commemorare, ac proinde ita esse intelligendum, quasi scripsisset : « non magis phreneticis, quam cardiacis, etc. » Hott.

XXXVIII. 1. *Quid futurum sit.* Davisius dedit « quid sit futurum » : quem verborum ordinem, numerosiorem, quia et ed. Cratand. habet, non muto. Vulgo, « quid futurum sit ». Hott.

2. *Designata.* MS Reg. legit *destinata*, quæ item bona est lectio, significans rerum futurarum eventum præparatum, ac certis jam causis a diis præstitutum. Sed eumdem sensum admittit lectio vulgata, quæ repetita legitur infra, II, 49. Hott.

3. *Scire ea, quæ eventura sunt.* Ea est lectio vulgata : quam mutans Davisius e nonnullis eodd. dedit; *sint*, contra quam oportebat. Nam et pronomen *ea*, et modus verbi indicativus, magis significant rem certam. Etiam inf. II, 49, ista sic leguntur : « scire ea, quæ futura sunt » : ubi tamen nihil mutavit Davisius. Hott.

4. *Neque non possunt futura prænoscere.* Hæc respondent illis : « aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt ». Unde quis forte suspicetur, in nostro hoc loco, non *prænoscere*, sed *præmonstrare*, aut simile verbum fuisse primitus scriptum, eo magis, quod videri possit Cicero bis idem dicere, paullo ante sic scribens : « neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta et designata sunt » : quæ verba respondent illis : « aut, quid eventurum sit, ignorant ». Itaque fateor, mihi

Digitized by Google

cant futura[5]. Sunt autem dii; significant ergo. Et non, si significant[6], nullas vias dant nobis ad significationis scientiam; frustra enim significarent; nec, si dant vias, non est divinatio; est igitur divinatio.

XXXIX. Hac ratione et Chrysippus, et Diogenes, et Antipater utitur. Quid est igitur, cur dubitandum 84
sit, quin sint ea, quæ disputavi, verissima? Si ratio mecum facit[1], si eventa, si populi, si nationes, si Græci, si barbari, si majores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est[2], si summi philoso-

ipsi locum primum de mendo fuisse suspectum. Sed lectionem vulgatam ipse tuetur Tullius infra II, 49 et 51, ubi bis illud *prænoscere*, sine varietate redit. Inertis vero repetitionis culpa illum liberabit, quicumque attentius perlegerit caput illud 51. Inde enim patebit, in nostro hoc loco deos bis quidem « futura non ignorare » dici, sed non unam ob rationem: primum, quia « omnia ab ipsis constituta sint, atque ordinata », deinde, quia (si quis forte hoc negaverit), « res futuræ omnes ex certis causis sint aptæ, e quibus, quid eventurum sit, divina mens et intelligere possit, et hominibus significare ». Hott.

5. *Non igitur sunt dii, nec significant futura.* I. e. Fieri nequit, ut dii sint, nec tamen futura significent: s. quisquis deos esse statuat, ille etiam fateatur, necesse est, eos futura significare. Qui sensus, quo esset apertior, sustuli virgulam, quæ post vocem *dii* vulgo ponitur. Hott.

6. *Et non, si significant.* Ita recte interpunxit Davisius. Negatio enim pertinet ad sequentia, atque sensus hic est: « si significant, dant utique nobis vias, etc. » Ita etiam hæc ipsa interpunguntur inf. II, 49. Vulgo autem in nostro hoc loco virgula ponitur post primam vocem, quod Ernestius mutare neglexit. Pessime ed. Cratand. *Et si non*, etc. Hott.

XXXIX. 1. *Verissima? Si ratio mecum facit*, etc. Ita omnino distinguendum. Nam hæc verba, *si ratio* seq. a superioribus sunt separanda, et jungenda cum illis, *an, dum bestiæ*, etc. Unde et signum interrogationis sustuli post verbum *condiderunt*. Ceteri sic distinguunt: « Quid est igitur, cur dubitandum sit, quin sint... verissima, si ratio mecum facit... qui urbes condiderunt? An, dum, etc. » Sed illud, opinor, verum agnoscet, quisquis et rem expenderit, et Tullii morem non ignoraverit. Simili ratione in Catil. I, 7: « Venisti paullo ante in senatum: quis te ex hac tanta frequentia, ex tot tuis amicis, ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini; vocis exspectas contumeliam, quum sis gravissimo judicio taciturnitatis oppressus? » Conf. de Fin. I, 21, init. Hott. — Hottingerum sic interpungentem probavit Rathius, et nos sequuti sumus.

2. *Si denique hoc semper ita putatum est.* Vide, annon hæc verba rejicienda sint in finem, ut post *condiderunt* legantur. Nam hoc quidem ordine sequentia verbum nullum habent,

Digitized by Google

phi, si poetæ, si sapientissimi viri, qui respublicas constituerunt, qui urbes condiderunt: an, dum bestiæ loquantur, exspectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus?

85 Nec vero quidquam aliud affertur, cur ea, quæ dico, divinandi genera nulla sint; nisi, quod difficile dictu videtur, quæ cujusque divinationis ratio, quæ causa sit. Quid enim habet[3] aruspex, cur pulmo incisus[4] etiam in bonis extis[5] dirimat tempus[6], et proferat diem? quid augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix[7] faciat ratum? quid astrologus, cur stella Jovis, aut Veneris conjuncta cum Luna[8] ad ortus puerorum salutaris sit, Saturni Martisve contraria? Cur autem deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? Quid deinde causæ sit[9], cur Cassandra furens

e quo sint apta; ni forte velis ex *putatum est*, assumere *putaverunt*; quod mihi quidem duriusculum videtur. Hott.

3. *Quid enim habet*, etc. Sc. inquiunt. Nam oratio tribuitur adversario. Hott.

4. *Pulmo incisus. Exta cæsa* mali ominis habebantur. Livius, VIII, 9: « Decio caput jecinoris a familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam diis hostiam esse ». Ovid. Met. XV, 794: «... magnosque instare tumultus, Fibra monet, cæsumque caput reperitur in extis ». Hott.

5. *Bonis extis*. Lambini editt. aliquot pro *bonis* habent *bovis*; paullo infra, pro *dirimat*, Gulielmius maluisset *perimat*: alterum autem exhibent MSS. Vide not. sequentem.

6. *Dirimat tempus*. Non erat cur Janus Gulielmius maluerit *perimat tempus*; quum latinissima sit locutio, quam præstant omnes omnino MSS. Noster de Legg. lib. II, cap. 12: « Quid, inquit, gravius, quam res susceptam *dirimi*, si unus augur *alium* dixerit ». Servius ad Virgilii Eclog. VIII, 30: « Ne quid nova nupta audiat, quo dies nuptiarum dirimatur ». Livius, lib. I, cap. 36: « Concilia populi ... ubi aves non admisissent, dirimerentur ». Idem lib. VIII, cap. 23: « Nec quemquam mortalium exstare, qui se vidisse aut audivisse quid dicat, quod auspicium dirimeret ». Ita loquitur et Plinius, H. N. lib. VIII, § 82, nec aliter Tacitus, Hist. I, 18. Dav.

7. *A dextra corvus, a sinistra cornix*. Vide supra cap. 7. Dav.

8. *Cur stella Jovis, aut Veneris conjuncta cum Luna*, etc. Ad rem vid. Manetho, Apotel. II, 445, et Jul. Firmicus, Mathes. lib. IV, cap. 1. Dav.

9. *Quid deinde causæ sit*. Revocavi lectionem a Victorio, Davisio, et Ernestio sine ratione pulsam. Illi nempe dederunt *est* pro *sit*. Quos miror non vidisse, subjunctivum esse

Digitized by Google

futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere non queat? Cur fiat quidque, quæris? Recte omnino. 86 Sed non nunc id agitur : fiat, necne fiat, id quæritur. Ut si magnetem [10] lapidem esse dicam, qui ferrum ad se alliciat et attrahat [11]; rationem cur id fiat, afferre nequeam : fieri omnino neges? Quod idem facis in divinatione; quam et cernimus ipsi, et audimus, et legimus, et a patribus accepimus [12]. Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit [13]; et postea, quam phi-

omnino aptiorem, ad dubitationem significandam. Nam, ut paullo ante dixi, isthæc omnia dicuntur ex persona ejus, qui divinationem oppugnat. Ita paullo ante habet : « cur autem deus dormientes nos moneat, vigilantes negligat? » Quod vero Wopkensius post verba *negligat* et *queat* delendum existimat signum interrogationis, ut apta tandem et illa sint ex sequenti verbo, *quæris*, in eo nimirum frustra est. Hott.

10. *Ut si magnetem*, etc. Superiora illa quærens, perinde agis, ut si, etc. An forte excidit particula conditionalis, quam verba illa, « fieri omnino neges », exigere videntur, sic restituenda? « ut si, quum magnetem lapidem esse dicam ..... fieri omnino neges ». Ita certe Cicero alibi : ut de Fin. II, 34 : « Ut si Xerxes, quum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto juncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terram navigavisset, si, quum tanto impetu in Græciam venisset, causam ejus quis ex eo quæreret », et q. s. Ubi profecto aliud agens Davisius legendum putat, *causam vero quis*, quod alioqui pendeat orationis series. Aliter lenissima mutatione locum nostrum ita licebit refingere : « tu, si magn. lap. esse dicam, qui .... fieri omnino neges? » Ita Paradox. I, sub fin. « Tu, quum tibi sive deus, sive mater rerum omnium natura, dederit animum, quo nihil est præstantius, neque divinius, sic te ipse abjicies? etc. » Adde in Catil. I, 8 : « Tu agris, tu ædificiis, etc. » Hott.

11. *Et attrahat*. Ita conjecit Lambinus, atque e cod. Pithœan. edidit Davisius. Vulgo, « *et* trahat, at rationem, etc. » Hott. — *Attrahat*. Alii, *trahat*. Utrumque recte. Plinius certe tum hoc tum illo utitur, pro eoque Lucretius, *ducere*. Rath.

12. *Accepimus. Neque ante*, etc. Ita interpungendum est, plena distinctione. Nam pronomen relativum demonstrativo excipiente, verba illa, *neque ante*, etc. ex superioribus non sunt apta. Davisius post *accepimus* modo virgulam posuit. Hott.

13. *Communis vita dubitavit*. Non dubitaverunt homines in communi vita. Wopkensius hoc loco *vitam* proprie poni pro *homine*, contendit adversus Burmannum. Sed refellitur adjecta voce *communis*. Quid enim hoc esset portenti, *communis homo*, vel *communes homines*? Neque reliqua exempla ab illo laudata, id, quod vult demonstrant, ut jam monuit Erne-

Digitized by Google

losophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in
87 quo modo esset auctoritas. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate; excepi de antiquis, præter Xenophanem, neminem; adjunxi veterem academiam, peripateticos, stoicos. Unus dissentit Epicurus. Quid vero hoc turpius [14], quam quod idem nullam sensit gratuitam [15] esse virtutem?

XL. Quis est autem, quem non moveat clarissimis monumentis testata consignataque antiquitas [1]? Calchantem augurem scribit Homerus longe optimum, eumque ducem classium fuisse [2]. At illum auspiciorum

stius in Clavi, et facile ostenderemus, si locus esset. Hott.

14. *Quid vero hoc turpius, quam quod.* Hottingerus dat: « Quid vero? hoc turpius, quam quod ». I. e. Quis miretur? Nonne turpius etiam est, quod idem sensit, etc. Hunc sensum, ut puto optimum, præstat signum interrogationis a nobis additum. Vulgo sic distinguitur: « quid vero hoc turpius, quam quod idem, etc. » Verum ita particula *quam* non abundat modo, sed obest, eamque ejecit Lambinus. Davisius autem ita legendum censet, « Qui vero hoc turpius, etc. » Quod tum denique recte haberet, si quis turpius esse, negaret. Posset et, ejecto pronomine, ita legi: « Quid vero turpius, quam quod, etc. » Sed superiorem illam medicinam, ut lenissimam, ita optimam, omnibus rite expensis, existimavi. Nunc vero inspecta altera Davisii editione, emendationem nostram illum video præcepisse. — *Quid vero hoc turpius, quam quod idem*, etc. Hoc verum esse non potest. Delendum itaque censeo aut *hoc*, aut *quam*, aut scribendum *quid quod* pro *quam quod*: Hottingeri distinctio a Davisii secunda recepta nihil adjuvat. Rath. — Et nobis videtur Rathii distinctionem non magis adjuvare; a vulgata igitur non recedere melius ducimus, quæ non omnino prava videtur.

15. *Gratuitam.* I. e. quæ non sequatur bonum aliquod s. commodum, vel ut Cicero de Finib. lib. II, c. 31, dicit, quæ non fuerit « invitata voluptatibus », nec præmiorum mercedibus evocata. Hott. — Gallice: *désintéressée.*

XL. 1. *Testata consignataque antiquitas.* Prima vox hic in significatione passiva sumitur, quod olim notavit Agellius, N. A. lib. XV, cap. 30. Sic ad Atticum, lib. I, ep. 6: « Neque dixi quidquam pro testimonio quod non erat ita notum atque testatum, ut non possem præterire ». Ita « publicis literis testata omnia » dixit pro Murena, cap. 11. Dav.

2. *Eumque ducem classium fuisse. At illum auspiciorum*, etc. Haud inepta est Gulielmii conjectura, Grutero valde laudata, et a Davisio recepta: « eumque ducem classium fuisse ad Ilium, auspiciorum credo scientia, etc. » Cui et aliqua accedit auctoritas ab Homeri versibus, Iliad. I, 71: Καὶ νίτσο' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν ἶσον ἰσῶ Ἦν δὲ μαντοσύνην, κ. τ. λ. Ve-

Digitized by Google

credo scientia, non locorum. Amphilochus[3] et Mopsus 88
Argivorum reges fuerunt, sed iidem augures; iique urbes in ora maritima Ciliciæ græcas condiderunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri, neque eorum similes, ut apud Ennium est,

Qui sui quæstus causa[4] fictas suscitant[5] sententias;

sed clari et præstantes viri, qui avibus et signis admoniti futura dicebant[6]. Quorum dè altero etiam apud inferos Homerus ait[7], solum sapere, ceteros umbrarum vagari modo. Amphiaraum autem sic honoravit fama Græciæ, deus ut haberetur, atque ut ab ejus solo, in quo est humatus[8], oracula peterentur. Quid? Asiæ 89

rumtamen textus mutandi causam idoneam ego non video, nedum necessitatem. Nam et altera lectio codd. omnium consensu firmata, non probabilis modo est, sed oppido elegans, ob usum pronominis *illum*, haud vulgarem, quem Cicero amat. Pro vulgato *classium*, *classis* dedit Ernestius e MS Guelf. quocum facit ed. Cratand. Ego malim *classi*, itemque paullo ante, *eumdemque*. Hott.

3. *Amphilochus et Mopsus*. De his vide Linden Isogium et Valesium ad Ammiani Marcellini XIV, 8. Dav.

4. *Qui sui quæstus causa*. Tale aliquid loquutus est Sophocles in OEdipo: Ὅστις ἐν τοῖς κέρδεσι Μόνον δέδορκα, τὴν τέχνην δ' ἴφυ τυφλός. Ursin.

5. *Suscitant*. Excudunt, ac proferunt. Hott.

6. *Futura dicebant*. Lambinus reponit « futura prædicebant ». At Noster, cap. 41, pari modo dixit: « partim auguriis, partim conjectura quæ essent futura dicebat ». Illic etiam viro erudito placet *prædicebat*. At infra lib. II, cap. 33, Tullius, « non enim, inquit, sumus ii nos augures, qui avium reliquorumque signorum observatione futura dicamus ». Qui locus ab eo prætermissus est intactus. Et certe nihil opus est, ut MSS deseratur lectio: nam qui rem quampiam « futuram » dicit, omnino rem quampiam prædicit. Dav.

7. *Homerus ait*, etc. Odyss. X, 494, seq. Τῷ καὶ τεθνειῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια, Οἴῳ πεπνύσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσι. E quibus aliquis suspicetur, Ciceronem scripsisse: « ceteras umbras autem vagari modo ». Ex *umbras* et *autem*, per compendium scriptis, facile fieri potuit *umbrarum*. Sed et in lectione vulgata, *ceteros umbrarum* dictum videri potest, pro *ceteras umbras*. Hott.

8. *Atque ut ab ejus solo, in quo est humatus. Ejus solum* sane nullum aliud est, quam illud, in quo est reconditus. Itaque vel pronomen, vel sequentia ex abundanti sunt addita. Sed alia porro causa locum de mendo reddit suspectum. Nimirum quum Amphiaraus terræ hiatu fuerit absorptus,

Digitized by Google

rex Priamus, nonne et Helenum filium et Cassandram filiam divinantes habebat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione et permotione [9] divina? Quo in genere Marcios quosdam fratres [10], nobili loco natos, apud majores nostros fuisse, scriptum videmus. Quid? Polyidum Corinthium [11] nonne Homerus et aliis multa, et filio ad Trojam proficiscenti mortem prædixisse commemorat? Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, iidem auguria tenebant. Ut enim sapere, sic divinare regale ducebant, ut testis est [12] nostra

sane parum, aut nimis proprie *humatus* dicitur, quamvis non sim nescius, Valerium Maximum, VIII, 16, de Amphiarao loquentem, eodem verbo fuisse usum. Sed si ille, de quo vix dubito, ad hunc Ciceronis locum respexit, nil sane inde efficitur, nisi lectionem istam esse perantiquam. Quare aut fallor, aut verba illa, « in quo est humatus », debemus glossatori. Forte tamen fuerit, qui malit, « ab eo solo », etc. » Hott.

9. *Permotione.* Vehementer displicet hoc additamentum, et abest a Venet. 1494, Sturm. Aldd. Lamb. Ex interpretatione vocabuli antecedentis natum puto : adscripsit aliquis, « pro motione », ut diserte habet Pal. sec. hinc tandem factum est *permotione.* Frustra igitur, infra II, 3, hunc locum proferunt contra Camerarium. Rath.

10. *Marc. quosdam fratres... fuisse ... scriptum videmus.* Ultima vox Grutero perperam supervacua videbatur : eodem enim modo sexcenties loquitur Noster. Marciorum vero *fratrum* meminit Servius ad Æn. VI, 70, 72. Symmachus, lib. IV, Epist. 34 : « Marciorum quidem vatum divinatio caducis corticibus inculcata est ». Plinius, H. N. lib. VII, cap. 33 : « Divinitas et quædam cœlitum societas fuit ... apud Romanos in Marcio ». Quinetiam Marcium vatem illustrem fuisse tradit, et ex ejus carminibus duo recenset Livius, lib. XXV, cap. 12. Vide Macrobium, Sat. I, 17; Festum in *negumate;* Arnobium, lib. I, p. 48; Amm. Marcellinum, XVIII, 1, et Nostrum infra cap. 50, ac lib. II, cap. 55. Dav.

11. *Polyidum Corinthium.* Ita sine dubio legendum est, non, ut antea, « Polybum Corinthium », ex Homeri loco, quem Cicero significat, qui est Iliad. N, 663 : Ἦν δέ τις Εὐχήνωρ, ΠΟΛΥΙΔΟΥ μάντιος υἱὸς Ἀφνειός τ', ἀγαθός τε, Κορινθόθι οἰκία ναίων, κ. τ. λ. Sic et lib. II de Legg. cap. 13, inter vates nominatur. P. Man. — *Polyidum Corinthium.* Polyidi mentionem faciunt etiam Clemens Alexandrinus, Strom. lib. I, pag. 399, et Lucianus, Dissert. cum Hesiodo, tom. II, pag. 487. Dav.

12. *Regale ducebant, ut testis est.* Nisi me conjectura fallit, ita legendum : « regale ducebant. Testis est nostra civitas ». Etenim lectio vulgata mihi non unam ob causam minus probatur. Primum displicet illud *ut*, tam parvo intervallo repetitum : « Ut enim sapere, sic divinare regale ducebant, ut testis est nostras civitas ».

Digitized by Google

civitas; in qua et reges augures [13], et postea privati, eodem sacerdotio præditi, rempublicam religionum auctoritate rexerunt.

XLI. Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est: si quidem et in Gallia druidæ [1] sunt, e quibus ipse Divitiacum Æduum, hospitem tuum laudatoremque, cognovi; qui et naturæ rationem, quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, et partim auguriis, partim conjectura, quæ essent futura, dicebat. Et in Persis augurantur et divinant magi, qui congregantur in fano [2] commentandi [3] causa, atque inter se colloquendi; quod etiam idem vos quondam facere nonis solebatis. Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit. Licet autem videre et genera [4] quædam, et

90

91

Sed hoc levius. Illud gravius, quod, *ut testis est*, pro, *cujus rei testis est*, vix latinum puto. Natum est, sine dubio, illud vocabulum ex duabus postremis literis verbi *ducebant*. Quo deleto, oratio multo magis spirat. Atque sic alibi Cicero, ut Acad. IV, 6: « Industria plurimum in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum »; De Offic. II, 7: « Nec vero ulla vis imperii tanta est, quæ, premente metu, possit esse diuturna. Testis est Phalaris, cujus est præter ceteros nobilitata crudelitas ». Eod. 12: « Ficta omnia celeriter, tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem. » Hott. — Hæc Hottingeri conjectura, quam elegantem dicit, Rathio placet.

13. *In qua et reges augures.* Sustuli virgulam, quam ponunt plerique post vocem *reges*. Ita sensus apertior, qui talis est: « Reges tamquam augures remp. rexerunt; s. quum resp. sub regibus esset, iidem augures fuerunt, et quum a privatis regeretur, illi quoque hoc sacerdotium tenuerunt, adeoque summus magistratus cum auguratu semper fuit conjunctus ». Hott.

XLI. 1. *Druidæ.* De his vide locum classicum in Cæs. de Bello Gall. VI, 13. Hott. — De origine hujus nominis egit Vossius ad Cæsarem, B. G. VI, 13. Rath.

2. *In fano.* Locum consecratum intelligendum esse, eo, quod Persæ ædes non habuissent, monet Ernestius. Atque eam hujus vocis propriam esse significationem docet Livius, X, 37: « In ea pugna Jovis Statoris ædem votam, ut Romulus ante voverat; sed fanum tantum, id est, locus templo effatus, jam sacratus fuerat ». Hott.

3. *Commentandi.* I. e. deliberandi, aut consulendi. Hott.

4. *Genera.* I. q. familias, ut paullo post. Hott.

Digitized by Google

nationes huic scientiæ deditas. Telmessus in Caria est; qua in urbe excellit aruspicum disciplina[5]: itemque Elis in Peloponneso familias duas certas[6] habet, Iamidarum unam, alteram Clytidarum, aruspicinæ nobilitate præstantes. In Syria Chaldæi cognitione astrorum, 92 solertiaque ingeniorum antecellunt. Etruria autem de cælo tacta scientissime animadvertit[7]: eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros senatus, tum, quum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis[8] sex singulis Etruriæ populis in disci-

5. *Telmessus in Caria est, qua in urbe excellit aruspicum disciplina.* Diserte tradit Arrianus de Exped. Alexandri, lib. II, cap. 3: vid. et Herodotum, lib. I, capp. 78, 84. Adi quoque Tatianum, cap. 1; Clementem Alexandrinum, Strom. I, p. 361, et Gregorium Nazianzenum, Or. III, pag. 100; Tertullianum de anima, cap. 46; Nonnum, Hist. LXXI. Telmessum vel Termessum alii Cariæ, alii Pisidiæ, alii denique Pamphyliæ tribuunt, nisi forsan variæ sint urbes, eodem vel non longe diverso nomine insignitæ. Vide præstantissimum virum Ezech. Sphanhemium, Diss. IX, de usu et præst. Numism. pag. 563, 564. Dav. — Et tabulam geographicam apud Herodotum, edente *Larcher*.

6. *Familias duas certas.* I. e. easdem semper, et in quibus isthoc munus perpetuo maneat: nec vero *certas* eo sensu, quo « certum quemdam hominem » multi parum latine dicunt. Horr.

7. *Scientissime animadvertit.* I. e. non temere, sed ad certas regulas illa observat, varia eorum genera, diversasque significationes distinguens accurate. De qua re consulendus omnino Plinius, Hist. Nat. lib. II, cap. 52 seqq. Horr.

8. *Ut de principum filiis*, etc. Valerius Max. I, 1: « Tantum studium, inquit, antiquis, non solum observandæ, sed etiam amplificandæ religionis fuit, ut e florentissima tum et opulentissima civitate, decem principum filii singulis Etruriæ populis, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia traderentur ». Jam Davisius etiam in nostro hoc loco, ut apud Valerium, *decem* legendum existimat, satis ingeniose numerum suspicans ita fuisse corruptum, ut pro, « principum filiis X », librarius litera *s* repetita, atque inter hanc et numerum *X* interposita *e*, dederit, *filiis sex*. Lipsius vero, Electt. II, 11, *duodecim* legendum putat, quia tot fuerint Etruriæ populi, ut adeo ad singulos populos singuli essent dimissi: Dav. contra decem ad singulos populos, adeoque centum et viginti. Horr.—Quantopere librarii in numeris exarandis errarint, nemo est, qui ignorat. Equidem malim cum Lipsio h. l. legi *duo decim*, ut singulis populis unus traditus sit in disciplinam. Vulgo legitur *sex*, et Davisius conjecit *decem*. Sed si ita volnisset Cicero, dixisset potius *seni*,

Digitized by Google

plinam traderentur, ne ars tanta, propter tenuitatem hominum[9], a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quæstum. Phryges autem, et Pisidæ, et Cilices, et Arabum natio, avium significationibus plurimum obtemperant : quod idem factitatum in Umbria accepimus.

XLII. Ac mihi quidem videntur e locis quoque 93
ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductæ. Etenim Ægyptii et Babylonii[1] in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt; Etrusci autem, quod religione imbuti studiosius, et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt; quodque propter aeris crassitudinem de cælo apud eos multa[2] fiebant, et quod ob eamdem causam multa inusitata[3] partim e

aut *deni*. Sit autem satis latine dictum *sex* aut *decem;* uterque iste numerus profecto major est, quam ut verisimilis videatur. Quid enim? 72 aut 120 etiam, percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia in Etruriam missi sunt? et quoties tandem? Rath.

9. *Tenuitatem hominum*. I. e. humilitatem atque inopiam; si nempe homines plebeii eam artem quæstus faciendi causa exercerent. Hott.

XLII. 1. *Etenim Ægyptii et Babylonii*. Ita emendavit Manutius, atque Davisius legit in MS Reg. et Cantab. Vulgo : « ut enim Ægyptii, ut Babylonii ». Hott.

2. *De cælo apud eos multa fiebant*. Hæc de varii generis meteoris esse accipienda, Burmannus monet adversus Jortinum, in Miscell. Obs. vol. III, tom. I, pro, « fiebant, feriebantur », conjicientem. Sed non attendit vir doctus ad sequentia : « et quod ob eamdem causam multa inusitata partim e cælo ... oriebantur » : quæ verba, si superiora illa de omni phænomenorum cælestium genere accipienda sint, quid tandem significare possint, non video. Quare mihi quidem non de nihilo videtur Jortini dubitatio. Interdum tamen potius visum est mendum hærere in illis, « partim e cælo »: pro quibus subiit legendum, « partim e cæno »; quod dictum foret de animalibus e limo formatis, quam vim tribuit in primis Nilo vetustas. Vid. Pomp. Mel. I, 9, 30; Ovid. Met. I, 421. Quod vero sequitur, *e terra*, illud de regno, quod dicunt, vegetabili dictum existimari posset. Hott. — Nihil nos movet Hottingeri conjectura, et vulgatam non deserendam arbitramur.

3. *Inusitata*. MS Vossianus a prima manu habebat *invisitata*, quod recepit Davisius. Sed vulgata eumdem

Digitized by Google

cælo, alia ex terra oriebantur, quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu[4], ostentorum[5] exercitatissimi interpretes exstiterunt. Quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a majoribus posita declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prædicunt; ostenta, portenta,
94 monstra, prodigia dicuntur[6]. Arabes autem, et Phryges, et Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos et montes hieme et æstate peragrantes, propterea facilius cantus avium et volatus notaverunt: eademque et Pisidiæ causa fuit, et huic nostræ Umbriæ. Tum Caria tota, præcipueque Telmesses, quos ante dixi, quod agros uberrimos maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter fœcunditatem fingi gignique possunt, in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt.

95 XLIII. Quis vero non videt, in optima quaque republica plurimum auspicia, et reliqua divinandi genera valuisse? Quis rex umquam fuit, quis populus, qui non uteretur prædictione divina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis; quo majus erat certamen et discrimen salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis

sensum habet, et Ciceronis ipsius auctoritate defenditur, qui infra II, 22, *res usitatas* dixit, sensu contrario, quamquam et ibi Davisius malit *visitatas*, præter necessitatem. Horr.

4. *Et satu.* Has voces, in codd. pluribus non occurrentes, Davisius uncinis inclusit: ego damnare non ausim. Horr.

5. *Ostentorum.* Davisius dedit *portentorum* e MS Paris. Merton. Reg. Balliol. et Cantab. quibus accedunt Oxonienses omnes et ed. Cratand. Horr.

6. *Quorum quidem vim... prodigia dicuntur.* Isthæc omnia parum ad rem faciunt, et loco alieno intrusa sunt. Neque tamen non genuina videntur. Verba illa, « ut tu soles dicere », forte maxime respiciunt ad locum simillimum, de Nat. Deor. II, 3, qui sic se habet: « prædictiones vero et præsensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ sint, ostendi, monstrari, portendi, prædici? Ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur ». Horr.

Digitized by Google

domi habent[1]. Auspicia externa videamus[2]. Nam et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt: et Lacedæmonii regibus suis augurem assessorem dederunt; itemque senibus (sic enim consilium publicum appellant) augurem interesse voluerunt; iidemque de rebus majoribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut a Dodona petebant. Lycurgus quidem, qui Lacedæmoniorum rempublicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici[3] confirmavit quas quum vellet Lysander commutare[4], eadem est 96

XLIII. 1. *Nihil sine auspiciis domi habent.* Davisius voces *domi habent* delendas censuit. Cui sine causa displicuisse videtur verbum *habent;* quod bene opponitur præcedenti *agunt*, ubi de rebus consultandis sermo est. Ita comitia *haberi* dicuntur, ut sup. 17. Multi codd. corrupte, « nihil sine auspiciis, dum habent auspicia ». Hott.

2. *Auspicia externa videamus.* Primam vocem, tamquam manifestum glossema, delere non dubitavi: quod jam ita visum Davisio, nunc reperio. Ad *externa* nim. subaud. *exempla*, solemni Ciceronis more, et in hoc, et in aliis libris: ut supra, 22: « sed propiora videamus »; 23: « Age nunc ad externa redeamus ». Vocem vero *auspicia* tam ea, quæ præcedunt, respuunt, quam quæ sequuntur. Nam quum antea scripserit, « omitto nostros, qui nihil sine extis, nihil sine auspiciis agunt », cur auspiciorum modo apud exteros mentionem faceret, præsertim quum et initio cap. « auspicia et reliqua divinandi genera » sint commemorata? Et certe, si videas sequentia, minime unis auspiciis sese continuit. Nam et *vates*, et *augures*, et *oracula*, et *somnia*, reliquaque deinceps genera commemorata legis. Quæ, ut opinor, mutationem hanc evincunt certam atque necessariam. Hott. — Vulgatam tamen, MSS fide nixi, non immutandam censemus.

3. *Leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit.* Ingenue rem narrat Polyænus, Stratag. lib. I, cap. 16: Λυκοῦργος Λακεδαιμονίους θειοτέρῳ φόβῳ κατηνάγκασεν ὑπακοῦσαι τοῖς νόμοις. Εἴ τινα νόμον ἐξεῦρεν, κωμίσας εἰς Δελφοὺς ἠρώτα τὸν θεὸν, εἰ συμφέροι. Ἡ δὲ προφῆτις χρήμασι πεπεισμένη ἀεὶ συμφέρειν ἔχρα· Οἱ Λάκωνες δὲ φόβῳ τοῦ θεοῦ τοῖς νόμοις ὡς χρησμοῖς ὑπήκουσαν. Præter innumeros scriptores quorum bene multos laudarunt Cragius, de Rep. Laced. lib. III, cap. 1, et Meursius in Miscell. Lacon. lib. II, cap. 5, adi Theodoretum, Therap. IX, p. 124 et 140. Dav.

4. *Quum vellet Lysander commutare.* Ad id, ni fallor, respicit quod tradit Cornelius Nepos in Lysandro, cap. 3: « Dolore incensus iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere: sed sentiebat id se sine ope deorum facere non posse, quod Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant. Primum Delphos corrumpere est conatus. Quum id non potuisset, Dodonam adortus

Digitized by Google

prohibitus religione. Atque etiam, qui præerant Lacedæmoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaæ fano[5], quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant[6], quia vera quietis oracula ducebant. Ad nostra jam redeo. Quoties senatus decem viros ad libros ire jussit? Quantis in rebus,
97 quamque sæpe responsis aruspicum paruit[7]? Nam et quum duo visi soles[8] essent, et quum tres lunæ, et

est. Hinc quoque repulsus, dixit se vota suscepisse, quæ Jovi Ammoni solveret, existimans se Afros facilius corrupturum ». Vide sis Diodorum Siculum, lib. XIV, pag. 244, et Plutarchum in Lysandr. p. 447. Dav.

5. *In Pasiphaæ fano, quod est*, etc. Sic prorsus legendum, non, ut vulgo, *in Pasipheæ fano*. Hanc enim vulgatam dictionem historia refellit. Plutarchus in Agide et Cleombr. pag. 797: Ἱερὸν δὲ ΠΑΣΙΦΑΗΣ, καὶ μαντεῖον, ἐν Θαλάμαις τιμώμενον, etc. Tertullianus de Anima, cap. 46 : « Nam et oraculis hoc genus stipatus est orbis, ut Amphiarai apud Oropum : Amphilochi apud Mallum : Sarpedonis, in Troade : Trophonii, in Bœotia : Mopsi, in Cilicia : Hermionæ, in Macedonia : Pasiphaæ in Laconica, etc. » Lambin. — Vide Joan. Meursii Misc. Lacon. lib. I, cap. 4. Dav.

6. *Excubabant* Alii *Incubabant*. Illud verbum, ait Hottingerus, est huic rei proprium, et græco ἐγκοιμᾶσθαι respondens. Dormiebant nimirum in templis, ad accipienda per somnum responsa. Vid. quos laudat Davisius, Servius ad Æn. VII, 85; Plaut. Curcul. act. I, sc. I, 16, et act. II, 16, etc. Ita primus conjecit Manutius, et in quibusdam libris legit Lambinus. Oxoniensis vero editio, *excubabat* memorat ex uno ψ. De ipsa re conf. Henrici Meibomii Dissert. de incubatione in fanis deorum, medicinæ causa olim facta; in Dissertationum rariorum fasciculo, a Car. Schlegero Helmstadii, anno 1742 edito : itemque Frid. Aug. Wolfium, V. Cl. *Vom Somnambulismus der Alten, in der Berlinischen Monatschrift*, septemb. 1788. Hott.

7. *Quantis in rebus, quamque sæpe responsis aruspicum paruit?* Hæc verba huc, tamquam in propriam veramque sedem, ex capitis sequentis initio transtulit Davisius. Nam vulgo hic illa modo leguntur : « quoties senatus decemviros ad libros adire jussit? » eademque hæc verba inepte repetuntur capitis proximi initio : ubi, cum ceteris, Ernestium sequuti, delevimus. Hott.

8. *Nam et quum duo visi soles ... atque in eo animadversi globi. Delata etiam*, etc. Ernestius, quod oratio non cohæreret, suspicatur, legendum esse *labe* pro *labes*; et post, *in his omnibus*, deleta copula, posita etiam, ut puto, virgula pro puncto, post vocem *globi*. Quæ viri doctissimi mutatio sensum infert, non satis Ciceronis consilio accommodatum. Nimirum Quintus ante omnia hisce exemplis monstrat : « senatum sæpius et libros Sibyllinos, et aruspicum responsa consuluisse ». Hoc primum

Digitized by Google

quum faces, et quum sol nocte visus esset, et quum e cælo fremitus auditus, et quum cælum discessisse visum est, atque in eo animadversi globi[9]. Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset, Apuliaque maximis terræ motibus conquassata esset; quibus portentis magna populo romano bella perniciosæque seditiones denuntiabantur: inque his omnibus responsa aruspicum cum Sibyllæ versibus congruebant. Quid, quum 98
Cumis Apollo sudavit[10], Capuæ Victoria? quid ortus androgyni? nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid, quod fluvius atratus[11] sanguine fluxit? quid, quum sæpe lapidum, sanguinis nonnumquam, terræ interdum, quondam etiam lactis imber defluxit[12]?

Deinde etiam illud subjungit, «responsa aruspicum cum Sibyllæ versibus congruisse». Isthæc duo confundenda non sunt. Atqui Ernestii conjectura ad posterius omnia refert. Quid igitur statuendum? Fortasse ad omnia illa «nam et quum duo, etc.» e superioribus assumendum: «senatus decemviros ad libros ire jussit». Ea vero, si cui durior ellipsis videatur; una voce geminata, locum restitui posse putem, ita nimirum legendo: «Nam et quum duo visi soles essent, et quum tres lunæ... atque in eo animadversi globi, delata: delata etiam ad senatum labes, etc.» Hott.

9. *Atque in eo animadversi globi.* Davisius istorum globorum naturam coloremque non prodi miratus, legendum suspicatur: «atque in eo ignei animadversi globi». Contra quem recte monet Wopkensius, ubi de meteoris sermo sit, vocem *globi* unam sufficere, atque ita sæpenumero «columnas, trabes, virgas, coronas» absolute nominari. Hott.

10. *Cumis Apollo sudavit.* Simulacrorum sudorem sæpe memorant historici. Vide Johannem Freinshemium ad Flori lib. II, cap. 8, 3. At aliud erat mirabilius, quod de Cumano tradiderunt Apolline: nam quatriduo flevisse nuntiatus est, ut refert Augustinus, C. D. lib. III, cap. 11, saltem triduum ac tres noctes lacrymavit, si Livio fides, lib. LVIII, cap. 15. De hujusmodi vero portentis Plutarchus optime. Adi vitam Coriolani, pag. 232. Dav.

11. *Fluvius atratus.* Reliquæ, quas vidi, editiones omnes *atratus;* unus autem Davisius *Atratus,* litera initiali majuscula dedit, ut nomen fluvii ignobilioris, qui vel exaruerit, vel cujus hodie situm nesciamus. Hott.

12. *Defluxit.* Ita recte dedit Victorius pro *effluxit*, quod locum non habet. Lectionem Victorianam firmat ed. Cratand. et Oxonienses omnes, præter unum ψ: eamque receperunt recentiores editores, inter quos Davisius. Hott.

Digitized by Google

quid, quum in Capitolio ictus Centaurus e cælo est? in Aventino portæ, et homines? Tusculi ædes Castoris et Pollucis[13], Romæque Pietatis? nonne et aruspices ea responderunt, quæ evenerunt, et in Sibyllæ libris eædem repertæ prædictiones sunt[14]?

99 XLIV. Cæciliæ, Q. filiæ, somnio, modo[1], Marsico bello, templum est a senatu Junoni Sospitæ[2] restitutum. Quod quidem somnium Sisenna quum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse, tum insolenter[3], credo, ab Epicureo aliquo inductus, disputat, somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat, exponitque initio belli Marsici

13. *Tusculi ædes Castoris et Pollucis.* Quia Tusculani Castorem et Pollucem in primis colebant. L. Servius Sulpicius Rufus ad celebrandum gentis suæ, quæ obsidione Tusculum exemerat, factum præclarum, in una parte aurei nummi Tusculum ipsum, in altera, signa Castoris et Pollucis pileata impressit. Ursinus.

14. *Prædictiones sunt?* Sequuntur hic, «quoties senatus.... paruit», e cap. superiori. Omnes a Davisio mutationem ab ipso factam comprobant.

XLIV. 1. *Somnio, modo.* Nescio, quid hic agat virgula, in ceteris editt. quas vidi, inter hasce voces interjecta, quam delevi; quod et a Davisio factum reperio in editione posteriore. Certe hoc dicit Quintus, senatum, nulla alia causa, nisi uno Cæciliæ somnio permotum templum refecisse. Interposita autem virgula, alius prodibit sensus. Nam sic erit jungendum, *modo restitutum*, i. e. *nuper*. Quem sensum, nescio an alii editores probarint, ego verum non puto. Nam inter L. Julium, P. Rutilium, quibus consulibus restitutum est hoc templum, et annum, quo Cicero librum hunc scripsit, intersunt anni 46. Quo temporis intervallo res remotæ, quomodo *nuper* gestæ dici possint, ego non intelligo. Sed *modo* de minori etiam temporis spatio, quam *nuper*, dici, ipse te docebit Cicero in Verrem, IV, 3: «Nuper homines nobiles ejusmodi, judices; ecquid dico nuper? immo vero modo, ac plane paullo ante vidisse, etc.» Hott.

2. *A senatu Junonis Sospitæ restitutum.* Recte sic dedit Davisius e Paris. pro vulgato *Junoni*. Conf. sup. 2. Hott.

3. *Tum insolenter, credo, ab Epicureo aliquo inductus.* Ursinus e cod. aliquo legendum putavit *tamen* pro *tum*: quæ quidem particulæ sæpius a librariis confusæ sunt. Neque tamen opus est mutatione. Nam sæpe ita *quum* et *tum* se excipiunt, diversas enuntiationes vel conjungentes, vel disjungentes, ut ab in. lib. I de Nat. Deor. Lectioni Ursinianæ favet ψ. — *Insolenter*, int. præter decorum, neque ex persona Sisennæ, ut qui contraria sensisset. Hott.

Digitized by Google

et deorum simulacra sudavisse, et sanguinem[4] fluxisse, et discessisse cælum; et ex occulto auditas esse voces, quæ pericula belli nuntiarent; et Lanuvii clypeos[5], quod aruspicibus tristissimum visum esset, a muribus esse derosos. Quid? quod in Annalibus habemus, Veienti bello, quum lacus Albanus præter modum crevisset, Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse[6], eumque dixisse, ex[7] fatis, quæ Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret; et, si lacus emissus lapsu et cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo romano; sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore. Ex quo illa admirabilis a majoribus Albanæ aquæ facta deductio est. Quum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex his quidam dixisse dicitur, non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere; in iisdem enim fatis scriptum Veientes habere, « Fore, ut brevi a Gallis Roma caperetur ». 100

4. *Sanguinem fluxisse.* Restituenda videtur hæc φράσις Obsequenti, qui de Prodig. cap. 83, ait: « In Græcostasi et comitio sanguine fluxit »; ubi vix, ac ne vix quidem, se Joan. Schefferus expedivit. Lege *sanguen fluxit.* Præter Veteres, eadem forma Petronius utitur Satir. cap. 59. Dav.

5. *Lanuvii clypeos.* Vide nos ad lib. II, cap. 27. Dav.

6. *Veientem quemdam ad nos hominem nobilem profugisse.* At, si Livio credimus, lib. V, cap. 15: « Senior quidem Veiens, qui inter cavillantes in stationibus ac custodiis milites romanos etruscosque vaticinantis in modum cecinit, Priusquam ex lacu Albano aqua emissa foret, numquam potiturum Veiis Romanum... Unus ex statione romana, postquam audivit aruspicem esse ... causatus de privati portenti procuratione consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. Quumque progressi ambo a suis longius essent inermes sine ullo metu, prævalens juvenis romanus senem infirmum in conspectu omnium raptum, nequidquam tumultuantibus Etruscis, ad suos transtulit. Qui Romam ad senatum missus », quæ essent Veiorum fata docuit. Et ad eumdem fere modum rem narrant Plutarchus in Camillo, pag. 130, et Valerius Maximus, lib. I, cap. 6, 3. Dav.

7. *Ex fatis.* I. e. ex vaticiniis s. oraculis. *Libros fatales* dicit Livius, V, 15. Id est, libros qui continent fata, oracula. Hott.

Digitized by Google

Quod quidem sexennio post Veios captos factum esse videmus[8].

101 XLV. Sæpe etiam et in præliis Fauni auditi; et in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto missæ esse dicuntur. Cujus generis duo sunt ex multis exempla, sed maxima. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestæ[1], qui a Palatii radice in novam viam devexus est: « Ut muri, et portæ reficerentur; futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur ». Quod neglectum, quum caveri[2] poterat, post acceptam illam maximam cladem explicatum[3] est. Ara enim Aio Loquenti[4], quam septam videmus, exadversus eum locum consecrata est. Atque etiam

8. *Esse videmus.* Vulgo *vidimus.* Nos vero MSS Paris. Med. Merton. Balliol. Reg. Cantab. ac veteres editos nostræ lectionis auctores habemus. Supra cap. 16 : « M. Crasso quid acciderit videmus, dirarum obnuntiatione neglecta ». Et cap. 40 : « Marcios quosdam fratres ... apud majores nostros fuisse scriptum videmus ». Ac, ne pluribus exemplis congerendis immorer, Noster *præsens tempus* in hisce formulis passim adhibet. Dav.

XLV. 1. *Audita vox est à luco Vestæ*, etc. Livius, lib. V, cap. 32 : « M. Cædicius de plebe nuntiavit tribunis se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare ». Ac cap. 50 : « Expiandæ vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset, mentio illata, jussumque templum in nova Via Aio Locutio fieri ». Vide sis et cap. 52. Sic etiam ΝΕΩΝ φήμης καὶ κληδόνος ædificatum tradit Plutarchus in Camillo, pag. 114. Ast « aram Aio statutam, quæ est infima nova Via », cum Nostro ponit Varro apud Agellium, lib. XVI, cap. 17. Dav.

2. *Quum caveri poterat.* Ed. Mediol. MS Guelf. et E *tum cav. pot.* Hotr.

3. *Explicatum est.* Davisius : *expiatum est.* Recepi certissimam Davisii emendationem. Nam quod in omnibus libris legitur, *explicatum est*, illud aut sensum nullum habet, aut certe minime aptum ceteris. Nam « ara illa Aio Loquenti consecrata certe nihil est explicatum » ; at vero *expiata* est culpa prodigii neglecti. Livius quoque, V, 50 : « Expiandæ, inquit, vocis nocturnæ, quæ nuntia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset, mentio illata, jussumque templum in nova Via Aio Locutio fieri ». Hotr. — Nos non deserimus vulgatam, quæ egregie intelligitur, et quam repræsentant omnes tum MSS, tum edd. J. V. L.

4. *Ara enim Aio Loquenti*, etc. Vide Livium, V, 32, 50, 52; Agellium, XVI, 17, etc. qui historiam illam narrant. J. V. L.

Digitized by Google

scriptum a multis est, quum terræ motus factus esset, « Ut sue plena procuratio fieret[5] », vocem ab æde Junonis ex arce exstitisse; quocirca Junonem illam appellatam Monetam[6]. Hæc igitur et a diis significata, et a nostris majoribus judicata[7] contemnimus?

Neque solum deorum voces Pythagorei observa- 102
verunt[8], sed etiam hominum, quæ vocant omina[9]. Quæ majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, « Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset », præfabantur; rebusque divinis, quæ publice fierent, ut « faverent linguis[10] »,

5. *Procuratio fieret.* Ut portentum *procuraretur*, i. e. sacra fierent, placando numini. Hott.

6. *Junonem illam appellatam Monetam.* A monendo. Ἥραν Μονήταν similiter σύμβουλον interpretatur Suidas in Μονήτα: sed nominis causam atque fontem modo longe diverso tradit. Dav.

7. *A nostris majoribus judicata.* Ed. Cratand. et MS E et ψ legunt *indicata*: quod vel facili calami lapsu accidit, vel natum est a correctoribus, eam verbi *judicare* vim ignorantibus. Nam hic, ut sæpius apud Ciceronem, significat, suum de rebus judicium factis declarare. De Officiis, I, 43: « Ergo hæc (actio) cognitioni anteponenda est. Atque id optimus quisque re ipsa ostendit et judicat ». Quo in loco item nonnulli libri legunt, *indicat*. Tusc. Quæst. I, 47: « Quibus (Trophonio et Agamedi) Apollo se id (quod esset optimum) daturum ostendit, post ejus diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti. Judicavisse deum dicunt, et eum quidem deum, cui reliqui dii concessissent, ut præter ceteros divinaret ». Ibid. 48: « His et talibus auctoribus usi, confirmant, causam rebus a diis immortalibus judicatam ». Hott.

8. *Observaverunt.* Ernestius sic, ut supra cap. 1, edidit, quamvis lectionem vulgatam *observitaverunt* et MS Guelf. tueretur. Hott. — Ad rem: hoc, exemplo Pythagoræ, Pythagorei fecerunt: is enim προσεῖχε καὶ φήμαις καὶ μαντείαις, καὶ κληδόσι καὶ ὅλως πᾶσι τοῖς αὐτομάτοις. Adi sis Diogenem Laertium, lib. VIII, § 20. Dav.

9. *Omina.* Propria atque prima significatione hæc vox est accipienda, qua nimirum denotat sermonem homini velut fortuito excidentem, et iis, quæ jam aguntur, rebus convenientem, quem, ut paullo post dicitur, *valere*, i. e. ratum esse, et rerum eventum, vel prosperum, vel infaustum, præsignificare, Veterum superstitio credidit. Hott.

10. *Faverent linguis.* H. e. silerent; ne loquentibus forte verbum excideret mali ominis, remque divinam turbaret. Hanc certe significationem hæc formula habuit, quamquam et alias illi, præter hanc, nonnulli adstructum eunt. Vide Brisson. de Formulis et Solemnib. I, 11, seqq. Adi et Horatium, Od. lib. I. Hott.

Digitized by Google

imperabatur; inque feriis imperandis [11], «ut litibus et jurgiis [12] se abstinerent». Itemque in lustranda colonia [13], ab eo, qui eam deduceret, et quum imperator exercitum, censor populum lustraret [14], bonis nominibus [15], qui hostias ducerent, eligebantur: quod idem in delectu consules observant, ut primus miles fiat
103 bono nomine [16]. Quæ quidem a te scis et consule, et imperatore summa religione esse servata. Prærogativam [17] etiam majores omen justorum [18] comitiorum esse voluerunt.

XLVI. Atque ego exempla ominum [1] nota profe-

11. *Inque feriis imperandis.* Valde assentior Jacobo *van Vaassen*, viro doctissimo, in animadversionibus historicocriticis ad Fastos Rom. sacros, pag. 25, postremam vocem delenti. Hott.

12. *Litibus et jurgiis.* In foro nempe, causis agendis. Hott.

13. *In lustranda colonia.* Quod fiebat solemni sacrificio. Vide Barth. ad Stat. Theb. IV, p. 1073. Hott.

14. *Censor populum lustraret.* Census item finiebatur sacrificio, quod *suovetaurilia* dicebant. Liv. I, 44. Hott.

15. *Bonis nominibus ... esse voluerunt.* Ratio est, quod, ut Ovidius, Fast. I, 178 : « Omina principiis, inquit, inesse solent ». Sic quum sub Vespasiano restituendum fuit Capitolium, « Ingressi milites, queis fausta nomina, felicibus ramis ». Rem narrat Tacitus, Hist. IV, 53, ubi nonnulla Lipsius hanc in rem notavit. Vide sis et B. Brissoninm, Form. lib. I, pag. 92, ac interpretes ad Ciceronem pro Murena, cap. 18. Dav.

16. *Ut primus miles fiat bono nomine.* De hac superstitione Festus, « Iacus, inquit, Lucrinus in vectigalibus publicis primus locatur fruendus, ominis boni gratia, ut in delectu censuve primi nominantur, Valesius, Salvius, Statorius ». Hott.

17. *Prærogativam. Prærogativa* vel centuria, vel tribus dicebatur, quæ sorte lecta, prima suffragia ferebat. Eam igitur Cicero dicit, Veteres existimasse, «omen justorum comitiorum habere», i. e. in nomine prærogativæ, si bonum foret, inesse omen, quod ostenderet, comitia justa esse, s. vitio carere, adeoque fausta rataque fore, quæ iis peragerentur. Hott.

18. *Omen justorum comitiorum.* Ita emendavit Manutius, quum antea legeretur, *omnes*, etc. Quæ emendatio quum per se evidens est, tum confirmatur inf. II, 40 : « Jam illa, favete linguis, et prærogativam, omen comitiorum ». Hott.

XLVI. 1. *Exempla ominum.* Ita conjecit Manutius, atque ediderunt Davisius et Ernestius. Vulg. *omnium*, frequenti librariorum confusione. Quæ lectio vel ideo locum non habet, quod, ut vere monet Ernestius, non *omnium* generum in sequentibus, sed nonnisi *ominum* exempla afferuntur. Hott.

Digitized by Google

ram. L. Paullus consul iterum[2], quum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obtigisset; ut ea ipsa die domum ad vesperam rediit, filiolam suam Tertiam, quæ tum erat admodum parva, osculans animadvertit tristiculam. Quid est, inquit, mea Tertia? quid tristis es? Mi pater, inquit, Persa periit. Tum ille arctius puellam complexus, Accipio, inquit, mea filia, omen. Erat autem mortuus catellus[3] eo nomine. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi, quum 104
diceret, Cæciliam Metelli, quum vellet sororis suæ filiam in matrimonium collocare, exisse in quoddam sacellum[4] ominis capiendi causa; quod fieri more veterum solebat. Quum virgo staret, et Cæcilia in sella sederet, neque diu ulla vox exstitisset, puellam defatigatam petiisse a matertera, ut sibi concederet paullisper, ut in ejus sella requiesceret[5]; illam autem dixisse, Vero[6], mea puella, tibi concedo meas sedes. Quod omen res consequuta est : ipsa enim brevi

2. *L. Paullus consul iterum.* Hoc narrant Valerius Maximus, lib. I, cap. 5, 3; Plutarchus in Paulo Æmilio, p. 260. Eamdem historiolam ex Cicerone refert etiam Nicephorus Gregoras in Synesium, de Insomn. p. 359. Joannes Sarisberiensis, Policr. I, 13, p. 45 : « Alius quoque consul quum a senatu destinaretur ad expugnandum regem Persarum, a filia, quam in ostio domus flentem obviam habuit, causam quæsivit; quumque illa responderet, Persam periisse (sic enim catulus qui forte perierat dicebatur), profectus in expeditionem triumphum non invenit, eo quod rex Persarum perierat, quando filia consulis catulum flebat amissum ». Vides ab eo scriptore *Persen* de rege Persarum, qui sæpe Persea dicitur, perperam intelligi. Dav.

3. *Erat autem mortuus catellus.* Est a nostris MSS et editione Victoriana. Vulgata enim *mortua catella.* Grut.

4. *Exisse in quoddam sacellum.* Et nocte quidem concubia, prout auctor est Valerius Maximus, lib. I, 5, 4. Dav.

5. *Ut sibi concederet paullisper, ut in ejus sella requiesceret.* Etsi *concederet* dictum videri possit pro *permitteret*, tamen ego potius prima notione accipiam, pro *locum faceret*, quod majus id convenit cum Cæciliæ responso, *tibi concedo sedes meas.* Ita vero sequentia, *ut in ejus sella requiesceret*, abesse sine desiderio patiar, ut quæ speciem habeant satis similem glossematis. Hott.

6. *Vero.* I. e. *ego vero*, etc. Al. *vere.* Male. Hott.

Digitized by Google

mortua est; virgo autem nupsit, cui Cæcilia nupta fuerat. Hæc posse contemni, vel etiam rideri, præclare intelligo: sed id ipsum est, deos non putare, quæ ab iis significantur, contemnere.

105 XLVII. Quid de auguribus loquar? Tuæ partes sunt; tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi App. Claudius[1] augur consuli nuntiavit, addubitato salutis augurio[2], bellum domesticum triste ac turbulentum fore; quod paucis post mensibus exortum[3], paucioribus a te est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer assentior: solus enim multorum annorum memoria, non decantandi augurii[4], sed divinandi tenuit disciplinam. Quem ir-

XLVII. 1. *App. Claudius.* Ita emendavit Manutius. Vulgo vitiose, *P. Claudius*, quod miror, retinuisse Ernestium. Fuit autem ille App. Claudius Pulcher, Ciceronis in auguratu collega, de quo vid. sup. 16, et inf. II, 35. Editio Oxoniensis nomen *P.* notat ex uno ψ. Ergo, si adcurate notata sit varietas, ceteri codices omnes favent correctioni Manutianæ. Hott.

2. *Addubitato salutis augurio.* Tacitus, Annal. XII, 23: « Salutis augurium quinque et viginti annis omissum repeti ac deinde continuari placitum ». Quale vero fuerit *salutis augurium*, docet Dion. lib. XXXVII, p. 40: Τότε δὴ οἱ Ῥωμαῖοι, inquit, πολέμων ἀνάπαυσιν τὸν τοῦ ἔτους χρόνον ἔσχον· ὥστε καὶ τὸ ΟΙΩΝΙΣΜΑ τὸ τῆς ΥΓΙΕΙΑΣ ὠνομασμένον διὰ πάνυ πολλοῦ ποιῆσαι. Τοῦτο δὲ μαντείας τις τρόπος ἐστὶ, πίστιν τινὰ ἔχων, εἰ ἐπιτρέπει σφίσιν ὁ Θεὸς ΥΓΙΕΙΑΝ τῷ δήμῳ αἰτῆσαι· ὡς οὐχ ὅσιον οὖτε αἰτῆσιν αὐτῆς, πρὶν συγχωρηθῆναι, γενέσθαι. Καὶ ἐτελεῖτο κατ' ἔτος ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ μηδὲν στρατόπεδον μήτε ἐπὶ πόλεμον ἔξιοι, μήτε ἀντιπαρατάττοιτό τις, μήτε ἐμάχετο. Καὶ διὰ τοῦτο ἐν τοῖς συνεχέσι κινδύνοις, καὶ μάλιστα τοῖς ἐμφυλίοις, οὐκ ἐποιεῖτο... Ἀμέλει καὶ τότε ἠθυνήθη μέν πως τὸ οἰώνισμα ἐκεῖνο ποιηθῆναι, τὸ μέντοι καὶ ΚΑΘΑΡΟΝ ἐγένετο· ἑξέδρου γάρ τινος ὄρνιθος ἐπέπταντο, καὶ διὰ τοῦτ' ἀνεμαντεύσαντο· καὶ ἄλλα δὲ αὐτοῖς σημεῖα οὐκ ἄσπα συνηνέχθη. *Salutis augurium* τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς ὑγιείας vocat etiam lib. LI, p. 457, sed τὸ οἰώνισμα τὸ τῆς Σωτηρίας rectius dixerat, ut olim monuit Is. Casaubonus ad Suetonii August. cap. 31. Vide sis et J. C. Bulengerum de Auguriis et Auspicio lib. III, cap. 17. Dav.

3. *Quod... exortum.* De bello Catilinario sermonem esse, omnes intelligent. Hott.

4. *Decantandi augurii. Decantare auguria* recte Ernestius expl. formulas tantum augurii tenere et recitare memoriter. — In hoc, ut in aliis locis bene multis, turpiter se dedit Abbas *Desmarais* ita convertens: « Au reste,

Digitized by Google

ridebant collegæ tui, eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant[5]. Quibus nulla videbatur in auguriis, aut auspiciis præsensio, aut scientia[7] veritatis futuræ; sapienter, aiebant, ad opinionem imperitorum[7] esse fictas religiones. Quod longe secus est; neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus præfuit, nec in ipso Romulo hæc calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis religionis simulacra[8] fingerent: sed difficultas laborque discendi disertam negligentiam reddidit. Malunt enim disserere, nihil esse in auspiciis, quam, quid sit, ediscere[9].

je l'approuve fort d'avoir été le seul qui depuis long-temps ait été exact à observer les règles de la divination, au lieu de les décrier, comme faisaient ses collégues ». Hott.

5. *Eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant.* Eum irridebant, ut superstitiosum. Pisidæ, ut populus auspiciorum in primis studiosus, in hoc libro non semel commemorantur.—Ceterum fuit, quum voces illas *augurem esse*, ut glossema, deletas mallem. Ita acrius dictum videbatur, si a populis et urbibus superstitiosis simpliciter *Pisida* et *Soranus* diceretur. Neque nunc penitus hanc conjecturam rejicio. Voces tamen illas ita video posse defendi, si quis dicat, Claudium collegas irrisisse, eo, quod non augur esset talis, quales erant plerique, istas religiones sapienter ad opinionem imperitorum fictas existimantes, sed vere atque ex animo huic superstitioni deditus, plane ut Pisida aliquis aut Soranus. Ita *Pisida* et *Soranus* augur opponeretur *romano* auguri. Hott.

6. *Præsensio, aut scientia.* Duas voces posteriores, quod, ad sensum haud necessariæ, quum ab editt. Ven. 1471, tum a Paris. Merton. Balliol. et Reg. abessent, uncinis inclusit Davisius. Quas ego per se eo minus damnaverim, quod iisdem sup. c. 1, divinationem definiens, Cicero fuit usus. Ceterum illas neque codices Oxonienses agnoscunt, neque edit. Cratand. nisi in margine habet. Hott.

7. *Ad opinionem imperitorum.* Id est, ad errorem atque imbecillitatem vulgi, et, ut nos fere dicimus, *ad hominem.* Hott.

8. *Religionis simulacra.* Dixit, ut puto, etymon spectans, pro *religione simulata*, qua tamquam umbra aut phantasmate aliquo populum deluderent. Hott.

9. *Malunt enim disserere, nihil esse in auspiciis, quam... ediscere.* Ista mihi plane subolent putidam glossargi alicujus eruditionem, qui explanatum vellet, cur Cicero illam negligentiam *disertam* diceret; quia nempe illi *dissererent*, etc. Hott. — Davisius non ea verba uncinis inclusit, ut solet includere quidquid a grammaticis aut libraris adjectum suspicatur.

Digitized by Google

106 Quid est illo auspicio divinius, quod apud te in Mario [10] est? ut utar potissimum te auctore :

Hic Jovis [11] altisoni subito pinnata satelles,
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Subigit [12] ipsa feris transfigens unguibus anguem
Semianimum, et varia graviter cervice micantem [13].
Quem se intorquentem lanians, rostroque cruentans,
Jam satiata animos, jam duros ulta dolores,
Abjicit efflantem, et laceratum affligit in unda [14],
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.

10. *In Mario.* Poema heroicum dicit, e libris Ciceronis deperditis. Horum versuum fulgorem laudans, eos Francogallo sermone ita expressit *Voltaire*, in præfatione ad illam tragœdiam, quam Catilinam inscripsit : « Tel on voit cet oiseau, qui porte le tonnerre, Blessé par un serpent élancé de la terre, Il s'envole, il entraîne au séjour azuré L'ennemi tortueux dont il est entouré. Le sang tombe des airs; il déchire, il dévore Le reptile acharné qui le combat encore; Il le perce, il le tient sous ses ongles vainqueurs, Par cent coups redoublés il venge ses douleurs. Le monstre en expirant se débat, se replie; Il exhale en poisons les restes de sa vie; Et l'aigle tout sanglant, fier et victorieux, Le rejette en fureur, et plane au haut des cieux ». Ciceronis versus cum similibus Homeri Virgiliique locis conferens, Merianus, elegantis doctrinæ vir, castigando sane modum haud magis tenuit, quam laudando Francogallus poeta. Vide ejus librum, *Vom dem Einflusse der Wissenschaften auf die Dichtkunst*, vol. II, p. 341, seqq. Hott.

11. *Hic Jovis.* Voltarius, in præfatione ad tragœdiam Catilinæ : « Sic Jovis», nullam auctoritatem sequutus. Hott.

12. *Subigit.* Quoniam prima syllaba hujus verbi corripitur, Lambinus, ut ratio metri constaret, duplicata litera tertia, sic scribit : *subbigit.* Turnebus et Aldus verba sic ordinant : *Ipsa feris subigit.* Gulielmus *subjicit*, Davisius *subjugat* conjecerunt. Hott.

13. *Semianimum, et varia graviter cervice micantem.* Hostiliter appetentem. Ita rectius, puto, quam de sibilis intelligas. Quod autem de splendore intelligit *Desmarais*, sic reddens, « Sous elle le serpent brille comme un éclair », id prorsus inficetum est. Hott.

14. *Affligit in unda.* Pro, *in undam.* Nam et casum sextum huic præpositioni, ubi vulgo quartus ponitur, Veteres sæpe addiderunt : quemadmodum Græci præp. εἰς et ἐν promiscue utuntur. Simillimum exemplum est apud Jul. Obseq. 71 : « Comitia quum ambitiosissime fierent, et ob hoc senatus in Capitolio haberetur, milvus volans, mustelam raptam de cella Jovis, in medio consessu patrum misit ». Ibi *in medio consessu* defendit Schefferus adversus Freinshemium. Virgilius quoque, Æn. XII, 225, eadem cum Cicerone Homeri vestigia sequutus : « prædamque ex unguibus ales Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit ». Hott.

Digitized by Google

Hanc ubi præpetibus pinnis[15] lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur,
Faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit;
Partibus intonuit cæli pater ipse sinistris:
Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen[16].

XLVIII. Atque ille Romuli auguratus, pastoralis, 107
non urbanus fuit[1]: nec fictus ad opiniones imperi-

15. *Præpetibus pinnis.* Sic Virgilius de Dædalo, Æn. VI, 15: « Præpetibus pennis *ausus se credere cælo* ». Ubi Servius hæc habet: « vel velocibus, vel felicibus. *Præpetes* autem dictæ, vel quod priora petant, vel summi volatus..... Quidam *præpetes* tradunt non tantum aves dici, quæ prosperius prævolant, sed etiam locos, quos capiunt, quod idonei felicesque sunt; unde bene Dædali *pennas præpetes*, quia de locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenit; *præpetes* enim sunt aves boni augurii; quod huic dat, quia pervenit, quo cupiebat ». Ob hanc sane locutionem Virgilius olim ab Hygino fuit reprehensus, sed immerito, prout multis ostendit Agellius, N. A. lib. VI, cap. 6, qui tamen hujusce loci Ciceroniani non meminit. Vide Statium, Thebaid. II, 39, et Amm. Marcellinum, lib. XXVII, cap. 11, pag. 546. Dav.

16. *Firmavit.* Ex augurali disciplina, secundum quam Veteres ominum petebant confirmationem. Ita Æneid. II, 691, Anchises, post ostentum illud flammæ in capite Iuli micantis: « si pietate meremur, Da deinde auxilium pater, atque hæc omine firma ». Ubi conf. Serv. Adde Brisson. de Formulis et Solemnib. I, 106. Hott. — *Sic aquilæ clarum firmavit Jupiter omen.* Apposite Servius ad Æn. II, 691: « Secundum romanum, inquit, morem petit, ut visa firmentur: non enim unum augurium vidisse sufficit, nisi confirmetur ex simili; nam si dissimilia sunt posteriora, solvuntur priora: unde est (Eclog. IX, 13): Quantum Chaonias aquila veniente columbas; nam aquila sine dubio columbis plus potest ». De aquilæ auspicio videri possit J. C. Bulengerus de Aug. et Ausp. lib. III, cap. 5. Nec indignus est qui legatur hac de re Joannes Sarisberiensis, Policr. lib. I, cap. 13, pagg. 40, 41. Dav.

XLVIII. 1. *Romuli auguratus, pastoralis, non urbanus fuit. Urbanus*, inquit Pet. Victorius, Varr. Lect. lib. XIV, cap. 12, hic valet, nisi fallor, *jocularis*, et, quod alii dixerunt, *fabulosus*, quique tamquam joco haberi risuve explodi possit. At, quod pace viri doctissimi sit dictum, iste significatus huic voci non competit, nec ad rem quidquam faciunt *urbani competitores*, quos memorat Cicero, lib. I ad Attic. Epist. 1. Ant in errore versor, aut emendandus est locus, ut inde sensus eliciatur commodus. Legendum videtur, « Romuli auguratus pastoralis, non vanus fuit, nec fictus ad opiniones imperitorum ». Vanus est mendax, futilis, seu cui nihil inerat veri. Alibi confunduntur hæ voces; et non desunt ap. latinos auctores exempla. Capitolinus in Gordianis, cap. 1, p. 75: « Sed ne ego, qui longitudinem

Digitized by Google

torum, sed a certis acceptus[2], et posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura [3], concupientes

librorum fugi multitudinemque verborum, in eam incurrisse videar, quam me urbane declinare confingo, jam rem aggrediar». Lege «quam me vane declinare confingo». Is. quidem Casaubonus id vocabulum delet: sed, ut videtur, minus recte. Dav. — *Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit.* Nescio qui factum sit, ut circa locum hunc, non ita difficilem, hæserint viri docti. *Urbanus* P. Victorius male int. *jocularis, fabulosus.* A quo dissentiens Davisius legendum putat, *vanus*, quod expl. *mendax, futilis.* Recte vero, post Jortinum, Miscell. Obs. vol. III. Ernestius ita: «Non in urbe natus est, ubi homines sunt callidiores, et ad fraudem aptiores». Quod ipse Cicero paullo ante dixit: «neque enim in pastoribus illis... hæc calliditas inesse potuit». Omnino quidquid callidum, arte compositum, denique ab agresti morum vel rusticitate, vel simplicitate alienum est, id *urbanum* dicunt scriptores latini. Ita Horat. Epist. I, 9, 11, *Frontem urbanam* ejus dicit, qui rusticum in petendo pudorem excussit. Itemque Cicero pro Cœlio, 15, corruptis moribus hominem, *urbanissimum*. Hott.

2. *Sed a certis acceptus.* Quid hæc significent, nemo interpretum dicit. Unus Ernestius fatetur, se in voce *certis* subinde hæsisse. Sed *certi homines*, inquit, sunt, qui verum tenebant, nec decipere alios figmentis cuperent, quibus fides haberi recte poterat. Ego vero fateor, eam interpretationem mihi parum satisfacere. Nam primum non hoc agitur, ut pateat, Romulum et Remum ipsos verum tenuisse (quod quidem probare neganti perquam fuerit difficile), sed ut ab omni fraudis suspicione liberentur. Itaque contextui nonnisi altera apta est significatio, qua *certi* sunt *fide digni*, s. *fallere nolentes.* Ita vero non quadrat additum *acceptus.* Quid enim attinet, dicere, quo animo fuerint *erga alios*, quum auguratum *ipsi acciperent?* Nimirum sine dolo *dedisse* poterant, cum dolo *accepisse* pro se haud poterant. Itaque mihi locus de mendo suspectus est: quem me restituisse spero, legentem *certantibus* pro *certis*, quod posterius natum videlicet e compendiaria scriptura. Ita justa erit oppositio. «Romuli auguratus pastoralis fuit, non urbanus: non fuit *fictus* ad alios decipiendos, sed *acceptus* ab ipsis auctoribus ad litem inter se dijudicandam». Quod ipsum dicitur paullo post, illo Ennii versu: «Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent». Hott.

3. *Curantes magna cum cura.* Loquendi modus Here. Ciofanum male habuit; quapropter ex vetere libro reponit, «certantes magna cum cura». Sed alii omnes MSS vulgatam lectionem servant, nec ipsa φράσις haberi vitiosa debet: eodem enim modo Plautus, Menæchm. act. V, sc. IV, 7: «Magna cum cura ego illum curari volo». Ac iterum vs. 9: «Ita ego illum eum magna cura curabo tibi». Vide Hier. Columnam ad Ennii Fragm. p. 19. Dav. — *Curantes magna*, etc. Malim autem intelligere de animo sol-

Digitized by Google

Regni, dant operam simul auspicio, augurioque [4].
Hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam
Solus avem servat. At Romulu' pulcher in alto
Quærit Aventino [5], servans genus altivolantum.
Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent [6].
Omnibu' cura viris [7], uter esset induperator;

licito, atque inter spem metumque suspenso, quam de religiosa diligentia in observando augurio; qui sensus b. l. mihi tenuior videtur, quamvis exempla a Davisio allata eo fere spectant. Horr.

4. *Auspicio, augurioque.* Num hæc duo, suadente versu, pro uno posuerit, an accurate voluerit discreta, non facile dixerim, ut neque illud satis sciam, hancne diligentiam, an negligentiam illam malim. Si tamen quid discriminis sit faciendum, *auspicium*, opinor, de *volatu* potius, *augurium* de *cantu* accipiendum. Horr.

5. *Quærit Aventino.* Nisi menda forte subsit, Ennio cum reliquis scriptoribus non convenit: hi enim Romulo *Palatinum*, Remo *Aventinum* tribuunt montem. Vide Livium, lib. I, cap. 7; Dionysium Halicarnassensem, lib. I, cap. 86; Florum, lib. I, cap. 1, 6, et Festum in *Remurinus ager*, Certe Remum illic auspicatum fuisse tam constabat, ut ea de causa mons Aventinus extra pomœrium fuerit. Vide Senecam de Brev. vitæ, cap. 4, et Agellium, N. A. lib. XIII, c. 14. Dav. — *Aventino.* Ennium in hoc a Livio, ceterisque scriptoribus, qui Remum in Aventino ponunt, dissentire, post Manutium, observatum est a Davisio et Wopkensio, qui quidem correctionem tentat, qua opus non est. Nam hic sine dubio memoriæ est lapsus, in poeta non eodem modo, quo in rerum scriptore æstimandus. Horr.

6. *Romam Remoramne vocarent.* Alii *Remamne;* alii *Romamne Remamne;* sed recepta præstat lectio, quam firmat Med. Festus: « Remurinus ager dictus, quia possessus est a Remo. Et habitatio Remi, Remora. Sed et locus in summo Aventino Remoria dicitur, ubi Remus de urbe condenda fuerat auspicatus ». Hinc apud Plutarchum in Rom. pag. 22, non Ῥεμώνιον, sed Ῥεμώριον legendum, licet hunc locum Ῥεμορίαν rectius vocet Dionysius Halicarnassensis, lib. I, cap. 85, si modo codicem Vatic. sequamur. Paullus in Compendio: « Romam Romulus de suo nomine appellavit; sed ideo Romam, non Romulam, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriæ suæ ominaretur ». Et Romam quidem ἐπώνυμον Romuli fuisse quamplurimis traditur: dissentiunt tamen aliqui. Vide sis interpretes ad Festum voce *Roma;* Servium in Æn. I, 277, et Panc. Maasvicium ad Polyæni Stratag. lib. VIII, cap. 25, 2. Dav.

7. *Omnibu' cura viris, uter esset induperator.* Alii, *omnis cura viris.* Hanc lectionem, quam exhibent Dav. et alii ante illum editores, meo judicio haud paullo meliorem, vett. edd. tum MSS Reg. Cantab. E, U, et ψ obsequutus recepi. *Omnis cura* nimirum dictum, pro *summa cura*, usu illo vocabuli elegantiore, quem amant scriptores latini, imitati Græcos, apud quos sæpius legitur illud, τοῦτο ποιεῖν πᾶσά ἐστιν ἀνάγκη, et similia. Ita Cicero de Offic. I, 20: « Cavenda est gloriæ cupiditas.... Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris

Digitized by Google

Exspectant, veluti, consul quum mittere signum[8]
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
Quam mox[9] emittat pictis ex faucibu'[10] currus:
Sic exspectabat populus, atque ore timebat[11]
Rebus[12], utri magni victoria sit data regni.
Interea sol albu' recessit in infera noctis[13];
Exin candida se radiis dedit icta foras lux[14]:
Et simul ex alto longe pulcherrima præpes
Læva volavit avis[15]; simul aureus exoritur sol.
Cedunt de cælo ter quatuor corpora sancta

omnis debet esse contentio ». Id. eod. 30 : « Belluæ nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu ». Virg. Æneid. I, 646 : « Omnis in Ascanio cari stat cura parentis ». Idem Cir. 126 : « Ergo omnis caro residebat cura capillo ». HOTT. — *Induperator.* Antique, pro *imperator.* Nam *indo*, vel *endo*, pro *in*, et in antiquis monumentis, et in vetustissimis scriptoribus sæpe legitur. HOTT.

8. *Consul quum mittere signum.* Consulem dedisse signum mittendis quadrigis, præter hunc locum, docet Livius, XLV, 1, quamvis et dictatori, et prætori hoc munus tribuitur ab eodem, IX, 40. HOTT.

9. *Quam mox.* Ita conjecit Turnebus, et Gruterus legit in Pal. sec. Al. *qua mox.* HOTT.

10. *Pictis ex faucibu'.* Ostia dicit, unde currus emittebantur. HOTT.

11. *Atque ore timebat.* Turnebus conjecit, *atque ora tenebat*, quod etiam legitur in edd. Mediol. et Cratand. Atque sic edidit Lambinus, lectionem vulgatam ferri non posse judicans, quæ non ferri modo potest, sed certe pulcherrima est, de sollicitudine ac timore accipienda, qui in spectantium vultu sese proderet, ut intelligenter monuit Gruterus. Eodem plane modo Virgilius de columbæ trepidatione, Æn. V, 505 : « Intremuit malus, timuitque exterrita pennis Ales ». HOTT.

12. *Rebus.* Eventui. HOTT.

13. *Recessit in infera noctis.* Hæc ex poetarum usu intelligenda, qui fingunt, noctem surgere venientem, præcipitari decedentem. Ovid. Met. IV, 9 : «... lux tarde decedere visa Præcipitatur aquis, et aquis nox surgit ab isdem ». Conf. Heynii, viri summi, excursum II ad Æneid. lib. II. Itaque sol occidens nocti occurrit, et in illam quasi præcipitatur. HOTT.

14. *Se radiis dedit icta foras lux. Lux*, i. e. dies *se foras dedit*, s. comparuit, *radiis icta*, i. e. cum solis radiis emicantibus simul erumpens. HOTT.

15. *Præpes ... avis. Præpes* sæpe nihil aliud sign. quam *velox :* sed in disciplina augurali, *præpetes* dicuntur aves, quæ secundum auspicium faciunt, s. ut Hyginus apud Gellium, Noctt. Att. VI, 6, tradit, « quæ aut opportune prævolant (ante auspicantem), aut idoneas sedes capiunt ». Deinde, ut est apud eumdem Gellium, « ipsæ sedes, s. loca, quæ aves illæ capiunt, præpetia dicuntur », i. e. prospera s. secunda : atque ita intelligenda sunt, quæ paullo post dicuntur : « præpetibus sese pulchrisque locis dant ». HOTT.

Digitized by Google

Avium, præpetibus [16] sese pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna, solumque [17].

XLIX. Sed unde huc digressa est, eodem redeat 109
oratio. Si nihil queam disputare, quamobrem quidque fiat; et tantummodo, fieri ea, quæ commemoravi, doceam: parumne Epicuro Carneadive respondeam? Quid, si etiam ratio exstat artificiosæ præsensionis, facilis; divinæ autem, paullo obscurior? Quæ enim extis, quæ fulguribus [1], quæ portentis, quæ astris præsentiuntur, hæc notata sunt observatione diuturna. Affert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam [2]; quæ potest esse etiam sine motu atque impulsu deorum, quum, quid ex quoque [3] eveniat, et quid quamque rem significet [4], crebra animadversione perspectum est. Altera divinatio est naturalis, ut ante dixi: quæ 110

16. *Avium, præpetibus*, etc. Locum istum Gellius l. c. lapsus, sine dubio, memoria, sic laudat: « Præpetibus hilares sese pulchrisque locis dant ». Hott.

17. *Scamna, solumque*. Periphrasin regni esse, dicit Ernestius. Sed quid *solum* hic significet, difficilius est dictu, niai forte pro *fundamento* positum, quod tamen duriusculum. Hott.

XLIX. 1. *Fulguribus*. Davisius, *fulgoribus*; et cum eo Hottingerus.

2. *Incredibilem scientiam. Credibilem scientiam* edere minime dubitavi, quamvis conjectura mea omni præsidio externo sit destituta. Nam, quod scio, constans lectio hæc est: *incredibilem scientiam*. Quod, quomodo viri docti concoquere potuerint, equidem miror vehementer. Ut enim concedam, *incredibilem fidem* forte dici posse, *incredibili scientia* certe non judicium modo meum, sed ipsæ pæne aures offenduntur. *Credibilis* autem *scientia* ea est, quæ non certa, sed probabilis. Loquitur nempe Quintus de divinatione *artificiosa*, quam idem supra, cap. 14, simillimo vocabulo *opinabilem* dixerat: « Quæ tandem id ars non habet? earum dico artium, quæ conjectura continentur, et sunt opinabiles ». Paulloque post: « similis est aruspicum responsio omnisque opinabilis divinatio ». Eodem modo *conjecturam credibilem* dicit inf. II, 26. Hott. — Hottingero parendum censet Rath. sed Davisius pro vulgata stat.

3. *Ex quoque*. I. e. post quodque signum. Nam præpositionem hic successionem magis, quam causam indicare, clarum est. Hott.

4. *Quid quamque rem significet*.

Digitized by Google

physica disputandi subtilitate[5] referenda est ad naturam deorum; a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos[6] habemus: quumque omnia completa et referta sint æterno sensu[7], et mente divina, necesse est cognatione[8] divinorum animorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes animi[9] vitæ necessitatibus serviunt, dijunguntque se
111 a societate divina, vinclis corporis impediti. Rarum est quoddam genus eorum, qui se a corpore avo-

Quæ signa unumquodque eventum præsignificent. Horr.

5. *Physica disputandi subtilitate.* Si velis accuratius, et subtilitate philosophica in ejus causam et originem inquirere. Horr.

6. *Haustos animos et libatos habemus.* Animos nostros ex mente divina decerptos esse docuerunt Pythagorici, Platonici, Stoicique, quos e veteribus hæreticis plurimi sunt sequuti. Cicero de Senectute, cap. 21: « Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque ... numquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos haberemus ». Idem, Tusc. V, 13: « Humanus autem animus, decerptus ex mente divina, cum nullo alio nisi cum ipso deo ... comparari potest ». Ubi nos plura. Vide Plutarchum, Quæst. Plat. pag. 1001; Just. Lipsium, Phys. Stoicæ lib. III, Diss. 8; P. D. Huetium, Origen. lib. II, Quæst. VI, 3, et J. B. Cotelerium ad Clementis Hom. XVI, cap. 16. Dav. — Olim: *haustos et delibatos*, vel *haustos aut delibatos*.

7. *Æterno sensu.* I. e. naturis sentientibus. Conf. inf. II, 88. Horr.

8. *Cognatione divinorum animorum.* Omnino legendum crediderim *contagione*, quæ vox *contactum* passim denotat: quum enim « omnia completa et referta sint æterno sensu et mente divina »; non tam *cognatione*, quam *contactu* divinorum animorum commoventur animi humani. Est autem hoc dogma Stoæ de Pythagoricis et Platonicis haustum fontibus. Præter alios bene multos, vide Ciceronem, N. D. lib. I, cap. 11, et Origenem contra Celsum, lib. VI, p. 324, 325. Dav. — Elegans est conjectura Daviaii, pro *cognatione*, legentis *contagione*, sed vera non videtur. Certe Cicero infra II, 14, ut bene monuit Ernestius, de eadem re eodem utitur vocabulo, pro conjunctione, s. *contagione*. « Ut enim jam sit aliqua in natura rerum cognatio, etc. » Item de Nat. Deor. II, 7: « Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio, quem non cogat, etc. » Horr.

9. *Sed vigilantes animi.* Davisius legendum putat, *vigilantium animi*; propterea, quod pro Quinti sententia vel *in somniis vigeant*, adeoque *vigilent* animi: nimis subtiliter, ut recte monuit Wopkensius, laudans II, 62 et 63, ubi item *animus vigilans* dicitur, pro *homine vigilante*. Horr. — Non rara sunt exempla, quæ Wopkensii interpretationem confirmant.

Digitized by Google

cent[10], et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur. Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanæ[11]. Nam et natura futura præsentiunt, ut aquarum fluxiones[12], et deflagrationem futuram aliquando cæli atque terrarum. Alii autem, in republica exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus[13], orientem tyrannidem multo ante prospiciunt, quos prudentes possumus dicere, id est, providentes, divinos nullo modo possumus, non plus,

10. *Qui se a corpore avocent.* Hoc fit, quum ἡ ψυχὴ καθ' ἑαυτὴν ἐπισκέπτηταί τι τῶν νοητῶν· καὶ τότε γὰρ, ὡς οἷόν τε, τοῦ σώματος ἑαυτὴν χωρίζει καὶ καθ' ἑαυτὴν γίνεται, ἵν' οὕτως ἐπιβάλῃ τοῖς οὖσιν, ut loquitur Nemesius, de Nat. Hom. pag. 98. Affectiones enim corporeæ tantum veritatis cognitioni ferunt impedimentum, ut τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτο ἦ τῶν φιλοσόφων λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος. Quæ verba sunt Platonis in Phædon. pag. 379. Ad ea respicit Clemens Alexandrinus, Strom. lib. IV, p. 569. Vide sis et lib. V, pagg. 686, 712. Plato videlicet, ut ait Macrobius in Somn. Scip. lib. I, cap. 13: « duas mortes hominis novit ... quarum unam natura, virtutes alteram præstant. Homo enim moritur, quum anima adhuc in corpore constituta, corporeas illecebras, philosophia docente, contemnit, et cupiditatum dulces insidias reliquasque omnes exuitur (lego *exuit*) passiones ». Plura diximus ad Tusc. lib. I, cap. 31. Dav.

11. *Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanæ.* Maximus Tyrius, Diss. XIX, § 5: Αὐχμοὺς μὲν καὶ ἀνομβρίας (ex MS Harleiano scribendum ἐπομβρίας, quod pluribus olim demonstrabo), καὶ σεισμοὺς γῆς, καὶ πυρὸς ἐκβολὰς, καὶ πνευμάτων ἐμβολὰς, καὶ ἀέρων μεταβολὰς οὐ θεὸς οἶδε μόνος, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπων ὅσοι δαιμόνιοι. Supposititias Clemens, Hom. III, c. 11: Ἀ γὰρ (leg. καὶ γὰρ) οἱ ἰατροὶ προλέγουσιν ὑποβεβλημένην ὕλην ἔχοντες τὸν σφυγμὸν, καὶ οἱ μὲν πτηνὰ, οἱ δὲ θύματα, καὶ ἄλλοι ἄλλας ὕλας πολλὰς διαφόρους ὑποβεβλήμενας ἔχοντες, προλέγουσι, καὶ προφῆται οὐκ εἰσίν. Hinc est, quod Chilon Lacedæmonius dixerit πρόνοιαν περὶ τοῦ μέλλοντος λογισμῷ καταληπτὴν, εἶναι ἀνδρὸς ἀρετήν. Vide Diogenem Laertium, lib. I, § 68. At ἰατροῖς καὶ συμβούλοις καὶ κυβερνήταις artificiosam divinationem tribuit Suidas in προφητεία. Vide sis et Augustinum de Divin. Dæm. cap. 4. Dav.

12. *Fluxiones. Eluviones* emendavit Turnebus. Sic Cic. in Somn. Scip. 7, « eluviones exustionesque terrarum » dicit. Add. de Offic. II, 5. Horr.

13. *Ut de Atheniensi Solone accepimus.* Rem narrant permulti historiarum scriptores, inter quos Valerius Maximus, lib. V, cap. 3, extern. « Solon Pisistrati tyrannidem primus vidit orientem, et solus armis opprimi debere palam dictitare ausus est ». Similia tradunt Diogenes Laertius, lib. I, § 59; Plutarch. in Solone, p. 55, et Ælianus, V. H. lib. VIII, cap. 16. Dav.

33.

Digitized by Google

quam Milesium Thalem[14]; qui, ut objurgatores suos convinceret, ostenderetque, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse[15], omnem oleam, antequam florere cœpisset, in agro Milesio coemisse dicitur. Animadverterat fortasse quadam
112 scientia, olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quæ Astyage regnante facta est[16], prædixisse fertur.

L. Multa medici, multa gubernatores, agricolæ etiam multa præsentiunt; sed nullam eorum divinationem voco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedæmonii sunt, ut urbem et tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terræ motus instaret, tum, quum et urbs tota corruit, et ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est[1]. Ne Pherecydes quidem ille Pythagoræ magister, potius divinus habebitur, quam physicus; qui quum vidisset haustam aquam de jugi puteo,
113 terræ motus dixit instare[2]. Nec vero umquam animus

14. *Milesium Thalem.* Sumpsit hoc ab Aristotele, ex lib. I Polit. cap. 40. Ursinus.

15. *Pecuniam facere posse.* Hujus formulæ latinitatem vindicantem vide Vorstium, de latinitate falso suspecta, cap. 9. Hott.

16. *Quæ Astyage regnante facta est.* Astyage quidem regnante, factum est solis deliquium quod prædicere potuit Thales. Sed prior est eclipsis illa, quam ab hoc philosopho prænuntiatam sub Cyaxare Astyagis patre contigisse referunt scriptores. Vid. Clemens Alexandrinus, Strom. lib. I. Dav.

L. 1. *Extrema montis quasi puppis avulsa est.* Codd. Reg. et Cantab. legunt, « extrema pars montis, quasi puppis ». Sed *pars* sine dubio est a glossatore. Davisius ita legendum censet, « ex monte Taygeto quasi puppis avulsa est », ne scilicet vocabulum *montis* tam parvo intervallo repetatur. Ego, si quid mutandum videatur, malim, *monte* priori loco deleto, sic legere : « et ex Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est ». Wopkensii autem conjectura, « extremitas quasi puppis », aut « extrema navis quasi puppis », nihil est. Sed nihil muto. Hott.

2. *Quum vidisset haustam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit instare.* Maximus Tyrius, Diss. XIX, § 5 : Φερεκύδης σεισμὸν Σαμίοις προεμήνυσε. Plinius, N. H. lib. II, § 81 : « Perhibetur Pherecydes haustu aquæ ex puteo præsensisse et prædixisse ibi

Digitized by Google

hominis naturaliter divinat, nisi quum ita solutus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore : quod aut vatibus contingit, aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicæarcho probantur, et, ut dixi, a Cratippo nostro. Si propterea, quod ea proficiscuntur a natura, sint summa sane, modo ne sola. Sin autem nihil esse in observatione putant, multa tollunt, quibus vitæ ratio continetur[3]. Sed quoniam dant aliquid, idque non parvum, vaticinationes[4] cum somniis; nihil est, quod cum his magnopere pugnemus, præsertim quum sint, qui omnino nullam divinationem probent[5]. Ergo et ii, quorum animi, spretis corpo- 114

terræ motum ». Quod autem Apollonius, Hist. Mir. cap. 5, aliique nonnulli tradant hoc prædixisse Pherecydem ἀνωμβίνος ἐκ φρέατος ὕδατος ΠΙΟΝΤΑ, Conr. Rittershusius ad Porphyrii vit. Pythag. n. 29; Th. Aldobrandinus et Æg. Menagius ad Laertii II, 116, Nostrum scripsisse censent, quum « bibisset haustam aquam de jugi puteo ». Sed nihil est mutandum : nam Noster infra lib. II, cap. 13, receptam lectionem servat, et, quod librarios omni culpæ suspicione liberat, addit « etiamne futurum esse aquæ jugis colore præsentiunt? » adeo ut *visui*, non *gustui*, rem tribuat Cicero. Certe in parvi momenti circumstantiis frequens est auctorum dissensus. Nec visus huic rei peragendæ censeatur ineptus : nam, futuro terræ motu, « est in puteis turbidior aqua », ut ait Plinius, lib. II, § 83. Hanc vero prædictionem nonnulli Pythagoræ discipulo Pherecydis adscribunt. Iamblichus, vit. Pythag. § 136 : Λέγεται δ' ὅτι καὶ σεισμὸν ἐσόμενον ἐπὶ φρέατος, οὗ ἐτύσατο, προσηγόρευσε. Sane quod de Pythagora narravit Andron, id Pherecydi dedit Theopompus. Vide Eusebium, Præp. Evang. lib. X, cap. 3. Dav.

3. *Quibus vitæ ratio continetur.* I. e. quæ valent in vita quotidiana, et ad quæ nos in rebus gerendis componimus. Loquitur nempe de eventuum, quam dicunt, similium exspectatione. Dav.

4. *Vaticinationes cum somniis.* Verba ista Davisio glossema videntur; non mihi. Hott.

5. *Qui omnino nullam divinationem probent.* Davisius e MS Paris. dedit, *probant :* quod, ut satis latine dicatur, valde vereor. Nam etsi, *sunt, qui hoc probant*, haud recte dici, minime cum Ernestio contendam, tamen, « quum sint, qui hoc probant », vel a Cicerone, vel a melioris notæ scriptore ullo umquam dictum fuisse, nemini credam, nisi pluribus clarissimisque exemplis demonstranti. Hott. — Quum verbo substantivo nihil additum est, quo istud *qui* accuratius definiatur, subjunctivum adhibent Veteres. Hac de re aliter sentit Heusing. ad Cic. Offic. I, 24; sed nullum facit locorum discrimen. Conf. ibidem ejusdem indicem, v. *sunt, qui :* Er-

Digitized by Google

ribus, evolant atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profecto, quæ vaticinantes prænuntiant : multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhærent; ut ii, qui sono quodam vocum [6] et Phrygiis cantibus [7] incitantur : multos nemora, silvæque [8]; multos amnes, aut maria commovent; quorum furibunda mens videt ante multo, quæ futura sunt. Quo de genere illa sunt,

> Eheu, videte! judicavit inclytum judicium
> Inter deas tres [9] aliquis [10]; quo judicio Lacedæmonia
> Mulier [11], furiarum una, adveniet.

Eodem enim modo [12] multa a vaticinantibus sæpe prædicta sunt, neque solum verbis, sed etiam

nestii init. Rhet. p. 136; Schelleri Lex. Lat. v. *sunt*, p. 10857. Rath.

6. *Sono quodam vocum.* Modis qui, busdam in cantu. Conf. sup. cap. 36, sub fin. Hott.

7. *Phrygiis cantibus.* Loquitur de tibiis, quarum usus erat in sacris Cybeles s. Matris Deum, quibus singularem vim ad concitandos animos tribuebat antiquitas. Seneca, Ep. 108 : « Quidam ad magnificas voces excitantur, et transeunt in affectum dicentium, alacres vultu et animo : nec aliter concitantur, quam solent Phrygii tibicinis sono semiviri, et ex imperio furentes ». Itemque Lucret. de Nat. Rer. II, 620 : « Phrygio stimulat numero cava tibia mentes ». Vide Bartholin. de tibiis vett. II, 1 et 8. Hott. — Adde Maximum Tyrium, Dissert. XXXVIII, 2, et Aretæum de Causis et signis diuturn. morb. I, 6, pag. 38. Dav.

8. *Multos nemora, silvæque*, etc. Egregie Seneca, Ep. 41 : « Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitum altitudinem egressis frequens lucus, et conspectum cæli densitate ramorum, aliorum alios protegentium, submovens, illa proceritas silvæ, et secretum loci, et admiratio umbræ, in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit ». Hott.

9. *Inter deas tres.* Davisius, *deas tris*. Ceterum versibus istis suam sic reddi posse mensuram, Davisius existimat : « Eheu videte, judicavit inclytum Judicium inter deas tris aliquis, Quo judicio Lacedæmonia Mulier, furiarum una, adveniet ». Hott.

10. *Aliquis.* Paris, arbiter dirimendæ liti inter Junonem, Venerem, et Minervam. Hott.

11. *Lacedæmonia Mulier.* Helena, *furia*, ob bellum Trojæ exitiosum. Cassandram hic quoque induci loquentem, ni fallor, clarum est, ab eodem, ut opinor, poeta, a quo profecta sunt illa, quæ leguntur supra cap. 31. Hott.

12. *Eodem enim modo.* Particulam causalem abundare judicat Davisius.

Digitized by Google

Versibu', quos olim Fauni, vatesque canebant.

Similiter Marcius[13] et Publicius vates cecinisse dicun- 115
tur. Quo e genere Apollinis operta prolata[14] sunt. Credo etiam anhelitus[15] quosdam fuisse terrarum; quibus inflatæ mentes oracula funderent.

LI. Atque hæc quidem vatum ratio est: nec dissimilis sane somniorum. Nam quæ vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnis, liberque sensibus ab omni impeditione curarum[1], jacente et mortuo pæne corpore.

sed parum, hæc scribens, vir doctus attendit ad sermonis contextum. Nempe dixerat Quintus, mentem eorum, qui per furorem vaticinentur, quæ sint futura, velut si coram agerentur, cernere. Id *illustrat* magis, quam *probat*, versibus illis, quibus Cassandra inducitur, illud Paridis judicium quasi oculis spectans: *Eheu, videte*, etc. Tum pergit: « Nam non aliter in vita vaticinantes sæpe futura prædixerunt ». Hott.

13. *Marcius*. Vide sup. ad cap. 40. Hott.

14. *Apollinis operta prolata*. Ed. Cratandri mendose, *Apollinis opera*, etc. Sic autem vocat, opinor, Apollinis oracula, ab necnio quo, collecta, unoque libro comprehensa, qui eo titulo esset inscriptus. Fortasse illud Chrysippi volumen intelligendum, oraculis Apollinis impletum, de quo legimus infra, II, 56. Certe de utroque eadem prædicat, II, 55: « Nec Marciis vatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo; quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, etc. » Eod. 56: « Tuis oraculis Chrysippus totum volumen implevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris ». Hott.

15. *Credo etiam anhelitus*, etc. Hæc quo modo cum superioribus cohæreant, forte quis primo adspectu miretur. Sed nimirum conjungenda sunt, non cum proximis, sed referenda ad illa, « multisque rebus inflammantur tales animi, etc. » Ibi commemorat Quintus causas illas, quibus vaticinantium animi possint commoveri. Deinde interserit exempla nonnulla ejus furoris, quo mens videat ante, quæ sint futura. A quibus iterum pergit ad ejus furoris causas. Hott.

LI. 1. *Liberque sensibus ab omni impeditione curarum*. Recepi Davisii emendationem, pro *ab omni*, quod vulgo obtinet, *ac omni* legentis. Atque sic etiam codd. Oxonienses E et U legunt, si notanti fides, qui lectionem vulgatam ex uno ψ refert. Davisii conjecturam firmant illa, quæ inf. II, 11, hunc in modum leguntur: « Illud autem naturale (genus divinationis) aut concitatione mentis edi et quasi fundi videbatur, aut animo per somnum sensibus et curis vacuo provideri ». Malim præterea, deleta copula, sic legere: « in somnis, liber sensibus ac omni, etc. » quod ita mihi visum prius, quam virum doctum sic conjecisse, ex addendis ed. Davis.

Digitized by Google

Qui quia vixit ab omni æternitate, versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quæ in natura rerum sunt, videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus, ut sopito corpore
116 ipse vigilet. Hæc somniantis est divinatio. Hic magna quædam exoritur, neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio[2]; eodemque modo et oraculorum et vaticinationum: sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum[3]. Nam ut aurum et argentum, æs, ferrum frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset, quemadmodum ad eorum venas perveniretur; nec fruges terræ, baccasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones[4] tradidisset; materiave quid juvaret, nisi confectionis[5] ejus fabricam haberemus? sic cum omni utilitate, quam dii

prioris intelligerem. Fatetur quidem conjecturam meam MSS et edd. auctoritate egere. Hott.

2. *Hic magna quædam exoritur... somniorum Antiphontis interpretatio.* Sic brevius dixit, pro : « somniorum interpretatio, ab Antiphonte tentata ». Vide I, 20, II, 70. Hott. — De hoc homine videas licet Menagium ad Diogenis Laertii lib. II, § 46. Dav.

3. *Sunt enim explanatores, ut grammatici poetarum.* Viri doeti plures hic aliquid deesse rati, alius alio modo suppleverunt. Lambinus legit : « sunt enim harum rerum explanatores ». Reg. et Cantab. habent, « sunt enim explanatores somniorum », aperto glossemate : ex quo legendum suspicatur Davisius : « sunt enim explanatores omnium horum ». Mihi neque sensus obscurus, neque ita dura ellipsis videtur, ut aliquid addendum censeam.

4. *Conditiones.* Modos earum condiendarum, ut cibo essent aptiores, et jucundiores. Ernest.

5. *Confectionis.* Hott. *consectionis.* Reduximus, ait, veterem lectionem, a Victorio pulsam, qui dedit ex nonnullis codd. *confectionis*, sequaci editorum turba, laudans illa de Nat. Deor. II, 60 : « Arborum autem confectione, omnique materia et cultu, et silvestri, etc. » Sed et ibi plures habent *consectionis* : quæ sine dubio et hic et ibi vera est lectio. Certe *confectionis* vocabulum pro *tractatione*, et *ad usum*, ut hoc utar, *accommodatione*, mihi saltem novum est; et exemplis parum confirmatum. Nam vel *annalium confectionem*, apud Ciceronem, vel *medicamentorum confectionem* apud Gellium, parum huc facere, quis non videt? Quod autem vel *confectionibus*, vel *consectionibus* legendum censet Davisius, in eo certe frustra est. Nam *consectionis* (materiæ) *fa-*

Digitized by Google

hominibus dederunt, ars aliqua conjuncta est, per quam illa utilitas percipi possit. Item igitur somniis, vaticinationibus, oraculis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitæ sunt interpretum.

Quo modo autem aut vates, aut somniantes ea vi- 117
deant, quæ nusquam etiam tunc sint, magna quæstio est. Sed explorata si sint ea, quæ ante quæri debeant; sint hæc, quæ quærimus, faciliora. Continet enim totam hanc quæstionem ea ratio, quæ est de natura deorum, quæ a te secundo libro explicata dilucide[6]. Quam si obtinemus, stabit illud [quidem], quod locum hunc continet, de quo agimus, esse deos, et eorum providentia mundum administrari, eosdemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis. Hæc si tenemus, quæ mihi quidem non videntur posse convelli, profecto hominibus a diis futura significari necesse est. Sed distinguen- 118
dum videtur, quonam modo.

LII. Nam non placet stoicis[1], singulis jecorum fissis, aut avium cantibus interesse deum; neque enim decorum est, nec diis dignum, nec fieri ullo pacto

brica, est; *fabrica*, s. *instrumenta* ad illam consecandam. Nostram lectionem firmant Pall. tert. quart. Paris. Med. Balliol. Reg. atque ed. Cratand.

6. *Continet enim totam hanc quæstionem ea ratio, quæ est de natura deorum, quæ a te secundo libro explicata dilucide.* Quidam addunt *est* ante *explicata*; sed facilior eademque salubrior medicina Hottingeri legentis, «ea ratio, quæ est de natura deorum a te secundo libro explicata dilucide». J. V. L.

LII. 1. *Nam non placet Stoicis.* Primam vocem, quæ a vulgatis plerisque abest, restituerunt e libris scriptis editisque Davisius et Ernestius, quam quidem exigere videtur contextus. Hoc enim dicit Quintus: haud perinde esse, quonam modo dicas, deos hominibus futura significare. Nam, ut recte Stoici statuant, parum decorum esse, deum singulis jecorum fissis, etc. interesse. Cum Davisii codd. etiam Oxonienses faciunt, et ed. Cratand. Hott. — Davisium sequuti sunt quicumque Cic. edidere, ab illo, apud Germanos, et nos sequi non dubitavimus.

Digitized by Google

potest : sed ita a principio inchoatum[2] esse mundum, ut certis rebus certa signa præcurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulguribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis, alia in furientium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ii non sæpe falluntur. Male conjecta maleque interpretata, falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Hoc autem posito atque concesso, esse quamdam vim divinam, hominum vitam continentem : non difficile est, quæ fieri certe videmus, ea qua ratione fiant, suspicari. Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse vis quædam sentiens, quæ est toto confusa mundo[3]; et tum, ipsam quum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid, aut supersit : parvis[4] enim momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit.

119 Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento, quod paullo ante interitum Cæsaris contigit : qui quum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit, et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Qua ille

2. *Inchoatum esse.* Non *inceptum* (quod aiunt Francogalli *ébauché*), sed ita *descriptum* ac constitutum; eam rerum causarumque inter se factam esse coagmentationem. Nam et *inchoatum* illud dicitur, quod totum quidem est, partesque habet omnes, sed illas rudes, necdum arte elaboratas aut politas. De Orat. I, 2 : « Vis enim, quoniam, quæ pueris aut adolescentibus nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac ætate digna et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consequuti sumus, aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri ». Hott.

3. *Toto confusa mundo.* I. e. Mundum pervadens, eique velut infusa, ut Virgil. canit, Æneid. VI, 726 : « totamque infusa per artus Mens agitat molem, et magno se corpore miscet ». Hott. —Vide Lactantium, Div. Inst. lib. VII, cap. 3, et Justum Lipsium, Phys. Stoicæ, lib. I, cap. 7 et 8; necnon Ammianum Marcellinum, XXI, 1. Dav.

4. *Parvis enim momentis.* Facile : sine magna operæ aut virium impensa. Hott.

Digitized by Google

rei novitate perculsus[5], quum Spurinna diceret, timendum esse, ne et consilium, et vita deficeret; earum enim rerum utrumque[6] a corde proficisci: postero die caput in jecore[7] non fuit. Quæ quidem illi portendebantur a diis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret[8]. Quum igitur eæ partes in extis non reperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequisset; intelligendum est, in ipso immolationis tempore eas partes, quæ absint, interisse.

LIII. Eademque efficit in avibus divina mens[1], ut 120

5. *Qua ille rei novitate perculsus, quum Spurinna diceret.* Ita vulgo; male, ait Hottingerus, *perculsus* oratione aliter progrediente, quam instituerat. Davisio legendum videtur: « qua illo rei novitate perculso ». Sed certior illa est medela, quam adhibuimus: quippe pronomine ab ejusmodi aliquo homine intruso, qui re tam terribili Cæsarem necessario percuti debuisse existimaret. Quod secus fuisse, docent illa Suetonii verba in Cæsare, cap. 77: « Eo arrogantiæ progressus est (Cæsar), ut, aruspice tristia, et sine corde exta sacro quodam nuntiante, futura, diceret, lætiora, quum vellet, nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset ». Quare et hic desinat timere Cæsar, metumque omnem relinquat Spurinnæ. — *Percussus* pro *perculsus* dedit Ernestius; quod tum demum recte habet, si ad Spurinnam refertur: sin ad Cæsarem; illud præstabat. Vide Cortium ad Sall. Cat. cap. 43, 2; Jug. 42, 1.

6. *Earum enim rerum utrumque.* Libri nonnulli editi, *utraque*: MS Paris. *utramque*, quod Davisio recipiendum videtur. Sed nulla opus mutatione. Ea enim generis enallage frequens est apud optimos auctores. Sic Noster, inf. II, 57: « Quid tam divinum, quam afflatus ex terra, mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed, etc. » De Finib. IV, 10: « Quem (finem summi boni) si prima vera sint, ita constitui necesse est, earum rerum, quæ sint secundum naturam, quam plurima et quam maxima adispici ». Sallust. Jug. 41, init. « Ceterum mos partium... ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romæ ortus, otio et abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt ». Ed. Cratand. legit: « earum enim rerum utraque ». Hott.

7. *Caput in jecore.* Quid sic vocarint, satis certum non est. Sed probabile videtur, summam jecoris partem intelligendam esse. Hott.

8. *Ut videret interitum, non ut caveret.* Nam « quæ fato manent, quamvis significata non vitantur », ut ait Tacitus, Hist. I, 18. Cf. Heliodor. Æthiop. lib. II, pag. 103. Vide sis et Amm. Marcellinum, XXIII, 5, pag. 391. Dav.

LIII. 1. *Efficit in avibus divina mens.* Vide Xenophontem Ἀπομν. lib. I, cap. 1, 3. Ammianus Marcellinus, lib. XXI, cap. 1: « Auguria et auspicia non volucrum arbitrio futura ne-

Digitized by Google

tum huc, tum illuc volent alites; tum in hac, tum in illa parte se occultent; tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. Nam si animal omne, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quocumque vult flectit, contorquet, porrigit, contrahit; eaque ante efficit pæne, quam cogitat[2]: quanto id deo est facilius, cujus numini
121 parent omnia? Idemque mittit et signa nobis ejus generis, qualia permulta historia tradidit; quale scriptum illud videmus: si luna paullo ante solis ortum defecisset in signo leonis, fore, ut armis Darius et Persæ ab Alexandro et Macedonibus [prælio] vincerentur[3], Dariusque moreretur: et, si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam et adulterium domi: et, si mulier leonem peperisse visa esset, fore, ut ab exteris gentibus vinceretur ea respublica, in qua id contigisset. Ejusdem[4] generis etiam illud est, quod scribit Herodotus: Crœsi filium, quum esset infans[5], loquutum; quo ostento regnum

scientium colliguntur (nec enim hoc vel insipiens quisquam dicet); sed volatus avium dirigit deus, ut rostrum sonans aut prætervolans pinna turbido meatu, vel leni futura præmonstret ». Clemens Alexandrinus, Protrept. pag. 82 : Οἱ γάρ τοι δειλαῖοι τῶν ἀνθρώπων καὶ ἄθλιοι, διὰ μὲν κόρακος καὶ κολοιοῦ νομίζουσι τὸν θεὸν ἐμβοᾶν. Duplex tamen fuit hac de re sententia, quod patet ex Origene contra Celsum, lib. IV, pag. 222. Huc facit elegans historiola, quam ex Hecatæo narrat Josephus contra Apion. lib. I, cap. 22, pag. 1349. Nonnullas causas, cur hic honor alitibus detur, adsignat, dubitans licet et hæsitans, Statius, Thebaid. III, 482, seqq. Dav.

2. *Ante.....quam cogitat.* I. e. Instinctu quodam obscuro, cujusque ipsa sibi vix satis sit conscia. Cogitationem itaque dicit, pro impetu certo ac destinato. Hott.

3. *Ut armis Darius et Persæ ab Alexandro et Macedonibus [prælio] vincerentur.* Vocem *prælio*, ut supervacaneam, Davis. delevit. Hottingero nec *armis* satis placet, ut utramque vocem abesse, cum Ernestio, sine desiderio patiatur. Hott.

4. *Ejusdem generis.* Alii, *ejus autem generis.*

5. *Quum esset infans.* I. e. mutus. Nam *infans* proprie est qui *non fatur*. Agellius, Noctt. Att. V, 9: « Filius Crœsi regis, quum jam per ætatem fari posset, infans erat, et quum jam

Digitized by Google

patris et domum funditus concidisse. Caput arsisse Servio Tullio dormienti[6], quæ historia non prodidit? Ut igitur, qui se tradet quieti[7], præparato animo quum bonis cogitationibus[8], tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis: sic castus animus purusque vigilantis, et ad astrorum, et ad avium, reliquorumque signorum, et ad extorum veritatem[9] est paratior.

LIV. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate acce- 122
pimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum sæpe dicitur, esse divinum quiddam, quod dæmonion appellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, sæpe revocanti[1]. Et Socrates quidem, quo quem

multum adolevisset, item nil fari quibat ». Et Horat. Sat. II, 5, 39, *infantes statuas* dicit. Hott.

6. *Caput arsisse Servio Tullio dormienti.* Eum, licet humili loco natum, « clarum fore visa circa caput flamma promiserat ». Hoc prodigium memorant permulti scriptores, quorum locos indicabit Joan. Freinshemius ad Flori lib. I, cap. 6, 1. Dav.

7. *Qui se tradet quieti.* Alii : « qui se tradet ita quieti ». Davisius particulam *ita* codd. Reg. et Cantab. obsequutus ut superfluam proscripsit; quam defendit Wopkensius quum aliis exemplis, tum illo Virgilii, Æn. I, 229 : «...quum Jupiter æthere summo Despiciens mare velivolum terrasque jacentes, Litoraque et latos populos, sic vertice cæli Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis ». Non dissimilis apud Græcos usus particulæ οὕτω, de quo agentem in primis vide Perizonium ad Ælian. Var. Histor. I, 16. Ceterum hæc referenda sunt ad ea, quæ cap. 51 dixerat : « quo modo autem aut vates, aut somniantes ea videant, etc. » Inde deflexit ad eam quæstionem, « quonam modo hominibus a diis futura significentur ». Jam illuc revertit, unde digressus erat. Hott.

8. *Præparato animo quum bonis cogitationibus, tum rebus*, etc. Puto legendum: «quum præparato animo bonis cogitationibus, tum rebus, etc.» H.

9. *Et ad avium, reliquorumque signorum, et ad extorum veritatem.* Nescio, quid opus fuerit commemorare *exta*, postquam jam *reliqua signa* dixerat. An igitur legendum, « et ad avium, et ad extorum, reliquorumque signorum? « An forte *et ad astrorum* nihil aliud est, quam corrupta lectio horum verborum, *et ad extorum*; unde factum, ut ista propria sua sede pulsa, huc migrarint? Ceterum « animum ad signorum veritatem paratum », insigni brevitate dixit, pro « animo ad signa recte animadvertenda, vereque interpretanda parato ». Hott.

LIV. 1. *Numquam impellenti, sæpe revocanti.* Vide Socratem apud Plat. in Theage, pag. 11; Ælianum, V. H. lib. VIII, cap. 1; Clement. Alexandri-

Digitized by Google

auctorem meliorem quærimus? Xenophonti consulenti, sequereturne Cyrum, postea quam exposuit, quæ sibi videbantur, « Et nostrum quidem [2], inquit, humanum est consilium; sed de rebus et obscuris et incertis ad Apollinem censeo referendum; ad quem etiam Athenienses publice de majoribus rebus sem-
123 per retulerunt ». Scriptum est item, quum Critonis, sui familiaris, oculum alligatum [3] vidisset, quæsivisse, quid esset: quum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum [4] recidisse; tum Socrates, Non enim paruisti mihi [5] revocanti, quum uterer, qua soleo, præsagitione divina. Idem etiam Socrates, quum apud Delium male pugnatum esset, Lachete prætore, fugeretque cum ipso Lachete [6]; ut ventum est in trivium, eadem, qua ceteri, fugere noluit [7]: quibus quærentibus, cur

num, Strom. lib. I, pag. 368. Nota sunt quæ de Socratis genio scripsere Plutarchus, Maximus Tyrius, et Apuleius. Adi vero præstantissimi viri Joan. Clerici Silv. Philol. cap. 3, 7, seqq. licet fortasse non deerunt, qui τὸ Σωκράτους δαιμόνιον ὡς πλάσμα χλευάσουσιν. Verba sunt Origenis in Celsum, lib. VI, pag. 282. Quin et τι δαιμόνιον αὐτῷ σημαίνειν ἔφασκεν, ἢ σπουδάζων, ἢ διαπαίζων, ὡς ἔνιοι λέγουσιν. Auctor est Josephus in Apionem, lib. II, cap. 37, pag. 1387 ed. Hudson. Dav.

2. *Et nostrum quidem.* Vide Xenophontem de Exped. Cyri, lib. III, cap. 1, § 5. Hunc locum cum narratione Ciceronis olim contulit Petr. Victorius, Varr. Lectt. lib. VIII, cap. 22. Dav. — Primam vocem (*et*) abesse malim. Cui enim non ingrata accidit hæc repetitio: «et Socrates quidem ... et nostrum quidem, inquit». Horr.

3. *Oculum alligatum.* Lambinus invitis codd. reponit *obligatum*. Sed lectionem vulgatam exemplis defendit Gronovius ad Liv. VIII, 24. Horr.

4. *In oculum.* Davisius: «in oculum suum»: quod ab Hottingero non probatur.

5. *Non enim paruisti mihi.* Seppl. «Nihil miror, neque enim paruisti mihi». Vid. inf. ad II, 11. Horr.

6. *Fugeretque cum ipso Lachete.* Antisthenes quidem Cynicus Socratem in ista pugna τὰ ἀριστεῖα λαβὼν scripsit; revera tamen ἅμα τοῖς πολλοῖς ἀσχημόνως ἔφυγεν, ut ex Herodoto recte tradit Athenæus, lib. V, p. 215. Vide sis, inter alios, Aristidem, tom. III, pagg. 120, 324. Dav.

7. *Eadem, qua ceteri, fugere noluit.* Vid. in Epp. ab Allatio editis, Epist. I, pag. 6, 7. Ejusdem rei memoriam servavit Plutarchus, de Socr. genio, pag. 581, D. Dav.

Digitized by Google

non eadem via pergeret, deterreri se a deo dixit. Tum quidem ii, qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt. Permulta collecta[8] sunt ab Antipatro, quæ mirabiliter a Socrate divinata sunt: quæ prætermittam. Tibi enim nota sunt; mihi ad commemorandum non necessaria. Illud tamen ejus philosophi magnificum, ac pæne divinum, quod, quum impiis sententiis damnatus esset, æquissimo animo se dixit mori: neque enim domo egredienti[9], neque illud suggestum, in quo causam dixerat, adscendenti, signum sibi ullum, quod consuesset, a deo, quasi mali alicujus impendentis, datum. 124

LV. Equidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte, aut conjectura divinare videantur, esse tamen divinationem; homines autem, ut in ceteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum; potest aliquod latuisse aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est, non modo plura, sed etiam pauciora[1], divine præsensa et prædicta repe-

8. *Collecta.* Alii *conlecta*, alii *conjecta.* Cur vulgata non retineatur, nil causæ video.

9. *Neque enim domo egredienti.* Vide Platon. Apolog. pag. 368. Dav.

LV. 1. *Non modo plura, sed etiam pauciora.* Forte fuerit, qui excidisse negationem putaverit, ut legendum sit, « non modo non plura »; nec repugnem, etsi minime ignorem, in hac formula negationem sæpius omitti. Nam illorum locorum ea ratio est, ut, si rem accurate expendas, negatio neque omissa sit, neque supplenda proprie, quod absurdum foret, sed formula potius sic intelligenda: *ne dicam.* Ut quum Acad. IV, 19, illa legimus: « Sublata enim adsensione, omnem et motum animarum, et actionem rerum sustulerunt: quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest », idem plane est, ac si dixisset: « quod, non dicam recte fieri, sed omnino fieri non potest »; seu, quod idem est, negatio non quidem sponte addenda, sed ex sequentibus simul cum verbo sic est adsumenda: « quod non modo fieri non potest, sed omnino fieri non potest ». Ubicumque vero nulla adsit negatio, quæ ex sequentibus adsumatur, ibi eam et contra omnem loquendi rationem, et contra bonorum scripto-

Digitized by Google

125 riri. Quin etiam hoc non dubitans dixerim : si unum aliquid ita sit prædictum[2] præsensumque, ut, quum evenerit, ita cadat, ut prædictum sit, neque in eo quidquam casu et fortuito factum esse appareat, esse certe divinationem, idque esse omnibus confitendum.

Quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura, vis omnis divinandi, ratioque repetenda. Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque causarum[3], quum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna[4]. Quod quum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit[5], eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas id ipsum effi-
126 cientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice

rum usum intelligi, vere videor posse contendere. Neque igitur, ut hoc unum afferam, quod in Catil. I, 3, in quibusdam legitur libris : « nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam, planeque sentiam », eam sanam lectionem esse, cujusquam tam docti mihi persuaserit auctoritas. Quæ quum ita sint, neque in nostro loco hujuscemodi quamdam ellipsin locum habere, clarum est. Jam vero non satis intelligo, cur *non modo plura* Quintus dixerit. Illud optime intelligo, ipsius consilio nihil accommodatius esse, quam si, ad probandam divinationem *non modo non plura*, i. e. *non modo tot* exempla, quot ab se fuerint commemorata, sed vel pauciora dicat sufficere. Hott.

2. *Si unum aliquid ita sit prædictum.* Hæc Cratippi fuit opinio, cujus argumenta vide supra cap. 32. Dav.

3. *Ordinem seriemque causarum.* Hæc erat Stoicorum definitio. Plutarchus de Plac. Philos. lib. I, cap. 28 : Οἱ Στωϊκοὶ (εἱμαρμένην λέγουσιν) εἰρμὸν αἰτίων, τουτέστι τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον. Adi sis Just. Lipsium, Phys. Stoicæ lib. I, cap. 12, et *Æg.* Menagium ad Diogenis Laertii lib. VII, § 149. Dav. — Vide quoque Francogallum *Dannou*, *de Destin.*

4. *Veritas sempiterna. Veritatem* dicit rerum illam necessitatem, qua rerum causarumque inter se copulatarum sequitur connexionem. Ita supra cap. 13 : « Quidquam potest esse casu factum, quod omnes habet in se numeros veritatis ? » Conf. ejusdem cap. fin. Hott.

5. *Quod non futurum fuerit.* I. e.

Digitized by Google

dicitur, causa æterna rerum[6], cur et ea, quæ præterierunt, facta sint, et, quæ instant, fiant, et, quæ sequuntur, futura sint. Ita fit, ut et observatione notari possit, quæ res quamque causam plerumque consequatur, etiam si non semper; nam id quidem affirmare difficile est: easdemque causas verisimile est rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete videant.

LVI. Præterea quum fato omnia fiant (id quod alio 127
loco ostendetur[1]), si quis mortalis possit esse[2], qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat: qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quæ futura sint. Quod quum nemo facere, nisi deus, possit, relinquendum est homini, ut signis quibusdam, consequentia declarantibus, futura præsentiat. Non enim illa, quæ futura sunt, subito exsistunt; sed est, quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis, et primum quidque replicantis. Quod et ii vident, quibus naturalis divinatio data est; et ii,

ut nostri philosophi dicunt, quod non fuerit *hypothetice necessarium*, s. quod non fuerit destinatum ante, ac velut præparatum, et quasi conditum causis illis, a quibus proficiscitur. Hott.

6. *Causa æterna rerum.* I. e. causarum series, s. rerum illud vinculum perpetuum, a proximis quibusque ad remotiora continuatum. Hott.

LVI. 1. *Id quod alio loco ostendetur.* Jortinus in Miscell. Observatt. vol. III, tom. I, putat, Ciceronem hic respexisse ad librum de Fato, quem in animo habuisset scribere. Itaque miratur, Ciceronem hunc sermonem tribuere fratri, cujus in illo libro nullæ sint partes. Mihi multo magis mirum videtur, hic ea promitti, quæ in ipso libro haud præstantur. Neque enim ibi fatum defendit Cicero, sed quovis modo impugnat. Conf. inf. II, 7, in fine. Ac ne quis putet, in deperdita operis parte (cujus libros ad minimum duos exstitisse, viri docti, nescio qua nixi ratione, affirmant), ab alio quopiam fatum fuisse assertum, id ipse Cicero, cap. 1, factum esse negat. Hinc fere suspicor, verba ista a mala manu fuisse intrusa. Hott.

2. *Si quis mortalis possit esse.* Ita Victorius edidit, assentientibus libris compluribus. Al. « si quis modo talis possit esse ». Hott.

Digitized by Google

quibus cursus rerum observando notatus est. Qui etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum, et notas cernunt; ad quas adhibita memoria et diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea divinatio, quæ artificiosa dicitur, extorum, fulgurum,
128 ostentorum, signorumque cælestium. Non est igitur, ut mirandum sit[3], ea præsentiri a divinantibus, quæ nusquam sint: sunt enim omnia[4], sed tempore absunt. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quæ ex iis progignuntur: sic in causis conditæ sunt res futuræ, quas esse futuras aut concitata mens, aut soluta somno, cernit, aut ratio, aut conjectura præsentit. Atque ut ii, qui solis, et lunæ, reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit, multo ante prædicunt: sic qui cursum rerum, eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata[5] notaverunt, aut semper, aut, si id difficile est, plerumque; quod si ne id quidem conceditur, nonnumquam certe, quid futurum sit, intelligunt. Atque hæc quidem, et

3. *Non est igitur, ut mirandum sit.* Tolle, inquit Gruterus, *ut*, item *sit*, nihil tamen defuerit sententiæ. Omnino nihil mutandum. Nam etsi sensus fere idem sit, tamen nihil abundat. Nec, si brevius dictum, ideo melius erit. Nimirum illa formula expressius omnem removet admirationem; q. d. « Omnino ne minima quidem mirandi est causa ». Ita de Off. II, 24: « Quamobrem ne sit æs alienum, quod reipublicæ noceat, providendum est, quod multis rationibus caveri potest: non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum ». Conf. ibi Heusing. Persius, Sat. II, 18: « De Jove quid sentis? estne, ut præponere cures Hunc cuiquam ». Hott.

4. *Sunt enim omnia.* I. e. non jam ipsa exsistunt, sed, ut paullo post dicit, in causis suis condita sunt, adeoque ex iis, velut si præsentia essent, intelligi possunt. Hott.

5. *Diuturnitate pertractata.* Hæc non intelligens Davisius, legendum censuit: « diuturna pertractatione ». Nempe vocem *pertractata* perperam cum ablativo *diuturnitate* construxit: quum, ut bene monuit Wopkensius, sensus hic sit: « cursum rerum eventorumque consequentiam pertractata ». s. « notata esse diuturnitate », i. e. « longa observatione ». Hott.

Digitized by Google

quædam hujusmodi argumenta, cur sit divinatio, ducuntur a fato.

LVII. A natura autem alia quædam ratio est; quæ docet, quanta sit animi vis sejuncta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiat; ex quo fit, ut homines, etiam quum taciti optent quid, aut voveant, non dubitent, quin dii illud exaudiant: sic animi hominum, quum aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti[1] per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quæ permixti cum corpore animi videre non possunt. Atque hanc quidem rationem naturæ difficile est fortasse traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus; sed tamen id quoque rimatur, quantum potest Posidonius, quum esse censet[2] in natura signa quædam rerum futurarum. Etenim Ceos[3] accepimus ortum caniculæ[4] diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne, an pestilens annus futurus sit. Nam si obscurior et quasi caliginosa stella

LVII. 1. *Aut mente permoti.* Davisius negat, se intelligere quid sint « animi hominum mente permoti ». Itaque saltem loquendi rationem perincommodam judicans, suadet ita legendum : « aut in mente permotis ». Verum ista sic interpretari ne ulla quidem cogit necessitas. Facile enim e superioribus possit adsumi vox *hominum :* ita scilicet : « Sic animi hominum, quum (homines) aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti, etc. » Sic paullo ante : « quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis ». Horr.

2. *Sed tamen id quoque rimatur, quantum potest Posidonius, quum esse censet.* Hottingerus : « Posidonius esse censens ». Davisius : « sed tamen id quisque rimetur, quantum potest ».

3. *Etenim Ceos.* Ea P. Manutii est emendatio, vera sine dubio, et MSS Reg. et Cantab. auctoritate firmata. Vulgo : *ut enim.* Horr.

4. *Ortum caniculæ diligenter quotannis solere servare.* De re adi Scholiasten Apollonii Rhodii ad lib. II, 500, 528; Diodorum Siculum, Bibl. lib. IV, pag. 281; Hyginum, Poet. Astron. lib. II, cap. 4, aliosque. Cf.

Digitized by Google

exstiterit[5], pingue et concretum esse cælum, ut ejus adspiratio gravis[6] et pestilens futura sit; sin illustris et perlucida stella apparuerit, significari, cælum esse
131 tenue purumque, et propterea salubre. Democritus autem censet, sapienter instituisse veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percipi; nonnumquam etiam, quæ sit vel sterilitas agrorum, vel fertilitas futura. Quæ si a natura profecta observatio atque usus agnovit; multa afferre potuit dies, quæ animadvertendo notarentur: ut ille Pacuvianus qui in Chryse physicus inducitur, minime naturam rerum cognosse videatur.

Nam istis[7], qui linguam avium intelligunt,

Cl. Salmasium, Exercit. Plin. pag. 144.

5. *Exstiterit.* Orta fuerit. Vide sup. ad cap. 28. Hott.

6. *Gravis.* I. e. noxia. Sic Ovid. Met. VII, 557, de aere pestilenti: « . . . auræque graves captantur hiatu ». Itemque Horat. Od. III, 23: « autumni tempus grave ». Hott.

7. *Nam istis . . . Magis audiendum, quam auscultandum censeo.* Hottingerus *istos*. Ipse de hac emendatione audiendus est. Vulgo, ait, *istis*; quæ nescio an omnibus clara, negligunt interpretes. Unus Ernestius, « plus, inquit, est in auscultando, quam in audiendo; nempe studium et cupido audiendi, et inclinatio ad credendum ». Itaque sensus is fuerit: esse quidem istos homines audiendos, quatenus, ut Ciceronis utar verbis, majorum instituta tueri, sacris cærimoniisque retinendis, sapientis sit, neque vero eorum arti vanæ ac futili temere fidem adhibendam. Quem sensum, ut facile probem, ipsam certe lectionem probare haud possim. Nam, quum gerundia sumant eumdem, quem ipsa verba, casum, *istis audiendum* nequaquam dici potuit pro, *illi sunt audiendi*, quoniam non dicimus *audire cui*, sed *quem*. Laudant quidem locum ex Apuleio. Ejus autem in judicanda latinitate rationem quis habeat? Aliter se habet verbum *auscultare*, quod tertium casum non minus quam quartum sumit. Itaque recipiendam putavi cod. ϕ, qui idem est Balliol. lectionem, a Davisio male neglectam. Atque hæc forma, ut rarior, sic tamen ab optimis scriptoribus satis est frequentata. Lucret. I, 111 seq. « Nunc ratio nulla'st restandi, nulla facultas, Æternas quoniam pœnas in morte timendum ». Et Noster in Cat. maj. cap. 2: « Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tamquam aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum sit, istuc, quo pervenisti, videre, quale sit ». Conf. quos laudat Davisius ad Academ. IV, 48, in fin.

Digitized by Google

Plusque ex alieno jecore[8] sapiunt, quam ex suo,
Magis audiendum, quam auscultandum censeo.

Cur, quæso? quum ipse, paucis interpositis versibus, dicas satis luculente :

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit, recipitque in sese omnia; omniumque idem est pater;
Indidemque eademque[9] oriuntur de integro, atque eodem occidunt.

Quid est igitur, cur, quum domus sit[10] omnium una, eaque communis, quumque animi hominum semper fuerint, futurique sint, cur ii, quid ex quoque eveniat, et quid quamque rem significet, perspicere non possint?

LVIII. Hæc habui, inquit[1], de divinatione quæ dicerem. Nunc illa testabor, non me sortilegos[2], neque 132

8. *Plusque ex alieno jecore.* Nempe in jecore sapientiæ sedem esse, Veteres putarunt : unde ille Bibaculi in Catonem grammaticum, apud Sueton. de ill. Gramm. XI, versus : « En cor Zenodoti, en jecur Cratetis ». Hott.

9. *Indidemque eademque.* Ita conjecit Janus Gulielmus, atque e codd. Paris. Balliol. et Reg. edidit Davisius. Vulgo : « indidemque eodem, quæ, etc. » quam lectionem vitiosam male servavit Ernestius. Hott.

10. *Quid est igitur, cur, quum domus ..... cur ii.* Vocem quartam abundare satis patet. Nos igitur eam, jubentibus MSS Reg. et Cantab. delevimus; ac ita faciendum putavit Aldus Nepos. Mundum vero, « domum esse deorum hominumque », non raro docent auctores. Maximus Tyrius, Diss. XIX, § 6 : Οἶκος οὗτος εἷς θεῶν καὶ ἀνθρώπων, οὐρανὸς καὶ γῆ. Vide scriptorem vitæ Homericæ inter Opuscula Galeana, pag. 339; Nostrum, de Legg. lib. I, cap. 7; Lactantium, Div. Inst. lib. II, cap. 5, 37, 41, et Just. Lipsium, Phys. Stoicæ lib. II, Diss. 7. Dav.

LVIII. 1. *Hæc habui, inquit.* Verbum *inquit* codd. Reg. et Cantab. non agnoscunt, et rectius abesse putat Davisius. At mihi illo legentes, sub finem libri, non incommode moneri videntur, hæc non ab ipso Tullio, sed a fratre esse disputata. Atque etiam in ceteris libris personæ haud fere sine aliqua tali admonitione discedunt. Vide Acad. IV, in fin. itemque libros de Finibus, etc. Hott.

2. *Nunc illa testabor, non me sortilegos*, etc. De his multis agit *van Dale* de Orac. vett. Ethnic. cap. 14. Erat autem genus hominum contemptum, Romæ in triviis, et circo maxime versans et plebi fraudibus suis illudens. Habebant illi tabellas versibus fatidicis e diversis poetis illustribus conscriptas, atque talorum jactu definiebatur, qui versus responsum redderet. Hott.

Digitized by Google

eos, qui quæstus causa hariolentur, ne psychomantia[3] quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere.

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos aruspices [4], non de circo astrologos,
Non Isiacos [5] conjectores, non interpretes somnium.
Non enim sunt ii arte divini, aut scientia,
Sed superstitiosi vates, impudentesque harioli,
Aut inertes [6]; aut insani, aut quibus egestas imperat;
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam;
Quibu' divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.

Atque hæc quidem Ennius, qui paucis ante versibus esse deos censet [7], sed eos non curare opinatur, quid agat humanum genus. Ego autem, qui et curare arbitror, et monere etiam ac multa prædicere, levitate [8], vanitate [9], malitia exclusa [10], divinationem probo.

Quæ quum dixisset Quintus, Præclare tu quidem, inquam, paratus***

Desunt pauca quædam.

3. *Psychomantia.* Loci, unde manes evocabantur, ad edenda oracula. HOTT.

4. *Vicanos aruspices.* Vicos pagosque, decipiendæ imperitæ plebeculæ causa, obeuntes. HOTT.

5. *Non Isiacos conjectores.* Sacerdotes Isidis, quos « sacrificulos vanæ superstitionis » dicit Sueton. Domit. cap. 1. HOTT.

6. *Inertes.* Arte ac scientia destituti. HOTT.

7. *Esse deos censet.* Ennii versus sic se habent : « Ego deum genus esse semper dixi et dicam cælitum : Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus; Nam si curent, bene bonis sit, male malis; quod nunc abest ». Hic exstat lib. III N. D. cap. 32; illi vero lib. II de Div. cap. 50. Vide Lactantium, Div. Inst. lib. V, cap. 10, 12, et Manilium, lib. IV, 94, seqq. DAV.

8. *Levitate.* Temeritate in assentiendo. HOTT.

9. *Vanitate.* Jactatione fraudulenta.

10. *Exclusa.* Ita primus conjecit Turnebus, eamque lectionem firmant MSS Reg. et Cantab. Alii scripti editique *exclusam*. Male. HOTT.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

DE DIVINATIONE

LIBER SECUNDUS

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI.

Auctor orditur enumerando varios quos conscripserat tum de rhetorica, tum de philosophia libros; quorum complures temporis edacitatem non effugerunt, cap. 1-2. Inde aggreditur refellere doctrinam Stoicorum, quam ejus frater exposuerat et tueri susceperat. Oppugnat primo utramque divinationem, naturalem et artificiosam; statuit artem illam non exsistere, et, si exsisteret, eam esse quæ hominibus magis obesset quam prodesset, cap. 3-9. Transgreditur ad singula artificiosæ divinationis genera, et disserit adversus divinationem aruspicum, quæ versatur in observandis tum extis hostiarum, tum fulguribus et prodigiis, cap. 11-32; adversus divinationem per auspicia, scilicet augurum divinationem, c. 33-40; divinationem per sortes, c. 41; tandem adversus Chaldæorum scientiam, cap. 43-48. Quum ad naturalem divinationem pervenit, de ejus duplici genere disputat, scilicet de vaticinationibus, seu de fatidicis animi motibus, cap. 48-58; et de somniis, cap. 58-71. Concludit, cap. 72, dicendo bellum esse gerendum fortiter et ubique contra superstitionem, religionem vero et tueri et propagare oportere.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

DE DIVINATIONE

LIBER SECUNDUS.

I. Quærenti mihi, multumque et diu cogitanti, 1
quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere reipublicæ, nulla major occurrebat, quam si optimarum artium[1] vias traderem meis civibus; quod compluribus jam libris me arbitror consequutum. Nam et cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiæ studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius[2]; et, quod genus philosophandi[3] minime arrogans[4], maximeque et constans[5] et elegans[6] arbitraremur, quatuor Academicis libris ostendimus. Quumque fundamentum esset philosophiæ positum in finibus bonorum et malorum, 2

I. 1. *Optimarum artium.* Int. philosophiam, quam ipse latinis literis primus illustravit. Itaque *artes* eo fere sensu dicit, quo nostri *Kenntnisse*, gall. *les sciences*. Hott.

2. *Hortensius.* Hic Ciceronis liber desideratur.

3. *Quod genus philosophandi.* Quæ disciplina. Hott.

4. *Minime arrogans.* I. e. haud temere affirmans, sed a rebus incertis assensionem cohibens. Etenim constat Academicis ita visum esse, nihil percipi posse : id est, certam nullam, sed modo probabilem esse rerum cognitionem. Hott.

5. *Constans.* Decretis suis aut opinionibus haud ab se discrepans. Hott.

6. *Elegans.* Quoniam Academici disserendi subtilitatem cum orationis elegantia conjunxerunt, quam fere neglexerunt quum Stoici, tum in primis Epicurei. De qua re ipse Tusc. Quæst. II, 3 : « Mihi semper, inquit, Peripateticorum Academiæque consuetudo, de omnibus rebus in contrarias partes disserendi, non ob eam solum causam placuit, quod aliter non pos-

Digitized by Google

perpurgatus est is locus[7] a nobis quinque libris, ut, quid a quoque, et quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset. Totidem subsequuti libri Tusculanarum disputationum, res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte; secundus de tolerando dolore; de ægritudine lenienda tertius; quartus de reliquis animi perturbationibus; quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat: docet enim, ad beate vivendum virtutem se
3 ipsa esse contentam. Quibus rebus[8] editis, tres libri profecti sunt de Natura deorum; in quibus omnis ejus loci quæstio continetur. Quæ ut plene esset cumulateque perfecta, de Divinatione ingressi sumus his libris scribere. Quibus (ut est in animo) de Fato si adjunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quæstioni. Atque his libris annumerandi sunt sex de Republica, quos tunc scripsimus, quum gubernacula

set, quid in unaquaque re verisimile esset, inveniri: sed etiam, quod esset ea maxima dicendi exercitatio». Hott.

7. *Perpurgatus est is locus.* Nonnullis placet *pertractatus*. At vulgatam lectionem servant codd. MSS; nec temere mutari debet. Ista locutio metaphorica. Similiter enim «locum orationis perpurgatum fuisse» dixit pro Murena, cap. 26. Dav.

8. *Quibus libris editis.* Vulgo: «quibus rebus editis». Ernestio suspecta fuit vox *rebus*. Quare aut illam delendam, aut pro ea scribendum *libris* existimavit: quod jam ante factum erat a Davisio, in ed. sec. auctore MS Med. cum quo facit inter Oxonienses ψ seu Balliol. quam lectionis diversitatem miror Davisii diligentiam fugisse. Sed «quibus libris editis, tres libri perfecti sunt», probari non posse recte monuit Schellerus, V. D. in Observationibus in priscos scriptores quosdam. Idem vero male defendit vocem «rebus, contemptionem mortis, tolerantiam doloris» sic dici putans. Neque enim Cicero *contemptionem mortis*, sed librum «de morte contemnenda» edidit. Itaque mihi utrumque, et *rebus*, et *libris* a correctoribus natum videtur, pro suo quisque ingenio, id, quod deesse putarent, supplentibus: ideoque lectionem Davisianam, ut minus incommodam, recipiens, uncinis tamen cogendam existimavi. Vide paullo post, *in eumdem*, etc. Hott. — Davisius dedit ex uno cod. *quibus libris editis;* at statim subsequitur nomen *libri:* quid? tam putidiuscule scripserit Tullius? dele, ait, Ernestius, istud *libri*, i. e. ure et seca. Rath.

Digitized by Google

reipublicæ tenebamus: magnus locus, philosophiæque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto, totaque peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam quid ego de Consolatione dicam? quæ mihi quidem ipsi sane aliquantum[9] medetur; ceteris item multum illam profuturam puto. Interjectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de Senectute misimus. In primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur, et fortis, Cato noster[10] in horum librorum numero ponendus est. Quumque Aristoteles, itemque Theo- 4
phrastus, excellentes viri quum subtilitate, tum copia, cum philosophia dicendi etiam præcepta conjunxerint, nostri quoque oratorii libri in eumdem[11] numerum

9. *Mihi... aliquantum ... ceteris item multum*, etc. Davisius pro, *item*, legendum censet, *autem*, quoniam ante dixit, « quæ mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur » : alioquin, inquit, vitiosa est oratio. Nimirum *aliquantum* dictum putat pro, *paullum*, quod secus est. Significat enim, *haud parum* : quam vim sæpe habent adverbia « aliquantum, aliquanto, aliquantulum ». Ut de Offic. I, 1 : « Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attulimus adjumentum hominibus nostris, ut non modo græcarum literarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos, et ad dicendum, et ad judicandum ». Itemque Parad. III, 1 : « Auri navem evertat gubernator, an paleæ; in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest ». Itaque et Wopkensium fugit hujus loci sensus, qui præterea male signum interrogationis demum post verbum *medetur* ponendum existimat. Hott. — *Quæ mihi quidem ... aliquantum medetur; ceteris item multum.* Mirum videtur, in re tam levi errasse Davisium, *aliquantum* et *multum* tamquam sibi opposita putantem. De priore voce, quam neglexit Horat. Turselinus, vid. Heusing. ad Cic. Offic. I, 1. Si vero *aliquantum* idem fere est, quod satis multum, ut infra II, 65, vocula *item* egregie orationi convenit. Rath.

10. *Cato noster.* Desideratur hic Ciceronis Cato; de quo vide literas ad Atticum, XII, 4; et Oratorem, cap. 10.

11. *In eumd. numerum.* Paris. Reg. Med. Balliol. et edd. Ascensii atque Cratand. dant, « in eumdem librorum numerum ». Quod ab eadem, quam paullo ante notavimus, correctorum temeritate profectum, nescio, quomodo probare potuit Davisius. Quamvis autem, « in eumdem librorum numerum » dictum videri possit per hypallagen, pro « in eorumdem librorum numerum », tamen, ni fallor, potius hoc modo Cicero dixisset, si substantivum addendum censuisset. Sensus autem is est: oratorios quoque libros quodammodo locum nomenque tueri librorum philosophicorum. Quod quidem sic esse Cicero judicat, non

Digitized by Google

referendi videntur. Ita tres erunt de Oratore; quartus, Brutus; quintus, Orator.

II. Adhuc hæc erant: ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati, ut, nisi quæ causa gravior obstitisset, nullum philosophiæ locum esse pateremur, qui non latinis literis illustratus pateret. Quod enim munus reipublicæ afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? his præsertim moribus atque temporibus; quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda
5 sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad hæc studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in republica late patere poterit industria[1]. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui jam ætate provecti in nostris libris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur; quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi. Magnificum illud etiam, romanisque hominibus gloriosum, ut græcis de philosophia literis[2] non egeant:
6 quod assequar profecto, si instituta perfecero. Ac mihi

tam Aristotelis ac Theophrasti motus auctoritate (neque enim particula *quum* hic causam indicat), quam ipsa rei natura. Hinc Quæst. Tuscul. I, 3: « Si quid, inquit, oratoriæ laudis nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiæ fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant ». Hott.

II. 1. *Quorum ... late patere poterit industria.* I. e. quorum exemplum magnam vim habere poterit ad incitandum philosophiæ studium, moresque ejus præceptis corrigendos. Hott.

2. *Græcis de philosophia literis.* I. e. scriptis, s. libris, ut recte expl. Davisius, laudans illa, de Finib. I, 4: « Nos autem hanc omnem quæstionem de finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam esse his literis arbitramur ». Add. de Orat. II, 4: « Post autem, auditis oratoribus græcis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt ». Itemque de Offic. II, 1: « Quum autem respublica... nulla esset omnino, illæ scilicet literæ conticuerunt forenses et senatoriæ ». Plane geminus huic nostro locus est, Tusc. Quæst. II, 2: « Quod si hæc studia traducta erunt ad nostros, ne bibliothecis quidem græcis egebimus ». Hott.

Digitized by Google

quidem explicandæ philosophiæ causam attulit gravis casus civitatis, quum in armis civilibus nec tueri meo more rempublicam, nec nihil agere poteram; nec, quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem, reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potius habebunt, quod, quum esset in unius potestate[3] respublica, neque ego me abdidi, neque deserui[4], neque afflixi[5], neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus; neque ita porro aut adulatus, aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meæ pœniteret[6]. Id enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eæ tum a principibus[7] tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. Quod quum acci- 7
disset nostræ reipublicæ, tum, pristinis orbati muneribus, hæc studia renovare cœpimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, concionabamur[8], philosophiam nobis pro reipublicæ procuratione substitutam putabamus. Nunc, quoniam de republica consuli cœpti sumus[9], tribuenda est opera reipublicæ, vel omnis potius in ea cogitatio et cura ponenda: tantum huic

3. *In unius potestate.* Julium Cæsarem dicit. Dav.

4. *Neque deserui.* A pristino meo more, cives quomodocumque juvandi, haud descivi. Hott.

5. *Neque afflixi.* Non, mœrori cedens, animum despondi. Hott.

6. *Ut me meæ pœniteret.* Gruterus, *ut me mei pœniteret*, nec dubitarem quin ita Tullius reliquisset, nisi *suam fortunam* cum illa Cæsaris comparare videretur. Rath.

7. *A principibus tenerentur.* Paucis scilic. potentibus, ea nimirum forma, quam oligarchiam vulgo dicunt. Hott.

8. *Sententiam dicebamus, concionabamur.* I. e. ut antea in senatu et in concione populi de singulis rebus sententiam nostram dicere solebamus, ita nunc idem facimus in libris. Hott.

9. *De rep. consuli cœpti sumus.* Nempe post Cæsarem interfectum. Nam paullo post villas suas lustrans Cicero, scripsit, præter alia, hos libros. Hott. — Probat *cœpimus* Davisius.

Digitized by Google

studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio et munere. Sed hæc alias pluribus; nunc ad institutam disputationem revertamur.

8 III. Nam quum de divinatione Quintus frater ea disseruisset, quæ superiore libro scripta sunt, satisque ambulatum videretur, tum in bibliotheca, quæ in Lyceo[1] est, assedimus. Atque ego, Accurate tu quidem, inquam, Quinte, et stoice[2] stoicorum sententiam defendisti; quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis[3] usus es, et iis quidem claris et illustribus. Dicendum est mihi igitur[4] ad ea, quæ sunt a te dicta; sed ita, nihil ut affirmem, quæram omnia, dubitans plerumque, et mihi ipse diffidens. Si enim aliquid certi haberem, quod dicerem, ego ipse[5] divinarem,
9 qui esse divinationem nego. Etenim me movet illud, quod in primis Carneades quærere solebat[6], quarumnam rerum divinatio esset: earumne, quæ sensibus perciperentur? at eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. Numquid ergo in iis rebus est, quod provisione, aut permotione[7] mentis

III. 1. *In Lyceo.* Vid. lib. I, c. 5.

2. *Accurate ... et stoice.* I. e. Stoicorum more, qui dialecticam in primis in disputando subtilitatem adhibebant. Vide Cic. Top. 1, et Brut. 31. Hott.

3. *Nostris exemplis.* I. e. domesticis, s. ex historia romana depromptis. Hott.

4. *Dicendum est mihi igitur.* Davisius, nescio unde, sic dedit, « dicendum mihi igitur est ». Quem ordinem, quamvis nec ego spernam, tamen sine codd. auctoritate nihil mutandum censui. Hott.

5. *Ego ipse divinarem.* Quippe scientia « non dispntantis, sed divinantis est », ut ait Lactantius, Div. Inst. lib. III, cap. 3, 7. Dav. — Eodem fere modo, Tusc. Quæst. I, 9: « ea, quæ vis, ut potero, explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint, et fixa, quæ dixero ». Hott.

6. *Carneades quærere solebat.* Sæ disputationis rationem hausisse videtur Carneades ex iis quæ de rhetorica quærit Socrates apud Platonem in Gorgia, pag. 284. Dav.

7. *Permotione.* Camerario visum legendum, *præmotione;* fortasse quia præcessit *provisione.* Sed *permotio* est furor, s. instinctus quidam mentis divinus. Conf. sup. lib. I, cap. 40. Hott. — Vulgata lectio non est sollicitanda. Dav.

Digitized by Google

magis, quam natura ipsa[8] sentiamus? aut num[9] nescio qui ille divinus, si oculis captus sit, ut Tiresias fuit, possit, quæ alba sint, quæ nigra, dicere? aut, si surdus sit, varietates vocum, aut modos noscere? Ad nullam igitur earum rerum, quæ sensu accipiuntur, divinatio adhibetur. Atqui ne in iis quidem rebus, quæ arte tractantur, divinatione opus est. Etenim ad ægros non vates, aut hariolos, sed medicos solemus adducere. Nec vero, qui fidibus, aut tibiis uti volunt, ab aruspicibus accipiunt earum tractationem, sed a musicis. Eadem in literis ratio est, reliquisque rebus, quarum est disciplina[10]. Num censes eos, qui divinare dicuntur, posse respondere, sol majorne, quam terra sit? an tantus, quantus videatur? luna suo lumine[11], an solis, utatur? sol, luna, quem motum habeant? quem quinque stellæ, quæ errare dicuntur? Nec hæc, qui divini habentur, profitentur se esse di-

8. *Natura ipsa.* I. e. ipsorum ope sensuum, et, ut nostri dicunt, *sensatione.* Conf. infra 53. Hott.

9. *Aut num nescio*, etc. Particulam *num*, quæ vulgo abest, e codd. nonnullis addidit Davisius. Sine dubio ita legendum est, « ut nescio qui ille divinus », quemadmodum vere, quamvis hæsitans, conjecit Schellerus in Observatt. in priscos scriptt. Hæc enim superiora illa illustrant, et ad singularia exempla revocant, solemni Ciceronis more. Sic Tusc. Quæst. I, 26: « Mihi vero ne hæc quidem notiora et illustriora carere vi divina videntur, ut ego aut poetam grave plenumque carmen, sine cælesti aliquo mentis instinctu putem fundere, etc. » Vide infra 46, « ut quorum linguæ sic inhærent, etc. » Hott. — Editi libri diversas habent lectiones: « numquid modos noscere? aut nescio, qui; nescio, qui », utroque vocabulo *aut* et *num* prætermisso; denique *at nescio*, *qui*. Rath.

10. *Quarum est disciplina.* Quæ præceptis atque regulis constant, adeoque studio et doctrina discuntur. Hott.

11. *Luna suo lumine.* Lunam suo uti lumine, statuerunt Anaximander et Antipho: solem vero τηλικοῦτον, ἡλίκος φαίνεται, μικρῷ μείζων ἢ ὁλόκληρον, volvit Epicurus. Vide Plutarchum de Plac. Philos. lib. II, capp. 21, 28, et Cleomedem Κυκλικῆς Θεωρίας, lib. II, pag. 190. Dav. — *Lunaque*, etc. Davisius in prima ed. delevit *que*, eumque sequutus est Ernestius. Vocula hæc Hottingero mutanda potius videtur, quam eliminanda, ut legendum sit, *lunane*. Non placet: placeret, si encliticam *suo* potius voluisset quam *lunæ* addere. Rath.

Digitized by Google

cturos; nec eorum, quæ in geometria describuntur[12], quæ vera, quæ falsa sint: sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum.

IV. De illis vero rebus, quæ in philosophia versantur[1], numquid est, quod quisquam divinorum aut respondere soleat, aut consuli, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? sunt enim hæc propria phi-
11 losophorum. Quid de officio? num quis aruspicem consuluit[2], quemadmodum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quemadmodum utendum pecunia? quemadmodum honore? quemadmodum imperio? Ad sapientes hæc, non ad divinos referri solent. Quid? quæ a dialecticis aut physicis tractantur, num quis eorum divinare potest, unusne mundus sit, an plures? quæ sint initia[3] rerum, ex quibus nascuntur omnia? Physicorum est ista prudentia. Quo modo autem mentientem[4], quem ψευδό-

12. *Describuntur.* Lineis sc. et figuris. Hott.

IV. 1. *Quæ in philosophia versantur.* Inter philosophicas quæstiones, hasce potius adhibet, non temere: sed quippe quæ a Stoicis tractari potissimum solebant; cum Stoico enim disputat. J. V. L.

2. *Num quis aruspicem consuluit.* Ita nonnullis codd. obsequuti ediderunt Davisius et Ernestius. Vulgo: *consuluit.* Hott.

3. *Initia rerum.* Principia s. elementa corporum. Hott.

4. *Quo modo autem mentientem*, etc. Ita recte pridem nonnulli ediderunt, eamque lectionem reduxit Davisius nonnullorum MSS vestigiis firmatam; quorum alii legunt, « autem non mentientem », alii, « aut ementientem ». Ed. vero Cratand. diserte habet, « autem mentientem ». Vulgo: « quomodo aut mentientem », quod mutare neglexit Ernestius. Porro Davisius recte hæc verba, « quem, si necesse sit ..... tritus est », uncinis inclusit, punctumque, quo in vulgaribus edd. a sequentibus separantur, sustulit. Particula *ergo*, e consuetudine Ciceroniana, integrat sermonem longiori interpositione interruptum: qu. d. *hæc inquam*, etc. Sic Tusc. Quæst. I, 7: « Omne pronuntiatum (sic enim mihi in præsentia occurrit, ut appellarem ἀξίωμα: utar post alio, si invenero melius), id ergo est pronuntiatum, etc. » Adde Epp. ad Div. XV, 10, init. — *Mentiens* erat sophisma, quod inexplicabile veteres quidam dialectici putabant; inventum ab Eubulide Milesio, Euclidis dialectici discipulo. Vide Cic. Acad.

Digitized by Google

μενον vocant, dissolvas; aut quemadmodum soriti[5] resistas (quem, si necesse sit, latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est: ut enim ipsa philosophia[6], et multa verba Græcorum, sic sorites satis latino sermone tritus est), ergo hæc quoque dialectici dicent, non divini. Quid? quum quæritur, qui sit optimus reipublicæ status, quæ leges, qui mores aut utiles, aut inutiles, aruspicesne ex Etruria arcessentur, an principes statuent, et delecti viri, periti rerum civilium? Quod si nec earum rerum, quæ 12
subjectæ sensibus sunt, ulla divinatio est; nec earum, quæ artibus continentur; nec earum, quæ in philosophia disseruntur; nec earum, quæ in republica versantur: quarum rerum sit, nihil prorsus intelligo. Nam aut omnium debet esse, aut aliqua ei materia

Quæst. IV, 29; adi Facciolati Acroas. Dialect. III. Quærebatur scilicet, « si quis mentiretur, et se mentiri diceret, mentiretur, an verum diceret? » Jam primum, illum *verum* dicere, sic demonstrabant: « Si te mentiri dicis, idque verum dicis, te mentiri, verum dicis: dicis autem te mentiri, idque verum dicis: ergo verum dicis ». Quo concesso, illum *mentiri*, rursus sic defendebant: « Si dicis, te mentiri, verumque dicis, mentiris: dicis autem, te mentiri, verumque dicis: mentiris igitur ». Ita pugnantia ex iisdem præmissis effici visa sunt: sed certe tantum sunt visa. Nam terminus major utriusque syllogismi, sc. *mentiris*, et *verum dicis*, re vera eumdem sensum habent, nimirum hunc: « verum est, te mentiri », s. « vere dicis, te mentiri ». Hott.

5. *Aut quemadmodum soriti resistas*, etc. *Sorites* a græca voce σωρὸς, *acervus*, dictus, genus erat sophismatis item inexplicabilis habiti, quo utebantur veteres dialectici, in primis Stoici. Scilicet, quum acervus constet granorum multitudine, interrogabant, quoto grano is fieret, an tertio? quarto? quinto? sexto? et sic deinceps. Atque eodem modo retrogressi, quo grano dempto acervus esse desineret? De qua re bene Cicero, Acad. Quæst. IV, 29: « Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed ulla omnino in re, minutatim interrogati, dives, pauper: clarus, obscurus sit: multa, pauca: magna, parva: longa, brevia: lata, angusta: quanto aut addito, aut dempto, certum, quod respondeamus, non habemus». Conf. Facciolati Acroas. Dial. II. Hott.

6. *Ipsa philosophia*. Ipsum philosophiæ vocabulum, origine græcum. Hott.

Digitized by Google

danda est, in qua versari possit. Sed nec omnium divinatio est, ut ratio docuit; nec locus, nec materia invenitur, cui divinationem præficere possimus. Vide igitur, ne nulla sit[7] divinatio.

V. Est quidam græcus vulgaris[1] in hanc sententiam versus :

Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum.

Num igitur, aut quæ tempestas[2] impendeat, vates melius conjiciet, quam gubernator; aut morbi naturam acutius, quam medicus; aut belli administrationem prudentius, quam imperator, conjectura assequetur[3]?

13 Sed animadverti, Quinte, te caute et ab iis con-

7. *Vide igitur, ne nulla sit.* Ven. 1494, « an nulla divinatio », prætermisso *sit*. Davisius legi vult, *Vide, an ulla sit div.* quo pejus non potuisset. Sed doctissimo cuique interdum accidit, ut ne notissimæ res in mentem veniant. Nam quid sit illud, « Vide ne nulla sit div. » nemo nescit. Rath. — *Vide ne*, etc. Frequens est in Cicerone formula dubitandi, idem fere significans ac, « vereor, ut hoc verum sit ». De Offic. I, 9 : « Itaque videndum est, ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum, etc. » Conf. Tusc. Quæst. II, 18; Epp. ad Div. V, 4, fin. de Fato, 15. Hott.

V. 1. *Est quidam græcus vulgaris in hanc sententiam versus : Bene*, etc. Abest *græcus* a Pall. tert. quart. Paris. Med. Balliol. Cantab. et U. In Pithœano autem non legitur *vulgaris :* quorum tamen neutrum delendum putem. Neque opus emendatione Davisiana : *est quidam Græcis*, etc. Græcam vero ex Euripide versum laudant intt. sic habentem : Μάντις γ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς. Hott.

2. *Quæ tempestas impendeat ... conjiciet.* I. e. tempestatem impendentem præsentiet. Est enim de *procella* sermo, nec *quæ* dictum existimari debet pro *qualis*. Nam verbum *impendere* de *bonis* rebus non dicitur. Unde paullo post : « Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas, ventos, aut imbres impendentes quibusdam præsentire signis ». Hott.

3. *Belli administrationem prudentius, quam imperator, conjectura assequetur?* Hic duplicem propositam video interpretationem, quarum uter vera fuerit, non facile dixerim. Nam aut *belli administratio* de hostibus est intelligenda, eamque prudenter assequi dicitur is, qui hostium omnia molimina machinationesque suspicatur : aut dicitur pro *ratione belli administrandi*, ut referatur ad eum, qui belli cursum providens, illud sic administrat, ut rerum provisarum ratio videtur postulare. Hott.

Digitized by Google

jecturis, quæ haberent artem[4] atque prudentiam, et ab iis rebus, quæ sensibus[5] aut artificiis perciperentur, abducere divinationem; eamque ita definire, divinationem esse earum rerum prædictionem et præsensionem, quæ essent fortuitæ. Primum eodem revolveris. Nam et medici, et gubernatoris, et imperatoris præsensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut aruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius conjecerit, aut e morbo evasurum ægrotum, aut e periculo navem, aut ex insidiis exercitum, quam medicus, quam gubernator, quam imperator? Atqui ne 14
illa quidem divinantis esse dicebas, ventos, aut imbres impendentes quibusdam præsentire signis; in quo nostra quædam Aratea memoriter a te pronuntiata sunt[6]. Etsi hæc ipsa fortuita sunt; plerumque enim, non semper eveniunt. Quæ est igitur, aut ubi versatur fortuitarum rerum præsensio, quam divinationem vocas? Quæ enim præsentiri aut arte, aut ratione, aut usu[7], aut conjectura possunt, ea non divinis tribuenda putas, sed peritis. Ita relinquitur, ut ea fortuita divinari possint, quæ nulla nec arte, nec sapientia provideri possunt: ut, si quis M. Marcellum[8] illum, qui

4. *Quæ haberent artem.* Quæ disciplina constarent, certisque regulis ac præceptis niterentur. Hott.

5. *Quæ sensibus ... perciperentur.* Caute, ait Cicero, Quintum abducere divinationem et ab iis conjecturis, quæ habeant artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quæ sensibus percipiantur. Hæc omnia cum superioribus congruunt. Addit autem *aut artificiis*. Quod quid sibi velit, nemo facile dixerit. Unde corruptum esse locum cum Hottingero credo, qui primus ille quidem vulnus vidit, sed medelam ei adhibere nolnit. Alii judicent, utrum, donec acutius quid aut excogitetur, aut e libb. eruatur, itane possit legi? « quæ sensibus, haud artificiis, perciperetur ». Rath.

6. *Pronuntiata sunt.* Vide librum I, cap. 6.

7. *Aut usu.* Experientia s. observatione. Hott.

8. *M. Marcellum.* Noster de Fato, cap. 14 : « Quid enim spectans deus ipse diceret Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum ». Et in Pisonem, cap. 19 : « M. Marcellus, qui ter consul fuit ... periit in mari ». Ubi Asconius ait : « Fortasse

Digitized by Google

ter consul fuit, multis annis ante dixisset, naufragio esse periturum; divinasset profecto. Nulla enim arte alia id, nec sapientia scire potuisset. Talium ergo rerum, quæ in fortuna positæ sunt, præsensio, divinatio est.

15 VI. Potestne igitur earum rerum[1], quæ nihil habent rationis, quare futuræ sint, ulla esse præsensio? Quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi quum sic aliquid cecidit, sic eve-

quæratis, quem dicat Marcellum. Fuit autem nepos M. Marcelli ejus, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, et quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus, de quo Cicero dicit, naufragio ad ipsam Africam periit, paullo ante cœptum bellum Punicum tertium». Epitome Liviana, lib. L: « Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus, coorta tempestate, fluctibus obrutus». Obiit autem an. U. C. 604. Dav.

VI. 1. *Potestne igitur earum rerum*, etc. In iis, quæ deinceps proxime a Cicerone disputantur, philosophicum in disserendo acumen, ni fallor, non semel desiderabis. Quod enim dicit, divinationem earum rerum esse præsensionem, quæ in fortuna positæ sint, s. quæ nihil habeant rationis, quare futuræ sint, id quo pacto in Marcelli naufragium, quod ad hoc rerum fortuitarum genus refert, conveniat, ipse viderit. Si enim nihil habuisset rationis, quare esset futurum, certe numquam evenisset. Nam quod idem de Fato, 14, hoc quidem « verum fuisse ex æternitate, sed causas id efficientes non habuisse » dicit, id sane argutius, quam verius dictum censeo. Ea nimirum, quam dicit, *veritas æterna*, si ex perpetua illa causarum nascitur colligatione, certe a remotissimis quibusque, ad proximas causas easque efficientes, fieri progressionem necesse est, ita, ut, quemadmodum Quintus supra, I, 55, dixerat, « si quis mortalis possit esse, qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat». Sin autem diceret, æternam illam veritatem a causarum naturali colligatione esse sejunctam, quid tandem sit, aut quo fundamento nitatur, intellectu omnino erit difficillimum. Atqui sane Cicero, quemadmodum jam visum erat Carneadi, negabat, omnia antecedentibus causis, id est, naturali colligatione conserte contexteque fieri, propterea, quod, si ita foret, nihil esset in nostra potestate: quod quidem negans hodie, quis philosophum se dicere audeat? Præterea, quæ de rerum *fortuitarum* natura habet, ea neque accurate satis, neque constanter dicta sunt. Nam quod negat, quæ « certe sint eventura, ea esse fortuita » (c. 7), id nimirum de iis modo valet, quæ simpliciter atque absolute *fortuita* dicuntur; e quo genere nihil quidquam eorum est, quæ fuerunt, aut futura sunt. *Fortuita* vero illa, quæ propterea sic dicimus, quia hominibus, eorum causas ignorantibus, talia necesse est videri, haud minus tamen certa sunt, atque necessario futura, propterea

Digitized by Google

nit, ut vel non cadere atque evenire[2], vel aliter cadere atque evenire potuerit? Quo modo ergo id, quod temere fit cæco casu, et volubilitate[3] fortunæ, præsentiri et prædici potest? Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator: et tamen hi ipsi sæpe falluntur, qui nihil sine certa ratione[4] opinantur. Ut agricola, quum[5] florem oleæ videt, baccam quoque se visurum putat: non sine ratione ille quidem; sed nonnumquam tamen fallitur. Quod si falluntur ii, qui nihil sine aliqua probabili conjectura ac ratione dicunt: quid existimandum est de conjectura eorum, qui extis, aut avibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somniis futura præsentiunt? Nondum dico, quam hæc signa nulla sint, fissum jecoris, corvi cantus, volatus aquilæ, stellæ trajectio[6], voces furentium, sor- 16

quod ex certis causis sunt apta, e quibus ea ipsa gigni, plane fuerit necesse. Atqui nonnisi hujus generis fortuita ab iis intelligi, qui divinationem rerum fortuitarum esse dicunt, clarum est. Quæ quin a divina mente ex causis suis, vel remotissimis, possint intelligi, dubium sane non est. Humanæ autem menti, quibus argumentis hanc præscientiam divinationis patroni vindicent, id quidem viderint ipsi. Atque ista, quum enucleatius disserere institutum nostrum non patiatur, tamen attingenda censui, quoniam in primis disputationis Ciceronianæ hæc pars a proposito fine mihi visa est aberrare. Hott.

2. *Vel aliter cadere atque evenire.* Hasce voces prætermittunt nonnulli codd. quapropter eas a mala manu fuisse suspicatus est Gruterus: immerito. Nam sensui complendo sunt necessariæ. Quid de fortuna statuerint philosophi, videre licet apud Plutarchum, de Placit. lib. I, cap. 29. Davis.

3. *Volubilitate fortunæ.* Liber S. Victoris *nobilitate*, quod mutat in *mobilitate* Gulielmius. Sed malim alterum, firmatum omnibus Palatinis. Gruter.

4. *Certa ratione.* I. e. definita, ut semper habeant, quod sequantur. Non vero *certa*, quod ad eventum. Hott.

5. *Ut agricola, quum*, etc. Davisius, deleta prima voce, sic putat legendum: « opinantur. Agricola, quum, etc. » Quem nolim audias. Hottinc. — Schützius tamen paruit. Male. J. V. L.

6. *Stellæ trajectio.* Id est, *stella cadens*, si Ernestio et Hottingero credas. At nusquam Cicero, de Chaldæis loquens, de quibus nunc, stellarum cadentium mentionem facit.

Digitized by Google

tes, somnia: de quibus singulis dicam suo loco; nunc
17 de universis. Qui potest provideri, quidquam futurum esse, quod neque causam habet ullam, neque notam, cur futurum sit? Solis defectiones, itemque lunæ, prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum cursus[7] et motus numeris persequuntur; ea enim prædicunt, quæ naturæ necessitas[8] perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunæ, quando illa e regione solis facta incurrat in umbram terræ, quæ est meta noctis[9], ut eam obscurari necesse sit; quandoque eadem luna subjecta atque opposita soli, nostris oculis ejus lumen obscuret; quo in signo quæque errantium stellarum, quoque tempore futura sit; qui exortus quoque die signi alicujus, aut qui occasus futurus sit. Hæc qui ante dicunt, quam rationem sequantur, vides.

VII. Qui thesaurum inveniendum[1], aut hereditatem

7. *Siderum cursus et motus.* Voces illas *cursus et* plerique codd. non agnoscunt, easque delevit Ernestius. Nullam tamen video illas ejiciendi necessitatem. Neque enim, quod quis putet, *cursus* et *motus* idem plane dicunt. Prius nempe de semita s. orbe, quem describunt, posterius de majori aut minori cursus celeritate, qua spatium suum emetiuntur, videtur intelligendum. Add. sup. I, 19. Hott.

8. *Naturæ necessitas.* I. e. certa lege descriptus et constans astrorum cursus. Hott.

9. *Quæ est meta noctis.* Nam mox est σκίασμα τῆς γῆς, ἀποκρυπτομένου ἡλίου, ut loquitur Basilius, Hom. II, pag. 26. Amm. Marcellinus, XX, 3: «Luna, objectu metæ noctis in conum desinentis angustum, latet parumper umbrata». Boetius, Cons. lib. IV, Metr. 5. Dav.—*Quæ est meta noctis.* Plinius, Hist. Nat. II, 10, defectionem lunæ explicans, « manifestum est, inquit, nihil aliud esse noctem, quam terræ umbram: figuram autem umbræ, similem metæ ac turbini inverso». Hanc vero *umbram terræ*, non modo *metæ similem*, sed ipsam *metam noctis* a Cicerone dici, paullo videri possit insolentius, nisi similia aliorum scriptorum obvia essent exempla, quæ laudat Davisius. Hott.

VII. 1. *Qui thesaurum inveniendum.* Vulgo *inventurum*: quod hoc in loco nullum parit sensum, licet id supplementis nescio quibus munire conatus sit Gulielmius. Multo melior est Lambini conjectura, cui placet *inventum iri*: nec eam recipere dubitavimus. Reg. et Cantab. *inveniendum* repræsentant; sed ita loqui non solitus est Cicero, licet apud alios scriptores hujusmodi locutionum non desint

Digitized by Google

venturam dicunt, quid sequuntur? aut in qua rerum natura[2] inest, id futurum? Quod si hæc, eaque quæ sunt ejusdem generis, habent aliquam talem necessitatem; quid est tandem, quod casu fieri, aut forte fortuna[3] putemus? Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiæ[4], quam fortuna: ut mihi ne in deum quidem cadere videatur[5], ut sciat, quid casu,

exempla. Dav. — Davisius codd. Reg. et Cantab. lectionem *inveniendum* in prima editione recepit, participium futurum passivum interdum pro futuro infinitivi adhiberi, aliorum scriptorum exemplis ostendere conatus. Contra quem Verburgius monet, id quidem fieri, sed nonnisi ita, ut significetur, quid certo futurum sit, non quid fieri possit. Wopkensius autem etiam hæc Ciceronis verba sic interpretatur, quasi dixisset: « thesaurum certo inventum iri, ac necesse esse, ut inveniatur ». Parum, opinor, subtiliter. Neque enim hæc necessitas est absoluta, sed eam habet conditionem, « si quis quæsierit »; quod idem plane est, ac si dixeris, « thesaurum inveniri posse ». Eam vero hujus temporis vim exempla a Davisio allata, si diligenter excutias, asserere, vix, puto, reperias. Magis autem apposite laudare poterat, scriptorem haud contemnendæ latinitatis, Velleium Paterculum, qui Hist. I, 16, « novam comicam, inquit, Menandrus, æqualesque ejus ætatis magis quam operis, Philemon ac Diphilus, et invenere intra paucissimos annos, neque imitanda reliquere ». Idem II, 46: « Quum deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas C. Cæsar in Gallia ageret, etc. » Item Ovid. Met. VIII, 633, de Philemone ac Baucide: « ... paupertatemque fatendo Effecere levem, nec iniqua mente ferendam ». Quin ne hoc quidem facile concesserim, quod ille in editione secunda negat, Ciceronem ita loqui solitum, licet apud alios scriptores hujuscemodi locutionum non desint exempla. Sic enim intellexerim illa de Finib. I, 2: « Ne ipsos quidem Græcos est, cur tam multos legant, quam legendi sunt »; h. e. *legi possunt* s. exstant. De Offic. I, 45: « Illud forsitan quærendum sit, num hæc communitas vitæ, etc. » Quare lectionem, a Davisio in altera editione desertam, putavi reducendam, eo magis, quod, « inventum iri, et hereditatem venturam », ac multo etiam magis, « inventurum, et ... venturam » ab auribus meis fateor abhorrere. Hott.

2. *In qua rerum natura.* I. e. ex quibus causis naturalibus intelligi potest. Hott.

3. *Forte fortuna.* Cod. Reg. et Cant. legunt: « quod casu fieri, aut forte, fortunave ». Quod Davisio placet, nec ego spernam. Sic sup. 6: « quid enim aliud est sors, quid fortuna, quid casus, etc. » Hott.

4. *Rationi et constantiæ. Ratio* est sine dubio rerum connexio, seu vinculum illud causarum effectorumque: *constantia*, immutabilis rerum ordo, qui eam connexionem sequitur. Hott.

5. *Ne in deum quidem cadere videatur.* Ad hunc locum respicit Au-

Digitized by Google

et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna. Rerum igitur fortuitarum nulla est præsen-
19 sio. Aut si negas esse fortunam, et omnia, quæ fiunt, quæque futura sunt, ex omni æternitate definita dicis esse fataliter[6]; muta definitionem divinationis, quam dicebas præsensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni æternitate certum fuerit, esse futurum rato tempore; quæ potest esse fortuna? Qua sublata, qui locus est divinationi? quæ a te fortuitarum rerum est dicta præsensio. Quamquam dicebas, omnia, quæ fierent, futurave essent, fato contineri. Anile sane et plenum superstitionis fati nomen[7] ipsum. Sed tamen apud stoicos de isto fato multa dicuntur, de quo alias; nunc, quod necesse est.

20 VIII. Si omnia fato, quid mihi divinatio prodest? Quod enim is, qui divinat, prædicit, id vero futurum est: ut ne illud quidem sciam, quale sit, quod Dejotarum, necessarium nostrum[1], ex itinere aquila re-

gustinus, C. D. lib. V, cap. 9. Sextus Empiricus adv. Mathem. pag. 117: Εἰ δ' ἐν τοῖς τυχηροῖς (ποιήσονται τὰς προαγορεύσεις), ἀδύνατόν τι ἐπαγγέλλονται· ἅπαντα γὰρ τὰ τυχηρῶς γινόμενα· τῶν δ' ἁπάντων καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἐνδεχομένων οὐκ ἔστιν ἱστῶσαν ποιεῖσθαι τὴν προαγόρευσιν. Noti sunt, qui eam, quam Cicero tuetur, sententiam temporibus hisce nostris aperte defenderunt. Dav.

6. *Fataliter*. I. e. perpetuo ordine ac serie causarum, sic, ut causa causæ nexa rem ex esse gignat. Supra I, 55. Hott.

7. *Anile sane et plenum superstitionis fati nomen*. Hanc lectionem retinent omnes MSS, nec idoneam sane causam video, cur potius *anilis* legatur: nam *anile* quidem, vanum et stultum est *Fati* nomen. «Fati nomen, inquit Augustinus, C. D. lib. V, cap. 9, nos abhorremus, præcipue propter vocabulum, quod non in re vera consuevit intelligi». Dav.

VIII. 1. *Necessarium nostrum*. Libri editi repræsentant alii *necessarium nostrum*, alii *familiarem nostrum*. Ex lectionis varietate verisimile fit, codices olim *necessarium* inter et *familiarem* fluctuasse, donec tandem ut sæpius factum est, utrumque conjungeretur. Rath. — Hanc lectionem edidit Davisius.

Digitized by Google

vocavit. Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corruit : ruina igitur oppressus esset. At id neque, si fatum fuerat, effugisset ; nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo adjuvat divinatio? aut quid est, quod me moveant aut sortes, aut exta, aut ulla prædictio? Si enim fatum fuit, classes populi romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram a Pœnis depressam interire : etiam si tripudium solistimum pulli[2] fecissent, L. Junio et P. Claudio consulibus[3], classes tamen interissent. Sin, quum auspiciis obtemperatum esset, interituræ classes non fuerunt, non interierunt fato. Vultis autem omnia fato. Nulla igitur est[4] divinatio. Quod si fatum fuit, bello Punico secundo exercitum 21
populi romani ad lacum Trasimenum interire : num id vitari potuit, si Flaminius consul iis signis, iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? Certe potuit[5]. Aut igitur non fato interiit exercitus;

2. *Tripudium solistimum pulli fecissent.* Id est, auspicium secundum quod agnoscebatur, si quid ex ore pulli pascentis caderet : ut ex hoc Ciceronis loco colligendum est, de Divinatione, lib. II, cap. 72 : « Quum igitur offa jam cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiant ». Tripudium olim *terripudium* et *terripavium* dicebatur ex verbis, *terram pavire*, i. e. ferire.

3. *Etiam si tripudium solistimum pulli fecissent, L. Junio et P. Claudio consulibus.* Consules hic, velut in re singularis eventi, nominari, mihi certe mirum accidit. Igitur postremas voces sic puto transponendas : « Si enim fatum fuit, classes populi romani bello Punico primo, L. Junio et P. Clodio consulibus, alteram, etc. » Hott.

4. *Nulla... divinatio.* I. e. nihili est divinatio, s. minime prodest, quia fatum mutare non valet. Quapropter male, ut plurima, sic et hoc, interpres Francogallus : *il n'y a donc point de divination.* Nam ex hoc ipso, « quod fato omnia fierent », Stoici efficiebant, divinationem locum habere. Vid. I, 56. Atque ipse Cicero cap. super. contendit, rerum fortuitarum nullam esse præsensionem. Hoc autem ipso capite ostendit, « si omnia fato sunt, nihil divinationem prodesse ». *Nullum* vero etiam id sæpe dicitur, quod *inane* est. Hott. — Ad quem alludit Hottinger. Francogallus interpres, is est abbas *Desmarais*. Possum alteram viri eruditissimi translationem fidenter producere : *à quoi donc votre divination est-elle utile?*

5. *Certe potuit.* Peartius, haud vulgaris judicii vir, recte vidit, hæc

Digitized by Google

mutari enim fata non possunt : aut, si fato (quod certe vobis ita dicendum[6] est); etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset. Ubi est igitur divinatio ista stoicorum? quæ, si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest, ut cautiores simus. Quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod futurum est. Sin autem id potest flecti, nullum est fatum. Ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum[7] est : nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione[8] accidere, ne fiat.

32 IX. Atque ego ne utilem[1] quidem arbitror esse no-

stare non posse. Nempe Cicero hoc capite docet, si omnia fato fiant, divinationem nihil mutare posse, propterea, quod fatum sit inevitabile. Jam quærit, si fatum fuerit, exercitum populi romani ad lacum Thrasimenum interire, an ea clades potuerit vel ulla ratione evitari? Et respondet, *certe potuit*. Id rogo, num possit respondere is, qui dixerit, fatum esse immutabile? aut is, qui statim sic pergit, « si fato (interiit exercitus), etiamsi obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset ». Ergo aut cum Pearcio, addita negatione, sic leg. *certe non potuit* : aut, quod Davisio visum, verba illa, *certe potuit*, delenda. Quod posterius quia magis placet, uncinis illa putavi cogenda. Ceterum in hoc loco disserendi subtilitatem desiderantes divinationis patroni, facile Tullium refellant iis, quæ ex Chrysippi persona ipse de Fato, 13, ad hunc modum disputavit : « Quædam sunt in rebus simplicia, quædam copulata. Simplex est, morietur eo die Socrates. Huic, sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nascetur Œdipus Laio; non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere, sive non fuerit : copulata enim res est, et confatalis : sic enim appellat, quia ita fatum sit, et concubiturum cum uxore Laium, et ex ea Œdipum procreaturum. Ut, si esset dictum, Luctabitur Olympiis Milo : et referret aliquis, Ergo, sive habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur; erraret; est enim copulatum, Luctabitur, quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. Sive tu adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces; captiosum : tam est enim fatale, medicum adhibere, quam convalescere ». Hott.

6. *Quod certe vobis ita dicendum.* Sic vulgo; sed vocem *ita* supervacaneam fide MS Paris. omisimus. Dav.

7. *Rerum futurarum.* Non simpliciter *futuras* res dicit, sed eventum *certum* designat, eo plane modo, quo sup. I, 55 : « nihil est factum, inquit, quod non futurum fuerit ». Hott.

8. *Procuratione.* I. e. expiatione sacrificiis, aut cærimoniis facta. Hott.

IX. 1. *Ne utilem quidem.* Hactenus docuit, divinationem *nihil prodesse*, eo, quod mutari non possint,

bis futurarum rerum scientiam. Quæ enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Abeamus a fabulis; propiora videamus. Clarissimorum hominum nostræ civitatis gravissimos exitus in Consolatione collegimus. Quid igitur? ut omittamus superiores; Marcone Crasso, putas, utile fuisse, tum quum maximis opibus fortunisque florebat, scire, sibi, interfecto Publio filio, exercituque deleto, trans Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium, censes, tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria, lætaturum fuisse, si scisset, se in solitudine Ægyptiorum [2] trucidatum iri, amisso exercitu;

quæ fato sint constituta : nunc dicit, illam *obesse* etiam, quod futura mala ignorasse præstet. Itaque *non utile* eodem sensu accipiendum, quo sæpe *inutile* Cicero dicit. Horr.—Homines, qui fatura se dicturos pollicentur, nullo pacto adeundos esse consulendosque, his argumentis concludebat Favorinus apud Agellium, N. A. lib. XIV, cap. 1 : « Aut adversa, inquit, eventura dicunt, aut prospera. Si dicunt prospera et fallunt, miser fies frustra exspectando. Si adversa dicunt et mentiuntur, miser fies frustra timendo. Sin vera respondent, eaque sunt non prospera, jam inde ex animo miser fies, antequam e fato fias. Si felicia promittunt, eaque eventura sunt, tum plane duo erunt incommoda : et exspectatio te spe suspensum fatigabit, et futurum gaudii fructum spes tibi jam præfloraverit ». Adi et Diogenianum apud Eusebium, Præp. Evang. lib. IV, cap. 3. Quin et « magnus Dicæarchi liber est, nescire ea melius esse quam scire », prout ait Nostor *infra*, cap. 51. Dav.

2. *In solitudine Ægyptiorum trucidatum iri.* Rem sic narrat Cæsar, B. C. lib. III, cap. 104 : « Amici regis Ptolemæi clam consilio inito Achillam præfectum regium, singulari hominem audacia, et L. Septimium, tribunum militum ad interficiendum Pompeium miserunt. Ab his liberaliter ipse appellatus, et quadam notitia Septimii productus, quod bello prædonum apud eum ordinem duxerat, naviculam parvulam conscendit cum paucis suis, et ibi ab Achilla et Septimio interficitur ». Sic et Plutarchus, Appianus, ac Dio, ne ipsum Tullium, Tusc. III, 27; aut Lucanum, VIII, 258 seqq. memorem. Huc igitur irrepsit menda : non enim Pompeius « in solitudine Ægyptiorum » fuit trucidatus. Tan. quidem Faber, lib. I, epist. 4, legit « a satellite Ægyptio contrucidatum iri ». Nobis placet « in celoce Ægyptia tandem trucidatum iri ». Quid sit *celox* docebunt Nonius, cap. 13; Fulgentius in Expos. Serm. Ant. pag. 180, et Isidorus, Orig. lib. XIX, cap. 1. Non

Digitized by Google

post mortem vero ea consequuntura, quæ sine lacrymis
23 non possumus dicere? Quid vero Cæsarem putamus[3], si divinasset fore, ut in eo senatu, quem majore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeia, ante ipsius Pompeii simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se omni-

tamen obnitar, si legas, « a spadone Ægyptio demùm trucidatum iri » : nam « a spadonibus Ægyptiis detruncatus, insepultus abjectus est », ut ait Lactantius, Div. Inst. lib. VI, cap. 6, 17. Julius Firmicus, Mathes. lib. I, cap. 3 : « Pompeii ... cervices ... semiviri hominis gladius, nefario genere mortis, incidit ». Pari modo Pompeium « Canopæi manu spadonis occubuisse » tradit Ambros. in Symm. lib. II, pag. 329; Pseudo-Hegesippus de halosi Judaica, I, 23; Pompeius, « dum arma Cæsaris fugit, spadoni Ægyptio caput suum amputandum præbuit ». Seneca, Epist. IV : « De Pompeii capite pupillus et spado tulere sententiam ». Quin et « Pompeium ad spadonum libidinem in Ægypto trucidari » dixit Amm. Marcellinus, lib. XIV, cap. 11, pag. 68. Dav. — *In solitudine Ægyptiorum.* Mirum quantum hic viri eruditi aut in conjectando sese aut in interpretando exercuere. Et Buherio quidem in mentem venit, nihil superfuturum vitii, si legatur : « in servitudine Ægyptiorum ». Anonymus quidam apud Olivetum malit, « in sortitudine Ægyptiorum », alii aliter, vid. not. Dav. Wopkensius, vir haud contemnendus, sed ὑπερηλίαν ὀρθόδοξος præstare judicat, vulgatam retinere, quam sic de meliori hariolari. « Si reputemus, ait, Pompeium in navicula quidem interfectum esse, sed tamen ad litus illud, quod ad hanc Ægyptiorum solitudinem pertineret; magna jam difficultatis pars sublata erit ». Anonymus ille, quem supra commemoravi, conjectura facta addit : « At nihil emendatione opus. Homini solitudo est, ubicumque frequentiam non habet, quam desiderat. Ita Pompeio fuit in ora illa Ægyptiaca solitudo. Aderant naves, rex cum ingenti comitatu stabat in litore; at erat nemo, cujus auxilio posset opibusque defendi ». Hottingerus denique, cui quidem vulgata non satis placet, forte tamen ita posse defendi putat, « si cogitemus, ad sensum veterum, in primisque Romanorum, rem omnium tristissimam habitam esse solitudinem, ita, ut, quorum animus graviori quodam casu esset dejectus, ii per somnum sibi fere in locis solis ac desertis viderentur errare. Sic supra, I, 28; apud Virgil. Æn. VI, 466, seqq. » Vide quam multas unius vocis difficultas extorserit interpretationes. Jam satagi, arbitror, ipse nihil habens, quod divinem. Si verò *in solitudine* recte habet, lacuna fortasse est post nomen *Ægyptiorum*, quam ex aliis scriptoribus ita sarserim : « se in solitudine Ægyptiorum spadonum manu trucidatum iri ». Rath.

3. *Quid vero Cæsarem putamus ... quo cruciatu*, etc. Vulgo post verbum *putamus* ponitur signum interrogationis, recte ab aliis omissum. Eadem forma occurrit de Officiis, II, 7 : « Quid enim censemus, superiorem

Digitized by Google

bus rebus ornatis, trucidatus ita jaceret, ut ad ejus corpus non modo amicorum, sed ne servorum quidem quisquam accederet; quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia. Nam illud quidem 24
dici, præsertim a stoicis[4], nullo modo potest: Non isset ad arma[5] Pompeius; non transisset Crassus Euphratem; non suscepisset bellum civile Cæsar. Non igitur fatales exitus habuerunt: vultis autem evenire omnia fato. Nihil ergo illis profuisset divinare[6]. Atque etiam omnem fructum vitæ superioris perdidissent. Quid enim posset iis esse lætum, exitus suos cogitantibus? Ita, quoquo se verterint stoici, jaceat necesse est omnis eorum solertia. Si enim id, quod eventurum est, vel hoc modo, vel illo potest evenire: fortuna valet plurimum; quæ autem fortuita sunt, certa esse non possunt. Sin autem certum est, quid quaque de re, quoque tempore futurum sit; quid est, quod me adjuvent aruspices, quum res tristissimas portendi dixerint?

illum Dionysium, quo cruciatu timoris augi solitum, etc. » Plura dabit ibi Heusingerus, et Davisius ad hunc locum. Horr.

4. *Præsertim a stoicis*. Hæc vulgata communis; sed nonnumquam *præsertim stoicis*. Illam enim propositionem non agnoscunt nonnulli libri, nec eam flagitat latini sermonis ratio. Dav.

5. *Non isset ad arma*, etc. Davisius meliorem censet ordinem, quem codd. Reg. et Cantab. exhibent: « Non transisset Crassus Euphratem: non isset ad arma Pompeius: non suscepisset bellum civile Cæsar ». Nam sic demum, inquit, res eadem, qua prius, serie recensentur. At hæc ipsa in parvis diligentia mihi videtur scioli cujusdam manum prodere. Horr.

6. *Nihil ergo illis profuisset divinare. Atque etiam*, etc. Ita omnino distinguendum est, plena interpunctione, post verbum *divinare*. Nam voces illæ, *atque etiam*, non magis vim habent jungendi, quam augendi, q. d. « quin immo, non modo nihil profuisset, sed obfuisset etiam ». Ita Cicero sæpe: ut de Offic. I, 26, postquam dixisset, vel in secundis rebus consilio amicorum esse obtemperandum, sic pergit: « Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum ». Eamdemque vim et ipsa particula *atque* per se habet;

Digitized by Google

25 X. Addunt ad extremum, omnia levius casura, rebus divinis procuratis. Si enim[1] nihil fit extra fatum, nihil levari re divina[2] potest. Hoc sentit[3] Homerus, quum querentem Jovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat græcus ille in eam sententiam versus:

Quod fore paratum est[4], id summum exsuperat Jovem.

quod docet capitis hujus initium. Hott.

X. 1. *Si enim nihil fit*, etc. Hæc stare non posse, Lambinus, Davisius, aliique multi existimant. Itaque Davisius, vel delendum *enim*, vel ejus loco, *autem*, Lambinus *vero*, legendum putat. Pearcius, post *extremum* excidisse suspicatur vocem *male*. Quam rectius collocari post *procuratis*, judicat Ernestius. Ego nescio, an defendi possit hoc vocabulum usu illo elliptico, quem Cicero in primis amat: ita ut illud *male*, quod addendum censet Pearcius, potius intelligendum sit. Sic sup. I, 54: « Tum Socrates, non enim paruisti mihi, etc. » et inf. 26: « Id enim est, inquies, ostentum ». Et Tusc. I, 6, « M. Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. A. Quis enim non in ejusmodi causa? » Ita quoque Ovid. Met. III, 261, de Junone: « . . . tum linguam ad jurgia solvit. Effeci quid enim toties per jurgia, dixit. Ipsa petenda mihi est ». Quem locum huic nostro censeo simillimum. Etenim ita quoque supplendus est: « Linguam ad jurgia solvit Juno. Sed mox, cur hoc facio? inquit. Quid enim toties effeci per jurgia? » Hott.

2. *Nihil levari re divina potest.* I. e. nihil attinet, sacrificiis placare numina (id enim est, *res divinas procurare*): quippe ex Veterum doctrina ne ipsi quidem dii fata mutare valebant. Atque hic sensus contextui plane est accommodatus; ut aliud videatur egisse Lambinus, e nonnullis codd. sic edens: « nihil levare divinatio potest ». Rath.

3. *Hoc sentit Homerus.* Petrus Victorius, Varr. Lectt. XXXIV, 24, Ciceronem dicit, hoc loco memoria vacillasse. Non enim Homerum Jovem inducere querentem, quod Sarpedonem filium a morte, contra fatum, eripere non posset, sed dubitantem, an hoc ipsum facere, contra fatum, oporteat. Lambinus vero, ego, inquit, puto Victorium, quum hæc scriberet, dormitasse, aut etiam somniasse. Nam Jupiter duo facit apud Homerum. Primum queritur, Iliad. II, 433, fatale esse, Sarpedonem filium a Patroclo interfici. Deinde dubitat apud se, vs. 435, utrum Sarpedonem e periculo eripiat, etc. Atque sic Lambinum bene refellisse Victorium censet Davisius. Quod fateor, mihi cum Jortino, Miscell. Observatt. vol. III, tom. I, paullo aliter videri. Nam si, ut Cicero dicit, Jupiter Sarpedonem a morte, contra fatum, ab se eripi plane non posse existimaret, stulta sane deliberatio erat, an hoc tamen esset facturus. Hott.

4. *Quod fore paratum est*, etc. In eamdem mentem de Jove dixit Æschylus in excerptis Grotianis, pag. 13: Οὔκουν ἂν ἐκφύγοι γε τὴν πεπρωμένην. Herodotus, lib. I, cap. 91: Τὴν Πυθίην λέγεται εἰπεῖν τάδε· Τὴν πεπρω-

Digitized by Google

Totum omnino fatum etiam[5] Atellanio versu jure mihi esse irrisum videtur. Sed in rebus tam severis non est jocandi locus. Concludatur igitur ratio. Si enim provideri nihil potest futurum esse eorum, quæ casu fiunt, quia esse certa non possunt; divinatio nulla est. Sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt et fatalia; rursus divinatio nulla est: eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. Sed hæc 26
fuerit nobis tamquam levis armaturæ prima orationis excursio; nunc cominus agamus, experiamurque, si possimus cornua commovere[6] disputationis tuæ.

XI. Duo enim[1] genera divinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale[2]. Artificiosum constare partim ex conjectura, partim ex observatione diuturna; naturale, quod animus arriperet, aut exciperet

μένην μοῖραν ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγεῖν καὶ θεῷ. Philemon apud Stobæum, Serm. IX, pag. 383 : Δοῦλοι βασιλέων εἰσίν· ὁ δὲ βασιλεὺς Θεῶν· ὁ θεὸς ἀνάγκης. Impias hujusmodi sententias colligere, prorsus esset infinitum. Vide Platonem, de Legg. lib. V, pag. 610, et lib. VII, pag. 639; Livium, lib. IX, pag. 4; Lucianum Jove conf. p. 128 seqq. Lactantium, lib. I, cap. 11, 13; Scholiasten ad Euripidis Orest. vs. 488; denique Zenobium, Cent. I, 85, III, 9. Dav.

5. *Totum omnino fatum etiam.* Quasi vero fatum illo quoque græco versu fuerit irrisum. Id enim innuere videtur particula *etiam* : qua, fallor, nisi locus in mendo cubat. Ceterum Atellanæ fabulæ dictæ ab Atella Oscorum civitate, unde hoc genus carminis, ludicrum et jocosum, Romam fuit translatum. Vid. Liv. Hist. VII, 2. Horr.

6. *Cornua commovere.* Institutam a re militari metaphoram persequitur. Postquam igitur contra divinationem quædam generatim disputasset, quam dicit, eibi fuisse tamquam levis armaturæ excursionem, jam pressius acturus est, singula divinationis genera excutiens; ut qui jam non solum infestare hostes, sed in fugam vertere decreverit: quod haud difficulter effecerit is, qui cornua, s. alas repulerit. Horr.

XI. 1. *Duo enim genera*, etc. Cf. lib. I, cap. 18.

2. *Unum artificiosum, alterum naturale.* Ita solebant Stoici. Auctor vitæ Homericæ inter opuscula Galenæ, pag. 389 : Τῆς μαντικῆς τὸ μὲν τέχνικόν φασιν εἶναι οἱ Στωϊκοί· οἷον ἱεροσκοπίαν καὶ οἰωνοὺς καὶ τὸ περὶ φήμας καὶ κληδόνας καὶ σύμβολα, ἅπερ συλλήβδην τεχνικὰ προσηγόρευσαν· τὸ δὲ ἄτεχνον καὶ ἀδίδακτον, τουτέστιν ἐνύπνια καὶ ἐνθουσιασμούς. Vide supra lib. I, cap. 6. Dav.

Digitized by Google

extrinsecus ex divinitate, unde omnes animos haustos, aut acceptos, aut libatos haberemus. Artificiosæ divinationis illa fere genera ponebas, extispicum, eorumque, qui ex fulguribus ostentisque prædicerent, tum augurum, eorumque, qui signis, aut ominibus uterentur, omneque genus conjecturale in hoc
27 fere genere ponebas. Illud autem naturale, aut concitatione mentis edi et quasi fundi[3] videbatur, aut animo, per somnum sensibus et curis vacuo, provideri. Duxisti[4] autem divinationem omnem a tribus rebus, a deo, a fato, a natura. Sed tamen quum explicare nihil posses, pugnasti commentitiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum[5] hoc libet dicere. Hoc ego philosophi non arbitror, testibus uti; qui aut casu veri[6], aut malitia falsi fictique esse possunt. Argumentis et rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere, non eventis, iis præsertim, quibus mihi liceat non credere.

28 XII. Ut ordiar ab aruspicina, quam ego reipublicæ

3. *Et quasi fundi.* Verbum *fundere* involvit aliquam abundantiam et facilitatem, ac de iis fere dicitur, quæ sine labore fiunt, et a pleno et concitato pectore proficiscuntur. Igitur perquam accommodate adhibetur de prædictionum illo genere, quod non artem, verum instinctum quemdam divinum sequitur. Hott. — Francogallus interpres, abbas *Desmarais*, hanc ita reddit : *une certaine fureur d'esprit qui était comme infuse.* Risum teneatis.

4. *Duxisti autem divinationem*, etc. « Mihi videtur, inquit Cicero, lib. I, cap. 55, ut Posidonius facit, a deo, deinde a fato, deinde a natura vis omnis divinandi ratioque repetenda ». Dav.

5. *De quo primum hoc libet dicere.* Vocem *primum* reduxi, nonnullorum codd. fide, male a Davisio pulsam. Omissa nimirum est a correctoribus imperitis, qui in sequentibus *secundum* aliquid desiderarent. Sed hanc particulam absolute sæpius poni, pro *ante omnia*, non sequente *deinde*, dudum viri docti observarunt. Sic de Offic. I, 28 : « Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, etc. » Ihi e nonnullis codd. *hanc primam*, etc. frustra præferunt Heumannus, Pearcius, et Facciolatus. Vide Heusing. Adde Wopkens. Lectt. Hott.

6. *Casu veri.* Quum sc. res casu sic evenirent, ut essent prædictæ a divinantibus. Hott.

Digitized by Google

causa, communisque religionis, colendam censeo (sed soli sumus [1]; licet verum exquirere sine invidia, mihi præsertim de plerisque dubitanti [2]) : inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest, ea, quæ significari dicuntur extis, cognita esse ab aruspicibus [3] observatione diuturna? Quam diuturna ista fuit? aut quam longinquo tempore observari potuit? aut quomodo est collata inter ipsos, quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset [4]; quod fissum, periculum; quod, commodum aliquod ostenderet? An hæc inter se aruspices Etrusci, Elii, Ægyptii, Pœni contulerunt? At id, præterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest. Alios enim alio more videmus exta interpretari, nec esse unam omnium disciplinam. Et certe, si est in extis aliqua vis, quæ declaret futura, 29
necesse est, eam aut cum rerum natura esse conjunctam [5], aut conformari quodam modo numine deo-

XII. 1. *Censeo (sed soli sumus... dubitanti) : inspiciamus.* Sic bene Hottingerus distinxit, et ita demum verba, *ut ordiar*, etc. habent, quo referantur. Rath.

2. *Mihi præsertim ... dubitanti.* I. e. neque temere affirmanti, neque neganti, sed Academicorum more causas conferenti, ut, quid probabile sit, inde eliciatur. Hott.

3. *Cognita esse ab aruspicibus.* Nonnumquam præpositio deletur. Delevere Davisius et Hottingerus.

4. *Quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset.* Med. « quæ pars inimica, quæ familiaris esset ». Ac ita scribendum puto. Lucanus, I, 621 : « ... venasque minaces Hostili de parte videt ». Livius, lib. VIII, cap. 9 : « Decio caput jecinoris a familiari parte cæsum dicitur ostendisse ». De his et aliis huc spectantibus vide Barn. Brissonium, Form. lib. I, pagg. 20, 21, aut J. C. Bulengerum, de Sort. lib. II, cap. 7, pag. 327 seqq. Dav. — *Quæ pars inimici, quæ pars familiaris esset.* Supra ad I, 10 vidimus *fissum* in extis, lineam fuisse, quam sibi fingerent, exta in duas partes dividentem, quarum altera ad hostes, altera ad sacrificantem ejusque amicos pertineret. Hanc posteriorem *fissum familiare* appellabant. Vid. cap. seq. Unde probabile fit, *familiaris* in hoc nostro loco non secundi, verum primi casus esse. Neque tamen ideo Pearcii aut Davisii, *quæ pars inimica* legentium, probem conjecturam, etsi MS Med. firmatam auctoritate. Hott.

5. *Necesse est, eam... natura esse conjunctam.* Quum paullo durius « vis extorum cum rerum natura conjuncta » dici videatur, forte fuerit, qui ita legendum suspicetur : *ea* sc. *exta* ...

Digitized by Google

rum[6]. Atqui[7] divina cum rerum natura tanta tamque præclara, in omnes partes motusque[8] diffusa, quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel (sunt enim, qui vel argutissima[9] hæc exta esse di-

esse conjuncta. Quo tamen opus non est. Nam per hypallagen illud dici potuit, pro, *exta tali vi prædita.* Vid. sup. I, 57 : « Quanta sit animi vis sejuncta a corporis sensibus ». Hott.

6. *Conformari quodam modo numine deorum.* Exhibent codices nonnulli *numini*, plures vero *numine;* quod, jam ab Aldo sic editum recepit Ernestius, probavit Davisius, sensum hunc esse putans : exta nutu et voluntate deorum in hanc vel illam formam aut speciem fuisse redacta. Sed et lectio vulgata probabilem mihi sensum videtur admittere; hunc scilicet : « necesse esse, ut exta talem vim habentia, aliqua cum deorum numine cognatione contineantur ». Quem sensum commendabunt illa, quæ jam monebimus. Hott. — Male et Davisius et Hottingerus interpretati sunt, meo judicio, aut saltem parum dilucide. Nam quid opus erat sensum per hypallagen commendare, et referre *ad exta* quod se *ad vim* refert? Sic intelligam : « necesse est eam vim ex omni rerum natura pendere, et deorum quodam modo parere voluntati ».

7. *Atqui divina cum rerum natura,* etc. Variantur ad infinitum de hoc loco lectiones. Quem tamen satis persanavit Ernest. cujus emendationem sequuti sumus, nisi quod signum interrogationis post *commune* omiserimus. — Repugnat Hotting. vocem *rerum* admittere; « vox *rerum*, inquit, sine dubio inserta est ab iis, qui non viderunt, duplicem hic esse quæstionem; alteram de *divino numine*, alteram de *rerum natura.* Nimirum ante dixerat Cicero, si exta futura declarent, necesse esse, ut ea quodam modo aut cum *rerum natura*, aut cum *numine deorum* sint conjuncta. Jam vero dicit, talem conjunctionem haud posse cogitari. Neque enim apparere, quid v. c. tauri opimi jecur commune possit habere cum numine divino : neque magis cor, aut pulmonem, tamquam signa rerum, videri esse connexa cum omni rerum natura. Hoc nimirum dicunt illa verba, « quid habent naturale? » quæ haud intelligens Davisius, postremam vocem temere resecandam censuit. Per *rerum* autem *naturam* intelligendus sine dubio est nexus rerum, sive colligatio illa causarum omnium, quibus singuli eventus, velut suis seminibus involuti, continentur. Cum hoc igitur rerum nexu negat Cicero talem cogitari posse extorum convenientiam, ut hæc qui inspexerit, possit in iis illum nexum velut descriptum contueri. Vide paullo post cap. 14 ».

8. *In omnes partes motusque diffusa.* I. e. in omnes partes motu celerrimo diffusa : quod de divino numine ex mente Stoicorum accipiendum esse, tam clarum est, ut admonitione non egeat : unde lectio Ernestina plurimum firmatur. Eamdem fere sententiam supra, I, 11, isto versu expressam legimus : « Mentoque divina cælum terrasque petessit ». Quo magis mirum est, Davisium isthic plane nil videntem, pro *motusque*, conjecisse, *locosque.* Hott.

9. *Argutissima.* Quibus multa arguantur, s. significentur. Ita de Legg.

Digitized by Google

cant); sed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo, quid habet naturale, quo declarari possit[10], quid futurum sit?

XIII. Democritus tamen non inscite nugatur[1], ut physicus[2]; quo genere nihil arrogantius.

Quod est ante[3] pedes, nemo spectat; cæli scrutantur plagas.

Verum is tamen habitu extorum, et colore declarari censet hæc[4] dumtaxat, pabuli genus, et earum rerum, quas terra procreet, vel ubertatem, vel tenuitatem; salubritatem etiam, aut pestilentiam extis[5] significari putat. O mortalem beatum! cui certo scio[6] ludum numquam defuisse. Hunccine hominem tantis delecta-

I, 9: « Et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, præter hominem, potest, indicat mores ». Hott.

10. *Quid habet ... quo declarari possit.* Vulgo: « quod declarare possit ». Paris. Med. Reg. Cantab. « quo declarare possit »: quod, me haud assentiente, Davisius in alteram editionem admisit. Hott.

XIII. 1. *Non inscite nugatur.* I. e. docte nugatur, s. doctrina physica ridicule utitur, ad explicanda ea, quæ explicari non possint. Hott.

2. *Ut physicus.* Ut physici ubique fere solent. Hott.

3. *Quod est ante pedes.* Versus est trochaicus; nam vox secunda pro brevi syllaba passim numeratur. Dav. — Quem quidem versum ex tragœdia, cui titulus est Iphigenia, excerpsit Cicero; vide de Rep. I, 18: in mente habuisse videtur noster *La Fontaine, Fables*, II, 13, « Tandis qu'à peine à tes pieds tu peux voir, Penses-tu lire au-dessus de ta tête? »

4. *Declarari censet hæc dumtaxat*, etc. Vulgo, *hoc dumtaxat*. Davisius, particulam negantem excidisse ratus, ita legendum censet: « declarari censet non hoc dumtaxat ». Sic nempe flagitare orationem; quia sequatur: « salubritatem etiam... significari putat ». Sed parum attendit vir doctus ad superiora. Postquam enim Cicero dixisset, « physicis nihil esse arrogantius », ita pergit: « verum is tamen hæc dumtaxat censet, etc. » significans nimirum, Democritum ceteris esse modestiorem, ut qui extis nihil contendat declarari, « præter terræ ubertatem, aut sterilitatem, salubritatem aeris, aut pestilentiam ». Quod si Davisium sequaris, particula *tamen* hic prorsus erit inepta. Hott.

5. *Extis significari putat.* Grutero, voces istas a librariis manasse censenti, plane assentior. Hott.

6. *Cui certo scio ludum numquam defuisse.* MSS multi habent, *judicium*. Quamquam certo scio, ait Tullius, Democrito numquam acrem quamdam judicandi vim defuisse; mirum tamen est virum talem tantopere nugis esse delectatum, ut non videret, etc. A meis partibus stat Ernestius quoque,

Digitized by Google

tum esse nugis, ut non videret, tum futurum id verisimile, si omnium pecudum exta eodem tempore in eumdem habitum se coloremque converterent? Sed si eadem hora aliæ[7] pecudis jecur nitidum[8] atque ple-
31 num est, aliæ horridum[9] et exile : quid est, quod declarari possit habitu extorum et colore? An hoc ejusdem modi est[10], quale Pherecydeum illud[11], quod est a te dictum? qui quum aquam vidisset ex puteo haustam, terræ motum dixit futurum. Parum, credo, impudenter[12], quod, quum factus esset motus, dicere

cui sequentibus magis convenire videbatur *judicium*. Rath. — Sed viri eruditi, quorumdam codd. fide firmati, *ludierum*, *jocum*, *ludum* suspicati sunt.

7. *Aliæ pecudis. Aliæ* pro *alius*, antique, ab optimis scriptoribus sæpius dictum. Sic *alteræ*, *totæ*. Vide Corn. Nep. 18, 1, 6; 20, 3, 2; Cic. de Nat. Deor. II, 26, atque Lucretium, III, 931. Hottr.—Genitivus est ἀρχαϊκὸς, si modo debet id ἀρχαϊκὸν dici, quod adhibent optimi scriptores. Vide G. J. Vossium, Annal. lib. IV, cap. 6. Dav.

8. *Nitidum*. I. e. pingue ac succosum. Hor. Ep. I, 4, 15: « Me pinguem et nitidum bene curata cute vises, Quum ridere voles, Epicuri de grege porcum ». Hottr.

9. *Aliæ horridum*. Malim *torridum*, ut de corpore sicco et macilento. Ita Cic. de leg. agr. II, 34 : « Considium vegrandi macie torridum » dicit. Quamquam nec vulgatam damno. Hottr.

10. *An hoc ejusdem modi est*. Particula interrogatoria hic nullum dubium involvit, sed idem dicit ac *annon*. Ut de Offic. I, 15 : « An imitari agros fertiles (debemus) qui multo plus efferunt, quam acceperunt? » ubi vide Heusingeros. Simillima huic interrogatio est, pro Rosc. Amer. « Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriæ simillimum? » Quam lectionem veram restituit Lambinus, et servavit Rufinianus, de fig. sent. et eloc. 23. Hottr.

11. *Pherecydeum illud...qui quum*. Ad hæc nomen assume *Pherecydis* ex præc. *Pherecydeum*. Ita de Finib. V, 6 : « Carneadea nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit, etc. » Ubi conf. Davis. Adde Ruhnkenium, virum summum, ad Vell. Pat. pag. 16. Hottr. — Hic Pherecydes Pythagoræ præceptor fuit. Quem narrat Suidas omnia sine magistro didicisse. Eum tamen inter Pittaci discipulos refert Laertius Diogenes. Ceterum primus de natura deorum scripsit.

12. *Parum, credo, impudenter*. Hæc ironice dici clarum est; quæ Ernestius falsa esse, et nullum commodum sensum admittere dicit, lapsus ille, et hic, et aliis in locis, non ingenii profecto tarditate, sed senectute, ad cujus errores quis non facile conniveat æquus, præsertim in homine tanto, atque de literis immortaliter merito! Hottr. — *Parum, credo, im-*

Digitized by Google

audent, quæ vis id effecerit: etiamne futurum esse, aquæ jugis colore præsentiunt? Multa istiusmodi dicuntur in scholis; sed credere omnia, vide, ne non sit necesse. Verum sint sane ista Democritea vera. 32
Quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid ejusmodi ab aruspice, inspectis extis, audivimus? Ab aqua, aut ab igni pericula monent; tum hereditates, tum damna denuntiant; fissum familiare[13] et vitale tractant; caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant; si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius.

XIV. Hæc observari certe non potuerunt, ut supra docui. Sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum incognitarum. Cum rerum autem na- 33
tura quam cognationem habent? quæ ut uno consensu juncta sit, et continens, quod video placuisse physicis, eisque maxime, qui omne, quod esset, unum esse dixerunt[1]: quid habere mundus potest cum[2] thesauri

prudenter. I. e. satis modeste, εἰρωνικῶς. Rath.

13. *Fissum ... vitale*. Hoc quid sit, neque interpretes dicunt, neque Brissonius in libro de Formulis et solemnibus docet. Turnebus quidem, Advers. V, 18: « apparet, inquit, duplex fissum fuisse, unum familiare, ut opinor, in jecore, alterum vitale, in aliis extis, pulmone, de quo Lucanus, Parvusque secat vitalia limes ». E quibus, si alii plus quam ego ad loci intelligentiam profecerint, non invidebo. Numquid *fissum vitale* linea erat, qua explorandum esset, num vitæ ejus, qui consuleret, periculum aliquod immineret? Num forte scriptum erat *fissum hostile?* Quidquid sit, ignorantiam fateri malo, quam silentio doctrinam simulare. Hott.

XIV. 1. *Qui omne, quod esset, unum esse dixerunt*. Horum princeps fuit Xenophanes. « Xenophanes dixit unum esse omnia, neque id esse mutabile et id esse deum ». Cicero, Acad. II, 39. Ἐδογμάτισε δὲ ὁ Ξενοφάνης, παρὰ τὰς τῶν ἄλλων ἀνθρώπων προλήψεις, ἓν εἶναι τὸ πᾶν. Sextus Empiricus, Pyrr. Hypot. I, 33. De hac sententia vid. quæ disputat Rad. Cut. Northus, Syst. intell. cap. 4, 31. — *Omne, quod esset, unum*. Τὸ ὅλον καὶ τὸ πᾶν, τὸν σύμπαντα κόσμον. Rerum universitatem omnia complexam, atque inter se continentem. Hott.

2. *Quid habere mundus potest cum thesauri inventione conjunctum?* I. e. qui nexus potest cogitari inter thesauri inventionem et reliquam rerum seriem? Omnino vero talis nexus co-

Digitized by Google

inventione conjunctum? Si enim extis pecuniæ mihi amplificatio ostenditur, idque fit natura[3] : primum exta sunt conjuncta mundo[4]; deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet physicos hæc dicere? Ut[5] enim jam sit aliqua in natura rerum cognatio[6], quam esse concedo (multa enim stoici colligunt : nam et musculorum jecuscula bruma[7] dicuntur

gitari potest. Nam si nihil fit temere aut fortuito, sed a causis certis et antecedentibus omnia proficiscuntur, etiam thesauri inventio e causis talibus erit apta; adeoque pars erit illius vinculi continentis. Aliud est, quod paullo post quæritur, quo modo *exta*, tamquam signa rerum futurarum cum mundo possint esse conjuncta. Talis enim conjunctio omnino cogitari nequit, nisi quatenus una quæque mundi universi pars ceteras omnes refert, omnisque adeo natura simplex, ut philosophi Leibnitiani loquuntur, est quasi speculum universi. Horr.

3. *Idque fit natura.* I. e. sine miraculo aliquo, aut numinis cujusdam opera singulari, verum ita, ut exta naturalibus causis sic fuerint conformata, ut eorum habitus thesauri inventionem significet. Horr.

4. *Exta sunt conjuncta mundo.* Sc. tamquam signa rerum futurarum. Vid. sup. 12, ad illa verba : « Atqui divina cum rerum natura tanta tamque præclara ». Horr.

5. *Ut enim jam sit*, etc. Hæc, ut vulgo interpunguntur, exitum nullum habent. Sunt autem conjuncta cum illis : *demus hoc*, etc. Itaque omnia illa, quæ inter hæc verba, *concedo... demus*, sunt interjecta, signis interclusionis separanda existimavi. Recte jam Davisius fines hujus capitis protulerat, quum in libris editis ceteris ab his verbis, *demus hoc*, novum caput incipiat. Horr.

6. *Aliqua in natura rerum cognatio.* Libri veteres legunt, *contagio*, qua voce hoc sensu usus est Noster de Fato, 3 et 4. Sed et *cognatio* recte habet, atque bis in hoc capite, et infra in hoc ipso libro non semel legitur. Horr.

7. *Bruma dicuntur augeri.* Davisius, lege, inquit, *dicunt*, nempe Stoici. Sed plane nulla adest mutandi necessitas. Nam et ad *dicuntur*, si velis, facile assumas, *a Stoicis*. Neque tamen id Stoici soli dicebant. Horr. — « Murium jecuscula bruma increscere » docet etiam Plinius, H. N. lib. XI, c. 76. « Magna societas cum menta ad recreandos defectos animo pulcio, cum surculis suis in ampullas vitreas aceti utrisque dejectis. Qua de causa dignior e pulcio corona Varroni, quam e rosis, cubiculis nostris pronuntiata est. Nam et capitis dolores imposita dicitur levare; quin et olfactu capita tueri contra frigorum æstusque injuriam, et ab siti traditur, etc. » Plin. XX, 54. Quin et, quod adfirmat vir ille doctissimus non uno loco, simul ac Ælianus, H. A. lib. II, cap. 56. Vide sis et Antigonum Carystium, Hist. Mir. c. 136. Lunam etiam « muribus fibras addere » docet Lucilius apud Agellium, XX, 8. Dav.

Digitized by Google

augeri, et puleium[8] aridum florescere ipso brumali die, et inflatas rumpi vesiculas, et semina malorum, quæ in iis mediis inclusa sint, in contrarias partes se vertere; jam nervos in fidibus, aliis pulsis, resonare alios; ostreisque et conchyliis omnibus contingere[9] ut cum luna pariter crescant, pariterque decrescant; arboresque[10] ut hiemali tempore, cum luna simul senescentes[11], quia tum exsiccatæ sint, tempestive cædi putentur. Quid de fretis, aut de marinis æstibus[12] 34
plura dicam? quorum accessus et recessus lunæ motu gubernantur[13]. Sexcenta licet ejusmodi proferri[14], ut

8. *Puleium aridum ... rumpi vesiculas.* Pulegium ὑπὸ τὰς τροπὰς ἀνθεῖν docet Aristoteles, Probl. Sect. XXI, pag. 446. Plinius, H. N. II, 41: « Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba pulegii; rumpuntur intentæ spiritu membranæ ». Vide et lib. XVIII, § 60. Dav.

9. *Ostreisque et conchyliis omnibus contingere.* Agellius, N. A. XX, 8: « Luna nunc videlicet senescit: ea re ostrea quoque, sicuti quædam alia, tenuis exsuctaque est ... Eadem autem ipsa, quæ crescente luna gliscunt, deficiente contra luna, defiunt ». Plin. H. N. lib. II, 41, § 2: « Jam quidem lunari potestate, ostrearum, conchyliorumque, et concharum omnium corpora augeri ac rursus minui ». Vide sis Ælianum, H. A. lib. IX, cap. 6, et Leonem Allatium in Eustathii Hexaem. pag. 17. Dav.

10. *Arboresque ut ... putentur.* Nullum video verbum, e quo pendere dicam conjunctionem *ut;* nisi forte ex superioribus assumendum sit *contingere,* ita scilicet: « atque contingere, ut arbores ... tempestive cædi putentur »: quod mihi minime probatur. Constructioni autem plane fuerit consultum, si deleantur binæ voces *ut* et *putentur.* Hott. — Leni manu sanari hunc locum posse crediderim, si scribatur: « arboresque hiemali tempore, cum luna simul senescere, ut, quia tum, etc. » Rath.

11. *Cum luna simul senescentes.* Vide sis, inter alios, Plinium, H. N. lib. XVI, c. 74. « Hinc ligna, quæ luna vel jam plena, vel adhuc crescente dejecta sunt, inepta fabricis esse quasi emollita per humoris conceptionem », statuit Macrobius, Saturn. lib. VII, cap. 17. Dav.

12. *De fretis, aut de marinis æstibus.* I. e. de mari in fretis potissimum effervescente, incurrente in illa æstu. Hott.

13. *Lunæ motu gubernantur.* Hac de re Veterum loca collegimus ad lib. II de N. D. c. 7. Hinc « Oceanus quasi lunæ comes cum ea simul senescit adolescitque », prout ait Favorinus apud Agellium, N. A. lib. XIV, cap. 1. Dav.

14. *Sexcenta licet ejusmodi proferri.* Davisius, post Clericum, legendum putat *proferre.* Sed lectionem vulgatam pluribus exemplis stabilivit Wopkensius. Hott.

Digitized by Google

distantium rerum cognatio naturalis appareat): demus hoc; nihil enim huic disputationi adversatur; num etiam, si fissum cujusdam modi fuerit in jecore, lucrum ostenditur? Qua ex conjunctione naturæ, et quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire potest aut fissum jecoris cum lucello meo, aut meus quæsticulus cum cælo, terra, rerumque natura?

XV. Concedam hoc ipsum, si vis; etsi magnam jacturam [1] causæ fecero, si ullam esse convenientiam
35 naturæ cum extis concessero. Sed tamen, eo concesso, qui evenit, ut is, qui impetrire [2] velit, convenientem hostiam rebus suis immolet? Hoc erat, quod ego non rebar posse dissolvi. At quam festive dissolvitur! Pudet me non tui quidem, cujus etiam [3] memoriam admiror, sed Chrysippi, Antipatri, Posidonii, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te, ad hostiam deligendam ducem esse vim quamdam sentientem [4] atque divinam, quæ toto confusa mundo sit. Illud vero multo etiam melius [5], quod et a te usurpatum est, et dicitur ab illis: quum immolare quispiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut absit aliquid, aut
36 supersit; deorum enim numini parere omnia. Hæc jam, mihi crede [6], ne aniculæ quidem existimant. An

XV. 1. *Magnam jacturam causæ fecero.* I. e. ipsam, quam defendo, causam, forte in aliquod periculum adducam, ea concedens, quibus concessis defendi nequeat. Hott.

2. *Qui impetrire velit.* Ita legendum esse, monuit Lambinus, quum libri vulgati haberent *impertire*, vel *impartire.* Hott. — *Impetrire.* Vulgo *impetrare.* Quæ quidem vox prior pro posteriori ab auguribus adhiberi solebat.

3. *Cujus etiam memoriam admiror.* Particula *etiam* hic loci vim habet, velut corrigendi: q. d. « non pudet tui, quin potius, etc. » Hott.

4. *Ducem esse vim quamdam sentientem.* Mundi dicit animam quam διὰ ὅλου τοῦ κόσμου διήκειν censebant Stoici. Vide ad lib. I, cap. 52. Dav.

5. *Multo etiam melius.* I. e. multo magis festivum et ridiculum. Hott.

6. *Hoc jam, mihi crede,* etc. Al. « hæc mihi jam crede ». Sed *hoc* re-

Digitized by Google

censes, eumdem vitulum, si alius delegerit, sine capite jecur inventurum[7]; si alius, cum capite? Hæc decessio capitis aut accessio subitone fieri potest, ut se exta ad immolatoris fortunam[8] accommodent? Non perspicitis, aleam quamdam esse in hostiis deligendis[8], præsertim quum res ipsa doceat? Quum enim tristissima exta sine capite fuerunt[9], quibus nihil videtur esse dirius; proxima hostia litatur[10] sæpe pulcherrime. Ubi igitur illæ minæ[11] superiorum extorum? aut quæ tam subito facta est deorum tanta placatio?

XVI. Sed affers[1], in tauri opimi extis, immolante Cæsare, cor non fuisse; id quia non potuerit accidere, ut sine corde victima illa viveret, judicandum esse,

vocavit Davisius e cod. Paris. Verborum autem illum ordinem, præter eumdem cod. suppeditarunt Med. Balliol. Reg. Victor. eumque efficaciorem reddere orationem judicat Davisius: docere enim, vel ipsas tum temporis aniculas veteribus illis Stoicis minus fuisse credulas. In quo certe multum aberravit vir doctus. Neque enim particula *jam* tempus h. l. significat, sed majorem rei turpitudinem: q. d. « at hoc profecto multo etiam absurdius est, et tale, ut, etc. » Eodem plane modo Tusc. I, 41: « Id multo jam beatius »: et inf. 57: « jam ut nihil possit esse contemptius ». Hott.

7. *Sine capite jecur inventurum.* Davisius malit, *inventum iri*, propterea quod aruspices hæc curassent, non is, qui hostiam delegisset. Quæ ratio inanis est. Nam, qui sacrificabat, quamvis exta ipse non inspiceret, tamen ita plane, quid in illis esset, invenisse dici potest, quemadmodum sæpe is rem aliquam fecisse dicitur, qui modo fieri jussit. Hott.

8. *Ad immolatoris fortunam.* I. e. ad ejus res, atque ad eventum vel bonum, vel tristem, qui illum maneat. Hott.

9. *Quum enim tristissima exta sine capite fuerunt.* Davisius, nescio unde, edidit *fuerint*, pro vulgato, *fuerunt*, quod rectius duco. Non enim jam dicitur, quæ exta tristissima habeantur, sed, sæpius primæ hostiæ exta tristissima, proximæ lætissima esse; neque particula *quum* h. l. causam, verum tempus significat, vel potius eventum. Eamdemque ob causam delenda videtur vox *tristissima*, quæ hic plane inepta est, et fortasse glossema fuit ad illa verba: « quibus nihil videtur esse dirius ». Hott.

10. *Proxima hostia litatur. Litasse* dicebantur ii, qui sacrificio deos placassent, seu quorum hostiæ haberent exta læta atque fausta omnia, significantia. Hott.

11. *Ubi igitur illæ minæ.* Vox *igitur* vulgo abest.

XVI. 1. *Sed affers.* Supra lib. I, cap. 52. Hott.

Digitized by Google

37 tum interiisse cor, quum immolaretur. Qui fit, ut alterum intelligas, sine corde non potuisse bovem vivere; alterum non videas, cor subito non potuisse, nescio quo, avolare? Ego enim[2] possum vel nescire[3], quæ vis sit cordis ad vivendum; vel suspicari, contactum aliquo morbo, bovis exile et exiguum et vietum cor, et dissimile cordis fuisse. Tu vero quid habes, quare putes, si paullo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? An, quod adspexit[4] vestitu purpureo excordem Cæsarem, ipse corde privatus est? Urbem philosophiæ[5], mihi crede, proditis, dum castella defenditis. Nam, dum aruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam et vinum[6] insperseris; deus id eripiet, vis aliqua conficiet, aut exedet. Non ergo omnium interitus[7] atque obitus natura conficiet; et

2. *Ego enim.* Minus hic placet particula causalis, multoque, ni fallor, congruentius legeris, *ego autem*. Istas quidem particulas infinitis pæne locis a librariis esse confusas, quis nescit? Vid. inf. 19. Hott.

3. *Possum vel nescire.* I. e. ego potius dubitaverim, annon possit animal aliquod esse ita constitutum, ut ad vitam corde non egeat, quam hoc credam, quo dici nihil absurdius possit, cor subito disparuisse. Hott.

4. *An, quod adspexit*, etc. Davisius, nescio unde, dedit, *adspexerit*, quum vulgata rectissime habeat. *Excordem* autem Cæsarem Tullius dicit, eo, quod habitu illo ac splendore non veritus esset, civium animos offendere; *corde* vero *privatum* bovem, i. e. item *excordem* factum, quia Veterum multi, in corde sedem esse rationis existimaverunt. Est autem hic verborum lusus, neque ingeniosus, neque facetus, et Cicerone plane indignus. Davisius in his argutatur, de colore rubicundo ista intelligens, qui taurum excitat, et furibundum reddit. Hott.

5. *Urbem philosophiæ.* Num forte *arcem?* ut sup. I, 6. Ita Quintilianus, Inst. XII, 11, 28, *arcem eloquentiæ* dicit: nisi quod ibi de *fastigio* accipiendum videtur. Hott.

6. *Simul ac molam et vinum insperseris.* Codd. MSS plures sic legunt: « simul ac molam, immo jam ut vinum inspèxeris ». Hott. — Porro molam salsam et vinum explorandis victimis antequam percuterentur, inspergebant Veterea. Vide Joan. Saubertum de Sacriff. cap. 18, p. 429, 433. Dav.

7. *Non ergo omnium interitus atque obitus.* Quum *interitus atque obitus* plane idem dicant, Davisius pro *obitus*

Digitized by Google

erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. Quis hoc physicus dixit umquam? Aruspices dicunt. His igitur, quam physicis, potius credendum existimas[8]?

XVII. Quid? quum pluribus diis immolatur, qui 38
tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? Quæ autem insconstantia deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio, sæpe etiam inter proximos[1], ut Apollinis exta bona sint, Dianæ non bona? Quid est tam perspicuum, quam, quum fortuito hostiæ adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique obtigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid divini, quæ cuique hostia obtingat, tamquam in sortibus, quæ cui ducatur. Mox de sortibus. Quamquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortes[2] collatione hostiarum. An, quum in 39
Æquimelium[3] misimus, qui afferat agnum, quem im-

conjecit *ortus;* quam emendationem nuperrimi in Germania editores recipere non dubitant. Et sic jam intellexerat hunc locum Fontenellius noster, in Oraculorum histor. vernacula, cap. 7. J. V. L. — Itaque *interitus atque ortus* conjeci ante, quam hoc jam occupatum a Davisio ex altera ejus editione cognovissem. Atque eam emendationem firmant sequentia, « et erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat ». Itaque illam recipere non dubitavi. Hott.

8. *Potius credendum existimas.* Ita vulgo. Quem ordinem Davisius tacite mutavit, sic edens : « credendum potius existimas » : quod, quamvis placet, tamen sine libris nihil novandum sum arbitratus. Hott. — Ad rem; dixit enim Quintus, lib. I, cap. 18 : « Etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis, ut eæ sunt sortes, quas e terra editas accepimus : quæ tamen ductæ ut in rem apte cadant, fieri credo posse divinitus ».

XVII. 1. *Inter proximos.* I. e. consanguineos. Hott.

2. *Infirmas sortes collatione hostiarum.* I. e. in hostiis adducendis casum valere, tam est perspicuum, ut sortes, si illas cum his conferas, et earum similem rationem esse dicas, hoc ipso suspectas reddas. Hott.

3. *Æquimelium.* Locus in urbe, ubi quondam Sp. Mælii, hominis prædivitis, domus fuit. Is, quoniam credebatur dominationem affectasse, occisus est, ejusque domus *æquata* solo. Quæ res, sine dubio, ipsi loco hoc nomen dedit. Vid. Liv. I, 13 seq.

Digitized by Google

molemus; is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, et ad eum agnum non casu, sed duce deo servus deducitur? Nam si casum[4] in eo quoque dicis esse[5], quasi sortem quamdam cum deorum voluntate conjunctam; doleo tantam stoicos[6] nostros Epicureis irridendi sui facultatem dedisse: non enim ignoras, quam ista derideant. Et quidem illi facilius facere possunt: deos enim ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos, et perflabiles[7], et habitantes, tamquam inter duos lucos[8], sic inter duos mundos,

4. *Nam si casum*, etc. Vulgo *casus*: sed hoc recte se non habet, quum superioribus haud respondeat. Nos igitur editionum vetustiorum fidem sequuti sumus. Dav. — Probat Hottingerus: nam, inquit, sensus hic est: « si hic quoque (perinde ut sortem in oraculis quæ fiunt per sortes), casum dicis esse conjunctum cum voluntate deorum, ita ut in hac re et casus quidam obtineat, is vero regatur numine deorum, etc. » Vid. sup. I, 18, ubi dicit, « sortes ductæ, ut in rem apte cadant, fieri credo divinitus ». Ita vero quis forte legendum putet *conjunctum*, ut ad *casum* referatur. Sed talis syllepsis generis bonis auctoribus frequens est. Sic Cic. in Bruto, 75: « Omni ornatu orationis, tamquam veste detracta ». Quamvis et ibi Turnebus aliique dederunt *detracto*. Vid. Conrad. Heusinger. præf. ad Offic. Cic. pag. 46. Gruterus dedit *casus*, plurium MSS fidem sequutus, quorum alii habent *casu*. Lectionem Davisianam, si probe notata est varietas, firmant Oxonienses E et U.

5. *Dicis esse, quasi sortem quamdam cum*, etc. Male Davisius cum nonnullis aliis, *esse dicis*. Nam ea, quæ modo de sensu loci dixi, satis ostendunt, verbum *esse* referri debere ad *conjunctam*. Hott.

6. *Stoicos nostros*. Ita omnes habent MSS, quos deserens Davisius dedit *vestros*, quod Cicero Quintum fratrem, Stoicum, alloquatur. Ernestius veterem retinet lectionem, quod ipse quoque Cicero favisset Stoicis, et eos in multis esset sequutus. Mihi aliquo modo per contemptum sic videtur dixisse, ut Tusc. I, 32: « Num quid igitur est causæ, quin amicos nostros Stoicos dimittamus? » Hott.

7. *Perlucidos, et perflabiles*. Plenius hæc explicantur de Nat. Deor. I, 25—27. Dicebat nimirum Epicurus, « deos non habere corpus, sed quasi corpus ». Hinc Cicero isthic jocans, eos pervios luci atque ventis dicit, quod in isto *quasi corpore* nihil esset solidi. Hott. — De hac Epicuri sententia, quæ *intermundia* deorum sedes esse statuit, egimus ad N. D. lib. I, cap. 8. Dav.

8. *Inter duos lucos*. Epicurus diis sedem assignabat spatia inter mundos interjecta, quæ μεταχόσμια, s. *intermundia* dicebat. In his eos habitare dicit Cicero, tamquam *inter duos lucos*, quod asylum Romæ fuit, a Romulo augendæ multitudinis causa apertum. Vid. Liv. I, 8, et Vell. Pat.

Digitized by Google

propter metum ruinarum [9]; eosque habere putat eadem membra, quæ nos, nec usum ullum habere membrorum [10]. Ergo is circuitione quadam deos tollens, recte non dubitat [11] divinationem tollere. Sed non, ut hic sibi constat, item stoici : illius enim deus nihil habens nec sui, nec alieni negotii [12], non potest hominibus divinationem impertire; vester autem deus potest non impertire, ut nihilominus mundum regat, et hominibus consulat. Cur igitur vos induitis [13] in eas captiones, 41
quas numquam explicetis? Ita enim, quum magis properant, concludere solent : Si dii sunt, est divinatio; sunt autem dii; est ergo divinatio. Multo est probabilius : non est autem divinatio; non sunt ergo dii. Vide, quam temere committant, ut, si nulla sit divinatio, nulli sint dii. Divinatio enim perspicue tollitur. Deos esse, retinendum est.

XVIII. Atque hac extispicum divinatione sublata,

I, 8. Id non intelligentes correctores aliqui, verba ista, « inter duos lucos, sic » omiserunt. Hott. — Quam edidit Hottingerus lectionem, sensu et MSS fide probatam retinuimus.

9. *Propter metum ruinarum.* Ne sc. collapsis mundis, opprimerentur; quos oriri et occidere Epicurus, Democritum sequutus, statuebat. Hott.

10. *Eosque habere putat eadem ... membrorum.* Epicurus deos ἀνθρωπομόρφους esse contendit, omnem tamen ademit usum membrorum. Vide Plutarchum, de Plac. Philos. I, 7, et Ciceronem, Nat. Deor. I, 27 et 33. Dav.

11. *Recte non dubitat.* Clericus et Davisius malint *recta* : quod primo adspectu blanditur tali oppositione, « per circuitionem ... recta ». Sed eas argutias jam parum curat Cicero; qui, ut bene vidit Ernestius, nil dicere vult, nisi hoc : Epicurum suæ de diis opinioni convenienter tollere divinationem. Hott. — Utcumque sit, Epicurus iste qui « verbis reliquit deos, re sustulit » μαντικὴν ἅπασαν verbis disertis ἀνῄρει. Inter alios vide Diogenem Laertium, lib. X, § 135. Dav.

12. *Nihil habens ... negotii.* « Quod, inquit, beatum et immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium ». Cic. de Nat. Deor. I, 17 et 60. Hott. — Κυρίων Epicuri δοξῶν hæc erat prima : τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Hoc ejus decretum memorant plures, e quibus adi Laertium, X, 139. Dav.

13. *Cur igitur vos induitis.* Ita emendavit primum Manutius, eamque emendationem, plurium codd. lectione firmatam, recepit Davisius. Vulgo, « cur igitur vos inducitis ». Hott.

Digitized by Google

42 omnis aruspicina sublata est. Ostenta enim sequuntur, et fulgura. Valet autem in fulguribus observatio diuturna; in ostentis ratio plerumque conjecturaque adhibetur. Quid est igitur, quod observatum sit in fulgure? Cælum in XVI partes diviserunt Etrusci[1]. Facile id quidem fuit, quatuor, quas nos habemus, duplicare; post idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte venisset[2]. Primum id quid interest? deinde quid significat? Nonne perspicuum est, ex prima admiratione hominum[3], quod tonitrua, jactusque fulminum extimuissent, credidisse, ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem? Itaque in
43 nostris commentariis scriptum habemus: « Jove tonante, fulgurante[4], comitia populi habere nefas ». Hoc fortasse reipublicæ causa[5] constitutum est. Comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. Itaque comitiorum solum vitium est[6], fulmen; quod idem

XVIII. 1. *Cælum in XVI partes diviserunt Etrusci.* Idem docet Plinius, Histor. Natur. lib. II, cap. 54, quem vide. — « Dicunt physici de sexdecim partibus cæli jaci fulmina ». Servius ad Æn. VIII, 427. Forsan legendum *Etrusci*. Dav.

2. *Fulmen qua ex parte venisset.* Ut nimirum scirent, an sinistrum esset, necne. Nam Plinius, Hist. Nat. II, 54 : « ex his (partibus) inquit, octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras ». Hott.

3. *Ex prima admiratione hominum.* Ὁρῶντες τὰ ἐν τοῖς μετεώροις παθήματα οἱ παλαιοὶ τῶν ἀνθρώπων καθάπερ βροντὰς καὶ ἀστραπὰς κεραυνούς τε ... ἐδεισματοῦντο, θεοὺς οἰόμενοι τούτων αἰτίους εἶναι. Sextus Empiricus. « Primus in orbe deos fecit timor, arduæ cælo Fulmina quum caderent ». Petronius. Dav.

4. *Jove ... fulgurante.* Lambinus, ac post illum Bahierius, legendum putant, *fulgente*, quod de Nat. Deor. II, 25, sic scribit : « hunc (Jovem) etiam augures nostri (nuncupant), quum dicunt, Jove fulgente, tonante ». Atque *fulgere*, pro *fulgurare*, Veteres dixisse non modo Festus auctor est, sed ex plurimis quoque Ciceronis locis patet. Hott.

5. *Reipublicæ causa.* I. e. aliquo eorum dolo, qui reipublicæ præessent, ut scilicet, si quando parum opportunum tempus videretur habendis comitiis, populi voluntatem possent eludere. Hott.

6. *Comitiorum solum vitium est, fulmen.* Hoc, ut videtur, apud Romanos obtinuit, quod « quum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Capreæ paludem Romulus haberet, subito coorta tempestas cum

Digitized by Google

omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuit. Sed de auspiciis alio loco; nunc de fulguribus.

XIX. Quid igitur minus a physicis dici debet, quam quidquam certi significari rebus incertis? Non enim te puto esse eum, qui Jovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Ætna putes. Nam esset mirabile, quomodo 44
id Jupiter[1] toties jaceret, quum unum haberet; nec vero[2] fulminibus homines, quid aut faciendum esset, aut cavendum, moneret. Placet enim stoicis[3], eos anhelitus terræ, qui frigidi sint, quum fluere cœperint, ventos esse: quum autem se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere atque disrumpere, idque crebrius facere et ve-

magno fragore tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit: neque postea in terris Romulus fuit». Verba sunt Livii, I, 16. Dav.

XIX. 1. *Quomodo id Jupiter toties jaceret.* Jupiter enim fulmina «plurima cælo Dejicit in terras», ut ex vulgi sententia loquutus est Virgilius, Æn. VIII, 427. Dav.

2. *Quum unum haberet; nec vero*, etc. Sustuli punctum, quod vulgo male ponitur post verbum *haberet.* Nam illa quidem, *nec vero fulminibus*, etc. pendent ex superioribus, ut sensus hic fuerit: «Si fulmen non naturale esset, sed arte fabricatum ab Jove mitteretur, mirum foret, illum toties id mittere, quum unum haberet, atque tunc quoque mittere, quum homines nihil monitos vellet». Interpunctionem autem vulgatam, si sequaris, isto enuntiato, *nec vero ... moneret*, nihil ineptius erit, nihil magis præter rem inculcatum. Davisius quidem loci corruptelam odoratus est, verum minime sustulit, ita legendum censens: «non enim te puto esse eum.... quum unum haberet; nec vero fulminibus homines, quid aut faciendum esset, aut cavendum, monere». Plenam autem orationem hanc esse, existimat: «nec vero te puto, eum esse, qui putes, Jovem fulminibus homines monere». Quæ ratio, quam longe ab scopo aberret, minime necessarium duco, ut multis doceam. Quis enim non intelligit, Quintum Ciceronem, Stoicum, et divinationis defensorem, utique sic existimare debuisse, Jovem homines fulminibus monere. Hott.

3. *Placet enim stoicis.* Hæc plena distinctione ab superioribus sunt separanda; quod nescio cur mutaverit Davisius. Præterea loco *enim*, legendum puto, *autem*; quod hic aliquanto melius poni, ni fallor, peritus quisque facile agnoscet. Vide sup. 16: «Ego enim possum vel nescire, etc.» et inf. 63: «Venit enim jam in contentionem, etc.» Hott.

Digitized by Google

hementius[4]; tum et fulgura[5], et tonitrua exsistere; si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Quod igitur vi naturæ, nulla constantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo significationem rerum consequentium quærimus? Scilicet, si ista Jupiter significaret, tam multa frustra fulmina emitteret[6]! Quid enim proficit, quum in medium mare fulmen[7] jacit? quid, quum in altissimos montes, quod plerumque fit? quid, quum in desertas solitudines? quid, quum in earum gentium oras, in quibus hæc ne observantur quidem? At inventum est caput

4. *Placet enim stoicis ... vehementius.* Οἱ Στωϊκοὶ βροντὴν μὲν, συγκρουσμὸν νεφῶν, ἀστραπὴν δὲ ἔκψιν ἐκ παρατρίψεως, κεραυνὸν δὲ σφοδροτέραν ἔλλαμψιν. Plutarchus, de Plac. Philos. lib. III, cap. 3. « Nubes mediocriter collisæ, fulgurationes efficiunt; majore impetu pulsæ, fulmina ». Seneca, Nat. Quæst. lib. I, cap. 1. Vid. sis etiam lib. II, cap. 22, seqq. et Plin. H. N. lib. II, § 43, 49, 50. Dav.

5. *Tum et fulgura. Tum et fulgores*, ita Davisius, pluribus codd. MSS obsequutus edidit, pro *fulgura*, quod obtinet vulgo. Lectionem Davisianam plurimi MSS et edd. firmant. Pari modo infra : « Prospera Jupiter his dextris fulgoribus edit ». Adde sup. I, 49 : « Quæ enim extis, quæ fulgoribus, etc. » Ceterum de eadem re Seneca, Nat. Quæst. II, 16 : « Quid ergo, inquit, inter fulgurationem et fulmen interest? Dicam. Fulguratio est late ignis explicitus; fulmen est coactus ignis, et impetu factus. ... Nubium inter se compressarum angustiæ medium spiritum emittunt, et hoc ipso inflammant, et tormenti modo eliciunt ». Hott.

6. *Tam multa frustra fulmina emitteret!* MSS plures, addita negatione, sic legunt : « tam multa frustra fulmina non emitteret ». Quam lectionem semidoctis librariis esse tribuendam vere judicat Davisius. Idem recte monet, in omissa negatione εἰρωνείαν quamdam inesse, cui signum admirationis aptissimum judicavi. Ita quidem dictum videbitur multo acerbius, quam si cum Ernestio posueris interrogationem. Hott.

7. *Quum in medium mare f. jacit? Jecit* lectio est tum MSS plerorumque, tum edd. vett. pro qua tamen e nonnullis aliis, *jacit* receperunt Davisius et Ernestius, ordinem temporum sic postulare rati. Mihi autem hoc loco, præteritum tempus, vim aoristi habens, multo visum est aptius. Atque omnino ista talis adeuratio, superstitiosa potius quam diligens, neque Ciceronis, neque optimi cujusque scriptoris latini est. Vid. Conrad. Heusing. præf. ad Cic. de Off. pag. 56, seqq. Hott. — Ad rem exstant præclari, ut alii in hanc sententiam, Lucretii vs. lib. VI, 403, quos indicabo lectori dumtaxat : « In mare qua porro mittit ratione? quid undas Arguit, et liquidam molem, campoesque natantes? » Lambin.

Digitized by Google

in Tiberi[8]. Quasi ego artem aliquam istorum[9] esse negem. Divinationem nego. Cæli enim distributio, quam ante dixi, et certarum rerum notatio docet, unde fulmen venerit, quo concesserit; quid significet autem, nulla ratio docet.

XX. Sed urges me meis versibus:

> Nam pater altitonans [1], stellanti nixus Olympo,
> Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
> Et Capitolinis injecit sedibus ignes.

Tum statua Nattæ, tum simulacra deorum, Romulusque et Remus cum altrice bellua, vi fulminis[2] icti conciderunt, deque his rebus aruspicum exstiterunt responsa verissima. Mirabile autem illud, quod eo 46
ipso tempore, quo fieret indicium conjurationis in senatu, signum Jovis biennio post, quam erat locatum[3], in Capitolio collocabatur. Tu igitur animum induces (sic enim mecum agebas), causam istam et contra facta tua, et contra scripta defendere? Frater es: eo vereor[4]. Verum quid tibi hic tandem nocet?

8. *At inventum est caput in Tiberi.* Sc. caput dei Summani fulmine dejectum. De quo vide sup. I, 10. Hott. — Excidisse videtur *Summani.* Rath.

9. *Artem aliquam istorum.* Qua scil. possit notari cursus fulminis: quo notato, inventum est caput Summani in eo loco, qui erat ab aruspicibus demonstratus. Hott.

XX. 1. *Nam pater altitonans.* Vide sup. I, 12. Hott.

2. *Vi fulminis icti.* Codd. MSS plurimi sic legunt: «ut fulminis ictu»: ex quo Davisius suspicatur reponendum, «tum fulminis ictu», ut de Off. III, 25, «ictu deflagravit fulminis». Hott.

3. *Biennio post, quam erat locatum.* De tota hac re conf. in Catil. III, 8 et 9. Hott.

4. *Frater es: eo vereor.* Ita ex Venetis edidit Camerarius. Vulgo, «frater es: non vereor». Quod sic forte non incommode explices, ut dicat, se cum fratre loquentem, minime dubitare, ea refellere, quæ reipublicæ causa alio loco dixisset: ut supra 12: «aruspicinam ego reipublicæ causa communisque religionis colendam censeo. Sed soli sumus: licet verum exquirere sine invidia, mihi præsertim, de plerisque dubitanti». Camerarii autem lectio, si vera fuerit, spectare censenda erit maxime ad ea, quæ Cicero in oratione illa in Catilinam III, l. c. ex communi superstitione ad po-

Digitized by Google

resne, quæ talis est[5]; an ego, qui verum explicari volo? Itaque nihil contra dico; a te rationem totius aruspicinæ peto. Sed te mirificam in latebram conjecisti. Quod enim intelligeres, fore, ut premerere, quum ex te causas uniuscujusque divinationis exquirerem, multa verba fecisti, te, quum res videres, rationem causamque non quærere; quid fieret, non cur fieret, ad rem pertinere. Quasi ego aut fieri concederem[6], aut esset philosophi, causam, cur quidque
47 fieret, non quærere. Et eo quidem loco et prognostica nostra pronuntiabas[7], et genera herbarum, scammoneam, aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres.

pulum dixisset. Hæc igitur quo minus ad plebis animos movendos, callide ab se ficta esse fateatur, naturalem erga fratrem verecundiam sibi dicet obstare. Quorum utrum verum habendum sit, judicent alii. Hott.

5. *Resne, quæ talis est.* Hæc sine dubio non pertinent ad exempla illa hactenus commemorata: aliter quæstio ista prorsus inepta foret. Illa enim exempla pugnare videntur pro Quinti causa; quam si non juvant, certe illi neque nocent. Igitur hoc dicit Tullius: « Quod si non potis es, divinationem defendere, non magis hæc mea culpa est, qui abs te velim doceri, quam causæ ipsius, quæ talis est, ut defendi omnino nequeat ». Hott.

6. *Quasi ego aut fieri concederem.* Jo. Ad. *Nodell* in libello criticarum Observationum, addita negatione, sic censet legendum, « quasi ego aut fieri non concederem », plaudente viro docto, a quo relatam legi hanc emendationem, in Wyttenbachii, viri doctissimi, Bibliotheca crit. vol. II, part. 3, p. 96. Adde Chr. Dan. Beckii, V. Cl. Commentationes academicas de interpretatione vett. scriptt. p. 74. Quam emendationem et ego amplecterer, si de exemplis tantum paullo ante commemoratis hoc loco agi, mihi persuasum foret. Sed ab his quidem jam, ni fallor, Cicero deflexit ad totam illam rationem, qua divinatio a Quinto erat defensa. Quod, si ita est, non poterat sane Tullius omnia ab eo commemorata concedere: idque ipsum jam professus est supra cap. 11, loco huic simillimo: « Sed tamen, inquit, quum explicare nihil posses, pugnasti commentitiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum hoc libet dicere. Hoc ego philosophi non esse arbitror, testibus uti, qui aut cæsu veri, aut malitia falsi fictique esse possunt. Argumentis et rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere, non eventis, iis præsertim, quibus mihi liceat non credere ». Hott.

7. *Et prognostica nostra pronuntia-, et genera herbarum, scammoneam, aristolochiamque radicem, quarum causam*, etc. Res ad quas hic respicit Cicero, exstant lib. I, capp. 7, 8, 9, 10. Dav.

Digitized by Google

XXI. Dissimile totum: nam et prognosticorum causas persequuti sunt et Boethus stoicus, qui est a te nominatus, et noster etiam Posidonius; et, si causæ non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsæ observari animadvertique potuerunt[1]. Nattæ vero statua, aut æra legum de cælo tacta, quid habent observatum ac vetustum[2]? Pinarii Nattæ nobiles: a nobilitate igitur periculum[3]. Hoc tam callide Jupiter[4] cogitavit! Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur[5] ei, quam ille condidit. Quam scite per notas nos certiores facit Jupiter? At eodem tempore

XXI. 1. *Si causæ... res tamen ipsæ observari animadvertique potuerunt.* Edidit Davisius *possunt* ex nonnullorum MSS fide. Alii vero exhibent *potuerunt.* Quod forte præstet hic, ubi de prognosticorum agitur veritate, quæ quidem tota inest in antegressa eaque longa observatione: unde his *fulmina* opponens, *quid*, inquit, *habent observatum ac vetustum?* Hott.

2. *Quid habent observatum ac vetustum?* Hæc corrupta existimantes viri docti variis modis mutare aggressi sunt. Atque ut cetera minus probabilia taceam, non inepte Pearcius, *vetustum* in *vetustarum* mutans, inque aliam sedem transferens, sic legit: «Nattæ vero statua, aut æra legum vetustarum de cælo tacta, quid habent observandum?» Sic sup. I, 12, «elapsæque vetusto numine leges». Sed neque eo opus, si *vetustum* accipias, pro «longa observatione notatum», ut visum etiam Wopkensio. Nam hoc dicit Cicero: «illa prognostica vera esse, longa observatio docuit. At quibus exemplis anterioribus ac vetustis observatum est, tabulas legum de cælo tactas legum exitium significare?» *Observatum* igitur *ac vetustum*, quasi ἓν διὰ δυοῖν dictum putem, pro «longa observatione notatum». Hott.

3. *A nobilitate igitur periculum.* Marklandus ad Statium, ac post eum Pearcius, corrigendum censuerunt, *nobilitati*, putantes scilicet, lapsum statuæ Nattæ, quia nobilis fuisset, nobilitati periculum debuisse minitari. Hott.—Cui quidem lectioni repugnat sensus.

4. *Hoc tam callide Jupiter cogitavit!* Addidi signum admirationis. Davisius vero frustra est, sic legendum censens: «hoc quam callide Jupiter indicavit!» Non sane is persensit vim ejus verbi, quod vult mutatum. Nempe *cogitare* hic, ut sæpe, significat meditandi curam, atque inveniendi solertiam, quo fere modo «cogitata fraus, cogitatum facinus» et similia dicuntur. Ridet nempe eorum, qui ista sic explicant, ineptum acumen, rationemque interpretandi contortam ac quæsitam. Hott.

5. *Urbi igitur periculum ostenditur.* Ita solebant argutari. «... malus interpres rerum metus omne trahebat Augurium pejore via, truncataque membra, Nutricemque lupam Romæ regnoque minari». Sunt Claudiani de Bell. Get. v. 262. Dav.

Digitized by Google

signum Jovis collocabatur, quo conjuratio indicabatur. Et tu scilicet mavis, numine deorum id factum, quam casu, arbitrari? et redemptor[6], qui columnam illam de Coſta et de Torquato conduxerat faciendam, non inertia, aut inopia tardior fuit, sed a diis immortali-
48 bus ad istam horam reservatus est[7]? Non equidem plane despero ista esse vera; sed nescio, et discere a te volo.

Nam quum mihi quædam casu viderentur sic evenire, ut prædicta essent a divinantibus; dixisti multa de casu, ut, venerium[8] jaci posse casu, quatuor talis jactis; quadringentis centum venerios non posse casu consistere[9]. Primum nescio, cur non possint[10]; sed non pugno: abundas enim similibus. Habes et respersionem pigmentorum[11], et rostrum suis, et alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci. Quasi non potuerit id evenire casu, et non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita[12]. Illa

6. *Et redemptor.* Davisius hæc cum superioribus jungenda, atque ita censet legendum: «ut redemptor... non inertia, aut inopia tardior fuerit, sed ...retervatus sit». Sed hoc non opus. Quin multo apertius illa orationis forma, quam parum sit verisimilis aliqua talis suspicio, declarat. Eodem plane modo in Catil. II, 6: «Etenim, credo, iste centurio, qui in agro Fesulano castra posuit, bellum populo romano suo nomine indixit; et illa castra nunc non Catilinam ducem exspectant; et ille, ejectus in exsilium, se Massiliam, ut aiunt, non in hæc castra conferet». Hott.

7. *Ad istam horam reservatus est.* Alii MSS, «ad istam rem» exhibent. Ceterum τὸ *reservatus est*, hoc quidem sensu, nove dictum mihi videri fateor; nisi forte legendum sit, *retardatus*. Nam *hominem reservatum* non memini me unquam legere, nisi adjuncta notione periculi qualiscumque anterioris evitati. Hott. — Cum Hottingero credo vix latine dici *reservatus est*. Vide mihine malis suffragari, suspicato aliquando nostrum reliquisse *ad istam horam* res servata *est*. Rath.

8. *Venerium... Panisci.* Quæ Marcus hic repetit, Quintus supra lib. I, cap. 13, dixerat. Davis. — *Paniscas* autem diminutive pro *Pan* dicitur.

9. *Consistere.* Eleganter dictum de talis jactis, et in eo numero consistentibus, quo opus est, ad efficiendum *Venerium*. Hott.

10. *Nescio, cur non possint.* Non male, «nescio an possint». Hott.

11. *Habes et respersionem pigmentorum*, etc. Vide I, 13. Hott.

12. *Vel Praxitelia capita.* Id est,

Digitized by Google

enim ipsa efficiuntur detractione; nec quidquam illuc affertur a Praxitele : sed quum multa sunt detracta, et ad lineamenta oris perventum est, tum intelligas, illud, quod jam expolitum sit, intus fuisse. Potest 49
igitur tale aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum exstitisse[13]. Sed sit hoc fictum. Quid? in nubibus numquam animadvertisti leonis formam, aut hippocentauri? Potest igitur, quod modo negabas, veritatem[14] casus imitari.

XXII. Sed quoniam de extis et fulguribus satis est disputatum, ostenta restant, ut tota aruspicina sit pertractata. Mulæ partus[1] prolatus est a te: res mirabilis, propterea quia non sæpe fit; sed si fieri non potuisset, facta non esset. Atque hoc contra omnia ostenta valeat, numquam, quod fieri non potuerit[2], esse factum; sin potuerit, non esse mirandum. Causarum enim ignoratio in re nova[3] mirationem facit: eadem ignoratio si in rebus usitatis est[4], non miramur. Nam qui mulam peperisse miratur, is, quo modo equa pariat,

talia, qualia una Praxitelis ars videatur posse efficere. Pro *Praxitelia*, ed. Cratand. legit *perfecta*, quod est sine dubio glossatoris. Hott.

13. *Sua sponte exstitisse.* Id est, apparuisse, s. se protulisse; ea verbi significatione, quam notavimus supra I, 28. Eodemque sensu habes paullo post 23, «Tages quidam dicitur.... exstitisse repente, etc.» Hott.

14. *Veritatem.* Vide supra I, 13, in fine. Hott.

XXII. 1. *Mulæ partus.* Vide supra I, 18. Dav.

2. *Numquam, quod fieri non potuerit.* «Hoc unum scio nec fieri quod non potest, nec portentum esse quod potest». Albutius Silus apud Senecam, Controv. I, 3. Dav.

3. *In re nova mirationem facit.* Id est, insolenti, s. aberranti ab usu quotidiano. Hott.

4. *Eadem ignoratio si in rebus usitatis est, non miramur.* Davisio legendum videtur, *visitatis*, i. e. frequenter visis, quia paullo post hæc leguntur: «quod crebro videt, non miratur... quod ante non vidit.... ostentum esse censet». Atque jam ante illum Salmasius, Freinshemius, aliique viri docti hanc vocem eliminandam e Cicerone censuerunt. A quibus recte dissentit Wopkensius, Lect. Tull. p. 281. Hott. — Ceterum res usitatæ sunt, quæ frequenter occurrunt, ideoque crebro videntur. Res igitur eodem redit, eamque ipsam ob causam nil corrigendum putamus. Rath.

Digitized by Google

aut omnino quæ natura partum animantis[5] faciat, ignorat: sed, quod crebro videt, non miratur, etiam si, cur fiat, nescit. Quod ante non vidit, id si evenerit, ostentum esse censet. Utrum igitur, quum conce-
50 pit mula, an quum peperit, ostentum est? Conceptio contra naturam fortasse; sed partus prope necessarius. Sed quid plura? ortum videamus aruspicinæ: sic facillime, quid habeat auctoritatis, judicabimus.

XXIII. Tages quidam dicitur in agro[1] Tarquiniensi, quum terra araretur, et sulcus altius esset impressus, exstitisse repente, et eum affatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Ejus adspectu quum obstupuisset bubulcus, clamoremque majorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse. Tum illum plura loquutum multis audientibus, qui omnia ejus verba exceperint, literisque mandaverint; omnem autem orationem fuisse eam, qua aruspicinæ disciplina contineretur; eam postea crevisse rebus novis cognoscendis, et ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipsis; hæc scripta con-
51 servant; hunc fontem habent disciplinæ. Num ergo

5. Quæ natura partum animantis faciat. I. e. quæ vis aut causa naturalis. Infra 38: « Quæ est igitur natura, quæ volucres huc et illuc passim vagantes efficiat, ut significent aliquid, etc. » Et 69: « Quæ igitur natura obtulit illam speciem Simonidi, a qua vetaretur navigare? aut quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis, quod scribitur, somnium? » Horr.

XXIII. 1. *Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra araretur*, etc. Sic Censorinus, de Die Nat. cap. IV: « In agro Tarquiniensi puer dicitur divinitus exaratus nomine Tages, qui disciplinam cecinerit extispicii; quam Lucumones, tum Etruriæ potentes, exscripserunt ». Sic Ovidius, Metam. lib. XV, v. 353: « Haud aliter stupuit, quam quum Tyrrhenus arator Fatalem glebam mediis conspexit in arvis, Sponte sua primum, nulloque agitante moveri: Sumere mox hominis terræque amittere formam, Oraque venturis aperire recentia fatis. Indigenæ dixere Tagem: qui primus Etruscam Edocuit gentem casus aperire futuros ». Dav.

Digitized by Google

opus est ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro[2]? Estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam, an hominem[3]? Si deum[4], cur se contra naturam in terram abdiderit[5], ut patefactus aratro lucem adspiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus disciplinam superiore e loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppressus vivere? unde porro illa potuit, quæ docebat alios, ipse didicisse? Sed ego insipientior, quam illi ipsi, qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem.

XXIV. Vetus autem illud Catonis[1] admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret aruspex, aruspicem quum vidisset. Quota enim quæque res 52
evenit prædicta ab istis? aut si evenit quippiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit? Rex Prusias[2],

2. *Num Epicuro?* Quum Carneades disputator habitus sit subtilis, acumine vero caruerit Epicurus, Davisius legendum existimat: «num vel Epicuro?» Sed particula illa per se intelligitur. Nam Epicuri post Carneadem mentionem faciens Cicero, se quasi corrigit. Hott.

3. *Deum dicam, an hominem?* Tages *Genii* fuit *filius*, *nepos Jovis*, si Festo credimus. Dav.

4. *Si deum.* Sc. dixeris. Davisius autem, probante Ernestio, dedit: *si deus.* Ratio mutandi hæc fuit, quod in membro sequenti dicat: «si autem homo ille Tages fuit». Quæ ratio quam sit inanis nemo non videt, quum tali casuum enallage nihil sit frequentius. Ita Acad. II, 39: «Tenemusne, quid sit animus? ubi sit? denique, sitne, an, ut Dicæarcho visum est, ne sit quidem ullus? si est; tresne partes habeat, ut Platoni placuit... utrum sit ignis, an anima, an sanguis, an, ut Xenocrates, mens nullo corpore?» Ubi item frustra fuit Lambinus, sic legens: *an ut Xenocrati?* sc. *placuit.* Hott. — I. e. si quis deum fuisse credit. Davisius dedit *si deus* eumque sequutus est Ernestius: utrique igitur non retro respiciunt, sed prospiciunt, verbum assimilantes iis, quæ sequuntur. Rath.

5. *Abdiderit.* Lambinus legendum censuit, *abdiderat*; Davisius, *abdidit.* Sed nihil temere mutandum. Nam lectio vulgata melius significat rem parum verisimilem. Hott.

XXIV. 1. *Vetus autem illud Catonis.* Nulla Catonis facta mentione, Noster idem dictum refert Nat. Deor. lib. I, cap. 26. Dav.

2. *Prusias.* Ponti rex, ad quem Hannibal, relicta Creta, se contulit. Davisius idem hoc Plutarchum Antiocho regi tribuere dicit, cum Cicerone autem facere Valerium Maximum, III,

Digitized by Google

quum Hannibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. « An tu, inquit, carunculæ vitulinæ mavis, quam imperatori veteri credere? » Quid? ipse Cæsar, quum a summo aruspice moneretur[3], ne in Africam ante[4] brumam transmitteret, nonne transmisit[5]? quod ni fecisset, uno in loco omnes adversariorum copiæ convenissent. Quid ego aruspicum responsa commemorem (possum equidem innumerabilia), quæ aut nullos habuerint[6] exitus,
53 aut contrarios? Hoc civili bello, dii immortales! quam multa luserunt[7]? quæ nobis in Græciam Roma responsa aruspicum missa sunt? quæ dicta Pompeio? etenim ille admodum extis et ostentis movebatur. Non lubet commemorare, nec vero necesse est, tibi præsertim, qui interfuisti. Vides tamen, omnia fere contra, ac dicta sint, evenisse. Sed hæc hactenus : nunc ad ostenta veniamus.

7. Sed Valerii, qui hæc, ut alia, aperte sumpsit e Cicerone, in hac re auctoritas nulla est. Hott.

3. *Quum a summo aruspice moneretur.* Davisius vix esse putat, ut sic Cicero scripserit, hominis nomine non prolato. Igitur legendum censet, « a Spurinna aruspice ». Sed primum et supra I, 14, « summus imperator » dicitur, nec nominatur *Pompeius*. Tum, ut recte monet Wopkensius, vox *summo*, aruspicinæ vanitatem significantius exprimit, quod nimirum non de trivio tantum aruspices, sed eorum quidem summi falsa monuissent, et impune essent neglecti. Hott.

4. *Ante brumam.* Terentius, Phorm. act. IV, scen. IV, 28 : « Aruspex vetuit ante brumam autem quid novi negoti incipere ». Dav.

5. *Nonne transmisit?* « Caius Cæsar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis et auspiciis renitentibus, sprevit. Eo facilius et navigavit et vicit ». Minucius Felix, Oct. cap. XXVI. Dav.

6. *Quæ aut nullos habuerunt exitus.* Davisius tacite edidit *habuerint*, ut ante P. Victorius; idque melius judicans Ernestius, MS Guelf. auctoritate retinuit. Utroque sane modo dici poterat. Sed vulgatum aptius hic mihi videtur, quum Cicero loquatur de re, ut sibi persuasum erat, maxime certa. Alterum correctoris esse videtur nimis accurati. Hott.

7. *Quam multa luserunt?* Id est, quam multa irrita, et velut operam ludentes dixerunt? Propert. II, 33, 23 : « Non audis, et verba sinis mea ludere : quum jam Flectant Icarii sidera tarda boves ». Hott.

Digitized by Google

XXV. Multa me consule[1] a me ipso scripta recitasti; multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti; multa ante Lacedæmoniorum malam pugnam in Leuctris a Callisthene commemorata dixisti. De quibus dicam equidem singulis, quoad videbitur[2]; sed dicendum etiam est[3] de universis. Quæ est enim[4] ista a diis profecta significatio, et quasi denuntiatio calamitatum? Quid autem volunt ea dii immortales primum significantes, quæ sine interpretibus non possimus[5] intelligere; deinde ea, quæ cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentes calamitates prædicant, quas illi effugere nullo modo possint: ut medici[6], quamquam intelligunt sæpe, tamen numquam ægris dicunt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim prædictio mali tum probatur, quum ad prædictionem cautio[7] adjungitur. Quid igitur aut ostenta, aut eorum interpretes, vel Lacedæmonios olim, vel nuper nostros adjuverunt? Quæ si signa deorum putanda sunt, cur tam obscura 54 55

XXV. 1. *Multa me consule.... commemorata dixisti.* Vide lib. I, cap. 11, 34, 44. Dav.

2. *Quoad videbitur.* Vulgo, *quoad utile videbitur.* Quum vero mediam vocem repudiaverint tam res ipsæ, quam codd. editique libri plures, eam nos expungendam duximus. Dav. — Probat Hottingerus.

3. *Sed dicendum etiam est.* Cod. Balliol. «sed dicendum est primo»; quod Davisio placet; non mihi. Etenim potius hoc, quam vulgatum, a glossatore videtur profectum. Hott.

4. *Quæ est enim ista*, etc. Qualis tibi videtur, aut quid de illa judicandum existimas? De part. enim, vide quæ dixi ad I, 6: «Duo enim sunt damnandi genera, etc.» Hott.

5. *Non possimus.* Vulgo, *possumus.* Illud Ernestius, ac prior jam Davisius recepit: ne, inquit, modorum oriatur confusio, quia mox additur: «ea, quæ cavere nequeamus». Quam rationem, licet, ut jam sæpius dico, vanissimam ducam, ipsam tamen lectionem valde probo. Nam subjunctivus, in re nec certa modo, nec præsenti, sed quæ cum conditione ponitur, sane est aptior. Hott.

6. *Ut medici.* Paris. «ut a medici». Med. Reg. itemque Oxonienses E et U, *aut medici.* Davisius legendum censet: *et medici.* Male. Nam ista particula, more Ciceroni solemni, rem a genere revocat ad singularem aliquam formam, s. classem. Hott.

7. *Quum ad prædictionem cautio adjungitur.* Remedium, s. periculi evitandi certa ratio. Hott.

Digitized by Google

fuerunt? Si enim, ut intelligeremus, quid esset eventurum, aperte declarari oportebat; aut ne occulte quidem[8], si ea sciri nolebant.

XXVI. Jam vero conjectura omnis, in qua nititur divinatio, ingeniis hominum in multas, ac diversas, aut etiam contrarias partes sæpe deducitur[1]. Ut enim in causis judicialibus alia est conjectura[2] accusatoris, alia defensoris, et tamen utriusque credibilis: sic in omnibus iis rebus, quæ conjectura investigari videntur, anceps reperitur oratio[3]. Quas autem res tum natura, tum casus affert (nonnumquam etiam errorem creat similitudo[4]), magna stultitia est, earum rerum

8. *Aut ne occulte quidem.* Exhibent MSS plures, «aut ne aperte quidem»; male. Nam et illa correctio sensum habet primo forte adspectu blandientem, sed parum contextui accommodatum. Nam hoc dicit Cicero: inconsulto agere deos, futura obscure significantes. Si enim velint intelligi, melius facturos, si aperte significarent. Si nolint intelligi, jam hoc ipsum nimium esse, certe supervacaneum, si obscure significent. Frustra autem diceret: «deos ne aperte quidem, si intelligi nolint, futura significare debere»: quoniam «deos intelligi nolle» nonnisi ex eo ipso colligit, quod hominibus signa *obscura* offerant. Hott.

XXVI. 1. *Sæpe deducitur.* Conjecit Lambinus *diducitur*. Quæ quidem lectio Ernestio et nuper Hottingero placebat. Horum autem neuter eam recipere est ausus. Vulgo *deducitur*, quod, fateor enim, quid sibi hac in phrasi velit, vix intelligo. *Conjecturam diducere* quid sit, Cicero ipse infra cap. 70 interpretatur, conjecturam «huc atque illuc ducere». Lectionis itaque ratio quærenda est in prima verbi significatione. Rath.

2. *Alia est conjectura.* Conjecturam dicit argumentationem, qua reus vel defenditur, vel oppugnatur; si quidem hæc a certis et cognitis, ad incerta et incognita probabilem facit conjecturam. Hott.

3. *Anceps reperitur oratio.* Si lectio sana est, *orationem* dixit pro rebus oratione contentis, sive *argumentatione*. Sed aut vehementer fallor, aut legendum est, *ratio*. Hott.

4. *Nonnumquam etiam errorem creat similitudo.* Signa interclusionis addidit Davisius. Lambinus, tribus vocibus additis, ita legendum censuerat: «et in quibus nonnumquam, etc.» Quod vehementer probarem, si unius tantum codicis accederet auctoritas. Davisii ratio minus placet, propter orationis formam subito mutatam. Forte melius loco consulatur, si, una syllaba mutata, sic legas: «Quas autem res tum natura, tum casus affert, nonnumquam etiam errorem creans similitudo, etc.» Conf. quæ dixi sup. I, 11 ad hæc verba: «Quid vero Phœbi fax... petissans». Sensus autem hic fuerit: «Stultum est, earum rerum deos facere effectores, quæ vel

Digitized by Google

deos facere effectores, causas rerum non[5] quærere. Tu, vates, Bœotios[6] credis Lebadiæ vidisse ex gallo- 56
rum gallinaceorum cantu, victoriam esse Thebanorum, quia galli victi silere solent[7], canere victores. Hoc igitur per gallinas[8] Jupiter tantæ civitati signum dabat? An illæ aves, nisi quum vicerint, canere non solent? At tum canebant, nec vicerant. Id enim est, inquies, ostentum. Magnum vero : quasi pisces, non galli cecinerint. Quod autem est tempus, quo illi non cantent, vel nocturnum, vel diurnum? Quod si victores alacritate, et quasi lætitia, ad canendum excitantur: potuit accidisse alia quoque lætitia[9], qua ad cantum

natura fiunt, vel casu; interdum etiam modo fieri nobis videntur, quia similitudine quadam decepti, speciem cum re atque veritate confundimus». Exemplum habes infra cap. prox. de Atrato flumine, quem sanguine fluxisse Quintus supra dixerat; Tullius vero, quo modo id falso existimari potuerit, conatur ostendere. Sed forte illud quis existimet emendationi nostræ obstare, quod *similitudo* non *res ipsas* adferat, sed earum modo speciem. Verum hoc esset calumniari. Nam et ipse Cicero, quum res dicit, nihil intelligit, nisi rerum speciem, sive veram illam, sive falsam, et, quæ dicuntur, phænomena. Hott.

5. *Causas rerum non quærere.* Equidem miror, nemini vocem *rerum* tam inconcinne repetitam displicuisse : quæ mihi hoc loco delenda videtur. Hott. — Probat emendationem Rath. Vox tamen *rerum* retineri posse videtur, fide MSS.

6. *Tu, vates, Bœotios.* Variantibus ad infinitum lectionibus, aliisque « tu vates Bœotios », aliis « tum vates Bœotios », aliis *tunc* repræsentantibus, nos ex viri eruditissimi *Leclere* opinione, sic interpunximus et edidimus, ut vocativum casum *vates* obtineat.

7. *Victor. esse Thebanorum, quia g. victi silere solent.* Vulgo, *solerent.* At vulgatam lectionem editi libri et præbent ac merito quidem : non enim olim modo, sed etiam nunc ἐν μάχῃ ἀλεκτρυὼν καὶ τῇ πρὸς ἄλλον ἀγωνίᾳ ἡττηθεὶς οὐκ ἂν ᾄσαι· τὸ γάρ τοι φρόνημα αὐτῷ κατίσταλται καὶ μεμείωται καὶ καταδύεταί γε ὑπὸ τῆς αἰδοῦς. Verba sunt Æliani, Hist. Anim. IV, 29. Quod attinet ad historiam, ita Plinius, Hist. Nat. lib. X, § 24 : « Habent ostenta et præposteri gallorum vespertinique cantus. Namque totis noctibus canendo Bœotiis nobilem illam adversus Lacedæmonios præsagivere victoriam; ita conjecta interpretatione quoniam victa ales illa non caneret ». Davis.

8. *Per gallinas. Gallinas* sine dubio dixit Cicero, ut genus, non ut sexum significaret. Hott. — Interdum gallinas « velut mares cantare » tradit Columella. Dav.

9. *Alia quoque lætitia. Alia* nimirum præter eam, quæ ex victoria nascitur. Hott.

Digitized by Google

57 moverentur. Democritus quidem optimis verbis[10] causam explicat, cur ante lucem galli canant. Depulso enim de pectore, et in omne corpus diviso, et mitificato cibo[11], cantus edere, quiete satiatos: qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, «favent faucibus russis cantu[12], plausuque premunt alas». Quum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mentem venit Callistheni dicere, deos gallis signum dedisse cantandi[13], quum id vel natura, vel casus efficere potuisset?

10. *Optimis verbis*. Id est, ratione satis probabili: ut minime necesse sit legere, «optimis versibus», ut Lambino visum. Commode Davisius locum laudat de Finib. II, 26, ubi Epicurus memoratur, «optimis verbis de laudibus amicitiæ dicens». Hott.

11. *Mitificato cibo*. Hanc lectionem e nonnullis libris recepit P. Victorius, quum libri plerique scripti editique habeant, *modificato*. Illud autem Victorius expl. *concocto*, laudans de Nat. Deor. II, 60: «Omni materia... igni adhibito, ad mitigandum cibum utimur». Immo vero aliud est, *mitigare cibum*, i. e. alimenta cruda et acerba, non modo molliora, sed et ad gustum reddere suaviora; aliud *concoquere*, s. in succum convertere. Nam si cibus non crudus in ventriculum descendit, verbum *mitigare*, s. *mitificare* minime aptum erit, ad significandam ventriculi concoctionem. Itaque potius legam *mollificato*, nisi hæc vox unius auctoritate niteretur Pseudomacri. Verbo quidem *mollire* de cibis flamma coctis usi sunt optimi scriptores: ut Lucret. V, 1101: «Inde cibum coquere, ac flammæ mollire vapore Sol docuit». Adde Ovid. Metam. XV, 78. Aliquis tamen forte præferat, *confecto*, e loco Ciceronis de Nat. Deor. II, 54, nostro haud dissimili: «ut... spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur»; nisi quod hoc fere nimium recedit ab lectionis corruptæ vestigiis. Hott.

12. *Favent faucibus russis cantu*. Ea est interpunctio vulgata: quam, nescio quid cogitans, deseruit Davisius, sicque edidit: «favent faucibus russis: cantu plausuque premunt alas». *Favere faucibus*, inquit, ut *favere linguis* aut *vocibus*, denotat, *silere*. Recte: sed «cantu alas premere», quid tandem significabit? Nimirum vox *cantu* jungenda cum præcedentibus, ut sit: «favere faucibus a cantu», vel «quod ad cantum». Pro *russis* autem legendum puto: *raucis*, vel *ravis*. Quid enim *color* ad *cantum*? Ed. Cratand. ita legit: «favent faucibus: rursus cantu plausuque premunt alas». Hott.

13. *Deos gallis signum dedisse cantandi*. Davisius suspicatur sic esse legendum: «deos gallis signum dedisse cantantibus». Sed nil opus est: quia potius lectio vulgata arctius adstringit sensum. Hoc enim dicit: minime necesse esse, ut ille gallorum cantus referatur ad signum aliquod, id est, jussum, s. instinctum divinum, quum vel a natura horum animalium per se canora, vel a casu potuerit proficisci.

Digitized by Google

XXVII. Sanguinem pluisse[1] senatui nuntiatum est; 58
atratum etiam fluvium fluxisse sanguine; deorum sudasse simulacra: num censes his nuntiis Thalen, aut Anaxagoram, aut quemquam physicum crediturum fuisse? Nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore[2] est. Sed et decoloratio[3] quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse, et humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem[4] imitari. Atque hæc in bello plura et majora videntur timentibus; eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu et periculo[5] quum creduntur facilius, tum finguntur impunius. Nos autem ita leves atque inconsi- 59
derati sumus, ut, si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. Ante vero Marsicum bellum, quod clypeos Lanuvii, ut a te est dictum, mures rosissent, maximum id portentum aruspices esse dixerunt. Quasi vero quidquam

Ea vero hujus formulæ significatio, a re militari ad alia quoque translata, notior est, quam ut exemplis confirmari debeat. Hott.

XXVII. 1. *Sanguinem pluisse*, etc. De hoc similibusque portentis conf. Heynii V. Cl. Opuscula Academica, vol. III, p. 212, 265, 275. Hott.

2. *Nisi e corpore est. Animali* scilicet. Nam sic absolute *corpus* interdum dicunt. Ovid. Metam. XV, 108: «... nostrumque petentia letum Corpora missa neci salva pietate fatemur». Hott.

3. *Decoloratio quædam.* Ea ratione miraculum fluvii Adonis, quotannis sanguine fluentis explicatur apud Lucianum, in libello de Syria dea. Conf. Scheuchzeri Hydrographia Helvetica, p. 40 seqq. Hott.

4. *Sudorem imitari.* Davisius e libris nonnullis scriptis editisque dedit: «sudorem videtur imitari». Sed facile e superioribus assumitur verbum *potest:* et parum concinna est repetitio: «ut videmus... videtur». Additum autem hoc verbum est, ut puto, a correctore. Hott.

5. *Quod in metu et periculo, quum creduntur facilius, tum fingunt. imp.* Statius, Thebaid. lib. VII, 112, sic de Pavore loquitur: «... bonus omnia credi Auctor, et horrificis lymphare incursibus urbes. Si geminos soles ruituraque suadeat astra, Aut nutare solum, aut veteres descendere silvas, Ah! miseri vidisse putent». Idem plus vice simplici monuit Livius, et rem ita se habere quotidiana docet experientia. Dav.

Digitized by Google

intersit, mures, diem noctem aliquid rodentes, scuta, an cribra[6] corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserunt, de republica debui pertimescere; aut[7], si Epicuri de Voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.

60 XXVIII. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quidquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est : ut, etiam si præter consuetudinem exstiterit, præter naturam tamen non possit exsistere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si potes[1]. Si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa; eumque errorem[2], quem tibi rei novitas attulerit, naturæ ratione[3] depellito. Ita te nec terræ fre-

6. *Scuta, an cribra corroserint.* « Illud eleganter dictum est Catonis, qui, quum esset consultus a quodam qui sibi a soricibus erosas caligas diceret, respondit, non esse illud monstrum, sed monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur». Augustinus, de Doctr. Christ. lib. II, cap. 20, § 31. Dav.

7. *At, si Epicuri*, etc. Eam, ni maxime fallor, genuinam Ciceronis lectionem repræsentat MS E, cum ed. Gratand. Sic certe non contrarias quidem, sed tamen diversas res amat conjungere : ut supra I, 30 : « Midæ illi Phrygio, quum puer esset, dormienti formicæ in os tritici grana congesserunt..... At Platoni quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, etc. » Vulgo legitur, « aut si Epicuri ». De frequenti harum particularum permutatione vide sup. 7 : « Aut si negas, esse fortunam, etc. » Hott. — *Aut, si Epicuri de Voluptate liber.* Videtur hic de Voluptate liber clarum obtinuisse locum inter libros qui Epicuro attribuebantur. Quem sæpe lacessivit Cicero in philosophicis suis operibus.

XXVIII. 1. *Si potes.* Davisius MSS fidem sequutus *poteris* dedit, pro *potes*, quod libri editi habent plures.

2. *Eumque errorem.* Quam lectionem MSS comprobatam, ut accommodatam sensui, ex eruditissimi viri *Leclerc* judicio retinuimus. Sed Hottingerus, Davisium sequutus, *eumque terrorem* edidit, quasi hoc vulgatum firmet ac stabiliat sequentia. Sc. « ita te nec terræ fremitus... nec trajectio stellæ, nec faces visæ terrebunt ». Et paullo ante : « an vero illa nos terrent, si quando, etc. »

3. *Naturæ ratione depellito.* Sc.

Digitized by Google

mitus, nec cæli discessus, nec lapideus aut sanguineus imber, nec trajectio stellæ[4], nec faces visæ terrebunt. Quorum[5] omnium causas si a Chrysippo quæram[6], 61
ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri sine causa potest; nec quidquam fit, quod fieri non potest. Nec, si id factum est, quod potuit fieri, portentum debet videri. Nulla igitur portenta sunt: nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse, portentum est: sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur[7]: nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam esse; nec, quod potuerit, id portentum esse; ita omnino nullum esse portentum. Quod etiam conjector quidam et inter- 62
pres portentorum non inscite respondisse dicitur ei, qui ad eum[8] retulisset, quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumjectus fuisset[9]: « Tum esset, in-

physiologia quam « naturæ rationem » vocavit lib. I, cap. 41. Dav.

4. *Trajectio stellæ.* Ista verba non unum sensum habent apud Ciceronem; vide supra lib. I, 1, et lib. II, 6; necnon Gœrenz. ad Academ. II, 39. J. V. L.

5. *Quorum omnium.* Vulgo, *quarum omnium.* Hott.

6. *Quæram.* Olim, *quærens.*

7. *Illa igitur ratio concluditur.* Quamvis hæc mutare nulla necessitas, tamen aptius videtur, *concluditur:* ut sup. 10. Hott.

8. *Qui ad eum.* Vulgo: « qui quum ad eum ». Pro *quum* libri plures scripti habent, *quoddam.* Nos sequimur Ernestium, conjunctionem *quum*, recte proscribentem. Atque eam particulam post pronomen *qui* non semel intruserunt vel librarii, vel correctores parum considerati: ut Tuscul. I, 30: « Quod iis sæpe usu venit, qui, quum acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent »: ubi incommodam vocem delendam esse, recte Lambinus et Ernestius judicant. Hott.

9. *Vectem circumjectus fuisset.* Sic Davisius, probante Hottingero, edidit. Non desunt diversæ lectiones: « vectem circumnexus; vecti circumnexus; vestem circumplexus »; quin et « vestem circumjectus »; sed pessime hæc. Acutum vero responsum quod *cuidam interpreti* tribuit Noster Leotychidæ adscribit Plutarch. Apophthegm. Lacon. pag. 224: Δράκοντος περὶ τὴν κλεῖν ἐλιχθέντος, καὶ τῶν μάντεων τέρας ἀπεφαινομένων εἶναι, οὗτι ἐμοὶ γὰρ, ἔφη, δοκεῖ, ἀλλ' εἰ ἡ κλεὶς τῷ δράκοντι περιειλίχθη. Dav.

Digitized by Google

quit, ostentum, si anguem vectis circumplicavisset». Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse portentum, quod fieri posset.

XXIX. C. Gracchus[1] ad M. Pomponium scripsit, duobus anguibus domi comprehensis[2], aruspices a patre convocatos. Qui magis anguibus, quam lacertis, quam muribus? Quia sunt hæc quotidiana, angues non item. Quasi vero referat, quod fieri potest, quam id sæpe fiat. Ego tamen miror, si emissio feminæ anguis mortem afferebat Tib. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliæ, cur alterutram emiserit. Nihil enim scribit respondisse aruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insequuta Gracchum est[3]. Causa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emissione serpentis. Neque enim tanta est infelicitas aruspicum, ut ne casu quidem
63 umquam fiat, quod futurum illi esse dixerint. Nam illud mirarer[4], si crederem, quod apud Homerum

XXIX. 1. *C. Gracchus.. scripsit*, etc. Vid. sup. I, 18. Hott.

2. *Duobus anguibus domi comprehensis*. Vide lib. I, 18. Dav.

3. *At mors insequuta Gracchum est*. Davisio legendum videtur: «at mors insequuta Gracchi est». Nam inepta, inquit, videtur προσωποποιία mortis, ut ea, tamquam telis armata, fugientem Gracchum a tergo sequatur. Inepta vero! Sed neque Cicero hoc cogitavit, neque requirendus est tropus in voce usu vulgari trita. «Mors eum insequuta est», haud magis tropice dicitur, quam, *eum oppressit*. Sed fac istam esse προσωποποιΐαν, numquid lenior est ea, quam habes Tusc. Qu. I, 39: «Nonne modo pueros, modo adolescentes, in cursu, a tergo insequens, nec opinantes assequuta est senectus?» aut qua Cœlius utitur Epp. ad Div. VIII, 4: «Nam M. Cœlium Vinicianum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, et promulgatio de dictatore subito dejecit, et dejectum magno clamore insequuta est». Hott. — Hunc locum bene defendit Hottingerus contra Davisium. Rath.

4. *Nam illud mirarer*, etc. Cur Cicero magis se mirari dicat Calchantem ex passerum numero belli Trojani annos auguratum, quam aruspices ex feminæ anguis emissione Ti. Gracchi mortem prædicentes, ego haud assequor: nisi forte, quæ hic dicit, non magis de conjectura a Calchante facta, quam de ipso ostento velit intelligi. Sic certe satis omnia congruent. Dixerat nimirum supra, ostenta miranda non esse: nihil enim habere singulare præter

Digitized by Google

Calchantem dixisti ex passerum numero belli Trojani annos auguratum [5]; de cujus conjectura sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemnon [6]:

XXX. Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata [1] queamus
Scire, ratosne habeant, an vanos pectoris orsus.
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quæ Priamo cladem, et Trojæ, pestemque ferebant:
Nos circum latices gelidos, fumantibus aris,
Aurigeris [2] divum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai [3],
Vidimus immani specie [4], tortuque draconem [5]

insolentiam, et a certis causis iisque naturalibus, quamvis forte incognitis, proficisci. Jam pergit, et fatetur, illud Homeri ostentum (de dracone potissimum in lapidem converso, vid. sub fin. cap.) utique fore mirandum, si verum esset, quod nimirum res non ab usu modo quotidiano, sed ab ipsa natura abhorreat. Cet. vid. sup. I, 33. Apud Homerum autem locus exstat, Iliad. II, 299, seqq. Hott.

5. *Ex passerum numero belli Trojani annos auguratum.* Huc respicit Petronius, Satir. cap. 19: « Jam decima mœstos, inter ancipites metus, Phrygas obsidebat messis, et vatis fides Calchantis atro dubia pendebat metu ». Cf. Philostratum, vit. Apoll. I, 22. Vide sis Origenem in Cels. lib. IV, pag. 224. Exstat autem locus Iliad. B, 299. Dav.

6. *Loquitur Agamemnon.* Immo Ulysses, ut primus admonuit Politianus, Miscell. cap. LIII. Hott.

XXX. 1. *Calchantis fata.* Oraculum a Calchante conjectura editum. Hott.

2. *Aurigeris ... tauris.* Victimarum apud Veteres cornua auro induci solita, vulgo notum est. Quem ornatum Homero quidem aliis locis frequentatum (vid. Od. III, 384 et 437), hic certe Tullius de suo addidit. Nam Homerus simpliciter memorat τελήεσσας ἑκατόμβας. Hott.

3. *Fons unde emanat aquai.* MSS « manabat equarum »; « emanabat aquarum ». Quæ correctoris manum produnt, vel recusante metro, tempori consulere volentis. Sed præsens nimirum præteriti vim habet, ut sæpe; in primis apud poetas. Virg. Georg. I, 279: « tum partu terra nefando Cœumque Iapetumque creat, sævumque Typhœa ». Hott.

4. *Immani specie.* Magnitudine. — *Tortu.* Immensis orbibus s. spiris. Hott.

5. *Tortuque draconem Terribilem.* Homerus, Iliad. B, 308: Ἐνθ' ἐφάνη μέγα σῆμα, δράκων ἐπὶ νῶτα ΔΑΦΟΙΝΟΣ Σμερδάλεος. ... Philostratum vide de palustribus draconibus, lib. III, cap. 6. Dav.

Digitized by Google

Terribilem, Jovis ut pulsu[6] penetraret ab ara[7];
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos[8]
Corripuit pullos : quos quum consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat;
Cui ferus immani laniavit viscera[9] morsu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, et duro formavit tegmina saxo[10].
Nos autem[11] timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in mediis divum versarier aris.
Tum Calchas hæc est fidenti voce loquutus :
« Quidnam torpentes subito obstupuistis, Achivi?
Nobis hæc portenta deum dedit ipse creator[12],
Tarda, et sera nimis[13]; sed fama, ac laude perenni[14].
Nam quot aves tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exantlabimus annos :
Quæ decimo cadet, et pœna satiabit Achivos ».
Edidit hæc Calchas : quæ jam matura videtis[15].

Quæ tandem ista auguratio est ex passeribus, an-

6. *Terribilem, Jovis ... pulsu penetraret ab ara.* Ab Jove missus. Homer. Τόν ῥ' αὐτὸς Ὀλύμπιος ἧκα φόωσδε. Hott.

7. *Pulsu penetraret ab ara.* Davisius edidit *penetrabat* e MSS. Rath. autem *penetraret*, additque : nil hac structura usitatius est, nec credo ullum esse locum apud Ciceronem, ubi post istud *videre, ut* indicativus legatur.

8. *Foliorum tegmine septos.* Nil dulcius Homerico, πετάλοις ὑποκρυφθῶτες : infra quod longe subsistens Cicero, nescio an assequi romano sermone haud potuerit. Hott.

9. *Viscera.* I. e. *corpus*, s. ipsam. Et hæc, quemadmodum pleraque, ut simplicius, ita melius Homerus : πτίρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν. Hott.

10. *Duro formavit tegmina saxo.* Veram hanc lectionem Davisius restituit. vett. pluribus edd. pro *formavit*, *firmavit.* Vulgo : *formavit tegmine saxi.* Hott.

11. *Nos autem ... aris.* Et hic quædam de se Tullius, quarum vestigium nullum Homerus habet : Ἡμεῖς δ' ἱσταότες θαυμάζομεν, οἷον ἐτύχθη. Hott.

12. *Deum ... creator.* Balliol. *deus creator.* Quæ lectio, ut verissime judicat Davisius, monachi stuporem sapit. Hott.

13. *Tarda, et sera nimis.* I. e. quæ eventum significent tempore remotum. Homerus, ὀψιον, ὀφελλόμενον. Hott.

14. *Sed fama, ac laude perenni.* Nimirum ex Troja capta atque diruta, qui exitus eo monstro portendebatur. Hott.

15. *Quæ jam matura videtis.* I. e. instare, ac propinqua esse, ut recte Turnebus. Hom. τὰ δὴ νῦν πάντα τελεῖται. Dav.

Digitized by Google

norum potius, quam aut mensium, aut dierum? Cur autem de passerculis conjecturam facit, in quibus nullum erat monstrum[16]; de dracone silet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? Postremo quid simile habet passer annis? Nam[17] de angue illo, qui Sullæ apparuit immolanti, utrumque memini, et Sullam, quum in expeditionem[18] educturus esset, immolavisse, et anguem ab ara exstitisse, eoque die rem præclare esse gestam, non aruspicis consilio, sed imperatoris.

XXXI. Atque hæc ostentorum genera mirabile ni- 66
hil habent, quæ quum facta sunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocantur[1]: ut illa tritici grana[2] in os pueri Midæ congesta; aut apes, quas dixisti in labris Platonis consedisse pueri, non tam mirabilia sint, quam conjecta belle: quæ tamen vel

16. *In quibus nullum erat monstrum.* In quibus nihil erat, aut fiebat præter naturam. Hott.

17. *Nam de angue illo*, etc. Ista non ad postrema modo, sed omnino ad totam ostenti illius Homerici, maxime vero draconis in lapidem mutati fabulam spectant, quam se haud credere, supra fuerat professus. Itaque plena oratio talis quædam fuerit. « Neque vero est, quod ostentum memores de angue, qui Sullæ immolanti apparuit, longe diversum quidem illud a superiori, atque mirabile nihil habens ». Hott. — Vide sup. lib. I, cap. 33. Dav.

18. *Quum in expeditionem educturus esset.* Insolentior hic hujus verbi usus, sine accusativo, forte quem inducat, ut putet Ciceronem hic, ut sup. I, 33, scripsisse : « quum in expeditionem exercitum educturus esset » : eo magis, quod similes præcedentis vocis tractus facile videri possint hanc absumpsisse. Simplici tamen verbo sic sæpe utitur Livius : ut I, 23 : « Ea res ab stativis excivit Mettium. Ducit quam proxime ad hostem potest ». Hott.

XXXI. 1. *Atque hæc ostentorum genera mirabile nihil habent, quæ quum*, etc. Editio Ernestina, nescio an consilio, an errore, post verbum *habent* signum exhibet interpunctionis majus. Quo facto enuntiationes sensu conjunctæ male distrahuntur. Nimirum Tullius superiori capite dixerat : illud Homeri ostentum utique fuisse mirandum, si esset verum. Nunc vero dicit, aliam longe eorum rationem esse ostentorum, quæ *facta sint* (adeoque fieri potuerint) neque illa videri admiranda. Hott.

2. *Ut illa tritici grana.* Hæc et quæ sequuntur, commemorata vide lib. I, cap. 36. Dav.

Digitized by Google

ipsa falsa esse, vel[3] ea, quæ prædicta sunt, fortuito cecidisse potuerunt. De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui; sed ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solonio præsertim, ubi ad focum angues nundinari[4] solent. Nam quod aruspices responderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore, miror, deos immortales histrioni futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Afri-
67 cano. Atque[5] etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt. Quod ipse, et equus ejus repente conciderit; non sane mirabile hoc quidem: quod evelli primi hastati signum non potuerit; timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat. Nam[6] Dionysii equus quid attulit admirationis, quod emersit ex flu-

3. *Vel ea, quæ prædicta sunt*, etc. Ed. Cratand. « vel ut prædicta sunt ». Quæ lectio ducta, ni fallor, ab illis, cap. 21, verbis: « nam quum mihi quædam casu viderentur sic evenire, ut prædicta essent », hic certe locum non habet. Nam clarum est, ab ipsis ostentis distinguendum esse eventum. *Illa* dicit forte esse falsa et efficta, vel si vera fuerint, *hunc* certe temere esse prædictum. Hotr.

4. *Ubi ad focum angues nundinari solent*. Verbum *nundinari* viris doctis suspectum. Pro quo Ursini quidam amicus, probante Lambino, conjecit, *nidulari*; Davisius vel *videri*, vel *meridiari*. Wopkensius verbum retinens, *focum* in *forum* mutat. Gesnerus in thesauro h. v. librorum lectionem tuetur, explicans, convenire magno numero, velut qui nundinas celebrant. Recte. Nimirum *nundinari* proprie dicebantur rustici « nono die, intermisso rure, Romam venientes ». Macrobius, Sat. I, 16. Ipsasque *nundinas* Glossæ vett. πανήγυριν vocant; quo sensu etiam interdum scriptores *mercatum* dicunt; ut Noster, Tusc. V, 3: « Pythagoram respondisse: similem sibi videri vitam hominum, et mercatum eum, qui haberetur, maximo ludorum apparatu, totius Græciæ celebritate ». Conf. Vell. Pat. I, 8, init. ibique Vossium atque Lipsium. Pall. tert. quart. et Balliol. habent *nudari*, corruptione verbi e compendio nata. Hotr.

5. *Atque etiam*, etc. Ista vulgo vitiose sic distinguntur: « Atque etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt, quod ipse et equus ejus repente conciderit. Non sane mirabile hoc quidem, quod evelli primi hastati signum non potuerit. Timide fortasse, etc. » Nos sequuti sumus certam Davisii interpunctionem, quæ membra disjecta apte jungit: quamque verissimam esse, et res docet, et iste objecta sic diluendi usus, quum optimo cuique scriptori, tum in primis Ciceroni frequentatus. Ceterum vid. sup. lib. I, cap. 35. Hotr.

6. *Nam Dionysii equus*, etc. Hæc et proxima vide sup. I, 33. Hotr.

Digitized by Google

mine? quodque habuit apes in juba? Sed quia brevi tempore regnare cœpit, quod acciderat casu, vim habuit ostenti. At Lacedæmoniis in Herculis fano arma sonuerunt, ejusdemque dei Thebis valvæ clausæ, subito se aperuerunt; eaque scuta, quæ fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. Horum quum fieri nihil potuerit sine aliquo motu, quid est cur divinitus ea potius, quam casu facta esse dicamus?

XXXII. At in Lysandri statuæ capite Delphis exstitit[1] corona ex asperis herbis, et quidem subita. Itane[2] censes, ante coronam herbæ exstitisse, quam conceptum esse semen? Herbam autem[3] asperam, credo, avium congestu, non humano satu. Jam quidquid in capite est, id coronæ simile videri potest. Nam quod eodem tempore stellas aureas Castoris et Pollucis, Delphis positas, decidisse, neque eas usquam repertas esse dixisti; furum id magis factum, quam deorum videtur. Simiæ vero Dodoneæ improbitatem historiis græcis mandatam esse demiror. Quid minus mirum, quam illam monstruosissimam[4] bestiam urnam evertisse, sortes dissipavisse? Et negant[5] historici, Lacedæmoniis ullum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa prædicta Veientium[6], si lacus Alba- 68 69

XXXII. 1. *Exstitit corona.* Quæ de Lysandri corona, de stellis aureis, deque Dodonæa simia hic habentur; ea lib. I, cap. 34, licet reperire. Dav.

2. *Itane censes, ante coronam.* Distinguendum *itane? censes*, etc. Dav.

3. *Herbam autem asperam, credo.* Durius omissum videtur verbum, forsan ita reponendum, « herbam autem asperam exstitisse credo ». Hott.

4. *Monstruosissimam bestiam. Monstruosum*, vel *monstrosum* dicitur, quidquid insolens est, atque vel a natura, vel ab usu quotidiano abhorret. Hic potius de moribus, quam de forma accipiendum. Hott.

5. *Et negant.* Particula hic admirationem prodit, cum contemptu, et irrisione. Hott.

6. *Nam illa prædicta Veientium*, etc. Omnino hunc locum truncum esse, bene vidit Lambinus, ideoque recte asteriscum posuit post *Veios*. Nam oratio exitum non habet. Neque verba illa : « ita aqua Albana deducta, etc. » eam integrant, sed, ut ita dicam, conclusionem continent ex præmissis, quæ nimirum interciderunt.

Digitized by Google

nus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios: ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem urbemque retinendam. At paullo post audita vox est monentis, ut providerent, ne a Gallis Roma caperetur; ex eo Aio Loquenti aram in Nova via[7] consecratam. Quid ergo[8]? Aius iste Loquens, quando eum nemo norat, aiebat et loquebatur, et ex eo nomen invenit; posteaquam et sedem, et aram, et nomen invenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest; a qua, præterquam de sue plena, quid umquam moniti sumus?

70 XXXIII. Satis multa de ostentis. Auspicia restant, et sortes eæ, quæ ducuntur, non illæ, quæ vaticinatione funduntur; quæ oracula verius dicimus; de quibus tum dicemus, quum ad naturalem divinationem venerimus: restat etiam de Chaldæis. Sed primum auspicia videamus. Difficilis auguri locus ad contra dicendum[1]. Marso fortasse, sed Romano facil-

Ex superioribus certe apta nullo modo sunt. Itaque operam lusit Davisius, post *deducta* figens punctum, ac tribus vocibus repetitis, ita pergens: « Aqua Albana deducta ad utilitatem, etc. » Pearcius autem ita locum corrigi posse sperat: « Nam illo prædicto Veientium ..... si repressus esset, Veios, aqua Albana deducta. Ita aqua Albana deducta non ad utilitatem agri suburbani, sed ad arcem urbemque retinendam »; atque postrema ironice a Cicerone dicta existimat. Sed neque hoc verum videtur. Quod maxime existimabit ille, qui verum particulæ *nam* in hujusmodi locis usum intellexerit. Nempe illa sermonem Cicero inchoat, non quum res simpliciter narrare vult, sed quum refellere. De illo aquæ ductu conf. *Neues deutsches Museum*, VII St. pag. 586, ann. 1791. Hott.

7. *In Nova via.* Vide supra lib. I, cap. 45.

8. *Quid ergo? Aius iste*, etc. Ed. Crat. signo interrogationis ad finem dilato, sic: « quid ergo Aius iste, etc. » Hott.

XXXIII. 1. *Difficilis auguri locus ad contra dicendum.* Sc. *inquies.* Nam hæc Tullius ex fratris persona dicit. Quæ autem sequuntur, ex sua. Quod quo facilius appareat, punctum putavi figendum. Nam minori, quæ vulgo ponitur, distinctione, ista vix satis sunt intersepta. Sic de Nat. Deor. I, 22: « Difficile est negare (sc. deos esse). Credo, si in concione quæratur; sed in hujusmodi sermone e consessu facillimum ». Hott.

Digitized by Google

limus. Non enim sumus ii nos augures, qui avium, reliquorumve signorum observatione futura dicamus. Et tamen credo, Romulum, qui urbem auspicato condidit, habuisse opinionem, esse in providendis rebus augurandi scientiam. Errabat enim multis in rebus antiquitas; quam[2] vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate[3] immutatam videmus. Retinetur autem, et ad opinionem vulgi, et ad magnas utilitates reipublicæ, mos, religio, disciplina, jus augurum, collegii auctoritas. Nec vero non omni supplicio digni P. Claudius, 71
L. Junius, consules, qui contra auspicia navigarunt. Parendum enim fuit religioni, nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Jure igitur alter[4] populi judicio damnatus est; alter mortem sibi ipse conscivit. Flaminius non paruit auspiciis : itaque periit[6] cum exercitu. At anno post Paullus paruit : num minus cecidit in Cannensi pugna[6] cum exercitu? Et-

2. *Quam vel usu jam ... immutatam videmus.* Davisius in textum admisit Clerici mutationem legentis : « quas vel usu jam, etc. » Nam pronomen, inquit, ad *antiquitatem* referri nequit, sed ad *res* spectet, necesse est. Verum si Cicero *antiquitatem* dixit, pro *opinionibus antiquis*, utique etiam *mutatam* dicere potuit. Similia passim apud Nostrum occurrunt. Veluti supra I, 30. Itemque in hoc libro II. Davisius autem, si sibi ipse constare velit, neque Clerici mutationem possit defendere, si quidem non *res* mutantur ipsæ, sed nonnisi de illis *judicia* aut *opiniones*. Si quid denique mutandum existimarem, ego potius amplectar facilem atque ingeniosam Pearcii conjecturam, locum ita interpungentis : « esse in providendis rebus augurandi scientiam (errabat enim multis in rebus antiquitas), quam vel usu jam ... immutatam videmus ». Hott. —Vel sine parenthesi hunc eumdem sensum contextui edito adscribi posse putamus. Si tamen « quas... immutatas videmus » legere velis, jam omnino aberit difficultas.

3. *Vetustate.* Ipsa temporis longinquitate, quæ multa sensim sensimque in rebus aut opinionibus mutat, vel nolentibus hominibus, certe vix animadvertentibus. Hott.

4. *Jure igitur alter*, etc. Claudius populi judicio damnatus est; Junius autem sibi ipse mortem conscivisse dicitur. Auctoribus tamen inter se non convenit. Dav.

5. *Itaque periit cum exercitu.* « Ut Thrasimenus Romanorum sanguine et major esset et decolor, sprevit auguria Flaminius». Minuc. Fel. Oct. c. 7. Dav.

6. *In Cannensi pugna.* « Pullos edaces habuit et Paullus apud Cannas,

Digitized by Google

enim, ut sint auspicia, quæ nulla sunt; hæc certe, quibus utimur, sive tripudio, sive de cælo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo.

XXXIV. Q. FABI, TE MIHI IN AUSPICIO[1] ESSE VOLO. Respondet, AUDIVI. Hic apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem esse necesse est eum, qui, silentium quid sit, intelligat: id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni
72 vitio[2] caret: hoc intelligere[3], perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, quum ita imperavit is, qui auspicatur, DICITO, SI SILENTIUM ESSE VIDEBITUR; nec suspicit, nec circumspicit: statim respondet, SILENTIUM ESSE VIDERI. Tum ille, DICITO, SI PASCUNTUR. PASCUNTUR. Quæ aves? aut, ubi? Attulit, inquit[4], in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hæ sunt igitur aves internuntiæ Jovis: quæ pascantur, necne, quid refert[5]? Nihil ad auspicia: sed quia, quum pascuntur, necesse est, aliquid ex ore cadere[6], et terram pavire, terripavium primo, post

tamen cum majore reipublicæ parte prostratus est ». Hæc idem cap. 26. Sed Livius, lib. XXII, cap. 42: « Paullus quum ei sua sponte cunctanti, pulli quoque auspicio non addixissent, obnuntiari jam efferenti porta signa collegæ jussit ». DAV.

XXXIV. 1. *Te mihi in auspicio esse volo.* Subiit forte legendum: *adesse*, i. e. operam tuam præstare, solemni hujus verbi usu. HOTT.

2. *Quod omni vitio caret. Vitium* supra ad I, 17 monuimus, appellatum esse, si quid esset in more aut disciplina augurali delictum. HOTT.

3. *Hoc intelligere.* Nempe, quod auspicium vitio careat, non quid *silentium* dicatur. HOTT.

4. *Attulit, inquit. Inquit* nimirum *aliquis.* Quam ellipsin in primis illustravit Gron. ad Liv. XXXIV, 3. Adde Bentl. ad Hor. Serm. I, 4, 97. HOTT.

5. *Quæ pascantur, necne, quid refert? Nihil ad auspicia.* Hoc dicit: nihil referre ad auspicia, pascantur, necne, tales nimirum pulli, qui in cavea afferantur. Quippe quum fame enecti afferantur (vid. cap. prox.), non posse inde rite signum capi rerum gerendarum. HOTT.

6. *Aliquid ex ore cadere.* « Pulli potissimum dabatur pullis in auspiciis, quia ex ea necesse erat aliquid decidere, quod tripudium faceret ». Hæc Festus. Quin et « tripudium solistimum, auspicium ad rem ordiendam optimum esse » docet Servius ad Virg. Eclog. VII, 30. DAV.

Digitized by Google

terripudium dictum est; hoc quidem jam tripudium dicitur[7]. Quum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum[8] nuntiant[9].

XXXV. Ergo hoc auspicium divini quidquam ha- 73
bere potest, quod tam sit coactum et expressum? Quo antiquissimos augures non esse usos, argumento est, quod decretum collegii vetus habemus, omnem[1] avem tripudium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo ei esset liberum[2], se ostendisse; tum avis illa videri posset interpres et satelles Jovis. Nunc vero inclusa in cavea, et fame enecta, si in offam pultis invadit, et si aliquid ex ore cecidit[3], hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? Jam 74
de cælo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? Nunc imperant pullario : ille renuntiat. Fulmen sinistrum[4], auspicium optimum habemus ad

7. *Hoc quidem jam tripudium dicitur.* Davisium offendit particula *quidem*, pro qua sic suspicatur leg. « hocque idem jam, etc. » Mihi magis multo displicet pronomen *hoc;* quod vix est, ut sanum existimare possit quisquam, ceteris non mutatis. Neque tamen in ea voce mali labem puto quærendam : quin potius deleam verbum *dicitur*, quod et ipse Davis. abesse posse censet, quodque quum scripti, tum editi plures omittunt. Hott.

8. *Tripudium solistimum. Solistimum* sc. a *solo* dictum. Conf. sup. I, 15, in fine. Hott.

9. *Nuntiant.* Davisius propterea, quod auspicanti unus tantum adesset, malit ex ed. Victoriana, *nuntiatur;* argutius quam verius, quum, ut bene monet Ernestius, non de uno auspicante, sed de genere toto sermo sit. Hott. — Malit *nuntiatur* Rath.

XXXV. 1. *Omnem avem tripudium facere posse.* Liberam etiam, non pullos solum cavea inclusos, fameque enectos. Hott.

2. *Si modo ei esset liberum.* Davisius, nescio unde, mutato ordine, « si modo esset ei liberum ». Ceterum in mentem non semel venit legere *avi* pro *ei.* Nam hoc vocabulo expresso hic aliquanto magis opus foret, quam paullo post : nisi quod tamen assumi potest e præcedent. « omnem avem tripudium facere posse ». Hott.

3. *Et si aliquid ex ore cecidit.* Davisius, nescio qua auctoritate, intruso pronomine sic edidit : « et si aliquid ex ejus ore cecidit ». Hott.

4. *Fulmen sinistrum ... præterquam ad comitia.* Vide supra cap. 18 : « Comitiorum solum vitium est fulmen, quod idem omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuit ». Et vide Plinium, Hist. Nat. lib. II, cap. 53. Dav.

Digitized by Google

omnes res, præterquam ad comitia : quod quidem institutum reipublicæ causa est, ut comitiorum, vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus, principes civitatis essent[5] interpretes. At Tib. Gracchi literis[6] Scipio et Figulus, quod tum augures[7] judicassent, eos vitio creatos esse, magistratu se abdicaverunt. Quis negat augurum disciplinam[8] esse? Divinationem nego. At aruspices divini. Quos quum Tib. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda[9] subito concidisset, in senatum introduxisset, non justum rogatorem[10] fuisse
75 dixerunt. Primum vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset; is enim erat mortuus : id au-

5. *Ut comitiorum ... principes civitatis essent interpretes.* I. e. ut penes principes esset, judicare, an comitia habere fas esset, an secus. Supra enim, 18 : « In nostris, inquit, commentariis scriptum habemus : Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Hoc fortasse reip. causa constitutum est : comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt ». Hott.

6. *At Tiberii Gracchi literis*, etc. Hanc rem tetigit Noster lib. I, cap. 17, et fuse narravit lib. II Nat. Deor. cap. 4. Valerius Maximus, lib. I, cap. 1, 3, « a Tiberio Graccho ad collegium augurum literæ sunt missæ ex provincia, quibus significat se, quum libros ad sacra populi pertinentes legeret, animadvertisse vitio tabernaculum captum comitiis consularibus, quæ ipse fecisset, eaque re ab auguribus ad senatum relata, jussu ejus C. Figulus e Gallia, Scipio Nasica e Corsica, Romam redierunt et se consulatu abdicaverunt ». Dav.

7. *Quod tum a.* Potius forsan edendum pro « quod tum », « coss. quum »; si hanc mavis lectionem, sic interpungendum : « Scipio et Figulus coss. quum, etc. » quod quidem ita Hottingerus egregie restituit, probante Rath.

8. *Augurum disciplinam esse?* Id est, augurium arte ac regulis constare, quas Tib. Gracchus migraverit. Hott.

9. *In prærogativa referenda.* Quum ad consulem, rogatorem s. præsidem comitiorum, suffragia centuriæ prærogativæ, i. ejus, quæ prima rogabatur, referret. Hott.

10. *Non justum rogatorem fuisse.* Alii habent, *rogatorem comitiorum;* quod intrusum puto ex I, 17, quamquam eadem vox additur, de Nat. Deor. II, 4. Sed hic Cicero eam consulto omisit, ut ambiguum esset, utrum comitiorum, an centuriæ rogator intelligeretur. Unde statim hæc subjicit : « vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriæ fuisset ». Rogator nimirum *centuriæ*, distinguendus a rogatore *comitiorum*, is erat, qui cives rogaret, quem suffragiis suis creatum vellent. Hott.

Digitized by Google

tem sine divinatione conjectura poterat [11] dicere. Deinde fortasse casu; qui nullo modo est ex hoc genere tollendus. Quid enim scire Etrusci aruspices aut de tabernaculo recte capto, aut de pomœrii [12] jure potuerunt? Equidem assentior C. Marcello potius, quam App. Claudio (qui ambo mei collegæ fuerunt), existimoque jus augurum, etsi divinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea reipublicæ causa conservatum ac retentum.

XXXVI. Sed de hoc loco plura in aliis; nunc hactenus. Externa enim auguria, quæ sunt non tam artificiosa, quam superstitiosa, videamus. Omnibus fere 76
avibus utuntur; nos admodum paucis. Alia illis sinistra sunt[1], alia nostris. Solebat ex me Dejotarus percunctari nostri augurii disciplinam, ego ex illo sui. Dii immortales! quantum differebat? ut quædam essent etiam contraria. Atque ille iis semper utebatur; nos, nisi dum[2] a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur? Bellicam rem administrari majores

11. *Conjectura poterat dicere.* Davisius edidit *poterant.* Vulgo *poterat*, quod locum habere posse vix videtur, ob sequentia : « deinde fortasse casu ». Conjectura autem hoc dixerunt aruspices, si quid habebant, quod sequerentur; e. c. si ex subita *rogatoris* centuriæ morte conjecerunt, comitiorum *rogatorem* justum non esse : *casu* vero, si temere hoc effati fuerunt. Hott. — Vulgatæ lectioni nostræ accommodatissimum adscribi posse sensum putamus, si vox *conjectura* nominativum casum obtineat.

12. *Pomœrii jure.* Porro pomœrium dicebatur spatium quoddam circa Romæ mœnia relictum, et extra urbem et intra, in quo nullas ædificare domos licebat; ibi autem auspicia capiebant augures.

XXXVI. 1. *Alia illis sinistra sunt. Sinistra* auspicia Romani tam bona quam mala dixerunt, sed tamen proprie bona. Nam *sinistrum* auspicium a *sinendo* derivant Festus et Servius ad Virg. II, 693. Hic certe in bonam partem videtur accipiendum. Hott.

2. *Nos, nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam*, etc. Hoc dicit : Romanos auspiciis vix umquam uti, nisi in magistratibus majoribus creandis. Illi enim auspicato creabantur. Hos autem ipsos, qui auspicia habeant, in rebus gerendis illa haud consulere : atque præterea bella administrari plerumque a magistratibus, qui auspicia non habeant, adeoque nec possint illis uti. — Mox *quam multum* sign. *quam raro*, ut sæpe. Hott.

Digitized by Google

nostri, nisi auspicato, noluerunt. Quam multi anni sunt, quum bella a proconsulibus et proprætoribus
77 administrantur, qui auspicia non habent? Itaque nec amnes transeunt auspicato[3], nec tripudio auspicantur. Nam ex acuminibus[4] quidem, quod totum auspicium militare est, jam M. Marcellus, ille quinquies consul, totum omisit, idem imperator, idem augur optimus. Ubi ergo avium divinatio? quæ, quoniam ab iis, qui auspicia nulla habent, bella administrantur, ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat, si quando rem agere vellet[5], ne impediretur auspiciis, lectica operta facere iter se solere[6]. Huic simile est, quod nos augures præcipimus, ne juge auspicium[7] obveniat, ut jumenta jubeant dijungere.
78 Quid est aliud nolle moneri a Jove, nisi efficere, ut aut ne fieri possit auspicium, aut, si fiat, videri?

XXXVII. Nam illud admodum ridiculum, quod negas[1] Dejotarum, auspiciorum, quæ sibi ad Pom-

3. *Nec amnes transeunt auspicato.* Ea auspicia proprio nomine *peremnia* dicebantur. Vid. de Nat. Deor. lib. II, cap. 3. Hott.

4. *Nam ex acuminibus*, etc. Quid sint auspicia *ex acuminibus*, non constat. Gesnerus in thesauro probat Cerdæ opinionem ad Virg. Æn. VI, 199, de rostrorum acuminibus intelligentis. Alii intelligenda suspicantur acumina spiculorum, ensium ac pilorum, vel magis, vel minus solito splendentium : alii aliud. Sed fortasse ista optime ad phænomena quædam electricæ, quam dicunt, materiæ vi explicanda retuleris. E quo genere est illud quod Livius narrat, Hist. XXII, 1 : « Augebant metum prodigia ex pluribus simul locis nuntiata : in Sicilia militibus aliquot spicula, in Sardinia autem in muro circumeunti vigilias equiti scipionem, quem manu tenuerat, arsisse, etc. » Idem XLIII, 13 : « Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil ejus amburetur ignis, dicebatur ». Hott.

5. *Si quando rem agere vellet.* I. e. si prælium committere decrevisset. Pro quo vulgo dicitur *rem gerere*. Vid. Cort. in Sall. Jug. 58, 4. Hott.

6. *Lectica operta facere iter se solere.* Plinius tradit neque diras neque auspicia ulla pertinere ad eos qui, quamque rem ingredientes, observare se ea negaverint. Hæc Hist. Nat. lib. XXVIII, § 4.

7. *Juge auspicium.* Dicebatur, teste Festo, « quum junctum jumentum stercus feciset ». Dav.

XXXVII. 1. *Quod negas*, etc. Hoc negavit Quintus supra lib. I, cap. 15.

Digitized by Google

peium proficiscenti facta sunt, pœnitere, quod fidem sequutus, amicitiamque populi romani, functus sit officio; àntiquiorem enim sibi fuisse laudem et gloriam, quam regnum, et possessiones suas. Credo id quidem; sed hoc nihil ad auspicia. Nec enim[2] ei cornix canere potuit, recte eum facere, quod populi romani libertatem defendere[3] pararet. Ipse hoc sentiebat[4], sicuti sensit. Aves eventus significant aut adversos, aut secundos : virtutis[5] auspiciis video esse 79
usum Dejotarum; quæ vetat spectare fortunam, dum præstetur fides. Aves vero si prosperos eventus ostenderunt, certe fefellerunt. Fugit e prælio cum Pompeio: grave[6] tempus. Discessit ab eo[7] : luctuosa res. Cæsarem eodem tempore hostem, et hospitem vidit: quid hoc tristius? Is quum ei Trogmorum[8] tetrarchiam eripuisset, et asseclæ suo Pergameno, nescio[9]

2. *Nec enim ei cornix*, etc. Pronomen, quod alii omittunt, Ernestius ex edd. vett. reposuit; idque et ed. Cratand. habet, et Oxonienses omnes, si fides silentio notantis. Davisius in priori ed. addens, in altera tacite expunxit. Hott.

3. *Quod... defendere pararet.* Davisius legendum putat, *paret*. Ita enim latini sermonis rationem postulare. Frustra. Nam ut sic dici potuerit, alterum certe non minus recte habet. Hott.

4. *Ipse hoc sentiebat.* I. e. hoc sentire debebat, s. suo nonnisi sensu id doceri poterat. Hott.

5. *Virtutis auspiciis.* Suaviter Virtutem, tamquam personam aliquam, aut Numen commemorat, eodem modo, quo supra 1, 47, *augurium Salutis*. Hott.

6. *Grave tempus. Tempus* pro re adversa aut calamitosa dicit, ut sæpe. Hott.

7. *Discessit ab eo.* « Itaque, Pharsalico prælio facto, a Pompeio discessit; spem infinitam persequi noluit; vel officio, si quid debuerat, vel errori, si quid nescierat, satisfactum esse duxit. » Pro Dejotaro, 5. Hott.

8. *Trogmorum.* Vulgo, *Troginorum*. Sed quum talis populus nullus fuerit, Davisius, post Cellar. Geogr. ant. III, 4, reposuit *Trogmorum* : Ernestius *Trocmorum*, quod tantumdem est. Variant autem in hoc nomine codd. Nonnulli *Trochamorum*, alii *Trockanorum*, plures denique, et in his Oxonienses omnes *Trachamorum*. Quæ favent Ursini conjecturæ, *Trochmanorum* legentis, ad Stephanum, cujus verba laudat Davisius sic habentis : Τρόκμοι ἔθνος Γαλατικόν. Ἐκαλοῦντο δὲ καὶ Τροκμηνοί. Hott.

9. *Nescio cui.* I. e. homini obscuro. Nempe is erat Mithridates Pergamenus, quem tamen Hirtius de Bell. Alexandr. cap. 78 : « Regio genere

Digitized by Google

cui, dedisset, eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam, quumque ab eo magnificentissimo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit et hospitem, et regem. Sed labor longius: ad propositum revertar. Si eventa quærimus, quæ exquiruntur avibus; nullo modo prospera[10] Dejotaro. Sin officia; a virtute ipsius, non ab auspiciis petita sunt.

80 XXXVIII. Omitte igitur lituum[1] Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi; contemne cotem Attii Navii: nihil debet esse in philosophia commentitiis fabellis loci. Illud erat philosophi, totius augurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam[2]. Quæ est igitur[3] natura, quæ volucres huc et illuc passim vagantes efficiat, ut significent aliquid, et tum vetent agere, tum jubeant, aut cantu, aut volatu? Cur autem aliis a læva, aliis a dextra datum est avibus, ut ratum auspicium facere possint? Quo modo autem hæc, aut quando, aut a quibus inventa dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum[4] auctorem disciplinæ suæ. Nos quem? Attiumne Navium? At aliquot annis antiquior Romulus et[5] Remus, ambo augures, ut accepimus. An Pisidarum, aut
81 Cilicum, aut Phrygum[6] ista inventa dicemus? Placet

ortum, et disciplinis etiam regiis educatum», scribit, additque, «eum Mithridatem regem Asiæ totius, propter nobilitatem, Pergamo parvulum secum asportasse in castra, multosque tenuisse annos». Hott.

10. *Nullo modo prospera Dejotaro.* Cicero nimis infesto fuit in Cæsarem animo, quam ut historica fide res ejus gestas exponeret: licet enim Dejotarum Trocmanorum tetrarchia spoliarit Cæsar; tamen amplioribus eum locupletavit ditionibus. Dav.

XXXVIII. 1. *Omitte igitur lituum Romuli*, etc. Vide sup. I, 17. Hott.

2. *Constantiam.* I. e. num auguria sibi constent: s. num eadem signa antegressa, iidem eventus perpetuo sequantur. Hott.

3. *Quæ est igitur natura.* I. e. quæ vis aut causa naturalis. Vide sup. 22: «quæ natura partum animantis faciat, etc.» Hott.

4. *Exaratum puerum.* Vid. sup. 23.

5. *Antiquior Romulus et Remus.* Davisius et Ernestius malint, *antiquiores*. Hott.

6. *Aut Phrygum ista inventa.* Ilri-

Digitized by Google

igitur, humanitatis expertes habere divinitatis[7] auctores!

XXXIX. At omnes reges, populi, nationes utuntur auspiciis. Quasi vero quidquam sit tam valde, quam nihil sapere, vulgare; aut quasi tibi ipsi in judicando placeat multitudo. Quotus quisque est, qui voluptatem neget esse bonum? Plerique etiam summum bonum dicunt. Num igitur eorum frequentia stoici de sententia deterrentur? aut num plerisque in rebus sequitur eorum[1] auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, si in [omnibus[2]] auspiciis, et omni divinatione, imbecilli animi superstitiosa ista concipiant, verum dispicere non possint[3]?

Quæ autem est inter augures conveniens et con- 82
juncta constantia? Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius,

Quum tonuit lævum bene tempestate serena.

At Homericus Ajax[4] apud Achillem querens de feroci-

σεις δὲ ὀρνίθων παρεφυλάξαντο πρῶτοι Φρύγες. Clemens Alexandrin. Strom. I, p. 361. Dav.

7. *Divinitatis auctores.* I. e. *divinationis.* Nam hunc sensum huic voci aliqua saltem exempla vindicant e Lactantio et Servio, ad hunc locum a Davisio, et a Gesnero in thesauro prolata, ut necessaria non sit Clerici mutatio, vel *divinæ artis*, vel *divinationis* legentis. Inest autem in vulgata lectione, verbi quidam, non sine grato acumine, ludus. Hott.

XXXIX. 1. *Sequitur eorum auctoritatem.* Quum altero membro *plerique*, i. e. οἱ πολλοὶ *Stoicis*, altero *Stoici plerisque* opponantur, legendum putem *horum*. Ita certe oppositio erit clarior. Hott.

2. *Si in auspiciis, et in omni divinatione.* Vocem illam *omnibus* non modo inertem, sed plane importunam esse, quis non sentit? Quo magis miror, illam, jam a Davisio expulsam, Ernestium reduxisse. Hott.

3. *Verum dispicere non possint?* Eam vett. edd. lectionem recte Ernestius revocavit: nisi quod signum interrogandi, vulgo post *concipiant* figi solitum, in finem rejicere neglexit. Hott.

4. *At Homericus Ajax.* Non *Ajacis*, sed *Ulyssis* hæc verba esse, monuit Lambinus, et patet ex Iliad. I, 236. Aldus vero Nepos contra codicum scriptorum omnium fidem edidit, *Ulysses*, idque quum alii, tum proxime Ernestius retinuit, corrigendum erro-

Digitized by Google

tate Trojanorum, nescio[5] quid, hoc modo nuntiat:

Prospera Jupiter[6] his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis sinistra videntur, Graiis[7] et barbaris dextra, meliora. Quamquam haud ignoro, quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiam si dextra[8] sint. Sed certe nostri sinistrum nominaverunt, externique dextrum, quia plerumque melius id videbatur. Hæc quanta dis-
83 sensio est? Quid, quod aliis avibus utuntur, aliis signis? aliter observant, alia respondent? Non necesse est fateri, partim horum errore susceptum esse, partim superstitione, multa fallendo[9]?

rem dicens, quem Cicero monitus ipse fuisset correcturus. Quam quidem viri magni rationem mihi minime probari, equidem ingenue fateor. Nam, si quid hujus rei intelligo, artis criticæ munus hoc est, ut textum exhibeat talem, qualis videtur esse ab auctore profectus. Ergo neque hujus vitia, si quæ fuerint, ea omnino tollere debet. Ita supra 30, a Cicerone Agamemnoni tribuuntur, quæ Ulyssi erant tribuenda. Quod recte, quamvis inconstanter, intactum reliquerunt, qui tamen hæc censuerunt mutanda. Hott. — Correxisset suo jure Cicero, nobis non licet. Rath.

5. *Querens... nescio quid, hoc modo nuntiat.* Ita bene interpunxit Davisius. Alii, omissa virgula, verba ista, *nescio quid*, jungunt cum sequentibus. Horr.

6. *Prospera Jupiter*, etc. Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων Ἀστράπτει. Iliad. IX, 236.

7. *Ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra, meliora.* Hujus diversitatis causa erat diversus auspicantium situs. Nimirum Græcis dextra fulmina erant, quæ ab oriente venirent; eademque Romanis sinistra, spectantibus meridiem, a læva orientem, a dextra occasum habentibus. Vide Homer. Iliad. XII, 239 seq. atque Festum in *sinistræ aves*. Unde clarum fit, Romanos a græcis verbis quidem, non ipsa re, discrepasse. Horr.

8. *Quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiam si dextra sint.* Lambinus ita legendum conjecit: « quæ mala sint, etc. » Et certe videtur lectio mendo aliquo laborare. Neque enim apparet, quo modo Cicero ex mente Romanorum auspicia bona appellare possit, quæ *dextra* fuerint, quum paullo ante contraria omnia dixerit. Præferam tamen Davisii conjecturam: « quæ bona sint, dextra nos dicere, etiam si sinistra sint ». Nam hac ratione, ut ille vere monet, melius connectuntur sententiæ. Dixerat nimirum: « Romanis ea auspicia meliora videri, quæ sinistra sint ». Jam pergit: se quidem non ignorare, illa ipsa auspicia, quæ a *sinistra* manu obtigerint, Romanos quoque *dextra* vocare, sensu nempe improprio, quo *dextrum* dicitur, quidquid lætum, prosperum, aut boni ominis est, notione, sine dubio, a græca vocis usu derivata. Horr. — Neutram probat emendationem Rath. itaque neutram admisimus.

9. *Partim horum... multa fallendo.*

Digitized by Google

XL. Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omina adjungere. Æmilia[1] Paullo, Persam perisse; quod pater omen accepit; Cæcilia sororis filiæ sedes suas tradere. Jam illa, «Favete linguis»; et prærogativam[2], omen comitiorum: hoc est, ipsum esse contra se copiosum et disertum. Quando enim, illa observans, quieto et libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? Itane? si quis aliquid ex sua re, atque ex suo sermone dixerit, et ejus verbum aliquod apte ceciderit[3] ad id, quod ages, aut cogitabis, ea res tibi aut timorem afferet, aut alacritatem? Quum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas[4], clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum, caveret, ne iret; non fuisse periturum, si omini paruisset. Quæ si suscipiamus, pedis offensio nobis, et abruptio corrigiæ, et sternutamenta erunt observanda. 84

XLI. Sortes restant, et Chaldæi: ut ad vates veniamus, et ad somnia[1]. Dicendum igitur putas de sorti-

Ita locum Davisius interpunxit, postulante sensu. Vulgo virgula negligitur et post *horum*, et post *superstitione*. Vocabulo *partim* genitivum Tullius sic adjungere amat. Vide inf. 55; de Offic. II, 21; de Orat. I, 31. Hott.

XL. 1. *Æmilia Paullo*, etc. Vid. I, 45, 46. Hott.

2. *Prærogativam*. Sc. *centuriam*, cujus nomen habitum fuit omen comitiorum. Hott.

3. *Apte ceciderit*. Accommodatum videbitur, etc. — *Cogitabis* : animo meditaberis faciendum. Hott.

4. *Cauneas*. Sc. ficus. In hoc autem omen inerat, quod homo ille *cauneas* clamitans, *cave ne eas* clamitasse videri poterat, quas voces, tamquam glossema adscriptas, habet MS Reg. Hott.

XLI. 1. *Sortes restant, et Chaldæi: ut ad vates veniamus, et ad somnia.* Quasi vaticinia et somnia ad genus *sortium* pertineant! quasi utrumque ita cohæreat, ut unum ab altero duci possit! Locus sic restitui posse videtur: « Sortes restant et Chaldæi, tum ad vates veniamus et ad somnia »; vid. c. 48. Verborum autem, quæ sequuntur, sensus est: esse igitur operæ pretium credis, de sortibus dicere? Unde apparet, quid sibi velit *enim*, et quam bene Davisius signo interrogandi distinxerit post *sortibus*. Rath.

Digitized by Google

85 bus? Quid enim sors est? Idem propemodum, quod micare[2], quod talos jacere, quod tesseras: quibus in rebus[3] temeritas et casus, non ratio, nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis, aut ad quæstum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque, ut in aruspicina fecimus, sic videamus, clarissimarum sortium quæ tradatur inventio. Numerium Suffucium, Prænestinorum monumenta declarant, honestum hominem et nobilem, somniis[4] crebris, ad extremum etiam minacibus, quum juberetur certo in loco silicem cædere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere cœpisse; itaque perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus septus religiose propter Jovis pueri, qui lactens[5] cum Junone Fortunæ in gremio sedens, mammam appetens[6], castissime colitur a ma-
86 tribus. Eodemque tempore, in eo loco, ubi Fortunæ nunc sita est ædes[7], mel ex olea fluxisse dicunt; aruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futu-

2. *Micare.* Erat id genus ludi, qui ita fiebat, ut duo, clausa ante manu, subito aliquot digitos porrigerent, simulque certum numerum ederent. Cujus igitur numerus par erat summæ digitorum, ab utroque porrectorum, is vicerat. Nomen nactus erat a celeri digitorum motu. Hott.

3. *Temeritas et casus, non ratio, nec consilium valet. Ratio* hic sign. connexionem causæ et effecti, atque opponitur *casui*, ut *consilium temeritati.* Hott.

4. *Somniis crebris...perterritum visis*, etc. Alterutrum, inquit Ernestius, insititium est, *somniis* aut *visis*: nalim *visis*. Omnino nihil movendum. Neque enim, ut ille existimare videtur, utrumque vocabulum eodem refertur. *Somniis* construendum cum *juberetur*, non cum *perterritum*. Hott.

5. *Lactens.* Hoc vocabulum substantive accipiendum est; infans enim, qui lactet jam, non potest mammam appetere: hoc enim prius, illud posterius, nec in imagine utrumque simul repræsentari potest. Rath.

6. *Mammam appetens.* Inter hæc verba plures codd. aliud interserunt. Alius *notis*, alius *votis*, alius tandem *nodis*. Hinc Ernestius suspicatur, *ore*: quod non displicet. Hott. — Sed inutile prorsus.

7. *Ubi Fortunæ nunc sita est ædes, mel ex olea*, etc. Ea edd. vett. est lectio. Vulgo: « ubi Fortunæ nunc sit ædes ». Hott.

Digitized by Google

ras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam, eaque conditas sortes, quæ hodie Fortunæ monitu tolluntur[8]. Quid igitur in his potest esse certi, quæ, Fortunæ monitu, pueri manu miscentur atque ducuntur? Quo modo autem istæ positæ in illo loco? Quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod deus efficere non possit. Utinam sapientes stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa sollicitudine et miseria crederent! Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis explosit[9]. Fani pulchritudo et vetustas[10] Prænestinarum etiam nunc retinet sortium nomen[11], atque id in vulgus: quis 87
enim magistratus, aut quis vir illustrior utitur sortibus? Ceteris vero in locis sortes[12] refrixerunt[13]: quod Carneadem[14] Clitomachus scribit dicere solitum, nus-

8. *Fortunæ monitu tolluntur.* Capitis nutu vel alio quodam signo miscendas atque tollendas esse sortes monuit Fortunæ simulacrum. De Prænestinis aliisque sortibus adiri poterit V. C. Ant. Daleus de Divin. Idol. sub V. T. cap. 4, p. 449 seqq. Dav. — Sunt quibus voces illæ *Fortunæ monitu* bis positæ redundare semel videntur: ex his Hottingerus. Quis autem haud facile intelligat has voces ex industria iterasse Ciceronem, ut vis major suæ orationi adhiberetur. Hujus nempe iterationis multa exempla proferre licet.

9. *Vita jam communis explosit.* I. e. homines in vita quotidiana; ut supra I, 39: «Neque ante philosophiam patefactam, quæ nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit». Hott.

10. *Fani pulchritudo et vetustas.* Non audio Davisium, cui placet cod. Paris. lectio, *venustas*. Certe longe præstat vulgata. *Vetustas* nimirum haud parum valet ad religionem et auctoritatem. *Pulchritudo* autem et *venustas*, quam recte alibi, tam inepte hic jungerentur. Hott.

11. *Nomen.* Sc. nomen magis retinet, quam usum. Hott.

12. *Ceteris vero in locis sortes*, etc. Postrema voce, haud inviti, opinor, careamus. Quod enim paullo ante legitur vocabulum *sortibus*, non de Prænestinis magis, quam de toto genere accipiendum, tam facile assumi potest, ut perquam ineleganter repetatur. Hott.

13. *Refrixerunt.* Sc. in hominum animis. Frequenter hoc verbo scriptores utuntur, quum impetum, spem aut studium remitti, significare volunt. Hott.

14. *Quod Carneadem*, etc. Pro *quod*, Davisius legendum censuit, *quo*, refutatus a Wopkensio in Lectt. Tull. ubi pluribus exemplis ostendit, isthoc pronomen in Cicerone, sæpe ad antecedentia aliquo modo referendum, per

Digitized by Google

quam se fortunatiorem [15], quam Præneste, vidisse Fortunam. Ergo hoc divinationis genus omittamus.

XLII. Ad Chaldæorum monstra veniamus; de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia, judicio doctissimorum hominum, facile princeps, sic opinatur, id quod scriptum reliquit : Chaldæis, in prædictione et in notatione cujusque vitæ[1] ex natali die, minime esse
88 credendum. Nominat etiam Panætius, qui unus e stoicis astrologorum prædicta rejecit, Archelaum et Cassandrum, summos astrologos illius ætatis, qua erat ipse, quum in ceteris astrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non usos. Scylax Halicarnasseus, familiaris Panætii, excellens in astrologia, idemque in regenda sua civitate princeps, totum hoc Chaldaicum
89 prædicendi genus[2] repudiavit. Sed ut ratione utamur, omissis testibus, sic isti disputant, qui hæc Chaldæorum natalitia prædicta defendunt. Vim quamdam esse aiunt signifero in orbe, qui græce ζωδιακὸς dicitur, talem, ut ejus orbis unaquæque pars alia alio modo moveat[3] immutetque cælum, perinde ut quæque stellæ in iis finitimisque partibus sint quoque tempore; eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quæ vocantur errantia. Quum autem in eam ipsam partem orbis ve-

pleonasmum quemdam explicari in sequentibus. HOTT.

15. *Nusquam se fortunatiorem... vidisse Fortunam.* Festive dictum : qu. *Fortunam* nusquam magis esse *Fortunam*, etc. HOTT.

XLII. 1. *In notatione cujusque vitæ.* I. e. in definiendis cujusque hominis fatis, quam dicit *notationem*, quod rerum eventa ex siderum ratione tamquam nota aut signo aliquo colligerentur. Eodem fere modo, quo Topic. 8, « etymologiam notationem » dicit, « quia verba sunt rerum notæ ».

2. *Totum hoc Chaldaicum prædicendi genus.* Vocem *Chaldaicum* omittit cod. Reg. quam tamen addidisse videtur Cicero, ne id, quod modo dixerat, « hoc prædictionis genere non usos, » eodem modo iterum diceret. HOTT.

3. *Moveat cælum.* I. e. ut opinor, aliter atque aliter temperet, s. quod nostri dicunt, *modificetur* : eodemque sensu paullo post accipiendum puto hoc verbum in istis : « eamque vim varie moveri ab his sideribus, etc. » HOTT.

Digitized by Google

nerint, in qua sit ortus ejus, qui nascatur[4]; aut in eam, quæ conjunctum aliquid habeat, aut consentiens : ea triangula illi et quadrata nominant[5]. Etenim quum tempore anni tempestatumque cæli conversiones commutationesque tantæ fiant[6] accessu stellarum et recessu; quumque ea vi solis efficiantur, quæ videmus: non verisimile solum, sed etiam verum esse censent, perinde, utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitæ, casus cujusque eventusque fingi.

4. *Qui nascatur.* Bene, ita enim postulat reliqua oratio. Multi tamen dederunt *nascitur*, ut ex recentioribus Ernestius. Ratm.

5. *Ea triangula illi et quadrata nominant.* Ceterum, nescio quid cogitans, Ernestius, hæc verba, tamquam interpositionem, uncinis cogit, dicitque, consequens deesse, respondens illis verbis, « quum... venerint ». Male : nam ipsa hæc, quæ ille uncinis separavit, superioribus respondent. Hott. — Hæc elucidabit Sextus Empiricus adv. Mathem. lib. V, § 39 : Ἐπιβλέπειν δὲ λέγονται ἀλλήλους οἱ ἀστέρες καὶ συμφωνεῖν ἀλλήλοις, ὡς οἱ κατὰ τρίγωνον ἢ τετράγωνον φαινόμενοι. Κατὰ τρίγωνον μὲν οὖν σχηματίζονται καὶ ἐπιθεωροῦσιν ἀλλήλους ἀστέρες, οἱ ἐπὶ τριῶν ζωδίων ἔχοντες τὸ μεταξὺ διάστημα· κατὰ τετράγωνον δὲ, οἱ δυοῖν. Vide Manilium, lib. II, pag. 37, 38, et Censorinum, de Die natali, cap. 8. Dav.

6. *Etenim quum tempore anni tempestatumque cæli conversiones commutationesque tantæ fiant.* Sic nos edidimus, quamvis locus emendationem postulare videatur, quia nihilominus lectioni nostræ sensus adscribi queat. — Ceterum sic locum exponit, post Davisium, Hottingerus : ea natatore quidem Delio carere Davisius dicit. Ipse autem, vocibus *tempore anni*, tamquam glossemate deletis, cetera sic putat legenda, ut habent MSS Reg. et Cantab. « cæli conversiones, tempestatumque commutationes, etc. » Idque probat Ernestius, vocibus tamen *tempore anni* præsidium ab interpretatione quærens. Ego vero, minima mutatione, pro *tempore*, *temporum* legens, ut locum me restituisse plane credam, ita tamen natatoris Delii habilitatem mihi haud arrogabo. Nam vix est, ut virorum doctissimorum acumen medendi rationem fugisse putem, nisi id, quod in medio erat positum, e fundo petendum existimassent. Sed præterea legendum videtur, *et quum*, deleta particula *enim*, quæ non video, quid hic agat. Nam accuratius rem ponderanti patebit, istis haud quaquam causam reddi superiorum, sed potius in exponendis astrologorum commentis fieri progressionem. Postquam nimirum dixerat, cælum stellarum vi varie temperari, nunc addit, eam cæli temperaturam ad formanda puerorum nascentium ingenia valere. Hott.

Digitized by Google

XLIII. O delirationem incredibilem! non enim om-
90 nis error, stultitia est dicenda[1]. Quibus etiam Diogenes stoicus concedit, aliquid ut prædicere possint, dumtaxat qualis quisque natura, et ad quam quisque maxime rem aptus futurus sit. Cetera, quæ profiteantur, negat ullo modo posse sciri: etenim geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerumque disparem. Procles et Eurysthenes[2], Lacedæmoniorum reges, ge-
91 mini fratres fuerunt. At hi nec totidem annos[3] vixerunt: anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum gestarum gloria præstitit. At ego id ipsum, quod vir optimus Diogenes Chaldæis, quasi quadam prævaricatione[4], concedit, nego posse intelligi. Etenim quum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertant et notent sidera natalitia Chaldæi, quæcumque lunæ juncta videantur: oculorum fallacissimo sensu judicant ea, quæ ratione atque animo videre debebant[5]. Docet enim ratio ma-

XLIII. 1. *Non enim omnis error, stultitia est dicenda.* Quum verbum sensu referatur ad vocem *error*, proprie scribendum fuit, *dicendus*. Sed talis syllepsis generis frequens est in bonis auctoribus. Vide supra cap. 17, *nam si casum*, etc.

2. *Procles et Eurysthenes.* Nonnulli conjecerunt legendum esse *Patroclem*, sed male. De hisce fratribus videas licet Joan. Meursium, Regn. Lacon. capp. 10 et 15. Vide et Herodotum, VI, 52. Dav.

3. *At hi nec totidem annos*, etc. Pronomen *hi* Davisius delevit. Male. Hott.

4. *Quasi quadam prævaricatione. Prævaricari* proprie dicitur, qui varis, i. e. distentis pedibus incedit, quasi duabus viis insistens. Hinc improprie de eo dicitur, qui causam aliquam defendens, vel impugnans, hoc ita agit, ut alteri parti inservire videatur. Ernestius Diogenis prævaricationem in hoc esse positam dicit, quod, quum Stoicorum rationes defendere debeat, faveat Chaldæis iisque concedat, quod non debebat. At non Stoici Chaldæorum prædictiones per se rejiciebant: quin unus Panætius id faciebat. Vid. cap. sup. add. I, 3. Itaque Diogenis prævaricatio in eo versatur, quod Chaldæorum rationem partim impugnabat, partim defendebat. Hott.

5. *Sensu judicant ea, quæ ratione atque an. vid. debebant.* Davisio legendum videtur *debent*: male. Nam præteritum imperfectum indicat, illos hoc non facere, quod oportebat. Hott. — Cave corrigas cum Davisio, *debent*. Eadem forma recurrit mox in *oportebat*. Rath.

Digitized by Google

thematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna feratur, terram pæne contingens, quantum absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris, deinde alio intervallo distet a sole, cujus lumine collustrari putatur. Reliqua vero tria intervalla, infinita et immensa, a sole ad Martis, inde ad Jovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad cælum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. Quæ potest igitur contagio ex infinito pæne inter- 92
vallo pertinere ad lunam, vel potius ad terram?

XLIV. Quid? quum dicunt id, quod iis dicere necesse est, omnes omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quæ incolatur, eosdem esse, eademque omnibus, qui eodem statu cæli et stellarum nati sint[1], accidere necesse esse : nonne ejus modi sunt, ut ne cæli quidem naturam interpretes istos cæli nosse appareat? Quum enim illi orbes[2], qui cælum quasi medium dividunt, et adspectum nostrum definiunt, qui a Græcis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectissime nominari possunt, varietatem maximam habeant, aliique in aliis locis sint, necesse est, ortus occasusque siderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quod si eorum vi cælum modo 93
hoc, modo illo modo temperatur : qui potest eadem

XLIV. 1. *Eodem statu cæli et stellarum nati sint.* Ita edidit Davisius, quem sequitur Ernestius. Vulgo : *nati sunt.* Hott.

2. *Quum enim illi orbes, qui cælum quasi medium dividunt*, etc. Pari modo Sextus Empiricus, adv. Mathem. lib. V, § 83 : Εἰ μὲν πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην τὰ οὐράνια παραττηροῦσιν ἕκαστον τοῦ ζωδιακοῦ δωδεκατημόριον ἰσοχρόνως ἐφαίνετο, καὶ κατὰ τὴν αὐτὴν εὐθείαν ἐθεωρεῖτο, τάχ' ἂν ἐδύναντο Χαλδαίων παῖδες παγίως λαβεῖν τὸ περὶ τὸν ὁρίζοντα ἀνίσχον ζῴδιον. Νυνὶ δὲ οὐ παρὰ πᾶσιν ἰσοχρόνως ἀναφαίνεται, ἀλλὰ τοῖς μὲν θᾶττον, τοῖς δὲ βράδιον, καὶ τισὶ μὲν πλάγιον, τισὶ δὲ ὀρθόν ... Καὶ ὅτι ταῦθ' οὕτως ἔχει, πρόδηλον ἐκ τοῦ καὶ τοὺς ἀπλανεῖς ἀστέρας, καθάπερ Ἀρκτοῦρον καὶ Κύνα, μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον τοῖς ἐν παντὶ κλίματι κατοικοῦσι φαίνεσθαι· ἀλλ' ἄλλοις κατ' ἄλλον. Vide sis et Agellium, N. A. lib. XIV, cap. 1. Dav.

Digitized by Google

vis esse nascentium [3], quum cæli tanta sit dissimilitudo? In his locis, quæ nos incolimus, post solstitium Canicula exoritur, et quidem aliquot diebus; apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium: ut, si jam concedamus, aliquid vim cælestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum sit illis, eos, qui nascantur eodem tempore [4], posse in dissimiles incidere naturas [5] propter cæli dissimilitudinem. Quod minime illis placet: volunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem conditione nasci.

94 XLV. Sed quæ tanta dementia est, ut in maximis motibus mutationibusque cæli, nihil [1] intersit, qui ventus, qui imber, quæ tempestas ubique sit? quarum rerum in proximis locis tantæ dissimilitudines sæpe sunt, ut alia Tusculi, alia Romæ eveniat sæpe tempestas. Quod, qui navigant, maxime animadvertunt, quum in flectendis promontoriis ventorum mutatio-

3. *Eadem vis esse nascentium*. Davisio legendum videtur: *eadem sors*, vel *eadem vita*. Sed locus nulla eget emendatione. Nam, ut vere monuerunt Wopkensius et Ernestius, *vis* hic nihil aliud est quam *natura*. Atque ideo hoc vocabulum legisse Ciceronem puto, ut elegantius responderet istis: « quod si eorum vi cælum... temperatur ». Hott.

4. *Eos, qui nascantur eod. t.* Alii *nascuntur*. Ernestio leg. videtur, *nascantur*, quemadmodum sup. « omnes, quicumque gignantur in omni terra ». Verum ibi conjunctivum exigit pronomen *quicumque*. Hic eumdem modum, ut præferam, ita certe necessario poni debuisse, minime dixerim. Hott.

5. *Posse in dissimiles incidere naturas*. Immo *debere*: quod necesse est illis statuere, qui nascentium naturam arbitrantur conformari, aeris atque cæli temperatura. Hæc enim dissimili, quo pacto altera possit esse similis? Itaque verbum *posse* alienum ab loci sensu, illatumque temere a mala manu videtur. Idem verbum eodem correctoris, ne Cicero nimium dixerit, metuentis, falso acumine intrusum vidimus sup. I, 18.—Pro *naturas*, Davisius legendum putat, *genituras*, durum loquendi modum judicans, « incidere in naturas ». Mihi verbum *incidere* non sine cura lectum videtur, ad significandam rem maxime fortuitam. Nam ut pueri nascentes in hoc aliudve signum incidunt; ita quoque in hanc aliamve incidunt naturam. Hott.

XLV. 1. *Ut ... nihil intersit*. Brevius dictum, pro, *nihil interesse existimetur*. Hott.

Digitized by Google

nes maximas sæpe sentiant. Hæc igitur quum sit tum serenitas, tum perturbatio cæli: estne sanorum hominum, hoc ad nascentium ortus pertinere[2] non dicere (quod non certe pertinet); illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intelligi autem vix potest, quæ a luna ceterisque sideribus cæli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quod non intelligunt, seminum vim, quæ ad gignendum procreandumque plurimum valeat, funditus tolli, mediocris erroris est? Quis enim non videt, et formas, et mores, et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos? quod non contingeret, si hoc[3] non vis et natura gignentium efficeret, sed temperatio lunæ, cælique moderatio. Quid? quod uno et 95
eodem temporis puncto nati, dissimiles et naturas, et vitas[4], et casus habent: parumne declarat[5], nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? Nisi forte putamus, neminem eodem tempore ipso et conceptum, et natum, quo[6] Africanum. Num quis igitur talis fuit?

XLVI. Quid? illudne dubium est, quin multi, quum 96

2. *Pertinere non dicere (quod non certe pertinet).* Ita ut scribatur loci sententia postulat. Namque *pertinere* et *non pertinere* opponuntur sibi. Olim vagata est negatio, ut ex codd. apud Davis. intelligitur, post autem utroque in loco consedit. Conf. infr. c. 67. Rath.

3. *Si hoc non vis ... effioeret. Hoc* sc. *formæ, morum* ceterarumque rerum similium temperamentum. Lectio Davisiana *hæc*, nempe *forma, mores*, etc. quamvis ed. Cratand. auctoritate firmata, locum non videtur habere. Nam *mores* quidem et similia *fingi*, non vero *effici* dicuntur. Horr.

4. *Vitas, et casus.* Cod. Paris. *et vitas casus.* Frustra. Hinc Dav. suspicatur: « at vitæ casus ». Nam supra quoque 42, *actio vitæ* et *casus* discernuntur. Horr.

5. *Parumne declarat.* Legendum puto *declarat*, licet in tuenda lectione *declarant* consentiant libri. Dav. — Quam emendationem probant et Hottingerus et Rath.

6. *Natum, quo Africanum.* Idem in Chaldæos telum torquet Sextus Empiricus adv. Mathem. lib. V, § 89: Οὐδεὶς Ἀλεξάνδρῳ τῷ Μακεδόνι γέγονεν ἴσος, πολλῶν κατὰ τὴν οἰκουμένην συναποτεχθέντων αὐτῷ, οὐδὲ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ. Cf. Favorinum apud Agellium, lib. XIV, cap. 1. Vide sis et Nostrum, cap. 47. Dav.

Digitized by Google

ita nati essent, ut quædam contra naturam[1] depravata haberent, restituerentur et corrigerentur[2] ab natura, quum se ipsa revocasset, aut arte atque[3] medicina? aut[4] quorum linguæ sic inhærerent, ut loqui non possent, eæ scalpello resectæ liberarentur? Multi etiam naturæ vitium meditatione[5] atque exercitatione sustulerunt; ut Demosthenem scribit Phalereus, quum RHO dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret. Quod si hæc astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare posset. Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile est: quid inter Indos et Persas, Æthiopas[6] et Syros

XLVI. 1. *Contra naturam depravata.* Postrema vox mihi a mala manu videtur irrepsisse. Neque enim modo supervacanea est, sed fortasse etiam ad vitium aliquod nativum significandum inepta. *Depravata* enim sunt, quæ ex rectis facta sunt prava. Hujus discriminis auctor est ipse Cicero, de Finib. II, 11: « Bestiarum vero nullum judicium puto: quamvis enim depravatæ non sint, pravæ tamen esse possunt ». Quod autem paullo post sic pergit: « ferarum natura, non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua »; postremas voces corruptas esse per se clarum est; nec displicet Davisii emendatio, pro *natura sua, nata prava* legentis. HOTT.

2. *Corrigerentur ab natura.* Davis. conjecit *aut natura*, quo quid certius? RATH.

3. *Quum se ipsa revocasset, aut arte atque medicina.* Ita bene lectionem restituit Davisius. Vulgo: « aut arte, aut medicina »: quasi scilicet non ars esset medicina. HOTT.

4. *Aut quorum linguæ ... liberarentur?* Alia lectio est: « ut, quorum linguæ ... liberarentur », deleto videlicet post *medicina*, et post *liberarentur* interrogationis signo. Hanc quidem et Pearcius et Hottingerus; nostram vero probat Rath.

5. *Meditatione.* I. e. studio atque arte. Non enim modo cogitationem hæc vox significat, sed qualemcumque curam et exercitationem. Eandem rem narrans Cic. de Orat. I, 61: « Quum ita balbus esset (Demosthenes), ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo loquutus putaretur ». Conf. Plin. Paneg. 13. Hoc ignorans indoctus corrector dedit, *medicatione*. HOTT.

6. *Æthiopas et Syros.* Davisius e nonnullis codd. præmisit copulam, « et Æthiopas, et Syros » legens. Male. Nam Cicero non istas omnes inter se nationes, sed *Indos* cum *Persis*, *Æthiopas* cum *Syris* comparat: i. e. ab oriente ad occidentem, a meridie ad septentrionem pergit. Quod, quo magis perspicuum foret, virgulam, quæ post *Indos* et *Æthiopas* vulgo ponitur, delevimus. HOTT.

Digitized by Google

differat, corporibus, animis; ut incredibilis varietas dissimilitudoque sit. Ex quo intelligitur, plus terrarum 97
situs, quam lunæ tactus[7] ad nascendum valere. Nam quod aiunt, quadringenta[8] et septuaginta millia annorum in periclitandis[9] experiundisque pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse; fallunt[10]. Si enim esset factitatum, non esset desitum. Neminem autem habemus auctorem, qui id aut fieri dicat, aut factum sciat.

XLVII. Videsne, me[1] non ea dicere, quæ Carneades, sed ea, quæ princeps stoicorum Panætius dixerit? Ego autem etiam hoc requiro, omnesne, qui Cannensi pugna ceciderint[2], uno astro fuerint? exitus quidem omnium unus et idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo singulares, num[3] astro quoque unò? Quod enim tempus, quo non innumerabiles nascantur? At certe similis nemo Homeri. Et, si ad rem per- 98
tinet, quo modo cælo affecto, compositisque side-

7. *Quam lunæ tactus.* Ita plurimi codd. Est nimirum *lunæ tactus* idem, ac vis, et velut contagio. Vulgo editur *tractus;* quod frustra defendunt Wopkensius in Lectt. Tull. et Burmannus in Miscell. Obs. V, 3, tom. I. Clericus conjecit *status.* Jortinus in Miscell. Obs. l. c. « plus terrarum situs, quam lunæ, ad nascendum valere » : neuter bene. Hott.

8. *Quadringenta et septuaginta.* Sic vulgo : sed copulam, in nonnullis codd. haud exstantem, Davisius ejecit. Hott.

9. *In periclitandis experiundisque.* Nempe statum cæli et stellarum, quo pueri nati essent, observantes, horumque fata et indolem conferentes. Hott.

10. *Fallunt.* Eadem est Favorini mens apud Agellium, N. A. lib. XIV, cap. 1. De annorum numero, quem suis observationibus adscribunt Chaldæi, diximus ad lib. I, cap. 29. Dav.

XLVII. 1. *Non ea me dicere, quæ Carneades,* etc. I. e. hanc disputationem non ejus esse, qui omnem omnino divinationem impugnet, sed Panætii, qui, licet Stoicus, tamen in hac re ab sectæ suæ popularibus dissentit. Hott.

2. *Qui Cannensi pugna ceciderunt.* Ernestius edidit *ceciderint*, latinitatem sic postulare ratus; quæ certe hic utrumque modum admittit. Hott. — Ad rem vide Agellium, N. A. lib. XIV, cap. 1, et Sextum Empiricum adv. Mathematicos, lib. V, § 90 et seqq.

3. *Num astro quoque uno?* I. e. num iis, ut ingenium proprium ac singulare, ita etiam astrum fuit; ut hoc cæli et stellarum statu, præter illos, nemo natus sit alter? Hott.

Digitized by Google

ribus quodque animal oriatur: valeat[4] id necesse est etiam in rebus inanimis. Quo quid dici potest absurdius? L. quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, in primis Chaldaicis rationibus eruditus, urbis etiam nostræ natalem[5] diem repetebat ab iis Parilibus, qui-

4. *Valeat id necesse est etiam in rebus inanimis.* Victorius et MS Vossianus ita legunt: « valeat id necesse est, non in hominibus solum, verum in bestiis etiam ». Quam lectionem Davisius indoctæ tribuit librariorum audaciæ. Ego vero amplius pronuntiandum censeo. Nam ut illam depravatam esse facile intelligo, ita veritatis vestigia in ea videor agnoscere. Lectionem quidem vulgatam ne sanam existimem, non una obstat ratio. Primum ego parum intelligo, quo pacto illa ab animalibus ad res inanimas fieri conclusio possit. Deinde, ne factam illam a Cicerone putem, impediunt illa, quæ paullo post ab eodem dicuntur. « Fac in puero referre, ex qua affectione cæli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? » Hæc igitur nonne maxime pugnant cum superioribus? Quis autem credat, Ciceronem ita esse sui oblitum, ut tam parvo intervallo plane contraria diceret? Ista vero, quo modo inter se possint conciliari, viderint alii: ego nullum video, nisi in emendatione præsidium. Liceat ergo mihi aliquam saltem conjecturam promere, de qua judicium acutioribus relinquam. Mihi nempe videtur locus ita refingi posse: « Sed si ad rem pertinet, quo modo cælo affecto, compositisque sideribus quodque animal oriatur, valeat id in hominibus; num etiam in rebus inanimis? » Quæ conjectura, si cui audacior videbitur, is velim cogitet, non omnem corruptelam emendandi admittere facilitatem, multaque in hoc genere vera esse posse, quæ parum sint evidentia; atque in magna lectionis depravatione illum bene videri conjecisse, qui, pluribus omissis, paucioribus additis, id exæuderit, quod et sermonis contextui, et scriptoris indoli maxime fuerit accommodatum. Cæterum, quam familiaris Ciceroni sit ista interrogandi forma, aliquot nimirum exemplis docebo. Quorum primum non longe erit petendum. Nam in ipso hoc capite paullo infra, illa leguntur, quæ modo adduxi, verba: « fac in puero referre, etc. » Porro sup. 14: « Demus hoc; nihil enim huic disputationi adversatur: num etiam, si fissum cujusdam modi fuerit in jecore, lucrum ostenditur? » De Nat. Deor. I, 38: « Fac imagines esse, quibus pulsentur animi: species dumtaxat objicitur quædam: num etiam, cur ea beata sit? cur æterna? » Tuscul. Qu. I, 36: « Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte privari: ergo etiam carere mortuos vitæ commodis, idque esse miserum? » Horr. — Hanc Hottingeri conjecturam, licet summa eruditione firmatam, tamen non admisimus, quod ex lectione nostra dilucide satis intelligi contextus videatur.

5. *Urbis nostræ natalem diem repetebat ab iis Parilibus*, etc. Is dies erat undecimus ante kalendas maias, ut narrat Plutarchus in Romulo, eodemque loco nunc Tarutium commemorat.

Digitized by Google

bus eam a Romulo conditam accepimus; Romamque, in jugo quum esset luna[6], natam esse dicebat, nec ejus fata canere dubitabat. O vim maximam erroris! 99 etiamne urbis natalis dies ad vim stellarum et lunæ pertinebat? Fac in puero referre, ex qua affectione cæli primum spiritum duxerit: num hoc in latere, aut in cæmento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? quotidie refelluntur. Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari, a Chaldæis dicta memini, neminem eorum nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum? ut mihi[8] permirum videatur, quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis, quorum prædicta quotidie videat re et eventis refelli.

XLVIII. Restant duo divinandi genera, quæ habere 100 dicimur a natura, non ab arte; vaticinandi, et somniandi. De quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. — Mihi vero, inquit, placet. His enim, quæ adhuc disputasti, prorsus assentior: et, vere ut loquar, quamquam tua me oratio confirmavit, tamen etiam mea sponte nimis superstitiosam de divinatione

6. *In jugo quum esset luna.* Manilius, lib. IV, pag. 103 : « Hesperiam sua libra tenet, qua condita Roma Et propriis frenat pendentem matibus orbem, Orbis et imperium retinet; discrimina rerum Lancibus, et positas gentes tollitque, premitque ». Videlicet Mathematici πάλαιος τύχην, ὅσπερ ἀνθρώπου, κύριον ἔχειν οἴονται χρόνον, ἐκ τῆς πρώτης γενέσεως πρὸς τὰς τῶν ἀστέρων ἐποχὰς θεωρούμενον, ut, memorato Tarutii facinore, loquitur Plutarchus in Romulo, pag. 24, D. Symmachus, lib. X, epist. 54 : « Ut animæ nascentibus, ita populis fatales Genii dividuntur ». Adeatur etiam Prudentius in Symm. II, 71, qui ab ejusdem libri vs. 372, insanem hanc refellit sententiam. Vani scilicet homines « Adscribunt saxis Lachesis male fortia fila, Tectorumque trabes fusis pendere rotatis Credunt, etc. » ut ait idem poeta vs. 453 seqq. Dav.

7. *Huic ipsi Cæsari. Huno ipsum* dicit, ob recentem tristis ejus casus memoriam. Hott.

8. *Ut mihi permirum videatur, quemquam exstare*, etc. « Plurimis mortalium non eximitur, quin primo cujusque ortu ventura destinentur; sed quædam secus quam dicta sint cadere fallaciis ignara dicentium : ita corrumpi fidem artis ». Tacitus, Ann. VI, 22. Dav.

Digitized by Google

stoicorum sententiam judicabam; ac me peripateticorum ratio magis movebat, et veteris Dicæarchi[1], et ejus, qui nunc floret, Cratippi, qui censent esse in mentibus hominum tamquam oraculum aliquod, ex quo futura præsentiant, si aut furore divino incitatus animus, aut somno relaxatus, solute moveatur[2] ac libere. His de generibus quid sentias, et quibus ea rationibus infirmes, audire sane velim[3].

101 XLIX. Quæ quum ille dixisset, tum ego rursus[1], quasi ab alio principio, sum exorsus dicere. Non ignoro, inquam, Quinte, te semper ita sensisse, ut de ceteris divinandi generibus dubitares; ista duo, furoris et somnii, quæ a libera mente fluere viderentur, probares.

Dicam igitur, de istis ipsis duobus generibus mihi quid videatur, si prius, stoicorum conclusio[2] rationis, et Cratippi nostri, quid valeat, videro. Dixisti enim, et Chrysippum, et Diogenem, et Antipatrum concludere hoc modo: Si sunt dii, neque ante declarant homi-

XLVIII. 1. *Dicæarchi, et... Cratippi.* His præivit omnium Peripateticorum dux et princeps Aristoteles, qui sola divinationis genera naturalia, somniorum et furoris, probavit. Davis.

2. *Solute moveatur ac libere.* Id est, nullis a corpore impedimentis illi objectis. Sic. sup. I, 57: «Animi hominum, quum aut somno soluti vacant corpore, aut mente permoti per se ipsi liberi incitati moventur, cernunt ea, quæ permixti cum corpore animi videre non possunt». Hott.

3. *Et quibus ea rationibus infirmes, audire sane velim.* Ita rectius fines hujus capitis constituit Davisius: quod vulgo protenditur usque ad hæc verba: *dicam igitur*, etc. Hott.

XLIX. 1. *Tum ego rursus quasi ab alio*, etc. I. e. ab integro quasi disputationem exorsus: dum scilicet, ante quam de divinatione naturali pressius agat, quoddam velut exordium præmittit, et, quod sup. 10 dixerat, «aliquam tamquam levis armaturæ, primam orationis excursionem» instituit, quemadmodum omnis omnino divinationis, ita furoris quoque et somniorum veritatem universe impugnans. Nam ad hunc finem spectat illa et Stoicorum et Cratippi confutatio. Hott.

2. *Stoicorum conclusio rationis, et Cratippi.* Non unam modo eamdemque conclusionem rationis dicit, sed binas, alteram Stoicorum, alteram Cratippi, quas deinceps commemorat. Addidi post *rationis* virgulam a Davisio neglectam, quæ hunc sensum clarius exprimat. Hott.

Digitized by Google

nibus, quæ futura sint : aut non diligunt homines; aut, quid eventurum sit, ignorant; aut existimant nihil interesse hominum[3], scire, quid sit futurum; aut non censent esse suæ majestatis, præsignificare hominibus, quæ sint futura; aut ea ne ipsi quidem dii significare[4] possunt. At neque non diligunt nos; sunt enim benefici, generique hominum amici : neque ignorant ea, quæ ab ipsis constituta et designata sunt : 102
neque nostra nihil interest, scire ea, quæ futura sint; erimus enim cautiores, si sciemus : neque hoc alienum ducunt majestate sua; nihil est enim beneficentia præstantius : neque non possunt futura prænoscere. Non igitur[5] dii sunt, nec significant nobis futura. Sunt autem dii; significant ergo. Et non, si significant futura, nullas dant nobis[6] vias ad significationum scientiam; frustra enim significarent : neque, si dant vias, non est divinatio; est igitur divinatio. O acutos homines ! quam paucis verbis 103
negotium confectum putant? Ea sumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. Conclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, efficitur.

L. Videsne[1] Epicurum, quem hebetem et rudem

3. *Nihil interesse hominum.* Vulgo : « nihil interesse, hominem scire, etc. » Sed illud verum esse vidit Davisius, et Ernestius ita edidit. Recte. Nam et sup. I, 38, sic legitur. Hott.

4. *Aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt.* Manutio hæc verba frustra inculcata videntur; quum paullo ante dixerit : « aut quid eventurum sit, ignorant ». Contra quem monet Davisius, aliud esse, *ignorare;* aliud, « significare non posse ». Immo hoc loco idem est. Nam his verbis, « aut ea ne ipsi quidem, etc. » paullo post opponuntur illa : « neque non possunt futura prænoscere ». Hott.

5. *Non igitur dii sunt, nec significant*, etc. Vide I, 38; ubi hæc ita leguntur : « non igitur sunt dii, nec significant futura ». Hott.

6. *Nullas dant vias... scientiam.* Ista sic supra leguntur : « nullas vias dant nobis ad significationis scientiam ». Hott.

L. 1. *Videsne Epicurum... quemadmodum... concluserit.* Ratio grammatica postulabat, *Epicurus.* Sed ea casus enallage, qua nomen verbo apta-

Digitized by Google

dicere solent stoici, quemadmodum, quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum esse concluserit? « Quod finitum est, inquit, habet extremum ». Quis hoc non dederit? « Quod autem habet extremum, id cernitur[2] ex alio extrinsecus ». Hoc quoque est concedendum. « At, quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus ». Ne hoc quidem negari potest. « Nihil igitur quum habeat extremum[3], infinitum sit necesse est ». Videsne, ut ad rem dubiam[4] concessis rebus
104 pervenerit? Hoc vos dialectici[5] non facitis: nec solum ea non sumitis ad concludendum, quæ ab omnibus concedantur; sed ea sumitis, quibus concessis, nihilo magis efficiatur, quod velitis. Primum enim hoc sumitis: « Si sunt dii, benefici in homines sunt ». Quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat, quidquam deos nec alieni curare, nec sui? an noster Ennius,

tur, e quo proprie non pendet, optimis auctoribus omnino frequens est. Sic Tusc. Quæst. I, 24: « Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum, et totius corporis figuram videor posse dicere, unde concreta, et quo modo facta sint ». Conf. Gronov. ad Liv. II, 57. Hott.

2. *Id cernitur ex alio extrinsecus.* Id est, id cernitur, s. adspectabile est alteri extrinsecus. Quare fortasse pro *ex alio*, legendum est, *ab alio*, aut voces istæ *ex alio* omnino delendæ. Paullo aliter Epicuri sententiam Diogenes refert, quem laudat Davisius. Ille enim τὸ δὲ ἄπειρον, inquit, παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται, i. e. non, « quod extremum habet », sed ipsum *extremum*, s. limites cernuntur, vel intelliguntur ex alio, quod videlicet proximum est, quoque res illa, ut sic dicam, limitata circumscribitur. Hott.

3. *Nihil igitur quum habeat extremum.* Assumendum est *omne*, ita scilicet: « Illud igitur omne (quod in natura rerum esse dicimus), quum nihil habeat extremum, etc. » Hott. — Si ex libris *omne*, placet, nam eo planior fit oratio; sin de suo, supersederi eo potest. Hæc de Lambino, cujus lectionem recepit Hotting. loquitur Rath.

4. *Ut ad rem dubiam... pervenerit.* Videlicet sophisma latet in voce *omne*. Nam *omne*, ut philosophi loquuntur, aliud *absolutum* dicitur, aliud *relativum*. Illud utique extremo s. limitibus caret: non item hoc: id est, *omne* illud, quod mens cogitatione amplectitur, omnino est infinitum: de *omni* autem eo, quod est, ambigitur. Hott.

5. *Vos dialectici.* I. e. vos Stoici, quorum acumen et dialectica in disputando subtilitas tantopere est nobilitata. Vide sup. cap. 3, init. Hott.

Digitized by Google

qui magno plausu loquitur[6], assentiente populo :

Ego deum genus esse semper dixi, et dicam cælitum;
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et quidem, cur sic opinetur, rationem subjicit[7]; sed nihil est necesse, dicere, quæ sequuntur. Tantum sat est intelligi, id sumere istos pro certo, quod dubium controversumque sit.

LI. Sequitur porro, « Nihil deos ignorare, quod 105
omnia sint ab iis constituta ». Hic vero quanta pugna est doctissimorum hominum, negantium esse hæc a diis immortalibus constituta? At « nostra interest scire, quæ ventura sint ». Magnus Dicæarchi liber est, nescire ea melius esse, quam scire. Negant « id esse[1] alienum majestate deorum[2] ». Scilicet casas omnium introspicere, ut videant, quid cuique conducat[3]. « Neque non possunt futura prænoscere. » Negant posse ii, quibus non placet esse[4] certum, quid

6. *Qui magno plausu loquitur, assentiente populo.* Aut fallor, aut voces istæ, « assentiente populo », glossatori debentur. Hott.

7. *Cur sic opinetur, rationem subjicit.* Nimirum hanc : « Nam si curent, bene bonis sit, male malis; quod nunc abest ». Dav.

LI. 1. *Negant id esse alienum majestate deorum*, etc. Scilicet hominibus consulere, rebus futuris significandis. Atque hæc sponte intelliguntur, ne quis eum Lambino putet, aliquid e contexta excidisse. Vulgo, « negant enim, etc. » Qui primus particulam causalem expunxerit, nescio; sed illam locum hic nullum habere, bene intelligo. Hott.

2. *Deorum. Scilicet casas omnium introspicere.* Sic edidi e certa Davisii interpunctione. Prior enim pars, ut ille vere monuit, est Stoicorum; posterior ipsius Ciceronis : q. d. « quid negant esse alienum, etc. Scilicet casas omnium introspicere ». Itaque hac interpunctione εἰρωνεία et apertior fit, et acerbior. Vulgo post *deorum* virgula tantum distinguunt. — *Casas* e P. Manutii conjectura fuit receptum. Hott.

3. *Ut videant, quid cuique conducat.* Similiter Epicurei ridebant potius quam timebant, « omnia providentem et cogitantem et animadvertentem, et omnia ad se pertinere putantem, curiosum et plenum negotii deum ». Verba sunt Ciceronis, Nat. Deor. I, 20. Dav.

4. *Quibus non placet esse certum.* Id est, certis causis præstitutum, e quibus adeo futura prænosci possint. Hott.

Digitized by Google

106 futurum sit. Videsne igitur, quæ dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? Deinde[5] contorquent, et ita concludunt: « Non igitur et sunt dii[6], nec significant futura ». Id enim jam perfectum arbitrantur. Deinde assumunt: « Sunt autem dii »; quod ipsum non ab omnibus conceditur. « Significant ergo. » Ne id quidem sequitur: possunt enim non significare, et tamen esse dii. « Nec, si significent, non dant[7] vias aliquas ad scientiam significationis. » At id quoque potest, ut non dent homini, ipsi habeant. Cur enim Tuscis potius, quam Romanis darent? « Nec, si dant vias, nulla est divinatio. » Fac[8] dare deos; quod absurdum est: quid refert, si accipere non possumus? Extremum est, « Est[9] igitur divinatio ». Sit extremum; effectum tamen non est: ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus[10], verum effici non potest. Jacet igitur tota conclusio.

5. *Deinde contorquent.* Sc. ut telum, in nos contorquent argumentationem. Pertinet hoc nempe eo, quod Stoici iis omnibus, quæ hactenus sunt exposita, adversariorum modo opinionem refutare conantur: verum iis, quæ jam sequuntur, ipsi velut hostem petunt, et a defensione arma in ipsum impugnandum convertunt. Hott.

6. *Non igitur et sunt dii*, etc. Ita plerique scripti editique legunt. Sed copulam Davisius et Ernestius, velut supervacaneam, delerunt. Quæ quidem, quamvis abesse possit, ut abest sup. 49, et I, 38, tamen mihi valere videtur, ad signandam expressius loci sententiam, quæ talis est: fieri nequit, ut utrumque verum sit, « et esse deos, et tamen illos futura non significare ». Hott.

7. *Non dant vias.* Vulgo, *non dare*, quasi cum præcedentibus essent hæc conjungenda: quod falsum est. Neque enim verba ista Ciceronis sunt, sed Stoicorum. Hott.

8. *Fac... deos... quid refert, si accipere non possumus?* Certe nimius est Cicero in refutandis Stoicis. Nam illa quidem, « nec, si significent, non dant vias aliquas ad scientiam significationis », utique concedenda erant. Atque ea, quæ dicit Cicero, rem non tangunt. Non enim id quæritur, an dii vias aliquas ad intelligenda rerum futurarum signa habere possint, nec tamen illas hominibus dare; verum, « an possint signa illa dare, et tamen vias ad intelligenda ea negare »: quod sine dubio absurdum est. Hott.

9. *Extremum est, Est igitur*, etc. Posterius *est*, vulgo omissum, Davisius revocavit. Hott.

10. *Ut ab ipsis didicimus.* Gloriabantur Stoici ceteros omnes philoso-

Digitized by Google

LII. Veniamus nunc ad optimum virum, familia- 107
rem nostrum, Cratippum. Si sine oculis[1], inquit, non potest exstare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere : qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum[2] oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, potest autem, quum quis divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere : satis est ad confirmandam divinationem, semel aliquid ita esse divinatum, nihil ut fortuito cecidisse videatur. Sunt autem ejus generis innumerabilia. Esse igitur divinationem confitendum est. Festive et breviter : sed quum bis sumpsit, quod voluit, etiam si faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen, quod assumit[3], concedi nullo modo potest. Si, in- 108
quit, aliquando oculi peccent, tamen, quia recte aliquando viderint, inest in iis vis videndi. Item, si quis[4] semel aliquid in divinatione dixerit[4], is etiam quum peccet, tamen existimandus sit habere vim divinandi.

LIII. Vide, quæso, Cratippe noster, quam sint ista similia : nam mihi non videntur. Oculi enim vera

phos dialectica præstare. Chrysippi autem subtilitates quis non novit?

LII. 1. *Si sine oculis*, etc. Vide I, 32. Hott.

2. *Ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium.* Exhibent alii *usum oculorum;* sed præstat recepta lectio, quam tuetur Cicero supra lib. I, cap. 32, ubi pariter exstat Cratippeum hoc argumentum. Dav.

3. *Id tamen, quod assumit. Sumere*, et *assumere* in arte syllogistica sic differunt, ut prius de propositione, quam dicunt, majore, alterum de minore sit intelligendum. Vide paullo post, cap. prox. Hott.

4. *Si quis semel aliquid in divinatione dixerit.* Ernestius edidit, post Alemannum, « si quis semel aliquid in divinatione viderit ». Male. Neque Davisius, neque Hottingerus, neque Schützius hic verum vident. Scilicet haud intelligunt quid sit *dicere aliquid*, λέγειν τι, verbum Platonicum. J. V. L.

Digitized by Google

cernentes, utuntur natura[1] atque sensu; animi, si quando vel vaticinando, vel somniando vera viderunt, usi sunt fortuna atque casu. Nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones[2], ea, quæ λήμματα appellant dialectici; sed nos latine loqui malumus: assumptio[3] tamen,
109 quam πρόσληψιν iidem vocant, non dabitur. Assumit autem Cratippus hoc modo, « Sunt autem innumerabiles præsensiones non fortuitæ ». At ego dico nullam. Vide, quanta sit controversia. Jam assumptione non concessa, nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, quum tam perspicuum sit, non concedamus. Quid est perspicuum? Multa vera, inquit, evadere. Quid quod multo plura falsa? Nonne ipsa varietas[4], quæ est propria fortunæ, fortunam esse causam, non naturam docet? Deinde, si tua ista conclusio, Cratippe, vera est (tecum enim mihi res est): nonne intelligis, eadem uti posse et aruspices, et fulguratores[5], et interpretes ostentorum, et augures,

LIII. 1. *Natura atque sensu.* I. e. si oculi vera cernunt, id non fit casu quodam, sed quia ita natura facti conformatique sunt, ut cernere possint. Hott.

2. *Tibi istas duas sumptiones.* Propositiones, quas dicunt majores. Vid. cap. sup. Hott.

3. *Assumptio tamen, quam πρόσληψιν iidem vocant.* Ita ex certa Pearcii emendatione edidi, quod Ernestius quoque fecerat. Lectio autem vulgata hæc est: « præsumptio tamen, quam πρόληψιν iidem vocant. » Libri vero scripti habent, *præsensio.* Quæ lectio, perinde ac *præsumptio*, ut recte monet Ernestius, orta est sine dubio e vitiosa scriptura verbi græci πρόληψις pro πρόσληψις. Pearcii emendatio quum per se probatur, tum etiam confirmatur iis, quæ sequuntur: « Assumit autem Cratippus hoc modo, etc.... Jam assumptione non concessa, etc. » Hott.

4. *Ipsa varietas.* I. e. inconstantia, s. incerta ratio. Hanc non *naturæ*, sed fortunæ esse dicit: i. e. quæ modo sic, modo aliter eveniant, ad casum esse referenda, quum contra causæ naturales certa habeant eademque omni tempore effecta. Hott.

5. *Fulguratores.* Ita falsinum in-

Digitized by Google

et sortilegos, et Chaldæos? quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut prædictum sit, evaserit. Ergo aut ea quoque genera divinandi sunt, quæ tu rectissime improbas; aut, si ea non sunt, non intelligo, cur hæc duo sint, quæ relinquis. Qua ergo ratione hæc inducis, eadem illa possunt esse, quæ tollis.

LIV. Quid vero habet[1] auctoritatis furor iste, quem 110
divinum vocatis, ut, quæ sapiens non videat, ea videat insanus, et is, qui humanos sensus amiserit, divinos assequutus sit? Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper, falsa quadam hominum fama[2], dicturus in senatu putabatur, eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem, et in quod tempus est? Callide enim, qui illa composuit, perfecit, ut, quodcumque accidisset[3], prædictum videretur, hominum et temporum definitione sublata. Adhibuit etiam late- 111
bram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, quum ipsum poema declarat (est enim magis artis et diligentiæ, quam incitationis et motus), tum vero ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps

spectores dictos docet Nonius, I, 319. Hott.

LIV. 1. *Quid vero habet auctoritatis furor iste.* I. e. quo argumento hanc tantam vim sibi vindicare potest? Hott.

2. *Quorum interpres nuper, falsa quadam hominum fama*, etc. Ita omnino legendum; non, ut vulgo, *falsa quædam*: quam lectionem tamen Davisius et Ernestius retinuerunt, nihil monentes. Hott. — Ad Lucium Cottam quindecimvirum respicit, quem varia fama percrebuit « proximo senatu sententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos non nisi a rege posse vinci, Cæsar rex appellaretur ». Verba sunt Suetonii in Julio, cap. 79: ipsius quoque rei meminit Plutarchus in Cæs. Dav.

3. *Quodcumque accidisset.* I. e.

Digitized by Google

ex primis[4] versuum literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis[5], « Q. Ennius fecit ». Id certe magis
112 est attenti animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cujusque sententiæ[6] primis literis illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est, non furentis; adhibentis[7] diligentiam, non insani. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut, id quod proditum est a majoribus, injussu senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas[8] potius, quam ad suscipiendas religiones; cum antistitibus agamus, ut quidvis potius ex illis

qualiscumque res, in quam illud carmen convenire videretur. Hott.

4. *Ex primis versuum literis.* Ita Auratus ac Davisius conjecerunt : eamque lectionem, sine dubio veram, Ernestius recepit. Vulgo legitur : *versus*. Hott.

5. *Ut in quibusdam Ennianis.* Post hæc vulgo ista leguntur : « quæ Ennius fecit ». Quæ verba alii editores mutarunt in « Q. Ennius fecit » : quod satis feliciter, sic enim est ἀκροστιχὶς ex ipsis Ennii versibus. Fere omnes tamen, ut manifestum glossema, uncis includunt, vel omnino ejiciunt.

6. *Ex primo versu cujusque sententiæ primis literis illius sententiæ... prætexitur.* Ad hunc locum infinite libri variantur tum scripti, tum editi. Quare accedat Hottingeri adnotatio qua lectionem nostram sic commentat : hæc vulgata quidem est lectio, quam Ernestius defendit, verba illa, « ex primo versu cujusque sententiæ », ita interpretans : « inde a primo versu cujusque sententiæ, ad finem usque ». Quæ interpretatio paullo impeditior, eo minus placet, quod deinde in « primis literis », vox *versuum* erit subaudienda, idque durissimum videtur. Sine dubio iterum occurrens vox *sententiæ* fraudem fecit oculo librarii. Ego exhibendam putavi lectionem libri Puteanei, quæ idem plane habet, quod Auratus conjecerat. Porro hæc est : « ex primis versuum cujusque sententiæ literis. » Ita sensus minime obscurus. Hoc nempe idem dicit, quod paullo ante : primis versuum singulorum literis, si deinceps legantur, totius sententiæ s. oraculi carmen, i. e. argumentum contineri. — Pro *prætexitur*, Davisius malit, *pertexitur*. Sed nihil mutandum. Nimirum eo, quod primis singulorum versuum literis argumentum conficitur, non sine dilectu dicitur *prætextum*. Hott.

7. *Adhibentis diligentiam.* I. e. dilectum, legendis nimirum curiose vocibus iis, quarum primis literis totius sententiæ argumentum contexi queat. Hott.

8. *Valeantque ad deponendas potius*, etc. Sensus loci, aptus, ut puto, clarusque is est : libros istos tamquam depositum aliquod custodiendos potius esse, quam promendos. Hott.— Non intelligo quid sibi velit Hottingerus hac interpretatione. Nam nihil erit profecto hujusce loci interpreta-

Digitized by Google

libris, quam regem proferant : quem Romæ posthæc nec dii, nec homines esse patiantur[9].

LV. At multi sæpe vera vaticinati, ut Cassandra, 113

Jamque mari magno[1] .....

Eademque paullo post :

Eheu, videte[2].....

Num igitur me cogis etiam fabulis credere? Quæ delectationis habeant, quantum voles; verbis, sententiis, numeris, cantibus adjuventur : auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commentitiis rebus adjungere : eodemque modo nec ego Publicio[3] nescio cui, nec Marciis vatibus, nec Apollinis opertis credendum existimo; quorum partim ficta aperte, partim effutita temere numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. Quid? inquies : re- 114
mex[4] ille de classe Coponii, nonne ea prædixit, quæ facta sunt? Ille vero, et ea quidem[5], quæ omnes eo tempore, ne acciderent, timebamus. Castra enim in Thessalia castris collata audiebamus; videbaturque nobis exercitus Cæsaris et audaciæ plus habere, quippe qui patriæ bellum intulisset; et roboris, propter ve-

tione facilius, si per *religiones* superstitionem audire velis.

9. *Patiantur*. Legitur nonnumquam *patiuntur*, et quoque, *patientur*.

LV. 1. *Jamque mari magno*. Vide sup. I, 31. HOTT.

2. *Eheu, videte*. Vid. I, 50. HOTT.

3. *Publicio, nescio cui*. Vid. eod. et 40. HOTT.

4. *Remex ille*. Vid. I, 32. HOTT.

5. *Et ea quidem*. Particula *quidem* h. l. non auget, sed minuit : q. d. « prædixit utique, sed ea scilicet, quæ nostrum unusquisque per se exspectabat ». Atque sic Cicero sæpius hac particula utitur, ubi aut id, quod dictum erat, extenuare, aut rei alicujus admirationem tollere vult. Ut de Finib. I, 10 : « Torquem detraxit hosti (Torquatus). Et quidem se texit, ne interiret. At magnum periculum adiit. In oculis quidem exercitus ». Tusc. III, 20 : « At laudat (Epicurus), et sæpe, virtutem. Et quidem C. Gracchus, quum largitiones maximas fecisset, et effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium » : ad quem locum frustra hæsit Ernestius. HOTT.

Digitized by Google

tustatem. Casum autem prælii, nemo nostrum erat, quin timeret; sed ita, ut constantibus[6] hominibus par erat, non aperte. Ille autem Græcus, quid mirum, si magnitudine timoris, ut plerumque fit, a constantia, atque a mente, atque a se ipse[7] discessit? qua perturbatione animi, quæ, sanus quum esset, timebat, ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. Utrum tandem, per deos atque homines! magis verisimile est, vesanum remigem, an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, me[8], Catonem, Varronem, Coponium ipsum, consilia deorum immortalium perspicere potuisse?

115 LVI. Sed jam ad te venio,

O sancte Apollo [1], qui umbilicum [2] certum terrarum obsides,
Unde superstitiosa [3] primum sæva [4] evasit vox fera.

6. *Ut constantibus hominibus par erat.* Ernestius, addita præpositione, legendum censet : « ut in constantibus, etc. » propterea, quod non dicant Latini, « par est mihi », pro *decet me.* Ego vero nescio, cur id non dici possit : ac, si exempla quæruntur, mihi certe nullum occurrit, quo vel altera illa ratio queat vindicari. Hotr.

7. *Atque a mente, atque a se ipse.* Vide, ne prius sit posterioris interpretatio : nam « a mente discedere » quid aliud est, quam « a se discedere » ? nec in oratione soluta *atque* geminari solet. Rath.

8. *Me, Catonem.* Alii, omisso pronomine, *M. Catonem* legunt, idque certe modestius est.

LVI. 1. *O sancte Apollo.* Ut istorum versuum metrum sibi constet, aut priori syllaba demenda est, aut alteri addenda. Posterius Lambinus tentavit, ita legendum censens : *unde hæc*, etc. Gruterus vero delendum existimavit in priore particulam exclamandi. Quod ego potius probem. Nam illud *o* versui adhæsisse poterat, ex præcedenti verbo *venio*. Sed tamen et Varro, L. L. VI, versus istos sic habet. Hotr.

2. *Qui umbilicum certum terrarum obsides.* Veteres nimirum Delphos in medio quasi terrarum puncto sitos existimarunt. De qua re ita Claudianus in Mall. Theod. Cons. 11 : « Jupiter, ut perhibent, spatium quum discere vellet Naturæ, regni nescius ipse sui; Armigeros utrimque duos æqualibus alis Misit ab Eois Occiduisque plagis. Parnassus geminos fertur junxisse volatus; Contulit alternas Pythius axis aves ». *Certum*, quod negat se concoquere Ernestius, nihil aliud puto esse, quam, « accurate definitum ». — Pro *obsides*, quum cod. Ursini scriptus, tum Varro habet, *obtines*. Hotr.

3. *Superstitiosa.* I. e. fatidica, ut sup. I, 31. Hotr.

4. *Sæva.* Hoc perinde, ut *fera*, pertinet sine dubio ad sonum vocis ter-

Digitized by Google

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen implevit partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni[5] oratione sæpissime; partim flexiloquis[6] et obscuris, ut interpres egeat interprete, et sors ipsa ad sortes referenda sit; partim ambiguis, et quæ ad dialecticum deferenda sint[7]. Nam quum sors illa edita est opulentissimo regi Asiæ,

Crœsus Halym[8] penetrans magnam pervertet opum vim :

hostium vim sese perversurum putavit, pervertit au- 116
tem suam. Utrum igitur eorum accidisset, verum oraculum fuisset. Cur autem hoc credam umquam editum Crœso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Crœso, quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est, qui credat, Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum,

Aio, te, Æacida, Romanos vincere posse?

Primum latine Apollo numquam loquutus est. Deinde ista sors inaudita Græcis est. Præterea Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat. Postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est,

ribilem atque ululatum, quo Pythia oracula edere solebat. Hott. — Pro « sæva evasit vox fera », conjecere « sæpe evasit foras ». Sunt qui putent Œdipi verba esse. Rath.

5. *In omni oratione.* I. e. in vita, et sermone quotidiano: si tamen lectio sana est. Nam fateor, vocabulum *oratione* mihi hic non optime locum videri. Hott.

6. *Flexiloquis.* H. e. parum accurate definitis, ita ut sensus nec certus sit, neque perspicuus: a quibus *ambigua*, quæ paullo post dicuntur, sic differunt, ut hæc quidem intellectum habeant facilem, sed sensum tamen duplicem, ac fallacem. Hott.

7. *Ad dialecticum deferenda sint.* Ita e MSS quibusdam ediderunt Davisius et Ernestius. Recte. Sic inf. 65, « defert ad conjectorem, etc. » et 70, ad interpretem detulit ». Vulgo *referenda*, quod imperiti correctores refinxerunt ad illa : « et sors ipsa ad sortes referenda sit ». Hott.

8. *Crœsus Halym*, etc. Versus græcus, quem, post Herodotum, multi scriptores laudant, sic habet : Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει. Dav.

Digitized by Google

Stolidum genus Æacidarum,
Bellipotentes[9] sunt magi', quam[10] sapientipotentes:

tamen hanc amphiboliam versus intelligere potuisset, « vincere te Romanos », nihilo magis in se, quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quæ Crœsum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere : hæc vero ne[11] Epicurum quidem.

117 LVII. Sed, quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur[1], non modo nostra ætate, sed jam diu, jam ut nihil possit esse contemptius? Hoc loco quum urgentur, evanuisse, aiunt, vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino, aut salsamento putes loqui, quæ evanescunt vetustate. De vi loci agi-

9. *Stolidum genus Æacidarum, Bellipotentes sunt magi'.* Huc faciunt illa Hesiodea : Ἀλκὴν μὲν γὰρ ἔδωκεν Ὀλύμπιος Αἰακίδαισι· Νοῦν δ' Ἀμυθαονίδαις πλεῖστον δέ περ Ἀτρείδῃσι. Dav.

10. *Sapientipotentes.* Multi vitiose, adversante metro : « sapientiæ potentes ». Hott.

11. *Ne Epicurum quidem.* Hominem hebetem. Vide sup. 50. Hott.

LVII. 1. *Quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur.* Quod quam absurdum sit, docte acuteque ostendit Hottingerus, quem vide. Rath. — Porro Hottingerum videamus, qui sic pergit : Nonnulli, in quibus interpres Francogallus, hæc ita intelligunt, quasi diceret Tullius : « Apollinem Delphicum jam diu nulla plane oracula edere », et contextu recusante, et adversante historia. Quomodo recuset textus me non intelligere fateor. Nam si falsa est quam lacessit Hottingerus interpretatio, cur infra apud Nostrum legimus hanc vocem, *evanuisse?* Immo nonne hæc verba, « quod caput est », nobiscum facere videntur? Postquam enim *obscuritatem* et *ambiguitatem* oraculi Delphici impugnavit Cicero, quod potest acutius telum injicere quam hoc, scilicet « isto modo jam oracula Delphis non edi? » Ceteroquin quum ex conjectura hunc sensum explanaverimus, adsit reliqua pars Hottingerianæ adnotationis : Quid? quod ipse Tullius hujus contemptus præcipuam causam paullo post accuratius explicat? « Quando, inquit, ista vis evanuit? an, postquam homines minus crediili esse cœperunt? » Istam nimirum *credulitatem*, quam priscæ ætati exprobrat, certe non versus, non formam oraculorum externam, sed eorumdem argumentum et internam rationem spectare, sole clarius est. Quid igitur? Mihi quidem certum videtur, particulam negantem, quam uncis separavi, esse delendam. Antea videlicet notaverat oraculorum Apollinis Delphici *obscuritatem*, atque *ambiguitatem*; nunc pergit, de eorum

Digitized by Google

tur, neque solum naturali, sed etiam divina : quæ quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquies. Quæ vetustas est, quæ vim divinam conficere possit? Quid tam divinum autem, quam afflatus ex terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero versuque pronuntiet? Quando autem ista vis evanuit? An postquam homines minus creduli esse cœperunt? Demosthenes quidem, qui abhinc annos 118
prope CCC fuit, jam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat [id est, quasi cum Philippo facere[2]]. Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret. Quo licet existimare, in aliis quoque oraculis Delphicis aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio, quomodo isti philosophi, superstitiosi, et pæne fanatici, quidvis malle videntur, quam se non ineptos. Evanuisse mavultis, et exstinctum esse id, quod, si umquam fuisset, certe æternum esset, quam ea, quæ non sunt credenda, non credere.

dicturus *miseria*. Ita enim intelligenda sunt illa verba : « sed quod caput est, etc. » quæ se non referunt ad ea, quæ proxime antecedunt, sed continuant orationem, post illam digressionem, qua oraculorum adductorum vοθεῖαν conatus erat ostendere. Conjecturam meam egregie confirmant illa, quæ Quintus sup. I, 19, disserit, cujus ipsa verba, Tullius in hoc nostro loco respicit. « Numquam, inquit, illud oraculum Delphis tam celebre, et tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis ætas, oraculorum illorum veritatem esset experta. Jamdiu idem non facit, etc. »

2. *Id est, quasi cum Philippo facere.* Placet Walkeri et Ernestii sententia, hæc verba pro glossemate habentium. Quod autem Davisius Ciceronem passim voces græcas explicare dicit, alia nimirum res est, ubi ipse primum vocabula fecit latina : ut sup. 44, ὁρίζοντες reddit *finientes*, et 53, λήμματα *sumptiones*. Verum talia, quale hoc est, quis Ciceroni tribuat potius quam glossatori? Quin tanto inertius est hoc additamentum, quod sequuntur illa : « Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret ». Hujuscemodi glossemata plura græcis vocibus, apud Ciceronem passim adsperse viri docti jam dudum damnaverunt : ut de Fin. II, 7 : « Quis enim vestrum non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id est, quasi maxime ratas, quia gravissimæ sint ad beate

Digitized by Google

119 LVIII. Similis est error in somniis: quorum quidem defensio repetita quam longe est? Divinos animos censent esse nostros, eosque esse tractos extrinsecus, animorumque consentientium multitudine completum esse mundum; hac igitur mentis et ipsius divinitate, et conjunctione cum externis mentibus[1], cerni, quæ sint futura. Contrahi autem animum[2] Zeno, et quasi labi putat atque concidere, et ipsum esse dormire. Jam Pythagoras et Plato[3], locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus, præparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum jubent. Faba quidem Pythagorei utique abstinuere; quasi vero eo cibo mens, non venter infletur. Sed, nescio quomodo, nihil tam absurde dici potest, quod non
120 dicatur ab aliquo philosophorum. Utrum igitur censemus dormientium animos per sene[4] ipsos in so-

vivendum, breviter enuntiatæ sententiæ»: quod totum, inde a græcis vocibus, ab homine stolido profectum ipse judicat Davisius. Hott.

LVIII. 1. *Hac igitur mentis et ipsius divinitate, et conjunctione cum externis mentibus.* Hæc corrupta esse, atque sic restituenda existimat Davisius: «Hac igitur mentis et divinitate, et ipsius conjunctione cum externis mentibus». Male. Locus quidem sanissimus est, atque pronomen, illa sede collocatum, singularem quamdam vim atque sensum habet, ad quem parum vir doctissimus attendit. Nempe accuratius distinguit duos diversos divinationis per somnia modos, hoc nimirum dicens: «mentem, quæ futura sint, cernere, partim per se, quia ipsa divina sit, partim, quia conjuncta sit cum aliis extra se divinis mentibus». Eodem prorsus modo sup. I, 30: «Sed tribus, inquit, modis censet (Posidonius) deorum appulsu homines somniare: uno, quod prævideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione tenestur: altero, quod plenus aer sit immortalium animorum, etc.» Hott.

2. *Contrahi autem animum... et ipsum esse dormire.* Ernestius postrema verba sic interpretatur: «Id nihil aliud esse quam dormire». Recte. — Stoici, testante Laertio, VIII, § 158: τὸν ὕπνον γίνεσθαι statuerunt, ἐκλυομένου τοῦ αἰσθητικοῦ τόνου περὶ τὸ ἡγεμονικόν. Dav.

3. *Jam Pythagoras et Plato.* Vide I, 29 et 30. Hott.

4. *Utrum..... per sene ipsos in somniando*, etc. Tritum quidem est, «utrumne, an»; at minus usitatum, encliticam separatam reperire apud Nostrum (apud comicos nihil frequen-

Digitized by Google

mniando moveri, an, ut Democritus censet[5], externa et adventitia visione pulsari? Sive enim sic est, sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. Nam et navigantibus moveri videntur ea, quæ stant; et quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernæ lumina. Quid dicam, insanis, quid, ebriis quam multa falsa videantur? Quod si ejusmodi visis credendum non est, cur somniis credatur, nescio. Nam tam licet de his erroribus, si velis, quam de somniis disputare: ut ea, quæ stant, si moveri videantur, terræ motum significare dicas, aut repentinam aliquam fugam; gemino autem lucernæ lumine declarari, dissensionem ac seditionem moveri.

LIX. Jam ex insanorum, aut ebriorum visis innu- 121
merabilia conjectura trahi possunt, quæ futura videantur. Quis est enim, qui totum diem jaculans non aliquando collineet[1]? Totas noctes somniamus[2]; neque

tius). Non desunt tamen exempla. Tuscul. IV, 27: «Utrum illudne non videatur» (ad quem locum Ernestius, «aut *utrum* delendum aut *ne*»). Si forte istud *met* ægro animo inductum vides, conf. cap. 62, ubi eadem sententia sine hoc ornatu recurrit. RATH.

5. *Ut Democritus censet.* Loquitur nimirum de *simulacris*, vel *exuviis*, quæ εἴδωλα dicebat, quæque de corporibus effluere, hominumque sensus pulsare, ante Epicurum, statuebat. Conf. inf. 67. HOTT.

LIX. 1. *Non aliquando collineet?* Ita Gruteri ac Davisii codd. legunt. In aliis est *collimet*, quod frustra nonnulli defendunt, a *limis* oculis deducentes; qui mihi quidem parum valere videntur, ad scopum feriendum. Aliud est, si hasta *collineatur* cum scopo. Eum scilicet lineam describens, non poterit aberrare. Eodem modo in hoc verbo variant codd. de Finib. III, 6, ubi vid. P. Manutius et Lambinus Add. Fr. Gronov. ad A. Gellii IX, 1. HOTT.

2. *Totas noctes somniamus; neque ulla fere est, qua non dormiamus.* Hanc lect. constanter tenent codd. MSS. Sed Muretus, Varr. Lectt. VI, 16, ista sic censuit mutanda: «totas noctes dormimus, neque ulla fere est, qua non somniemus»: ingenti virorum doctorum plausu. Quam mutationem haud absurdam esse, ego lubens fateor, sed necessariam, illud vero nego. Quod autem vulgatam Ernestius ineptam esse, Davisius menti scriptoris et rebus ipsis adversari dicunt, eo, quid sibi velint, equidem parum intelligo. An forte hunc ejus sensum esse putant? «nos omnes noctes somniare, atque fere omnes dormire»; quod sine dubio ineptum foret. Sed

Digitized by Google

ulla fere est, qua non dormiamus. Et miramur, aliquando id, quod somniarimus, evadere[3]? Quid est tam incertum, quam talorum jactus? Tamen nemo est, quin sæpe jactans, Venerium jaciat[4] aliquando, nonnumquam etiam iterum ac tertium. Num igitur, ut inepti, Veneris id fieri impulsu malumus, quam casu, dicere? Quod si[5], ceteris temporibus, falsis visis credendum non est; non video, quid præcipui so-
122 mnus habeat, in quo valeant falsa pro veris. Quod si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent, quæ somniarent; alligandi omnes essent, qui cubitum irent: majores enim, quam ulli insani, efficerent motus somniantes. Quod si insanorum visis fides non est habenda, quia falsa sunt; cur credatur somniantium visis, quæ multo etiam[6] perturbatiora sunt, non intelligo. An, quod insani sua visa conjectori non narrant, narrant qui somniaverunt? Quæro etiam, si velim scribere quid, aut legere, aut canere vel voce, vel fidibus, aut geometricum quiddam, aut physi-

si Cicero hoc dicit: « vix ullam noctem esse qua non dormiamus, et in his multas, quas totas somniemus », quæro, quid in hoc sit, quare a constanti omnium codd. lectione putemus discedendum? Atqui ita res est. Prius nempe orationis membrum de somniorum *longitudine*, alterum de eorum *frequentia* accipiendum. Itaque antiquæ lectioni locum cedere jussimus mutationem, neque necessariam, neque ullius codicis fide confirmatam. Horr.

3. *Id, quod somniarimus, evadere? Evadere*, inquit Ernestius, nullo modo verum esse potest. Legendum, *evenire*. Ego potius putem, excidisse vocem aliquam, ita supplendam: « id, quod somniarimus, verum evadere ». Ita sup. 53: « Nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse ». Eodemque, paullo post, « quid est perspicuum? Multa vera, inquit, evadere ». Atque inf. 71: « Ut mihi mirum videatur .... si somnium verum evasit aliquid, etc. » Horr. — Haud displicet sane emendatio; num vero necessaria? haud puto.

4. *Venerium jaciat.* Vid. I, 13.

5. *Quod si, ceteris temporibus*, etc. Quid dicam, nisi bonum Ciceronem dormitasse, deinceps ter ita scribentem? « Quod si ceteris temporibus... Quod si ita natura paratum esset... Quod si insanorum visis, etc. » Horr.

6. *Quæ multo etiam perturbatiora*

Digitized by Google

cum, aut dialecticum explicare, somniumne exspectandum sit, an ars adhibenda, sine qua nihil earum rerum nec fieri, nec expediri potest? Atqui, ne si navigare quidem velim, ita gubernarem, ut somniaverim: præsens enim pœna sit. Qui igitur convenit, 123
ægros a conjectore somniorum potius, quam a medico petere medicinam? An Æsculapius[7], an Serapis potest nobis præscribere per somnium curationem valitudinis; Neptunus gubernantibus non potest[8]? Et, sine medico[9] medicinam dabit Minerva; Musæ scribendi, legendi, ceterarum artium scientiam somniantibus non dabunt? At si curatio daretur valitudinis, hæc quoque, quæ dixi, darentur. Quæ quoniam non dantur, medicina non datur. Qua sublata, tollitur omnis auctoritas somniorum.

LX. Sed hæc quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. Aut enim divina vis quædam, 124
consulens nobis, somniorum significationes facit; aut conjectores ex quadam convenientia[1] et conjunctione naturæ, quam vocant συμπάθειαν, quid cuique rei conveniat, ex somniis, et quid quamque rem sequa-

sunt, non intelligo. I. e. in quibus ordo atque veritas multo magis desideratur. Hott.

7. *An Æsculapius, an Serapis potest nobis,* etc. In horum scilicet templa ægri deferebantur, ut per somnium curationem discerent. Conf. sup. I, 43. Dav.

8. *Neptunus gubernantibus non potest?* Subaudiendum omnino est: *gubernandi scientiam.* Quæ quidem ellipsis paullo durior peperit lectionem illam, quam e cod. antiquo laudat Ursinus: sc. *gubernationis;* in qua tamen, haud commode subintelligitur, *curationem,* ut vere monet Davisius, ipse legendum censens, *gubernationem.* Hott.

9. *Et sine medico medicinam,* etc. Vulgo legitur, *et si sine medico,* etc. Hott.

LX. 1. *Ex quadam convenientia.* Vide sup. 12 et 14, et in primis inf. 69. Dicit nempe convenientiam inter somnia tamquam signa rerum, et res ipsas: ita, ut certa eventa naturali quodam vinculo conjuncta sint cum certis somniis, atque, verbi causa (id quod paullo post, cap. 65, affertur), illum, qui *thesaurum* inventurus sit, etiam necesse fuerit, somniare *de ovo.* Hott.

Digitized by Google

tur[2], intelligunt; aut eorum neutrum est, sed quædam observatio constans atque diuturna est, quum quid visum secundum quietem sit, quid evenire, et quid sequi soleat. Primum igitur intelligendum est, nullam vim esse divinam effectricem somniorum. Atque illud quidem perspicuum est, nulla visa somniorum proficisci a numine deorum. Nostra enim causa dii id fa-
125 cerent, ut providere futura possemus. Quotus igitur est quisque, qui somniis pareat? qui intelligat? qui meminerit? Quam multi vero, qui contemnant, eamque superstitionem imbecilli animi atque anilis putent? Quid est igitur, cur his hominibus consulens deus, somniis moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? Nec enim ignorare deus potest, qua mente quisque sit : nec frustra ac sine causa quid facere, dignum deo est; quod abhorret etiam ab hominis[3] constantia. Ita si pleraque somnia aut ignorantur, aut negliguntur; aut nescit hoc deus[4], aut frustra somniorum significatione utitur. Sed horum neutrum in deum cadit. Nihil igitur a deo somniis significari fatendum est.

126 LXI. Illud etiam requiro, cur, si deus ista visa nobis providendi causa dat, non vigilantibus potius det,

2. *Quid quamque rem sequatur.* Quamque rem scil. somno nobis objectam. Dicunt nempe divinationis patroni, conjectores ex causis rerum, vel potius ex causarum signis per somnum animo obversantibus, colligere effecta. Conf. lib. I, cap. 55 et 56. Hott.

3. *Ab hominis constantia.* I. e. a certa ratione et consilio, ad quod prudentes, quidquid agunt, referre solent. Hott.

4. *Aut nescit hoc deus. Aut nescit ea deus* edidit Davisius, eam lectionem loco convenire judicans. Quod mihi secus videtur. Quid enim dicit, nescire deum? An pleraque somnia ignorari, aut negligi? Ita vero aptior erit numerus singularis. An somnia? Hoc autem qui posset, si, quod hic ponitur, ipse eorum sit effector? Ceterum mirum accidit, istos tot codices Davisii in hanc lectionem conspirare, quum neque Ernestius, neque ed. Oxoniensis ullam offerant lectionis varietatem. Hott.—Davisius correxit,

Digitized by Google

quam dormientibus. Sive enim externus et adventitius pulsus animos dormientium commovet, sive per se ipsi animi moventur, sive quæ causa alia est, cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur, eadem causa vigilantibus esse poterat: idque si nostra causa dii secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent; præsertim quum[1] Chrysippus, academicos refellens, permulto clariora et certiora esse dicat, quæ vigilantibus videantur, quam quæ somniantibus. Fuit igitur divina beneficentia dignius, quum consuleret nobis, clariora visa dare vigilantibus[2], quam obscuriora per somnium. Quod quoniam non fit, somnia divina putanda non sunt. Jam vero 127
quid opus est circuitione et amfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum, potius, quam directo[3]? Deus si quidem nobis consulebat, « Hoc facito, Hoc ne feceris », diceret; idque visum vigilanti potius, quam dormienti daret. Jam vero quis dicere audeat, vera omnia esse somnia? « Aliquot somnia vera, inquit Ennius; sed omnia non est necesse ».

LXII. Quæ est tandem ista distinctio? Quæ vera,

aut nescit ea deus, aut frustra; male. Rath.

LXI. 1. *Præsertim quum Chrysippus ... dicat.* Sic breviue dicens, hoc voluit intelligi : « præsertim quum, ut Chrysippus dicit, permulto clariora et certiora sint, etc. » Sic supra 24 : « Quota quæque res evenit prædicta ab istis? aut si evenit quippiam, quid afferri potest, cur non id casu evenerit? » pro, « cur non id casu evenisse existimandum ». Conf. inf. 69 : « Visum est tale objectum dormienti, etc. » Hott.

2. *Clariora visa dare vigilantibus, quam obscuriora*, etc. Vulgari modo sic diceres : « potius clara ... quam obscura ». Ceterum Davisius e pluribus codd. laudat, *vigilanti*, quod verum putat, quum paullo post sic dicatur. Sed nihil novandum. Hott.

3. *Potius quam directo.* Ita junge : « quid opus est circuitione et amfractu potius quam directo ». Nam, quæ interjecta sunt, priora illa, *circuitione*, etc. explicant. Hinc recte post vocem *somnium*, virgulam posuit Davisius; male Ernestius neglexit. Nihil autem opus emendatione, qua Davisio ita legendum videtur : « somniorum? Potius, inquam, directo deus, etc. » Hott.

Digitized by Google

quæ falsa habet? Et, si vera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? Nam si ea quoque divina, quid inconstantius deo? quid inscitius[1] autem est, quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare? Sin vera[2] visa divina sunt; falsa autem et inania, humana: quæ est ista designandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit potius, quam aut omnia deus, quod
128 negatis, aut omnia natura? Quod quoniam illud negatis[3], hoc necessario confitendum est. Naturam autem eam dico, qua[4] numquam animus insistens agitatione et motu esse vacuus potest. Is quum languore corporis, nec membris uti, nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta, ex[5] reliquiis, ut ait[6] Aristoteles, inhærentibus earum rerum, quas vigilans gesserit, aut cogitarit: quarum perturbatione mirabiles

LXII. 1. *Quid inscitius.* I. e. absurdius: quam parum dignus divina sapientia, aut majestate lusus. Nam *inscitum* Latini etiam illum dicunt, qui intempestive, aut præter rem jocatur; et, quem Francogalli vocant, *un mauvais plaisant.* Hott.

2. *Sin vera visa divina sunt*, etc. Sustuli virgulam, quam Davisius aliique habent, post vocem *visa*. Nam sensus hic est: « si dicitis, vera visa esse divina, falsa humana, quæro, quæ ista sit designandi licentia ». Hott.

3. *Quod quoniam illud negatis, hoc necessario confitendum est.* Ernestius *hoc*, inquit, delendum est: est enim in *quod*: parum scilicet memor ejus moris, quo optimi scriptores, in primis Cicero, isthoc pronomine sæpe utuntur: ut de Finib. I, 20: « Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam jucunditatem vitæ tenere possumus ... idcirco et hoc ipsum efficitur in amicitia, etc. » Hottine.

4. *Qua numquam animus insistens agitatione et motu esse vacuus potest.* Ista me parum intelligere fateor. Ernestius quidem *numquam*, inquit, referendum est ad *vacuus esse potest.* Itaque *insistens* illi idem erit ac, *innixus*, quod mihi nec apte satis, nec perspicue dictum videtur. Adde, quod ita verborum ordo mirifice foret perturbatus. Mihi autem excidisse videtur particula negativa, isto modo restituenda: « Naturam autem eam dico, qua numquam animus insistens, agitatione et motu esse vacuus non potest ». I. e. hanc dico naturam per quam animus numquam insistit, s. cessat, aut requiescit, adeoque moveri et mutari nullo temporis momento desinit. Hott.

5. *Ex reliquiis.* Sc. conflata. Conf. inf. 67. Hott.

6. *Ut ait Aristoteles.* Respicit ad lib. περὶ ἐνυπνίων, cap. 3. Dav.

Digitized by Google

interdum exsistunt species somniorum. Quæ si alia vera, alia falsa, qua nota internoscantur, scire sane velim. Si nulla est, quid istos interpretes audiamus? Sin quæpiam est, aveo audire, quæ sit. Sed hærebunt. 129

LXIII. Venit enim jam in contentionem[1], utrum sit probabilius, deosne immortales, rerum omnium præstantia excellentes, concursare[2] omnium mortalium, qui ubique sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos, et, quum stertentes aliquos viderint, objicere his visa quædam tortuosa et obscura, quæ illi exterriti somnio ad conjectorem mane deferant; an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus[3], quod vigilans viderit, dormiens videre videatur. Utrum philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, an explicatione naturæ? ut, si jam fieri possit conjectura vera somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possint: ex levissimo enim et indoctissimo genere constant. Stoici autem tui negant quemquam[4], nisi

LXIII. 1. *Venit enim jam in contentionem*, etc. Quem particula causalis hic locum habeat, fateor me non satis intelligere. Superiorum quidem ista rationem non reddunt. Quid enim? qui notam aliquam esse, qua somnia vera atque falsa internoscantur, contendunt, illine, quæ ista nota sit, interrogati, *ideo hærebunt*, quia venit in contentionem, « utrum sit probabilius, deosne immortales somniorum visa objicere, an natura fieri, ut », q. s. Quid igitur hoc ad illud? An dicit, talem notam nullam ideo esse, quia nulla somnia divina adeoque nec vera sint ulla? Sed isthoc ipsum quæritur. Atque antea nimirum finxit, *aliqua esse vera*, et quæsivit, qua nota distinguerentur. Ne sim longior, quamquam hoc et proximis aliquot capitibus plura turbare, nec apte satis inter se jungere sententias mihi Tullius videatur, tamen ista supra modum male cohærere puto. Tolletur difficultas, si loco *enim*, legamus *autem*; quæ voces, quoties a librariis fuerint confusæ, criticorum nemo peritus ignorat. Vide sup. 16 et 19. Hott. — Mutationem hanc probare videtur Rath.

2. *Concursare*. Camerarius legendum putat, *circumcursare*, refutatus a Davisio, qui eamdem vim verbo *concursare* exemplis vindicat. Hott.

3. *Mobiliter animus agitatus*. Animus, pro sua mobilitate, in perpetuo motu versans. Hott.

4. *Negant quemquam, nisi sapientem, divinum esse posse*. Vide Stobæum, Eclog. Ethic. lib. II, p. 183.

Digitized by Google

130 sapientem, divinum esse posse. Chrysippus quidem divinationem definit his verbis: vim cognoscentem, et videntem[5], et explicantem signa, quæ a diis hominibus portendantur; officium autem esse ejus, prænoscere, dii erga homines mente qua sint, quidque significent, quemadmodumque ea procurentur atque expientur. Idemque somniorum conjectionem definit hoc modo: esse vim cernentem, et explanantem, quæ a diis hominibus significentur in somnis. Quid ergo? ad hæc mediocri opus est prudentia, an et ingenio præstanti, et eruditione perfecta? Talem autem cognovimus neminem.

131 LXIV. Vide igitur, ne, etiam si divinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam, neminem tamen divinum reperire possimus. Qualis autem ista mens est deorum, si neque ea nobis significant in somnis, quæ ipsi per nos intelligamus; neque ea, quorum interpretes habere possimus? Similes enim sunt dii, si ea nobis objiciunt, quorum nec scientiam, neque explanatorem habeamus, tamquam si Pœni, aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine inter-

132 prete. Jam vero quo pertinent obscuritates et ænigmata somniorum? Intelligi enim a nobis dii velle debebant ea, quæ nostra causa nos monerent. Quid? poeta nemo, nemo physicus obscurus? Ille vero[1] ni-

Stoici dicunt μαντικὸν μόνον εἶναι τὸν σπουδαῖον ὡς ἂν ἐπιστήμην ἔχοντα διαγνωστικὴν, σημείων τῶν ἀπὸ θεῶν ἢ δαιμόνων πρὸς ἀνθρώπινον βίον τεινόντων· διὸ καὶ τὰ εἴδη τῆς μαντικῆς εἶναι περὶ αὐτὸν, τό τε ὀνειροκριτικὸν, καὶ τὸ οἰωνοσκοπικὸν, καὶ εἴ τινα ἄλλα τούτοις ἐστὶ παραπλήσια. Dav.

5. *Et videntem.* Hæc absunt Oxon. Ψ, Hottingeroque ab aliena manu videntur. Equidem haud discedo in ejus sententiam, differunt enim *cognoscere* et *videre*. Ratr.

LXIV. 1. *Ille vero nimis etiam.* Hæc vulgata est lectio, quam tamen, quum nullo modo ferri possit, sic emendavit Lambinus: *illi vero, nimis etiam*, etc. Probat Hottingerus, cujus notam vide: « Ego amplexus sum Lambini emendationem unice veram. Hæc quidem forma plane est Ciceroniana: ut mihi mirum videntur, Er-

Digitized by Google

mis etiam obscurus Euphorion [2]. At non Homerus. Uter igitur melior? Valde Heraclitus obscurus [3]; minime Democritus. Num igitur conferendi? Mea causa me mones, quod non intelligam : quid me igitur 133 mones? Ut si quis medicus ægroto imperet, ut sumat

Terrigenam [4], herbigradam, domiportam [5], sanguine cassam,

potius, quam hominum more cochleam dicere [6]. Nam Pacuvianus Amphio,

> Quadrupes tardigrada, agrestis [7], humilis, aspera [8],
> Capite brevi, cervice anguina, adspectu truci,
> Eviscerata [9], inanima, cum animali sono [10],

nestium, tam peritum latinitatis Ciceronianæ arbitrum, non esse Lambino assensum. Sic supra 55 : « Quid, inquies, remex ille de classe Coponii, nonne ea prædixit, quæ facta sunt? Ille vero : et ea quidem, etc. » De Offic. III, 13 : « Quæro, si hæc emptoribus venditor non dixerit . . . num id injuste aut improbe fecerit? Ille vero, inquit Antipater ». De Nat. Deor. II, 10 : « Ipse vero aer, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. Ille vero : et multo quidem calore admixtus est ». Sic Lambinus edidit, cui parendum erat. Rath.

2. *Euphorion.* De Euphorione vide Tusculanorum librum III, cap. 19. Porro ille Euphorion Chalcidicus poeta fuit, qui scripsit elegias. Hunc in latinum transtulisse Gallus dicitur.

3. *Heraclitus obscurus.* Is, ut notum, propter orationis obscuritatem σκοτεινὸς dicebatur. Dav.

4. *Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam.* Athenæus, lib. II, pag. 63 : Ἠλογενὴς, ἀνάκανθος, ἀναίματος, ὑγροκέλευθος. Dav.

5. *Domiportam.* Ἡσίοδος τὸν κοχλίαν φερέοικον καλεῖ. Idem. Dav.

6. *Potius, quam homin. more cochleam dicere.* Ita vulgo. Sed conjecere viri docti *diceret.* Rath. vult *dicat.* « Quamquam, inquit, *diceret* propius ad vulg. accedit, non tamen video si quid semel audendum est, cur vitiose potius scribatur, et ad miseram temporum enallagen confugiatur, quam recte, orationique Ciceronianæ convenienter? et quidni esse possit, ut *dicat* transierit in *dicere*, quum ejusmodi corruptiones ubique obviam sint? »

7. *Agrestis.* Num sit *rustica*, num *mansuetæ* contraria, et hominum adspectum fugiens, non facile dixerim. Posterius tamen verum videtur. Hott.

8. *Aspera.* De testa sine dubio intelligendum. Hott.

9. *Eviscerata.* I. e. carne privata, vel potius animali. Nam *viscera*, non intestina modo, sed omnino quidquid sub cute est, significare, notissimum. Hott.

10. *Cum animali sono.* Intelligendum de sono citharæ, seu chelyos, quam primum e testudine in litore

Digitized by Google

quum dixisset obscurius, tum Attici respondent : Non intelligimus, nisi aperte dixeris[11]. At ille uno verbo, Testudo[12]. Non potueras hoc igitur a principio, citharista, dicere?

LXV. Defert ad conjectorem quidam, somniasse
134 se, ovum pendere ex fascia[1] lecti sui cubicularis (est hoc in Chrysippi libro somnium) : respondit conjector, thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit; invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento. Misit conjectori, quantulum visum est, de argento. Tum ille, Nihilne, inquit, de vitello[2]? Id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse; reliquum, argentum. Nemone igitur umquam alius ovum somniavit? cur ergo hic nescio qui thesaurum solus invenit? Quam multi inopes, digni præsidio deorum, nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur? Quam autem ob causam tam est obscure admonitus, ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo[3] potius, quam aperte

reperta fecisse Mercurium fabulæ ferunt. Hott.

11. *Non intelligimus, nisi aperte dixeris.* Hunc esse versum Pacuvianum Davisius putat, atque ita legendum : « non intelligimus, nisi si aperte dixeris ». Ego potius existimem, Ciceronem versus sententiam, quam ipsa verba retulisse. Versus certe admodum tenuis foret. Hott.

12. *Testudo.* Inest dilogia in hoc vocabulo, quam transferre in aliam linguam non licet. Nam superiora de animali valent ; hic autem instrumentum intelligi vult. Hott.

LXV. 1. *Ex fascia lecti sui cubicularis*, etc. *Fasciæ*, quæ etiam *institæ* dicebantur, erant restes, s. vincula, quæ lecto subtenta, culcitam ferebant. Hott.

2. *De vitello ?* Huc pertinet quod Græci vitellum, ὠοῦ χρυσοῦν appellabant, ut observavit Petr. Victorius. Dav.

3. *Ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo.* Non apta satis hæc videtur oppositio, « ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo potius, quam thesaurum quærere juberetur ». Atque omnino loquendi genus isthoc perincommodum videtur : « thesauri similitudinem ex ovo nasci ». Legendum opinor, *nosceretur.* Tum hæc aliquanto melius sibi opponerentur : « ut potius obscure nosceret thesaurum, ex imaginis sibi per somnum objectæ similitudine, quam aperte thesaurum quærere juberetur ». Eodem fere modo infra, 69 : « quæ est, inquit, continuatio conjunctioque naturæ ejusmo-

Digitized by Google

thesaurum quærere juberetur, sicut aperte Simonides vetitus est navigare? Ergo obscura somnia minime 135
consentanea sunt majestati deorum.

LXVI. Ad aperta et clara veniamus, quale est de illo interfecto[1] a caupone Megaris; quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus est navigare; quale etiam de Alexandro, quod a te præteritum esse miror: qui, quum Ptolemæus[2], familiaris ejus, in prælio telo venenato ictus esset, eoque vulnere[3] summo cum dolore moreretur; Alexander assidens, somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, et simul dicere, quo illa loci nasceretur (neque is longe aberat ab eo loco); ejus autem esse vim tantam, ut Ptolemæum facile sanaret. Quum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emisisse, qui illam radiculam quærerent. Qua inventa, et Ptolemæus sanatus dicitur, et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. Multa etiam sunt a te ex 136
historiis prolata somnia, matris Phalaridis[4], Cyri superioris, matris Dionysii, Pœni Hamilcaris, Hannibalis, P. Decii; pervulgatum jam illud de præsule;

di, ut thesaurus ex ovo intelligi debeat? » Hott.

LXVI. 1. *De illo interfecto*, etc. Et hoc somnium, et illud Simonidis narratur I, 27. Hott.

2. *Ptolemæus, familiaris ejus.* Eamdem historiam narrat Strabo, lib. XV; eamdem Diodorus Siculus, Bibl. lib. XVII; eamdem et Curtius, lib. IX, cap. 8, sic: « Somno Alexander excitatus per quietem vidisse se exponit speciem draconis oblatam herbam ferentis ore, quam veneni remedium esse monstrasset: colorem quoque herbæ referebat, agniturum si quis reperisset adfirmans; inventamque deinde, quippe a multis erat requisita, vulneri imposuit; protinusque dolore finito, intra breve spatium cicatrix quoque obducta est ». Vide et Orosium, lib. III, cap. 18. Dav.

3. *Eoque vulnere summo cum dolore moreretur.* I. e. *moriturus videretur*, ut habet Justinus, XII, 10, eamdem rem narrans, nisi quod draconis mentio nulla fiat. Hott.

4. *Matris Phalaridis*, etc. Vid. sup. I, 20—29. Hott.

Digitized by Google

Gracchi etiam; et recens Cæciliæ, Balearici filiæ, somnium. Sed hæc externa[5], ob eamque causam ignota nobis sunt; nonnulla etiam ficta fortasse : quis enim auctor istorum? De nostris somniis quid habemus dicere? Tu de merso me, et equo ad ripam? ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum deduci jubente monumentum?

LXVII. Omnium somniorum, Quinte, una ratio est : quæ, per deos immortales ! videamus, ne nostra superstitione et depravatione superetur[1]. Quem enim
137 tu Marium visum a me putas? Speciem, credo, ejus, et imaginem, ut Democrito[2] videtur. Unde profectam imaginem? a corporibus enim solidis, et a certis[3] figuris vult fluere imagines. Quod igitur Marii corpus erat? Ex eo, inquit, quod fuerat : plena sunt imaginum omnia. Ista igitur me imago Marii in campum Atinatem persequebatur : nulla enim species cogitari[4] potest,
138 nisi pulsu imaginum. Quid ergo? istæ imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut, simul atque velimus, accurrant? Etiamne earum rerum, quæ nullæ sunt?

5. *Sed hæc externa.* Age audi interpretes. Et Aldus quidem ad hæc : « Quæ ? ait, nam Romana *externa* non sunt ». Et Ernestius : « at quædam ex iis sunt *Romana*. Itaque aut addita sunt ab interpolatore, aut illud intelligendum de plerisque, ut si esset, hæc fere externa ». Et Hottingerus denique Ernestium refellens : « Omnino, ait, nihil mutandum. De *Romanis* enim valent hæc, *nonnulla etiam ficta fortasse* ». Et ego, *externa* non *Romanis* opponere Tullium censeo, sed *suis* potius et illis Quinti fratris; sunt igitur *externa*, somnia aliorum hominum. Rath.

LXVII. 1. *Ne nostra. . . depravatione superetur.* H. e. ut puto, ne veram somniorum judicandorum legem ac rationem migremus, aut transgrediamur. — *Depravationem* autem dicit falsam de somniorum natura opinionem, et, quæ vulgo dicitur, theoriam. Hott.

2. *Ut Democrito videtur.* Vide sup. cap. 58, ad hæc verba : « ut Democritus censet ». Hott.

3. *A certis figuris vult fluere imagines.* Id est, a veris, atque extra mentem existentibus, quæque non inania sint phantasmata. Hott.

4. *Nulla enim species cogitari potest*, etc. Scil. ex mente Democriti. Hottinc.

Digitized by Google

Quæ est enim forma tam inusitata [5], tam nulla [6], quam non sibi ipse animus possit effingere? ut, quæ numquam vidimus, ea tamen informata habeamus, oppidorum situs, hominum figuras. Num igitur, quum aut 139
muros Babylonis, aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quæ volumus, nota nobis esse possunt [7]: nihil est enim, de quo cogitare nequeamus. Nullæ ergo imagines [8] obrepunt in animos dormientium extrinsecus, nec omnino fluunt illæ [9]; nec cognovi quemquam, qui, majore [10] auctoritate, nihil diceret. Animorum est ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi quum sustinentur membris, et corpore [11], et sensibus, omnia [12] certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Quum autem hæc subtracta sunt, desertusque animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese: itaque in eo et formæ [13] ver-

5. *Forma tam inusitata.* Davisius e Pall. primo edidit: *invisitata;* idemque fecit Ernestius, eam vocem aptiorem h. l. existimans. Sed nihil novandum. Hott.

6. *Tam nulla.* Id est, tam absurda, quæque in rerum natura minime possit exsistere. Hott.

7. *Omnia igitur... nota n. esse possunt.* I. e. si vera est Democriti opinio, quamcumque rem cogitamus incognitam, et numquam antea nobis visam, ejus non phantasma modo aliquod animo concipimus, sed veram speciem, atque imaginem ipsi rei similem. H.

8. *Nullæ ergo imagines obrepunt in animos*, etc. Suppl. « Atqui hoc quidem absurdum. Nullæ ergo imagines obrepunt, etc. » Hott.

9. *Nec omnino fluunt illæ.* Forsan *ullæ.* Davis. — *Fluunt*, id est, effluunt e corporibus.

10. *Majore auctoritate.* Jungenda sunt hæc cum pronomine *qui :* scilic. nemo tam gravis auctor, s. nullus philosophus, qui tanta esset auctoritate. Qui sensus, quo esset apertior, hæc verba quum a præcedentibus, tum a sequentibus virgulis separavi. Hott.

11. *Et corpore. Membris* ante nominatis, *corporis* mentionem facere prorsus est supervacaneum : corpus enim constituunt et componunt membra. Quapropter eas voces omnino delendas censeo. Dav.

12. *Omnia certiora.* Hoc est, magis distincta atque expressa. Contraria his sunt, quæ paullo post dicuntur, *confusa* et *variata.* Hott.

13. *Itaque in eo et formæ versantur*, etc. Scil. in animo tantum, nulla re extra illum ejus phantasmatis respondente. Hott.

Digitized by Google

santur, et actiones; et multa audire, multa dici vi-
140 dentur. Hæc scilicet in imbecillo[14] remissoque animo, multa omnibus modis confusa et variata[15] versantur, maximeque reliquiæ earum rerum moventur in animis, et agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus: ut mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur, recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Hanc credo causam de illo somniandi fuisse.

LXVIII. Tibi autem, de me cum sollicitudine cogitanti, subito sum visus emersus e flumine[1]. Inerant enim in utriusque nostrum animis vigilantium cogitationum vestigia. At quædam adjuncta sunt: ut mihi de monumento Marii; tibi, quod equus, in quo ego
141 vehebar, mecum una demersus rursus apparuit. An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somnis crederet, nisi ista casu nonnumquam, forte, temere concurrerent? Alexandro draco loqui visus est. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum: sed utrum sit, non est mirabile. Non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire; et quidem,

14. *In imbecillo.* Vulgo præpositionem *in* non agnoscunt, quam nos ex Balliol. Reg. et Victor. reduximus. Dav. — Probat Hottingerus.

15. *Variata.* Id est, parum constantia, fluctuantia, nec certi quid omnino referentia. Hott.

LXVIII. 1. *Subito sum visus emersus e flumine.* Mirum, ni ita scripsit Cicero: « subito sum visus mersus (vel *demersus*) flumine ». Ita primum causa somnii postulare videtur, ista scilicet: « tibi de me cum sollicitudine cogitanti »: porro addita vox *subito;* ut supra I, 28: « quum tu equo advectus ad quamdam magni fluminis ripam, provectus subito atque delapsus in flumen, etc. » Nam quod ibi quoque dicitur, « repente lætus exstitisse », id nimirum aliud est, quia facta erat prius mentio « in flumen delapsi ». Sed, quod caput est, paullo post dicitur huic *sollicitæ* Ciceronis de fratre cogitationi (quæ quidem per somnium speciem induit Tullii cum equo in flumen delapsi) illud fuisse adjunctum, ut cum equo e flumine elapsus *rursus apparuerit.* Hoc autem profecto adjunctum fuit, non *emerso e flumine*, sed *demerso in flumen.* Quare aut locus corruptus est, aut Cicero negligentiæ damnandus. Hott.

Digitized by Google

quo majus sit, quum radicem ore teneret, loquutus est. Sed nihil est magnum[2] somnianti. Quæro autem, cur Alexandro tam illustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa ceteris. Mihi quidem, præter hoc Marianum, nihil sane, quod meminerim. Frustra igitur consumptæ tot noctes tam longa in ætate. Nunc quidem, propter intermissionem forensis 142
operæ, et lucubrationes detraxi, et meridiationes addidi, quibus uti antea non solebam : nec tam multum dormiens, ullo somnio sum admonitus, tantis præsertim de rebus[3]; nec mihi magis usquam[4] videor, quam quum aut in foro magistratus, aut in curia senatum video, somniare.

LXIX. Etenim (ex divisione[1] hoc secundum est) quæ est continuatio conjunctioque naturæ[2] (quam, ut dixi, vocant συμπάθειαν) ejusmodi, ut thesaurus ex ovo intelligi debeat? Nam medici ex quibusdam rebus et advenientes, et crescentes morbos intelligunt; nonnullæ[3] etiam valitudinis significationes, ut hoc

2. *Sed nihil est magnum.* Id est, difficile, aut quod justam habeat admirationem. Hott.

3. *Tantis præsertim de rebus.* Quamvis res fierent tantæ, de quibus me moneri operæ pretium fuerat. Loquitur nempe de reip. conversione. H.

4. *Nec mihi magis usquam.* Ernestius prætulit alteram lectionem *umquam*. Nolit Davisius, hoc temporis esse dicens, illud loci. Cæterum, ut recte hic monet Ernestius idem, habet locus iste acerbam irrisionem senatus et magistratuum, quos significat totos esse mutatos, nihilque plane retinuisse veteris illius vigoris atque auctoritatis. Hott.

LXIX. 1. *Etenim ex divisione.* Quia hanc vocem *etenim* in hoc loco causalem arbitrati sunt et Lambinus et Hottingerus, hic pro *etenim* legi vult *at enim;* ille autem sic verba transponenda existimat: « Quæ autem est continuatio conjunctioque naturæ, quam, ut dixi, συμπάθειαν vocant (etenim ex divisione hoc secundum est), ejusmodi, ut, etc. » Sed Davisius : transitionis est in hoc loco particula *etenim*, quapropter hæc frustra tentat Lambinus.

2. *Continuatio conjunctioque naturæ.* Vide Nostrum de Nat. Deor. III, 51, et hujusce libri capp. 14 et 60. Davis.

3. *Nonnullæ etiam valitudinis significationes, ut hoc ipsum... dicuntur.* Sic legi vult Lambinus; alii vero legunt : « nonnullæ sunt etiam valitu-

Digitized by Google

ipsum, « pleni enectine[4] simus », ex quodam genere somniorum intelligi posse dicuntur. Thesaurus vero, et hereditas, et honos, et victoria, et multa generis ejusdem, qua cum somniis naturali cognatione jun-
143 guntur? Dicitur quidam, quum in somnis complexu venerio jungeretur, calculos ejecisse. Video sympathiam. Visum est enim tale objectum[5] dormienti, ut id, quod evenit, naturæ vis, non opinio erroris ef-

dinis significationes, ut hoc ipsum... dicunt ». — Davisius probat Victorii lectionem : « nonnullas etiam valitudinis significationes... intelligi posse dicunt ». Mihi verbum *sunt* videtur necessarium : quod haud puto Ciceronem scripsisse, « valitudinis significationes intelligi ». Non enim *significationes intelliguntur*, sed « valitudo intelligitur ex significationibus ». Atque etiam MS E legit, « significationes sunt ». Hott.

4. *Pleni enectine simus.* Lambino sic placuit legendum : « pleni enectine fame simus » ; quemadmodum sup. 35, *avis* dicitur « fame enecta ». Ea vero lectio nihili est. Quid enim hoc ad « valitudinem, plenine cibo simus, an fame enecti? » Per *valitudinem* nempe clarum est, hic intelligi corporis habitum internum, non temporarium illum, atque, ut hoc utar, transitorium, sed vel perpetuum atque immutabilem, vel diutius certe perdurantem. Ergo nec lectio vulgata, si tamen sana est, hunc sensum admittit, quem intendere videntur Lambinus atque Davisius. Nihil autem aliud significari puto his verbis, quam *abundantiam humorum*, atque *siccitatem*, ut adeo recte ita vertat *Desmarais* : « s'il est trop rempli d'humeurs, ou s'il est dans un trop grand épuisement ». Hippocrates certe in libello περὶ ἐνυπνίων, 14 seq. ejus generis somnia refert. Sed quum ne sic quidem verba illa, « pleni enectine », satis concoquere possim, sæpius subiit legendum, *spleneticine*, sensu, ut puto, tam aperto, quam probabili, atque lectionis vestigiis facillime sese huic mutationi commodantibus. Quod si quis potius *splenici* velit, quod Harduinus in Plinio semper dedit, non pugnaverim. Nam ea vox, quemadmodum in pluribus Plinii MSS mutari ab aliis potuit in *splenetici*; e quo lapsus facilior fuit in *pleni enecti*. Hott. — *Pleni enectine simus.* I. e. enerati humoribus superfluis, exhaustine et fere consumpti humoris inopia. Hæc Aldus. Admodum ingeniose Hottingerus conjecit, *spleneticine* pro *pleni enectine*. Rath.

5. *Visum enim est tale objectum*, etc. Hoc dicit : Somnium istud tale fuisse, ut illi naturalis intercesserit conjunctio cum eo quod evenit : sc. hominem illum tale somnium habuisse, quia calculos ejecerit, non calculos ejecisse, quia tale somnium habuerit. Quare Ciceronis verba ita videntur supplenda : « Visum, quod dormienti fuit objectum, tale est, ut clarum sit, id, quod evenit, naturæ vim, non opinionis errorem effecisse ». Similis plane βραχυλογία a nobis notata fuit sup. 61, init. « Præsertim quum Chrysippus... permulto clariora, et certiora esse dicat, etc. » Hott.

Digitized by Google

fecerit. Quæ igitur natura[6] obtulit illam speciem Simonidi, a qua vetaretur navigare? aut quid naturæ copulatum habuit Alcibiadis, quod scribitur, somnium? qui, paullo ante interitum, visus est in somnis[7] amicæ esse amictus amiculo. Is quum esset projectus inhumatus, ab omnibusque desertus jaceret, amica corpus ejus texit suo pallio. Ergo hoc inerat in rebus futuris, et causas naturales habebat? an, et ut videretur, et ut eveniret, casus effecit?

LXX. Quid? ipsorum interpretum conjecturæ nonne 144
magis ingenia declarant eorum, quam vim consensumque naturæ? Cursor, ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. Mane ad conjectorem. At ille, Vinces, inquit; id enim celeritas significat, et vis equorum. Post idem ad Antiphontem. Is autem, Vincare, inquit, necesse est; an non intelligis, quatuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor (atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri; sed ad cursorem redeo) ad interpretem detulit, aquilam se in somnis visum esse factum. At ille, Vicisti: ista enim avi volat nulla vehementius. Huic quidem Antipho[1], Baro, inquit, te victum esse non vides? ista enim avis insectans alias aves et agitans, semper ipsa postrema est. Parere quædam matrona cupiens, dubitans essetne 145

6. *Quæ igitur natura*, etc. Id est, quæ conjunctio naturalis somnium illud peperit? Horr.

7. *Visus est in somnis amicæ*, etc. Idem somnium memorant et Valerius Maximus, lib. I, cap. 7, extern. 9, et Plutarchus, et Suidas in Ἀλκιβιάδην. Dav.

LXX. 1. *Huic quidem Antipho.* Lambinus edidit: *huic eidem;* Davisius autem *equidem*, suam lectionem sic confirmans: Nimirum *equidem* extra primam personam a Cicerone dici, plures sunt viri docti, qui dubitant, dissentiente tamen Servio ad Æneid. I, 580. Vid. Gesner. in Thes. h. v. Sallustius quidem non semel ita dixit: ut Cat. 52, 11: «Jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus». Eodem 16: «Quare vanum

Digitized by Google

prægnans[2], visa est in quiete obsignatam habere naturam[3]. Retulit. Negavit, eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter, prægnantem esse dixit; nam inane obsignari nihil solere. Quæ est ista ars conjectoris, eludentis ingenio? An ea, quæ dixi, et innumerabilia, quæ collecta habent stoici, quidquam significant, nisi acumen hominum, ex similitudine aliqua conjecturam modo huc, modo illuc ducentium? Medici signa quædam habent ex venis, et ex spiritu ægroti, multisque ex aliis futura præsentiunt. Gubernatores quum exsultantes loligines[4] viderint, aut delphinos se in portum conjicientes, tempestatem significari putant. Hæc ratione explicari, et ad naturam facile revocari possunt; ea vero, quæ paullo ante dixi, nullo modo.

146 LXXI. At enim observatio diuturna (hæc enim pars una restat[1]) notandis rebus fecit artem. An tandem somnia observari possunt[2]? quonam modo? Sunt enim innumerabiles varietates. Nihil tam præpostere, tam incondite[3], tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare. Quo modo igitur hæc infinita et semper nova aut memoria complecti, aut observando

equidem hoc consilium est ». Conf. Cort. ad Cat. 51, 15.

2. *Dubitans essetne prægnans.* Ista trium participiorum, « cupiens. . . dubitans. . . prægnans » nimia proximitas auribus sane est molesta. Equidem vix dubito, quin totum hoc, « dubitans, essetne prægnans », illatum fuerit e margine. Horr. — Tamen habent omnes MSS.

3. *Naturam.* Pars corporis « quæ secretior et occultior est, a Græcis φύσις, a nobis natura dicitur », quemadmodum notat auctor Epist. ad Theresiam Hieronymo adscriptæ. — *Mercurii obscœnius excitata natura traditur.* Cicero Natur. Deor. III, 22. Davis.

4. *Exsultantes loligines.* Ἐξαλλομένας. Loliginem volitantem tempestatis esse signum notavit Plinius, Histor. Nat. XVIII, 35. Dav.

LXXI. 1. *Hæc enim pars una restat.* Vide sup. cap. 60, init.

2. *An tandem somnia observari possunt?* Ita scilicet, ut ad certam constantemque regulam possint revocari, sic, ut eadem somnia cum iis eventis semper sint conjuncta. Horr.

3. *Incondite.* Confuse ac perturbate.

Digitized by Google

notare possumus? Astrologi motus errantium stellarum notaverunt: inventus est enim ordo in iis[4] stellis, qui non putabatur. Cedo tandem, qui sit ordo, aut quæ concursatio somniorum[5]? quo modo autem distingui possunt vera somnia a falsis, quum eadem et aliis aliter evadant, et iisdem non semper eodem modo? ut mihi mirum videatur, quum mendaci homini ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo isti, si somnium verum evasit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant[6].

Si igitur neque deus est effector somniorum, neque 147
naturæ societas ulla cum somniis[7], neque observatione inveniri potuit scientia: effectum est, ut nihil prorsus somniis tribuendum sit; præsertim quum illi ipsi, qui ea vident, nihil divinent; ii, qui interpretantur, conjecturam adhibeant, non naturam[8]; casus autem innumerabilibus pæne sæculis in omnibus plura mirabilia, quam in somniorum visis effecerit; neque

4. *Ordo in iis stellis*, etc. Olim vago et incerto motu ferri videbantur stellæ; quapropter errantium et πλανητῶν sortitæ sunt nomen: revera tamen « nihil errat quod in omni æternitate conservat progressus, et regressus, reliquosque motus constantes et ratos ». Hæc Cicero, Nat. Deor. II, 20. Dav.

5. *Quæ concursatio somniorum?* Id est, quæ congruentia somniorum cum rebus, aut eventis. Sic sup. 68 : « An tu censes, ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnumquam, forte, temere concurrerent? » Hott.

6. *Quo modo isti... non ex multis potius fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant.* Pro *derogant* et *confirmant*, Lambinus emendat *derogent* et *confirment*. — Sic latinitas jubet. Rath.

7. *Neque naturæ societas ulla cum somniis.* Non ad hæc assumitur, « est somniorum effectrix », sed subaudiendum nonnisi est verbum substantivum, quod melius expressum sic legi putem : « neque naturæ est, etc. » Videtur enim absumptum ultima vocis *naturæ* litera. Hott. — Vel sine *est*, hic idem sensus quin adhibeatur contextui, quid impedit?

8. *Conjecturam adhibeant, non naturam.* Id est, probabilitatem, a similitudine aliqua ductam, non necessitatem, s. rationem firmam atque stabilem, qualis est in causis naturalibus, quæ certa habent, eademque semper effecta. Hott.

Digitized by Google

conjectura, quæ in varias partes duci potest, nonnumquam etiam in contrariis, quidquam sit incertius.

148 LXXII. Explodatur hæc quoque somniorum[1] divinatio pariter cum ceteris. Nam, ut vere loquamur, superstitio, fusa per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. Quod et in iis libris dictum est, qui sunt de Natura deorum; et hac disputatione id maxime egimus:

LXXII. 1. *Explodatur hæc quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris.* Ista, et quæ deinde sequuntur, legens quis dubitet, Ciceroni ita fuisse persuasum, divinationem esse nullam? Atqui dubium reddere possint quum ejusdem alia loca, tum in primis ea, quæ leguntur de Legibus, II, 13. Ibi enim ab Attico, quid de divinatione ipse sentiret, interrogatus, «Egone? inquit: divinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, esse censeo, et hujus hanc ipsam partem, quæ est in avibus ceterisque signis disciplinæ nostræ: quod, quum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, et eorumdem benignitatem hominum consulere generi, et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video, cur esse divinationem negem. Sunt autem ea, quæ posui, ex quibus id, quod volumus, efficitur et cogitur. Jam vero permultorum exemplorum et nostra est plena respublica, et omnia regna, omnesque populi, cunctæque gentes, augurum prædictis multa incredibiliter vera cecidisse. Neque enim Polyidi, neque Melampodis, neque Mopsi, neque Amphiarai, neque Calchantis, neque Heleni tantum nomen fuisset, neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Arabum, Phrygum, Lycaonum, Cilicum, maximeque Pisidarum, nisi vetustas ea certa esse docuisset. Nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset, neque Attii Navii nomen memoriaque floreret tam diu, nisi hi omnes multa ad veritatem, admirabilia dixissent». Cum his conf. in primis ea, quæ in hujus de Divin. lib. II, capp. 38, 39 et 51 disputavit, ubi superiora illa optimis argumentis refutantur. Hæc autem, qui viderit, eum superiora potuisse probare, nullo modo videtur verisimile. Quare equidem in eam concedo sententiam, quam vir amplissimus, *B. P. van Wesele Scholten*, in dissertatione philosophico-critica de philosophia Ciceroniana loco, qui est de divina natura, pag. 59, his verbis exposuit: «Novimus hosce libros a Cicerone scriptos esse, ut leges daret, quas ad eum, quem in libris de republica exquisiverat, reipublicæ statum accommodaret, ita ut re et natura existere posset. Itaque ad utilitatem civium et populariter aliquando loquutus est, neque patrias leges contempsit ut superstitiosas, sed quoad ejus fieri posset, cum philosophia conciliavit, et ex hoc fonte explicavit. Quare putem in utroque loco Ciceronem suam aperuisse sententiam; ut nimirum in hisce de Legibus libris ad publicam utilitatem et collegii sui auctoritatem divinationem defenderit,

Digitized by Google

multum enim et nobismet ipsis, et nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus. Nec vero (id enim diligenter intelligi volo) superstitione tollenda religio tollitur. Nam et, majorum instituta tueri sacris cærimoniisque retinendis, sapientis est; et esse præstantem aliquam æternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cælestium cogit confiteri. Quamobrem, ut religio propaganda etiam est, 149
quæ est juncta cum cognitione naturæ, sic superstitionis stirpes omnes ejiciendæ[2]. Instat enim, et urget, et, quo te cumque verteris, persequitur; sive tu vatem, sive tu omen audieris[3]; sive immolaris, sive avem adspexeris; si Chaldæum, si aruspicem videris; si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de cælo; si ostenti simile natum factumve quippiam; quorum necesse est plerumque aliquid eveniat: ut numquam liceat quieta mente consistere. Perfugium videtur om- 150
nium laborum et sollicitudinum esse somnus; at ex eo ipso plurimæ curæ metusque nascuntur. Qui quidem ipsi per se minus valerent, et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii quidem contemptissimi, sed in primis acuti, et

et Socrate auctore, philosophiam quodam modo cum populari opinione in concordiam redigere conatus sit; in libro vero de Divinatione, ubi diligenter argumenta cum argumentis academice comparaverat, et quid verum, vel veri simile esset, ut philosophum decet, consideraverat, tam multa contra divinationem dici posse invenerit, ut vel dubitaret, vel eam plane rejiceret ». Horr.

2. *Stirpes omnes ejiciendæ*. Manutius conjecit *elidendæ*; Hottingerus *excidendæ*; malim ego *eligendæ*, ut in Tuscul. Quæst. lib. III, cap. 34. J. V. L. — Emendationem haud probat Davisius, quod sic « nervos conjurationis ejectos » dixit Livius, lib. VII, cap. 39.

3. *Sive tu vatem, sive tu omen audieris*. Verbum *audieris* proprie intelligendum. Si audieris forte, vel vatem furore percitum, per vicos aut plateas vaticinantem, vel omen aliquod, h. e. sermonem cujuspiam ori fortuito excidentem, quique videatur habere sensum, iis rebus, quas tu moliaris, convenientem. Horr.

Digitized by Google

consequentia, et repugnantia videntes; qui prope jam absoluti et perfecti putantur. Quorùm licentiæ nisi Carneades restitisset, haud scio, an soli jam philosophi judicarentur. Cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque est, non quod eos maxime contemnamus; sed quod videntur[4] acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. Quum autem proprium sit academiæ, judicium suum nullum interponere; ea probare, quæ simillima veri videantur; conferre causas, et, quid in quamque sententiam dici possit, expromere; nulla adhibita sua auctoritate, judicium audientium relinquere integrum ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam; eaque inter nos, si tibi, Quinte frater, placebit, quam sæpissime utemur.

Mihi vero, inquit ille, nihil potest esse jucundius. Quæ quum essent dicta, surreximus.

4. *Quod videntur.* Est modorum, inquit Davisius, variatio, nisi forte Cicero scripserit *videantur.* At hæc quidem vana suspicio est. Neque prius subjunctivo, deinde indicativo usus est Cicero, ut modos variaret; sed *quod ..... contemnamus* dixit, de eo loquens, quod videri possit, *quod videntur*, de eo, quod res habet. Horr.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

DE FATO

LIBER SINGULARIS

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVI EDITORIS PRÆFATIO (1).

Ecce aridissimum et impeditissimum Ciceronis opus. Quæstio de Fato, jam maxime irretita græcarum scholarum sophismatibus, et quam ipse Cicero, ut ait Agellius, VI, 2, « obscurissimam et implicatissimam » declarabat, minimum profecto lucis mutuabatur e lingua latina, quam etsi magnus ille scriptor Platonis linguæ non imparem præstitit, quotiescumque de moribus aut de religione fuerit disserendum, numquam tamen plane valuit in subtiles ac certas deducere argumentationis formas. Qua quidem in arte Tullius non adeo erat exercitus, ut recentiores scholastici ejus dialecticam non sæpissime, utpote vitiosam, reprehenderint. Ramus, in suo ad hunc Ciceronis librum commentario, plures ejus rationes impugnat; et in alia dissertatione quam adversus *Oratorem* totam direxit, probare nititur se multo melius syllogismi artem intelligere. Ramus sane suam dialectici scientiam nimium jactat, quoniam dicere non dubitat de Aristotele (qui tamen syllogismi inventor, et pater dici merito potest), « nescit Aristoteles syllogismi doctrinam, nescit usum (2) ». Sed fieri potuit, ut Ramus nonnumquam merito increpuerit Ciceronem, non dico in critica Oratoris commentatione, ubi maxime putida atque deridicula est eruditionis ostentatio, verum in recensendo hoc opere, quod totum

(1) Quæcumque hic damus, e Præfatione clarissimi viri J.V. *Leclerc* omnino expressa sunt.

(2) Brutinæ Quæstiones in Oratorem Ciceronis, tertia editio, 1552, p. 52.

Digitized by Google

ex argumentis secundum formulam compositis fere constat. Quid mirum, si vir eruditus decimi sexti sæculi, in scholæ disputationibus senex factus, occultas callidasque disputandi artes melius norit quam vir consularis, qui, diu inter gravissima reipublicæ tempora et nobilissimas eloquentiæ pugnas versatus, paucos dies senectutis sollicitæ et numquam tutæ (1) adhibet, ut de materia tam penitus abdita, Chrysippi, Diodori et Carneadæ subtilitates propere transcribat.

Per menses aprilem ac maium, qui Cæsaris necem sequuti sunt, villam suam Puteolorum, prope Neapolim, vix reliquit Cicero. Hic et vidit juvenem Octavium Apollonia advenientem (Epist. ad Att. XIV, 12), et non semel indignatus est, quum multos audiret, qui Cæsaris hæredem circumstabant, Bruti amicis pœnam minitantes. « Quid censes, exclamabat, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? » Sæpissime etiam Puteolis versatus est cum duobus designatis consulibus, Pansa et Hirtio (ib. XIV, 9, 12, 21, etc.); quos eloquentiam docebat (1). Fingit se cum Hirtio tunc habuisse huncce sermonem, qui eorum animos distraheret et ab incœptis de arte oratoria disputationibus, et a fœdo malorum patriæ ingruentium aspectu quæ vix tyranni manibus erepta videbatur, ut in civilium bellorum voraginem recideret.

Hic de Fato liber libros de Natura Deorum et de Divinatione complet. Quod quidem auctor ipse in hoc ultimo opere declarat. Nam etsi verba, « id quod alio loco ostendetur », I, 56, parum habent au-

(1) « Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt; ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret ». Ibid. XIV, 12.

Digitized by Google

ctoritatis, quoniam Quintus ea loqui videretur quæ tantum ejus fratri convenirent; alias vero, II, 1, expresse dicit Cicero: « quibus, ut est in animo, de fato si adjunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quæstioni ». (Vide etiam II, 7.) Porro, non jam varios, ut ita dicam, actores inducit, qui sectarum variarum opiniones exponant; curam eas explicandi totam sibi suscipit, atque rursus, ut ipse denuntiat, opus accommodat ad Tusculanarum tenorem.

Duos saltem libros fuisse plures eruditi viri arbitrantur; rati ex priore tantum superesse quamdam introductionis partem; quæ pars hodie duobus primis capitibus includitur. Tunc cetera libri secundi sunt. (Wyttenbach. Biblioth. crit. tom. I, part. III, pag. 14.) Hæc autem opinio videtur argumento non satis firmo niti. Legitur quidem cap. 17: « atque hoc, si placet, quale sit videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi ». Sed primum Agellius Macrobiusque, qui nobis tradiderunt duos breves hujus operis locos, quorum difficile foret situm invenire, quosque ideo ad Fragmentorum volumen remittimus, solummodo dicunt, prior, VI, 2, « in libro, quem de Fato conscripsit »; posterior, III, 16, « in dialogo de Fato ». Ceterum nihil reperitur apud Veteres quod fidem faciat opus in plures libros divisum umquam fuisse. Inde aliud quidam suspicati sunt, scilicet auctorem loqui de alia dissertatione, paullo ante hanc scripta, cui forte titulus erat de Assensionibus. Germanus editor Bremi (cf. not. 4 inf. p. 718) litem simplicius dirimit; legit enim in loco supra dicto, *tractavit*, hanc vocem ad Chrysippum referens. Nobis autem omnes istæ conjecturæ inutiles videntur; quippe *prima oratio* hic sensum habet: pars prima hujus dissertationis.

Digitized by Google

Porro desideratur hæc prima pars, et vel sine hoc indicio, minime attendenti pateret quam multa operi desunt. Quod quum non possit legentem satis docere quæ fuerint de Fato controversiæ, atque tamen necessarium sit, ut textus ipse intelligatur, primas tenere quasdam notiones, quas Cicero certe non neglexerat, commodum prorsus et utile duximus explere lacunas recurrendo ad eruditas utilesque investigationes, quæ nobis nunc videntur a philosophicis operibus Ciceronis sejungi non posse. Vir doctissimus *Daunou*, e Gallica Inscriptionum Academia, coram hoc concilio dissertationem de Fato olim recitavit, quam compendiose retulit *Ginguené* : hanc epitomen nunc transcribemus, data tantum opera, ut locos ex scriptoribus variis adductos certior nota designet, quo magis perspicue explanetur pars hujus quæstionis gravissima.

« *Les anciens philosophes ont-ils considéré le destin comme une force aveugle, ou comme une puissance intelligente?* Grotius, en recueillant leurs opinions sur le destin, a voulu exposer les divers systèmes qu'ils ont imaginés pour le concilier avec la liberté de l'homme; ici l'auteur recherche seulement ce qu'ils ont pensé du destin lui-même, s'ils l'ont fait bon ou mauvais, injuste ou équitable, aveugle ou éclairé. Ce n'est pas le fond même de ces questions qu'il prétend discuter; il se borne à tracer l'histoire des opinions qui tendaient à les résoudre.

« Il s'agit des philosophes, non des poètes. Ceux-ci néanmoins, lorsqu'ils représentaient le destin comme inexorable, le déclaraient-ils aveugle? Non, répondraient madame Dacier, le P. Le Bossu, et plusieurs

Digitized by Google

autres critiques. Plutarque, dans son Traité *de la Lecture des Poètes*, nous apprend que par le nom de Jupiter ils entendaient souvent la destinée. Eux-mêmes ils rapprochent l'idée de Dieu de celle du destin : *fata deum* ou *deorum* est une expression fréquente dans Virgile, et les poètes grecs offrent quelques exemples d'un pareil langage. Mais si l'on s'obstinait à ne voir dans le destin mythologique que ce fils de la Nuit, ce petit-fils du Chaos, dont parle Hésiode, s'ensuivrait-il que les philosophes n'en eussent pas connu d'autre? Varron distingue trois théologies : la première fabuleuse, ou celle des poètes, faite pour le théâtre; la seconde naturelle, ou celle que les philosophes adaptent au système du monde; la troisième politique, accommodée par les lois aux usages de la vie civile. Saint Augustin, qui nous a conservé ce passage de Varron (*de Civ. Dei*, IV, 31), nous apprend ailleurs que Scévola, grand-pontife, distinguait aussi ces trois doctrines. « Véritablement, dit Strabon (traduction de M. du Theil), pour appeler et mener à la piété, à la probité, à la bonne foi, une tourbe de femmes et de gens du bas peuple, la raison ne suffit pas, et le philosophe est contraint d'employer la superstition : or celle-ci ne va point sans le merveilleux et le *mythe*». Brumoy dit que les tragiques grecs, lorsqu'ils s'exprimaient comme le vulgaire, n'étaient pas dupes des erreurs qu'ils accréditaient, et qu'ils parlaient du destin avec plus d'exactitude quand ils raisonnaient en philosophes. Comment les philosophes de profession auraient-ils été moins éclairés? Il y a plusieurs dieux dans les temples, il n'en est qu'un dans la nature, *populares deos multos*, *naturalem unum*, disait An-

Digitized by Google

tisthène, cité par Cicéron, *de Nat. deor.* I, 13; par Minucius Félix, *Octav.* c. 17; et par Lactance, *Div. Inst.* I, 5.

« Des mots grecs assez nombreux qui signifient *destin*, les uns sont plus particulièrement employés par les poètes, les autres par les philosophes : les premiers servent à indiquer la Parque ou la mort aussi-bien que la destinée, les seconds n'ont guère que ce dernier sens; mais en général les uns et les autres, si l'on remonte à leur origine, retracent l'idée d'une division, d'une distribution, d'un partage définitif. Ces mots sont d'une part μοῖρα, αἶσα, κῆρ, χρεών, de l'autre, πεπρωμένη, εἱμαρμένη. La nécessité, ἀνάγκη, était un autre personnage mythologique, et quelquefois une autre idée dans l'esprit des philosophes : Cicéron pourtant, *de Nat. deor.* I, 20, traduit εἱμαρμένη par *fatalis necessitas.* Il le traduit simplement par *fatum* dans la *Divination*, I, 55.

« Dans la langue latine, le destin n'a pas d'autre nom que *fatum*, à moins qu'on n'y joigne *necessitas*, accompagné ou non de *fatalis.* Or, *fatum* vient de *fari*, parler : Varron, Minucius Félix, Servius, Priscien, Isidore de Séville, Vossius, Juste Lipse, et presque tous les grammairiens, sont d'accord sur cette étymologie. Saint Augustin, en l'adoptant, cite ces mots de la Bible : *Semel Deus loquutus est.* Dieu a parlé une fois pour toutes; voilà le destin. Leibnitz enseigne que *fatum*, *a fando*, représente la parole ou le décret de la divine sagesse. Le pluriel *fata* est employé par les poètes latins plus souvent peut-être que le singulier, sans doute parce qu'il est également permis de dire *la parole* ou *les paroles* des dieux. Mais ce qu'il im-

Digitized by Google

porte de remarquer, c'est qu'en grec et en latin, les mots que nous traduisons par ceux de fortune et de hasard ne signifient jamais le destin. Jamais les auteurs ne le désignent par le nom de τύχη, et Macrobe, *Saturnal.* V, 16, observe que ce dernier terme ne se rencontre ni dans l'*Odyssée* ni dans l'*Iliade*. Chez les Latins, *fatum* était précisément le contraire de *fortuna*. Cicéron et Tacite établissent cette opposition, qu'Isidore de Séville, Boxhorn, Gassendi, ont reconnue.

« Néanmoins, dans notre langue, *hasard*, *fortune*, *sort*, *destin*, sont des termes qui tendent si fort à devenir synonymes, que l'abbé Girard a cru nécessaire de les distinguer. Il attribue au destin *la connaissance*, et des *vues* fixes et déterminées, tandis que la fortune agit *sans discernement;* c'est elle qui est *aveugle*.

« Peut-être aurait-on à conclure de ces observations grammaticales, qu'à mesure que les philosophes ont cherché à reconnaître la place que le destin occupait dans la nature, les noms qu'il portait ont pris par degrés des acceptions plus douces, ou bien ont été remplacés par des dénominations honorables, pieuses même et solennelles, telles que le mot latin *fatum*. Si les Grecs ne l'avaient point désigné par le nom de λόγος, ils avaient du moins fait entrer les idées de sagesse éternelle, de parole divine, et textuellement ce mot de λόγος, dans les définitions ou explications de l'εἱμαρμένη.

« Thalès, ayant à désigner la plus forte de toutes les puissances, nomma la fatalité : elle gouverne le monde, ajoutait-il ; elle est le jugement et le pouvoir immuable

Digitized by Google

de la providence. Diogène Laërce et Stobée, qui rapportent cette réponse du chef de l'école Ionique, attribuent à l'Italique, c'est-à-dire aux pythagoriciens, la même doctrine. Cicéron (*de Nat. deor.* I, 11) et Théophile d'Antioche disent que les pythagoriciens donnaient à l'univers une âme divine, cause universelle des mouvements et des phénomènes de la nature. Dans une notice anonyme sur Pythagore, conservée par Photius, nous lisons que ce philosophe distinguait le monde sublunaire du monde supérieur; que celui-ci était gouverné par la providence et la destinée de Dieu, que l'autre demeurait soumis à quatre puissances, savoir: à Dieu, au destin, à la prudence humaine, et à la fortune; que cette fortune, τύχη, était opposée à εἱμαρμένη, comme le hasard à l'ordre, comme l'incohérence à l'enchaînement. Hiéroclès, commentant les *vers dorés* (*vers* 18), dit que le sort, μοῖρα, dépend à la fois de la providence, de l'ordre du monde, et de la volonté divine; et que s'il n'y avait pas de providence, l'univers ne conserverait point cette régularité, qu'on peut nommer destin, εἱμαρμένην.

« La secte d'Héraclite n'était, selon d'Olivet (*Théolog. des Philosoph.*), qu'un démembrement de l'Italique. Or, la destinée, aux yeux d'Héraclite, était une substance céleste, ou littéralement un corps *éthérien*, semence de l'univers, mesure des révolutions harmoniques; c'était la raison ou le verbe, λόγος, pénétrant l'intérieur du monde. Plutarque et Stobée transcrivent ces expressions, et Brucker en conclut qu'Héraclite douait le destin d'intelligence. Ce n'est pas conclure assez, puisqu'un tel destin était l'esprit universel, la raison suprême.

Digitized by Google

« Pour prouver que Platon professait le même dogme, l'auteur donne un précis de toute la métaphysique platonicienne, de cette métaphysique que l'on retrouve plus ou moins rectifiée ou altérée dans beaucoup de livres de philosophie et de théologie, dans ceux de saint Augustin, de Marsile Ficin, de Descartes, de Malebranche ; partout enfin où les natures universelles, l'ordre essentiel, les idées innées, l'étendue intelligible, remplacent l'analyse de l'entendement humain, c'est-à-dire l'observation immédiate de l'organisation de l'homme, de son langage, de ses habitudes intellectuelles, et de ses relations morales. Mais plusieurs de ces dogmes platoniques existaient avant Platon lui-même. Par exemple, ces deux principes qui chez lui, comme chez Timée de Locres, composent l'âme du monde, et selon Batteux, le destin, ne sont, aux yeux de Plutarque, que l'amitié et la haine d'Empédocle, que la lumière et les ténèbres de Parménide, que le dieu et le démon de Zoroastre.

« Plutarque a d'ailleurs exposé l'opinion des platoniciens sur le destin, considéré soit comme action, soit comme substance : comme action, c'est l'ordonnance immuable, c'est l'ensemble des lois de Dieu ; comme substance, c'est l'âme de l'univers. Cicéron, Apulée, Chalcidius, attribuent à la même école l'idée d'un ordre fatal, qu'elle appelle âme, esprit, Dieu, loi divine, providence, sagesse parfaite, prudence universelle, dont l'empire embrasse la terre et les cieux. Le commentateur de Pythagore, Hiéroclès, a fait sur la providence et le destin un Traité où il ne disserte qu'en platonicien. Or, dans ce Traité, dont Photius nous a conservé de longs fragments, Hiéro-

Digitized by Google

clès enseigne que la justice, compagne inséparable de la providence, porte le nom de destin; que c'est la cause raisonnable des événements qui arrivent en vertu des lois de Dieu; que c'est la volonté, le décret de l'Être suprême. Marsile Ficin, en expliquant Platon, dit que la fatalité est, dans l'âme du monde, l'immuable ordonnance des choses mobiles; et Brucker, en résumant sur ce point les opinions des platoniciens, que c'est l'ordre éternel que Dieu a imprimé à l'âme de l'univers, et par elle à l'univers même.

« Une Lettre, ou un Traité *du Monde*, adressé au roi de Macédoine, Alexandre, est exclu par plusieurs critiques du nombre des véritables écrits d'Aristote. En toute hypothèse, ce livre est ancien, puisque Apulée l'a traduit, et que le rhéteur Démétrius l'a cité. Or, il est terminé par l'énumération de tous les noms qu'on peut donner à Dieu, et parmi lesquels se trouvent, chap. 7, πεπρωμένη, εἱμαρμένη, μοῖρα, αἶσα, etc. tous les mots grecs enfin qui signifient *destinée*. Alexandre d'Aphrodisée, qui a commenté une grande partie des ouvrages d'Aristote, a écrit un Traité *du Destin*, où il ne fait, selon Eusèbe, qu'expliquer les principes du chef de l'école péripatéticienne. Il est certain qu'il y répète ce qu'avait dit Théophraste, savoir, que le destin est la propre nature de chaque homme et de chaque chose, la cause de tout ce qui arrive naturellement, le système physique de l'univers.

« Dans Aulu-Gelle, dans Plutarque, dans Diogène Laërce, dans Stobée, les stoïciens déclarent que le destin est l'enchaînement éternel des causes, la raison du monde, le λόγος par qui ont été, sont ou seront

Digitized by Google

toutes les choses passées, présentes ou futures; que Jupiter, âme de l'univers, providence, destinée, sont des noms qui tous représentent l'Être suprême à la pensée des sages. Au fond, ce n'est là que la doctrine de Pythagore et d'Héraclite. Aussi lisons-nous dans Cicéron (*de Finib.* III, 2; *Academ.* I, 9) que Zénon n'avait rien inventé, qu'il n'avait fait que déguiser sous des expressions nouvelles de très-anciens dogmes. Toutefois Cicéron, dans le premier livre *de la Divination*, chap. 55, expose les idées des stoïciens sur la fatalité, et l'on rencontre ici presque les mêmes termes que dans Aulu-Gelle, VI, 2, traduisant Chrysippe. Le Traité *de Fato*, composé par Cicéron lui-même, ne nous est parvenu que fort mutilé, et ne nous offre plus que les fragments d'une discussion sur l'accord de cette puissance avec les mouvements de la volonté humaine. Mais si nous demandons au stoïcien Sénèque ce qu'il faut penser du destin, il répond, il redit en vingt endroits de ses ouvrages, que c'est Dieu même. Avant lui, Zénon, Cléanthe, Panétius, Posidonius; après lui, Épictète et Marc-Aurèle ont parlé le même langage.

« On a fort accusé les stoïciens de méconnaître la liberté de l'homme, et, par conséquent, d'ébranler les fondements de la morale. Ils n'ont cessé de désavouer ces prétendues conséquences, ainsi qu'en conviennent Cicéron, et, parmi leurs modernes ennemis, Gassendi et le P. Brumoy. Souvent ils ont essayé de réfuter ces objections épineuses; mais leur meilleure réponse consistait dans la morale noble et austère qu'ils enseignaient et pratiquaient. La même controverse s'est renouvelée plus d'une fois sous d'autres termes, et entre d'autres

Digitized by Google

écoles; et, par une destinée presque invariable, ceux qu'on accusait de ne laisser à la morale aucun exercice, et, pour ainsi dire, aucun domaine, affermissaient au contraire et agrandissaient son empire contre les efforts mêmes de leurs propres accusateurs.

« Les stoïciens ont essuyé un reproche plus grave encore : Brucker et d'Olivet les ont déclarés athées. Ici l'auteur oppose à d'Olivet et à Brucker, bien moins l'autorité des apologistes ou des panégyristes du Portique, tels qu'Athénagore, Lactance, saint Jérôme, Juste Lipse, Huet, Beausobre, Cudworth, Mosheim, l'abbé Foucher et Montesquieu, que les textes où éclate le théisme de Sénèque et des autres disciples de Zénon, et surtout l'hymne de Cléanthe.

« Le destin dit *mathématique*, ou *astrologique*, ou *chaldéen*, est sans doute absurde. Cependant cette efficacité que l'astrologie attribuait aux corps célestes leur venait encore, suivant elle, non de leur propre fonds, mais de Dieu, qui la leur avait départie, ou plutôt qui avait écrit dans les cieux, en mystérieux caractères, le livre de toutes les destinées humaines. Des visionnaires et des imposteurs se vantaient d'y savoir lire. L'auteur ne s'arrête point à cette doctrine insensée, pas même pour admirer sa rapide et vaste propagation, attestée par Cicéron et par Tacite. C'est un succès qui appartient de droit aux fictions superstitieuses; et la philosophie ne saurait avoir le crédit ni le débit de la divination.

« Ces superstitions astrologiques qui s'étaient attachées au mot de destin, ont déterminé les auteurs chrétiens à s'interdire peu à peu l'usage de ce mot. Peu à peu; car Tertullien s'en servait encore. Saint Augustin n'hésiterait point à l'employer, s'il ne le voyait

Digitized by Google

vulgairement usité pour signifier des influences sidérales tout-à-fait absurdes. Boëce appelle encore *fatum* l'ordre que la providence entretient dans l'univers. Saint Thomas d'Aquin ne rejette ce terme que dans l'acception théologique. *L'alto fato d'Iddio* est célébré dans le *Purgatoire* du Dante. Leibnitz soutient que *destin*, pris dans le vrai sens, veut dire le décret et l'ordre le plus sage de la Providence. Malgré ces exemples, il est sûr que beaucoup d'écrivains chrétiens ont évité cette expression (1), ou ne lui ont laissé que son acception odieuse; et il est ainsi arrivé que dans les langues modernes, surtout dans la nôtre, ce mot est devenu insensiblement presque synonyme des mots *hasard*, *fortune*, dont il était autrefois l'opposé, et pour ainsi dire l'adversaire.

« Après avoir ainsi parcouru les opinions sur le destin, en suivant l'ordre chronologique des sectes, l'auteur expose les diverses classifications systématiques de ces mêmes opinions, présentées par Pic de la Mirandole, par Gassendi, par Cudworth (2), et par Beausobre(3). Il conclut en disant que les anciens philosophes, au nombre desquels il ne compte pas les astrologues, ont presque tous entendu par le mot *destin*, ou Dieu même, ou quelqu'une de ses per-

(1) L'emploi de ce mot fut même interdit par l'Église. Un auteur fit imprimer *facta*, et dans l'errata il mit *facta*, lisez *fata*. Naudé voulant publier à Rome un ouvrage où se trouvaient ces paroles, *Virgo fata est*, le censeur écrivit en marge : « Propositio hæretica ; nam non datur fatum ». La défense était si sérieuse qu'Addison, dans son voyage d'Italie, lut à Florence, en tête d'un opéra, cette protestation solennelle, dont il ne put s'empêcher de sourire (*I could non but smile*) : « PROTESTA. Le voci Fato, Deità, Destino, e simili, che perentro questo dramma troverai, son messe per ischerzo poetico, e non per sentimento vero, credendo sempre in tutto quello, che crede e comanda santa madre Chiesa ».

(2) Système intellectuel. (3) Histoire du Manichéisme.

Digitized by Google

fections, ou l'ordre éternel de ses décrets, et par conséquent une puissance intelligente. »

Hæc lucida et simplex implicatissimæ de Fato doctrinæ explicatio, optima nobis præfatio visa est ad hoc Ciceronis opus; valet præsertim lacunis ejus explendis. Si placet recurrere ad varios auctores, quos in testimonium adhibet doctissimus ille vir nostras, inde intelligetur quæ fuerint præcipuæ hujus Tulliani operis quæstiones. Quod quidem ad nos adeo mutilum et annorum vulneribus saucium pervenit, ut magis habeat tenebrarum quam delectationis, nec facile sit legentis pensum, si sequi velit ratiocinationes auctoris per has omnes scholarum græcarum distinctiones, quas lingua latina non nisi imperfecte exprimere valet, et per istas omnes sophisticas argumentationes, quarum nonnullæ etiam ad finem non producuntur. Nec tam arduus foret labor, si græcos auctores præsto haberemus; quum autem desint et Carneades, et Chrysippus, et Diodorus, et alii, quorum opiniones laudat Tullius, redeamus oportet aut ad istarum opinionum explanationes, quæ quidem apud veteres quosdam scriptores passim occurrunt, aut ad conjecturas (utcumque valeant) quas proposuere quicumque philosophiæ annales conscripsere.

Quæ nobis supersunt fragmenta, initium habent a sermone Tullium inter et Hirtium consulem designatum. Deinde devenimus post lacunam ad finem cujusdam refutationis Posidonii. Hinc auctor plures philosophorum de Fato ac libertate opiniones recenset, ac demum partes arbitri ad Chrysippum deferre videtur. In fragmento postremo Epicuri disciplinam lacessit.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS

DE FATO

LIBER SINGULARIS.*

Deest principium.

1.....Quia pertinet ad mores, quod ἦθος illi vo- 1

* *Liber singularis.* Fuerunt viri docti, qui statuerent, duos Ciceronis de Fato fuisse libros : quorum sententiæ nuper accessit Eruditiss. Wyttenbachius, Biblioth. Crit. tom. I, part. III, pag. 14. Atque omnino res est judicatu difficilior, neque ego huic liti discernendæ par sum. Proponam tamen ea argumenta, quæ ab utraque parte proferri posse videntur. Unum tantummodo librum fuisse, capita duo priora primo certe adspectu suadent. Cicero enim dicit, non illum se morem sequi, quem in libris de Natura deorum et de Divinatione sequutus sit, « ut in utramque partem perpetua explicetur oratio », sed Academicorum illam contra propositum disputandi consuetudinem. Qualis autem ista consuetudo fuerit, notum est, et cognoscitur ex Ciceronis libro de Fin. II, 1 ; de Orat. I, 22. Poscebatur enim quæstio quædam, ad quam ille, qui eam poposcerat, disputabat : eamque rationem Cicero sequutus est in Disputationibus Tusculanis, nisi quod auditor nonnulla interdum interloquitur. — His autem opponi potest, Ciceronem primo loco nonnisi id dicere, se alio modo hunc locum tractaturum esse, quam illum tractaverit de divinatione ; ea vero Academicorum consuetudine minime effici, ut tota hæc questio uno libro fuerit absoluta. Nam hoc tantum sequi, de *proposita* quadam quæstione disseri ita ut is, qui dicat, oratoris more rem persequatur : nihilominus tamen primo libro eorum, verbi causa, qui fatum defendant, rationes propositas esse potuisse, quæ deinde altero sub judicium vocatæ et excussæ sint. Illa autem sententia, duos fuisse libros, his rationibus nititur. Primo legitur cap. 17 : « Atque hoc, si placet, quale sit, videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi », quod commode explicari potest de libro alio jam finito. Quum enim, quantum ex his reliquiis cognosci potest, Cicero quasi orationem habuerit, neque id Academicorum consuetudini repugnet, recte primus ille liber *oratio* diceretur. Vix enim puto, de quovis libro a Cicerone hanc vocem usurpari, sed de eo tantum in quo aliquis unus loquatur, aliis audientibus. Neque tamen hoc argumentum rem conficit. Nam *prima*

Digitized by Google

cant[1], nos eam partem philosophiæ, de moribus appellare solemus; sed decet augentem linguam latinam, nominare moralem[2]: explicandaque vis est, ratioque

oratione dicitur etiam, pro eo, quod habent codd. E et Ψ, *prima orationis parte*, quamquam demonstrari nullo modo potest, hanc interpretationem esse necessariam. — Alterum argumentum desumi potest ex loco de Divinatione, lib. I, 56, ubi Quintus Cicero se pro pro Fato dicturum esse promittit. Sed mirum videtur ea ibi promitti, quæ in ipso libro haud præstentur. Forsitan aliquis hæc ita defendat, ut dicat, Ciceronem in animo habuisse hunc locum de Fato eodem modo tractare, quo illum tractasset de Divinatione, dein vero consilium mutasse. Atque etiam Ciceronis negligentia loquentibus interdum ea tribuit, quæ nonnisi ipse ex sua persona dicere poterat. Ita notante Chapmanno, Lucullus, Acadd. Dispp. I, 19, ad Ciceronis Hortensium respicit, quum tamen amplius duodecim annos ante mortuus sit, quam Cicero Hortensium scripsit. Simile exemplum Muretus notavit, Variarum Lectionum lib. XIV, 20, et qui egregie, ut solet, de his rebus disputavit præstantissimus Wolfius in *der Einleitung zu Plato's Gastmahl*, pag. 50, seqq. Itaque forsitan etiam illo de Divinatione loco Cicero tantum de Fato aliquid promittere voluit, parum considerans, se promittere quod non ex omni parte facturus sit. Sed hæc quomodocumque sunt, ne is quidem locus, etiam si sanus sit, duos de Fato libros fuisse, efficit, certe non eadem forma scriptos, qua libros de Divinatione. Id enim aperte capiti primo repugnat. Ex his, ut puto, apparet, rem non ejus generis esse, ut certi quidquam affirmari queat. Nam ea, quæ ex capite 1 protuli, certa satis et firma non sunt. Nihil enim impedit, ut dixi, quo minus hæc quæstio duobus libris explicetur, quamvis disserendi ratio alia sit, atque in iis libris, qui sunt de Divinatione. Atque fateor, quamquam non præstem hanc rationem haud sane non esse verisimilem. Tot enim sunt a Veteribus scripta de Fato, ut mirum sit, si Cicero omnia uno libro complexus fuerit: quibus adde, quod Cicero in ea parte, quam habemus, fere ad ea respicit, quæ jam supra plenius explanata sunt, ea nunc quidem vel refellens, vel confirmans. Brem.—*Cf.* quæ addit vir doct. J. V. L. sup. p. 665.

1. *Ad mores quos ἠθικούς . . . vocant.* Mutilus est ab initio liber, quamquam MSS plerique nullam habent defectus notam. Ψ inscribit *Fragmentum*. MSS E et Ψ habent, *quæ pertinent*. Certi quidem affirmari nihil potest: verior tamen videtur recepta lectio. Brem. — *Quod ἠθικούς illi vocant.* Variantur ad hunc locum lectiones; vulgatam habet Gruteri editio, qui sic edidit, Pall. tribus usus, et ex P. Victorii auctoritate. Legitur autem apud Davis. *quos ἠθικούς*; ap. alios quosdam, *quos ἠθικούς*.

2. *Nominare moralem.* Optimus Pal. sec. et Victoris cod. habent *morabilem*, quod putet aliquis defendi posse adjectivo *animabili*, quod legitur de Nat. Deor. II, 36. Sed ibi quoque ex Probo grammatico affertur *animalis*, quod Cicero sexcentis locis habet, illud autem nusquam, quod sane non est de nihilo. In ejusmodi enim vocabulis, quorum frequentissimus usus est, unus locus contra magnam locorum multitudinem nihil valet, præsertim si etiam hunc unum tanta auctoritas infringat.

Digitized by Google

enuntiationum [3], quæ Græci ἀξιώματα vocant: quæ de re futura quum aliquid dicunt, deque eo, quod possit fieri, aut non possit, quam vim habeant, obscura quæstio est; quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant: totaque est logicæ [4], quam rationem disserendi voco.

Quod autem in aliis [5] libris feci, qui sunt de Natura

Itaque ne *animabilis* quidem suspicione caret. *Morabilis* autem falsum plane videtur. Solent enim ea tantum adjectiva exire in *bilis*, quæ a verbo et quidem a futuro formari possunt. *Spirabilis* a *spirabo*, etc. At *moro*, et *morabo* nemo dixit latine. Ergo ne *morabilis* quidem. Brem. — *Moralem*. Nomen istud, ut novum et insolens, reformidat: tum enim primum novabatur. Tuam.

3. *Vis est, ratioque enuntiationum.* Qua de re parum inter Chrysippum et Diodorum conveniebat, quemadmodum Cicero scribit in epistola quadam ad Varronem [lib. IX, Fam. Epist. IV]: « Περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν: quapropter si venturus es, scito necesse esse te venire: sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est te venire. Nunc vide, utra te κρίσις magis delectet, Χρυσιππία ne, an hæc quam noster Diodorus non concoquebat. Sed de his etiam rebus, otiosi quum erimus, loquemur. Hoc etiam κατὰ Χρύσιππον δυνατὸν est ». Locus autem intelligendus est de iis enuntiationibus, quæ de futuro aliquid, cujus necessarius eventus esse non videtur, pronuntiant, ut *Sedebis, non sedebis*: et in proximo exemplo, *De iis rebus loquemur*: ut, si quis locum propius perspiciat, is statim nihil a Cicerone commissum intelligat. De iis autem pronuntiatis sic judicabat Diodorus, ut id solum fieri posse diceret, quod aut esset verum, aut futurum esset verum, ut, quidquid futurum esset, id fieri necesse esset: quidquid futurum non esset, id fieri non posset: Chrysippus autem ab eo dissentiens, quæ non essent futura, posse tamen fieri dicebat. Tuam.

4. *Totaque est logicæ.* Vulgo, *logice*: Ernestius e primis editionibus restituit *logicæ*. Brem. in ed. Lips. 1795, maluit λογικὴ, quod jam ante Ernestius damnaverat. J. V. L. — Id est, tota istius περὶ δυνατῶν quæstionis explicatio dialectica quædam est. Locus etiam iste ab Aristotele in libro de Interpretatione tractatur. Idcirco autem istam περὶ δυνατῶν controversiam adhibet, quia ad fati confirmationem sumptum Stoicorum erat, Omnem enuntiationem veram vel falsam esse: quod in futuro non ita enucleate dilucideque cernitur. Tuam.

5. *Quod autem in aliis libris feci.* Merito offendit interpretes pronomen *aliis*. Vix enim omnino apud Ciceronem invenias *alius liber qui*, nisi forte huc trahere velis locum de Off. II, 9: « Sed de amicitia alio libro dictum est, qui inscribitur Lælius », quamquam hunc locum non sine causa viri docti vel pro interpolato, vel pro corrupto habuerunt. Plane diversus est ille de Fin. II, 7. Pluralis autem conjunctus cum *qui* ipsi adeo rationi repugnat. — Itaque facile alicui blandiatur Ernestii conj. *illis*, quum præsertim, *alii* et *illi* sæpissime confusa sint. Cf. Ruhnkenius ad Velleium Paterc. lib. I, 4; Burmannus ad Suetonii Galbam, 1. Adde Tusc. Dispp. III, 29, et sæpius.

Digitized by Google

deorum[6], itemque in iis, quos de Divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur[7], quod cuique

At primo demonstrandum est, in hac constructione, quum mera sit conjunctio, *illa* et *ea* a Cicerone jungi. Fit id quidem, quamquam raro. V. c. Tusc. Dispp. V, 19, *illa eaque*. Adde Tusc. I, 25; de Legibus, III, 2; de Finibus, I, 10. Apprime tamen alicui convenire videatur locus de Finibus, IV, 8: « Ea enim omnia itemque illa ». Sed notandum est, in omnibus his locis, si primum excipias, *ea* præcedere, *illa* sequi. Quod utique leve non est. Quum enim *illa* majora indicent, quam *ea*, sensus offenditur, si a majoribus ad minora descendas, quum contra alterum admodum placeat. Nostro tamen loco libros de Natura deorum aliquis potiores dixerit, quam eos, qui sunt de Divinatione, quos tantum per *itemque* adjecit. Haud sane igitur hæc Ernestii conjectura improbabilis est. — Forsitan tamen contra eam hoc quoque argumentum attuleris, quod Cicero innumeris locis dicat *is liber, qui est*, duobus tantum, nisi me tertius quartusve fugit, *ille liber qui*, Tusc. Dispp. I, 24; de Orat. II, 38. Non ejusdem generis est locus in Bruto, cap. 3. Ibi enim Cicero, grati quid Attico facturus dixit *illius libri*, multo venustius, quam si addidisset *præstantissimi*, quæ vis pronomini inest. Davisius conjecit *iis*. — Equidem nihil affirmem. Fortasse etiam nonnemo vulgatam defendat, ita ut Cicero negligentius primo simpliciter dixerit, « quod autem in aliis libris feci », jam vero hos libros propius definiens, quasi explicaturus illud *aliis* addiderit, « qui sunt de natura deorum, etc. » Brem. — Disputatio ista Academica est contra propositum, instituto Arcesilæ, ut in Tusculanis Disputationibus. Academici autem certamen cum Stoicis potissimum susceperant, quorum illa tempestate philosophia percrebruerat. Hoc libro Cicero contra eos disserit, et firmamenta, quibus fatum esse probant, evertit. Nec vero ejus in eam partem accipienda argumentatio est, quasi fatum non esse affirmet (quod quidem longe ab Academicorum dubitatione abest), verum ex iis, quæ Stoici adferunt, ad liquidum non probari. Quod si quis isti sermoni interfuisset Stoicæ rationis peritus et æmulus, disputationem instituisset, ut fecit in libris de Natura deorum, et de Divinatione: in quibus perpetua in utramque partem explicatur oratio. Hirtius autem, qui quæstionem ad quam audiret posuerat, institutionis alioqui Stoicæ non admodum fortasse guarus, aut certe non æmulus, ex fatali calamitate, ut opinor, reipub. romanæ in eum sermonem devenerat, ut diceret fato geri et evenire propemodum omnia sibi videri, et de fato quid Cicero sentiret, audire se velle. Contra quam sententiam Cicero disputat. Turn.

6. *De Natura deorum.* Id merito excusat: quia, quum hæc de Fato disputatio ad eumdem locum philosophiæ pertineat, aliter tractari non debuit. Turn.

7. *Quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur.* Offendit Ernestium pronomen *cuique*, pro quo mallet *ei*, et, nescio cur, hanc loquendi rationem etiam libro de Off. I, cap. 15 damnavit. At eodem in libro eadem structura bis legitur, cap. 7, 4: « quod

Digitized by Google

maxime probabile videretur, id in hac disputatione de Fato, casus quidam, ne facerem, impedivit. Nam quum 2
essem in Puteolano[8], Hirtiusque noster, consul designatus, iisdem in locis, vir nobis amicissimus, et iis studiis[9], in quibus nos a pueritia viximus, deditus: multum una eramus; maxime nos quidem exquirentes ea consilia, quæ ad pacem, et ad concordiam civium pertinerent. Quum enim omnes post interitum[10] Cæsaris novarum perturbationum causæ quæri viderentur, hisque esse occurrendum putaremus; omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio: idque et sæpe alias[11], et quodam liberiore, quam so-

cuique obtigit, id quisque teneat»; 31, 9: « Id enim maxime quemque decet, quod est cujusque maxime proprium ». Adde de Div. II, 17; Acadd. Dispp. II, 46. Barm.

8. *In Puteolano.* Id est, fundo, quem in agro Puteolano habebam. Hæc igitur disputatio in Puteolano Ciceronis habita est, ut in Varronis Cumano Academicæ Disputationes disceptatæ. Alias etiam villas, Formianam, Pompeianam, Tusculanam possidebat. Turn.

9. *Iis studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus.* Male Turnebus intelligit *philosophiam.* In hac enim se *vixisse* a pueritia Cicero dicere non potest. Intelligenda est in genere doctrina liberalis, maxime ea, quæ pertinet ad studia *eloquentiæ.* Cf. Divinatio in Q. Cæcilium, cap. 13. Atque etiam in dicendo discipulum habuit Hirtium cum Dolabella, ipso teste, Epist. ad Famil. IX, 16. Barm.

10. *Post interitum Cæsaris.* Davisius MS Eliensis lectionem *interitionem* præferendam censet, quia hoc vocabulum rarius sit, quæ ratio in Cicerone haud sane multum valet. Notum est illud inter substantiva, quæ in *io* et *us* exeunt ejusdem radicis, discrimen. Illa in *io actionem* indicant, hæc *rem* absolute. Hoc pro illo interdum legitur, raro vicissim. — Nostro tamen loco quum utraque significatio locum habeat, id præferendum duxi, quod optimi codd. habent.

11. *Idque et sæpe alias.* Orationem non cohærere statuunt. Davisius et jam ante eum Ramus, qui tamen ipse retractavit, in altera editione conjecit *itaque.* Wopkensius duas proponit conjecturas, vel, *quo quum ille*, vel, *et primo illa*, quarum neutra placet. Davisii conjectura sensum mutat. Cicero enim diceret: « Sæpe inter eos primo quasi legitima illa fuisse acta, deinde cetera ». Sed hoc videtur Cicero velle: sæpe se de rebus ad rempublicam pertinentibus colloquutos esse, idque etiam liberiore quodam die fecisse, neque vero id toto illo die, sed tantum primo, deinde ad alia accessisse. Hunc sensum mihi habere videbantur verba, ut leguntur in codd. omnibus: modo distinxi post verba *idque et sæpe alias*, ita ut enuntiationem efficerent, cum ellipsi

Digitized by Google

lebat, et magis vacuo ab interventoribus[12] die, quum ille ad me venisset, primo illa, quæ erant quotidiana, et quasi[13] legitima nobis, de pace, et de otio[14].

3 II. Quibus actis[1], Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes[2] non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire[3]? — Tu vero, inquam, vel audire[4], vel dicere. Nec enim (quod recte existimas) oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissimum, acceperam; nec ea, quæ nunc tracto, minuunt, sed augent potius illam facul-

admodum usitata verbi *fecimus*. Cetera autem negligentius aliquanto adjecta censui, « et liberiore quodam die ... primo illa ». Hodie aliquis diceret, « idque sæpe alias (fecimus). At quodam ... die quum ille, etc. » Cicero autem omnia in unam enuntiationem junxisse videbatur, parum considerans, constructionis quamdam inde duritiem nasci. Barm.

12. *Interventoribus*. Qui interveniunt nobis aliquid agentibus interventores vocantur; qui domum nostram frequenter adveniunt, adventores. Hinc meretricula ap. Plant. Truc. I, 2, 2 : « Ne quis adventor gravior absit, quam adveniat ». Tuan.

13. *Quasi legitima*. Usitata nobis velut legis cujusdam præscripto. Nam propter translationem, *quasi* addidit.

14. *De pace et de otio*. MSS E et U cum edd. nonnullis vett. delent posterius *de*. Male. Nam Cicero etiam alteri substantivo præpositionem addere solet. Vide, quos laudat Heusingerus ad lib. de Off. I, 14, 1. Barm.

II. 1. *Quibus actis*. Finitis, ad exitum perductis. Hadr. enim Turnebus mendosam lectionem sequutus est, quæ Reg. Harleian. et Cantab. obsidet. In editione sua veram scripturam repræsentavit Pet. Victorius, quam tenent Balliol. et Pal. primus. Dav.

2. *Exercitationes*. Quotidianis enim pæne commentationibus declamandi se exercebat, et ad prætoram græce semper declamarat. Latine vero senior quoque, et quidem, Hirtio et Pansa coss. Declamandi assiduitatem declarat, Tusc. lib. I, c. 4 : « Ut enim antea declamitabam causas, quod nemo me diutius fecit, sic hæc mihi nunc senilis est declamatio ». Tuan.

3. *Aliquid audire*. Aliquam tuam scholam et disputationem de philosophia. Auditor Hirtius erit, non disputator. Tuan.

4. *Vel audire*. Ut lubet, vel me dicentem audies, vel ipse declamabis : nam apud eum Hirtius et Pansa declamitabant, quos grandes prætextatos appellare solebat. Hirtium et Dolabellam discipulos suos in epistola quadam ad Papirium Pætum vocat, ad Div. IX, 16 : « Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audivisse, si forte ad vos omnia perferuntur, illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare ». Tuan.

Digitized by Google

tatem. Nam cum hoc genere[5] philosophiæ, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem : subtilitatem[6] enim ab academia mutuatur, et ei vicissim reddit ubertàtem orationis, et ornamenta dicendi. Quamobrem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio[7] est, hodie, utro frui malis, optio sit tua. — Tum Hirtius, Gratissimum[8], inquit, et tuorum omnium simile : nihil enim umquam abnuit meo studio voluntas tua. Sed quoniam rhetorica[9] mihi nostra 4
sat nota[10], teque in iis et audivimus sæpe, et audiemus,

5. *Genere philosophiæ.* Quum Academia nova, quæ contra id, quod se quisque sentire dicat, disputaret, lib. III de Orat. c. 19, tradit oratori conjunctissimam esse philosophiam Academicam et Aristoteleam, reliquas ei non necessarias : sed, si eximiam speciem facultatis adamet, aut Carneadeam, aut Aristoteleam vim esse comprehendendam. Turn.

6. *Subtilitatem.* Subtiliter et acute ab Academia nova disserere discit, cujus mira solertia et subtilitas erat in excogitandis rationibus et argumentis contra cujusque sententiam. Turn.

7. *Possessio.* Quoniam Academici et oratores sumus. Turn.

8. *Gratissimum.* Mihi facis, vel mihi est. Turn.

9. *Rhetorica.* In neutro genere, ut *dialectica*, *mathematica*, *physica* dicere sæpenumero solet. Turn.

10. *Nostra sat nota.* Legendum putat Bremi, *mihi vestra sunt nota*, sic de loco disserens : Vulgo legitur : « Sed quoniam rhetorica mihi vestra vel nostra sat nota ». At erat considerandum, Ciceronem rarissime conjunctionem aliquam ponere cum ellipsi verbi substantivi. Nisi qui me forte fugiunt, *septem* sunt in libris philosophicis et rhetoricis loci, in quibus hæc ellipsis est : *semel* cum *quoniam*, Tusc. Disp. I, c. 5; *quater* cum *quia*, de Off. II, 15, 7, III, 30, 10; Acadd. Disp. II, 29; Bruto, 76; *bis* cum *si*, de Divin. II, 62, ubi hæc ellipsis est durissima : Orator, cap. 36. Locus ab Ernestio tentatus de Leg. I, 7, huc referri non potest. Ibi enim Cicero loquendi modum subito mutavit. Diversi etiam generis sunt ii loci, in quibus ellipsis est vel ex antecedentibus, vel ex consequentibus supplenda. Longe etiam diversa ratio sententiarum est, quarum natura fert, ut breves sint et ellipticæ, velut illa : « Si gravis dolor, brevis, si longus, levis ». Idem etiam fit in spinoso quodam concludendi genere, ut de Finibus, V, 30, et sæpius. Loquimur autem de usitato Ciceronis loquendi more. — In orationibus quamquam ne ibi quidem hæc ellipsis frequens est, sed in orationibus dicendi ardor oratorem interdum abripit, ut in Epistolis sermonis quotidiani negligentia. — Atque etiam hoc notandum est, in iis ipsis, quæ attuli, exemplis, plerumque ellipsin esse in enuntiationibus adjectis non in primariis. — Quodsi igitur in nostro loco omnes MSS vulgatam tenerent, nihil mutarem, sed quum omnes, quorum

Digitized by Google

atque hanc academicorum contra propositum disputandi[11] consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanæ disputationes; ponere aliquid, ad quod audiam[12], si tibi non est molestum, volo. — An mihi, inquam, potest quidquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut romanum hominem[13], ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo hæc studia repetentem. — Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quæ scripsisti. Proinde ordire[14]. ***

lectiones diligenter enotatæ sunt, verbum substantivum addant, id erat Ciceroni reddendum. Optimum tamen fuerit, si codex aliquis addixerit, legere, *sat sunt nota*, utraque lectione conjuncta. Sed quum hoc e nullo codice notatum sit, id tantum reduxi, quod et codd. nitatur, et vulgato longe præstantius sit. Fuerit tamen qui, in his rebus rigidior, dicat, numquam in Cicerone *sunt nota*, sed semper *nota sunt* legi. Cf. de Div. I, 55; de Fin. II, 22, III, 1, 2, sæpius. Fortasse Cicero *vestra nota* conjungere noluit; neque auribus est, præsertim in media enuntiatione, hic finis ingratus.

11. *Contra propositum disputandi.* Codex Ball. et E, qui cum eo fere consentit, habent *positam* pro *propositum*. Unde Davisius legendum conjecit, *positum*, quod in textu dedit Allemannus. Refutavit illum Wopkensius exemplorum seriem afferens, in quibus de hac re *proponere* dicatur. Sed hoc rem non conficit. Videmus enim, sæpissime librarios *proponere* ibi correxisse, ubi optimi codd. verum dant et proprium in hac re *ponere*: quod v. c. paullo post contigit in verbis *ponere aliquid volo*. — At alia ratio est, quæ prorsus respuat Davisii conjecturam, quod Cicero hoc sensu numquam dicit *positum*, sed semper *propositum*. Stabit igitur lectio vulgata, qua nihil possit esse melius. Bake. — *Contra propositum*. Nam quum certi nihil esse dicerent Academici, quod aut sensibus, aut animo percipi posset, adspernarenturque omne animi et sensuum judicium, reliquum erat ut contra aliorum sententias disputarent. Ita sublata perceptione, contra propositum jam inde ab Arcesila disputare cœperant. Tuan.

12. *Ad quod audiam*. Explicat Davisius «adversus quod te dicentem audiam». Non satis apposite. Melius aliquanto Ernestius in Clavi *de quo audiam*. Eleganter ponitur hæc propositio, quum quis omnia, quæ de re quadam proferri possunt, conjungit, et rem ab omni parte sic exponit, ut nihil prætermissum sit. Ita dicitur «ad aliquid disputare, ad aliquid dicere, etc.» quod non est *contra*, ut vulgo intelligunt. Bake.

13. *Romanum hominem*. Nam græcorum philosophorum istæ disputationes erant, non hominum romanorum, qui non tantopere in philosophia versati erant. Tuan.

14. *Proinde ordire*. Jam in eo est, ut Hirtius aliquam quæstionem ponat,

Digitized by Google

Multa hic desunt.

III..... Consideramus hic[1] **: quorum in aliis, ut in Antipatro poeta[2], ut in brumali die natis[3], ut in simul

de qua Cicero disputet. In quo fortasse alicui non dixisse videretur *ordire*. Hoc enim magis aptum esset, si jam inter eos convenisset, qua de re Ciceroni disputandum esset, et nunc disputationis initium fieret. Atque ita hac voce utitur Atticus, de Legibus, I, 4. — Fateor tamen nihilominus *ordire* mihi verum videri. Jam enim de omnibus rebus satis inter eos convenerat : idque restabat unum, ut Cicero juberetur de aliqua re disserere. Itaque, « ordire, inquit, explicare, de fato quid sentias ». Brem.

III. 1. *Consideramus hic.* Mire variant codd. Veteres libri, teste Turnebo, habent *Constamusiei*, unde fecerunt *Consideramus Hirti*. Ex aliis dein codd. editum est *hic*, quod hodie scribitur. Oxonn. E et Ψ et sine dubio etiam alii, si hæc adnotare editoribus visum esset, habent, « Confidamus hic » et post hæc addit Palat. sec. « hic deest ». Oxonn. illi et Palatini reliqui hos addunt ex Juvenale, Satir. XIII, vers. 86 : « Sunt in Fortunæ qui casibus omnia ponant, Et mundum credant nullo rectore moveri, Natura volvente vices et lucis et anni », qui versus post *confidamus hic* illati sunt. Hæc omnia facile eo ducunt, ut post *confidamus hic* multa deesse suspiceris. Quum enim post *ordire* quædam essent obliterata, librarius *confidamus hic* legere potuit. Ergo hæc scripsit. Dein iterum multa erant deleta usque ad verba « quorum in aliis ». Sed quid est *confidamus hic?* Puto legendum *considamus hic*, quod Palat. sec. optimum codicem nunc habere video. — Cicero enim vel sedens, vel ambulans ad aliquid disputabat. Est autem hoc verbum in hac re proprium. Cf. de Legibus, II, 3; Acadd. Dispp. I, 3, II, 3, fine et alibi. — Vellem tamen omnes codd. haberent *consideramus hic*, neque ullum esset lacunæ indicium. Tum unice veram putarem erudit. Hottingeri conjecturam « Consideremus hæc : quorum in aliis, etc. » Brem. — Hic autem Cicero refutat Stoicorum argumentum, quod ex continuatione conjunctioneque naturæ, quam συμπάθειαν vocant, ad fatum probandum afferebant : sic enim ratiocinabantur, partes omnes mundi naturali cognatione teneri inter se conspirantes et copulatas : proinde seriem esse causarum perpetuam, vi sese quoquoversum diffundente et propagante quadam contagione, et parte parti respondente. Cicero de Divinat. cap. 15 : « Qua ex conjunctione naturæ, et quasi concentu, quam συμπάθειαν Græci appellant, convenire potest fissum jecoris cum lucello meo ». Turn.

2. *Ut in Antipatro poeta.* Est is, quem Cicero aliique *Sidonium* vocant. Eamdem rem, de qua Cicero loquitur, narrant Val. Maximus, lib. I, 8, 16, ext. et Plinius, Histor. Nat. VII, 51. Quotannis autem die natali febri implicabatur. Vulgo male confunditur hic Antipater cum philosopho, qui Tyrius dicitur, etiam ab Heusingero ad librum de Offic. II, 24, 8, et aliis. Rem bene explicuit Harduinus ad Plinii locum. Brem.

3. *Brumali die natis.* Multis, qui *eodem* die nati sint, idem plane fatum contigisse narrant Veteres. Laudavit Davisius, Val. Maxim. I, 8, 17, ext. Sil. Ital. II, 636; Stat. Theb. VI,

Digitized by Google

ægrotantibus fratribus[4], ut in urina, ut in unguibus[5], ut in reliquis ejusmodi, naturæ contagio[6] valet, quam ego non tollo; vis est nulla fatalis: in aliis autem fortuita quædam esse possunt, ut in illo naufrago[7], ut in Icadio[8], ut in Daphita[9]. Quædam etiam Posidonius (pace

343. De *brumali* die natis quis Veterum tradiderit, nescio. Fortasse hæc inter Chaldæorum θεωρήματα fuerunt iis similia, quæ infra dantur cap. 6: « Si quis oriente Canicula natus est, is in mari non morietur ». Barm.

4. *Ut in simul ægrotantibus fratribus.* Rem nobis servavit Augustinus, de Civitate Dei, lib. V, cap. 2: « Cicero dicit, Hippocratem, nobilissimum medicum, scriptum reliquisse, quosdam fratres quum simul ægrotare cœpissent, et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminatos suspicatum: quos Posidonius Stoicus, multum astrologiæ deditus, eadem constitutione astrorum natos, eadem conceptos solebat asserere ». Referri etiam huc potest locus Valerii, quem modo laudavi. Bz.

5. *Ut in urina, ut in unguibus.* Cf. Plinius, Hist. Nat. lib. XXVI, c. 6. Ex varia unguium vel figura, vel colore sicuti ex punctis, albisque maculis etiam recentiores varia hariolati sunt, atque ex iis jam veteres medicos, sanitatem suspicatos esse, tradit Celsus. Barm.

6. *Naturæ contagio.* Id est, consensio convenientiaque naturæ, quæ tamquam contactu afficit. Hanc naturæ contagionem, Græci vocant συμπάθειαν; hanc Cicero aliis locis, « rerum cognationem, naturæ convenientiam, concentum atque consensum ». — Hic autem negat Cicero, ex contagione naturæ quam concedit, fatum probari.

7. *Illo naufrago.* Posidonius homini cuidam, cujus nomen ne ipse quidem posuerat, prædictum fuisse scripserat, in aqua esse pereundum: is autem naufragium fecit, et in rivo postea lapsus est: aut, quum ei naufragium letumque ex aqua prædictum esset, in rivo lapsus est. Tuan.

8. *Icadio.* Icadium *sævissimum piratam* fuisse (piratam enim hic prædonem Cicero vocat) scribit Sext. Pompeius. Εἰκάδιον, nisi fallor, Suidas vocat. In ejus crura ex spelunca saxum incidit, quum tamen vitam maritimam coleret. Tuan.

9. *Daphita.* Narrant Val. Maximus, I, 8, 8, ext. et Hesychius, Illustr. pag. 23, Daphitam, qui Sophistarum studia professus sit, oraculum Delphi consuluisse, « an equum invenire posset? » Respondebatur, « inventurum equum, sed ut eo perturbatus periret », dein jussu Attali, quem probris lacessisset, ex saxo, cui nomen equi erat, dejectum esse. — Strabo autem, lib. XIV, pag. 647, scribit oraculum Daphitæ grammatico evenisse, ut « Thoracem caveret ». Dein autem eamdem ob causam, quam reliqui tradunt, jussu ejusdem regis in Thorace, qui mons est Epheso vicinus, suffixum esse. Ex hoc natum proverbium putant viri docti « Cave Thoracem ». Erasmus quidem errat, qui *Strabonem* dicit *tradere*, proverbium hoc inde natum esse. Nulla enim proverbii apud illum mentio est. Si igitur Erasmus hoc uno loco fretus « Cave Thoracem » in proverbiorum numerum retulit, temere egit, ut sæpe. Quod au-

Digitized by Google

magistri[10] dixerim) comminisci videtur. Sunt, inquam, quidem absurda[11]. Quid enim? si Daphitæ fatum fuit de equo cadere, atque ita perire; ex hocne equo, qui, quum equus non esset, nomen habebat alienum? Aut Philippus hasce in capulo[12] quadrigulas vitare mone-

tem illam de Daphita historiam spectat, quamvis primo quidem adspectu ex Strabonis reliquorumque narratione non eadem esse videatur, tamen diligentius considerata eadem esse apparebit. — Nam de eodem homine Strabo et reliqui loquuntur. Conveniunt enim in rege, in quem ille probrosa dicta jecit. Nihil autem impedit, quod Strabo *Grammaticum*, Valerius *Sophistam* vocat. Sophistas enim etiam rebus grammaticis studuisse notum est. — Utrum vero Strabo de eodem loco loquatur, necne, difficilius est judicare. Volunt id Turnebus ad hunc locum, et Vossius ad Pomponii Melæ lib. I, 17. Negat Davisius. Sed quum de eodem homine loquatur Strabo et ceteri dicant scriptores, eum de *saxo*, cui nomen esset *equi*, dejectum, quid impedit, quo minus hoc saxum partem montis Thoracis fuisse dicamus? — Alia denique restat difficultas, utrum Strabo reliquique de uno eodemque oraculo loquantur. Puto hic idem accidisse, quod sæpe in oraculis. Quum de *saxo* in monte *Thorace* dejectus esset, dixerunt alii, jussum eum esse, « ut Thoracem caveret », alii, iique acutiores, interrogasse eum, ubi *equum* invenire posset, tum cetera accidisse, quæ nostis. Tales narrandi diversitates in oraculis sæpe inveniuntur, quippe quum oraculorum major pars post eventum denique confecta sit. — Unum igitur illud diversum est, quod Strabo eum esse *suffixum*, ceteri eum *dejectum* esse dicant. Sed hoc ex varia ejusdem rei narratione natum videtur.

10. *Pace magistri.* Nam Posidonium audierat. Lib. I, de Natura deorum, cap. 3 : « Et principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus ». Turn.

11. *Sunt, inquam, quidem absurda.* Davisius cum Ball. El. Harl. quibus accedunt E, Vindob. A, et edd. quædam vett. delendum censet *quidem*. Sed nullum tum video sensum. Certissimum videtur, quod jam Turnebus voluit, ut *quidem* mutetur in *quædam*. Sed quid tum significet *inquam?* Forsitan aliquis hoc verbum cum affirmatione positum esse dicat, quemadmodum interdum in Cicerone, etiam non repetita voce, quod alias fieri solet. Cf. v. c. de Finib. II, 21. — Sed sensus subtilior facile judicabit, hanc affirmationem hoc loco frigidam esse et inanem. — Alius igitur *inquam* cum vett. nonnullis editt. et MS Guelph. deleverit. Sed tum oratio sic est abrupta ut tale exemplum in Cicerone sit nullum. Quid multa? Ulcus fortasse persanatum erit, si scribas : « Sunt enim quædam absurda » : ita ut his reddatur ratio, cur quædam Posidonius comminisci videatur. *Absurda* autem, Ciceroni ea dicuntur, quæ sibi ipsa non satis conveniunt, incredibilia (*unharmonisch*). Itaque proprie de sono dicitur, « sonus absurdus, vox absona et absurda ». Cicero igitur dicit, quoniam in quibusdam eorum, quæ Posidonius dicat, nonnulla sibi repugnent, ea ab hoc commenta videri. Barm.

12. *Hasce in capulo quadrigulas.*

Digitized by Google

batur? quasi vero capulo sit occisus. Quid autem magnum[13], et naufragum illum sine nomine[14] in rivo esse lapsum? quamquam huic quidem hic scribit prædictum, in aqua esse pereundum. Ne hercule Icadii quidem prædonis video fatum ullum: nihil enim scribit
6 ei prædictum[15]. Quid mirum igitur, ex spelunca saxum in crura ejus incidisse? Puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil est omnino fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quæro igitur

Ut Ciceronem intelligere possimus, faciunt compilatores illi Valerius Maximus et Ælianus, quorum ille, lib. I, 8, 9, ext. hic, V. H. lib. III, 45, tradit, oraculum Philippo evenisse, ut ab ἅρματος violentia sibi caveret; quamobrem eum, nobilem illum locum in Bœotia, qui hujus nominis erat, Amphiarai interitu nobilis, semper vitasse. Pausaniam autem in capulo gladii, quo eum occiderit, quadrigam habuisse cælatam. — Tota isthæc fabella originem videtur Olympiadis facto debere, quæ gladium illum Pausaniæ, Apollini consecratum in ejus templo suspendit; in quo quum forte cælatæ essent quadrigæ, ab homine arguto, qui oraculi ambiguitatem providebat isthoc oraculum confectum erat. Quam parum autem hoc prudentiores curaverint, inde conjici potest, quod optimi scriptores historici, qui Philippi mortem diligenter et accurate tradunt, ne verbum quidem de hoc oraculo habeant. — Hanc autem fabellam in vulgus notam fuisse, docet modus, quo Cicero rem proponit scribens *hasce*, etc. Ipsa autem hæc vox bene a Cicerone posita est. Dicit enim *has* quadrigas, eas opponens *loco*, quem verisimilius erat intelligi, sicuti dixerat *huncne equum* eadem oppositione, ut vivum intelligeret. — Ælianus addit denique aliam insuper fabellam, multo etiam minus credibilem, quam illam. Dicit enim, opinionem quamdam haud eam quidem vulgarem esse, Philippum ad paludem, cui nomen erat ἅρματος, interfectum esse: de quo nemo bonus scriptor quidquam tradit. Baxm.

13. *Quid autem magnum, et naufragum illum.* Wolf. emendat, « quid autem magnum est, naufragum illum sine, etc. »

14. *Et naufragum ille sine nomine in rivo esse lapsum?* Cujus nomen Posidonius non posuit, ut fortasse commentitium sit ad libidinem exemplum. Quamquam ex eo fatum nihil affirmatur. Nam quum esset prædictum eum in aqua periturum, sortem fides non est sequuta, quum in rivo tantum sit lapsus: immo vero, quod naufragus enataverit, in aqua perire non debuit. Turn.

15. *Prædictum.* Nam ex prædictis et divinatione fatum probari solet, ut contra ex fato divinatio. Igitur in exemplo nulla videtur fati comprobatio, quum divinatio nulla antecesserit: et alioqui enumerarit inter ea quæ præsagio fidem facerent aliquam fati. Turn.

Digitized by Google

(atque hoc late patebit[16]), si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset; et forte, temere, casu, aut pleraque fierent, aut omnia : num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent? Quid ergo attinet inculcare fatum, quum sine fato ratio omnium rerum ad naturam, fortunamve referatur?

IV. Sed Posidonium, sicut æquum est, cum bona 7
gratia[1] dimittamus; ad Chrysippi laqueos[2] revertamur. Cui primum quidem de ipsa rerum contagione respondeamus; reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas[3] quantum intersit, videmus : alios esse salubres[4], alios pestilentes; in aliis esse pituitosos, et quasi redundantes[5]; in aliis exsiccatos atque aridos : multaque sunt alia, quæ inter locum, et locum plurimum differunt. Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici : crassum Thebis[6]; itaque pingues Thebani[7], et valentes. Tamen neque illud tenue cælum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Ar-

16. *Late patebit.* Non ad hoc tantum exemplum pertinebit. Turn.

IV. 1. *Cum bona gratia.* Levi ista refutatione in eum contenti simus, ne, si infestius acriusque insultemus, in eum iniquiores esse videamur, quem non offendere, cui parcere, magistro præsertim, debeamus. Turn.

2. *Laqueos.* Captiosas et fallaces conclusiones : nam hæc argumenta libello de Fato Plutarchus etiam σοφίσματα vocat. Turn.

3. *Inter locorum naturas.* De his atque iis quæ sequuntur, cf. de Div. I, 36; de Nat. Deor. II, 6 et 16. Ba.

4. *Alios esse salubres.* Ut Crotonem urbem. — *Alios pestilentes*, ut Sardiniam. Turn.

5. *Redundantes.* Superfluentes nimiaque pituita suffusos : quales qui lacustria et palustria incolunt. Varios autem habitus locorum Hippocrates diligenter in libello de aere, locis, et aquis notavit. Turn.

6. *Crassum Thebis.* Hinc Horatianum illud, lib. II, ep. 1, 244 : « Bœotum in crasso jurares aere natum ». In aere autem crasso stupidi et obtusi plerumque sunt qui nascuntur : quod tamen perpetuum non est : et Juvenalis scribit, Sat. X, 49 : « Summos posse viros, et magna exempla daturos Vervecum in patria crassoque sub aere nasci ». Turn.

7. *Pingues Thebani.* Tardi et hebetes. Cicero, Academ. II, 34 : « Quod ipsi Antiocho pingue videbatur ». Horatius, lib. II, Sat. 6, 14 : « Pingue pecus domino facias, et cetera, præter Ingenium ». Proinde Veteres in Bœotorum stuporem cavillantes, *Suem Bœoticam* dicebant. Turn.

Digitized by Google

cesilam [8], aut Theophrastum audiat; neque crassum,
8 ut Nemea potius, quam Isthmo victoriam petat. Dijunge longius [9]. Quid enim? loci natura afferre potest, ut in porticu Pompeii potius, quam in campo ambulemus? tecum, quam cum alio? idibus potius, quam kalendis? Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid [10], ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorum [11] valeat, si vis, ad quasdam res; ad omnes certe non valebit. At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent; alii libidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi sint [12], alii talibus vitiis abhorreant: quo-

8. *Arcesilam*. Ἀρκεσίλαος græce vocatur, qui, dorico more, a Latinis Arcesilas appellatur. Zeno princeps Stoicæ disciplinæ fuit: Arcesilas auctor Academiæ novæ: Theophrastus Peripateticus auditor Aristotelis fuit. Hos tres nominat, quod eodem tempore philosophiam Athenis docuerunt, quamquam Theophrastus Zenonem, Zeno Arcesilam anteibat ætate. Turn.

9. *Dijunge longius*. Si recipiatur vulgata lectio, hic adhibendus erit textui sensus: quin, longius perge; pergamus ambo longius. Sin vero legere vis, ut nonnulli, *Dijungo longius*, tunc « optima sane et contextui erit accommodatissima sententia », inquit Ernestius. Hoc enim Cicero dicit: « Illa, qua Chrysippus fatum firmat, naturæ contagio, s. συμπάθεια, quam vim in hominum actiones aut voluntatem habere possit, non intelligo. Fac enim tenue cælum homines acutiores gignere, crassum robustos et valentes: inde, qui fiat, ut Athenæ Zenone, Arcesila, Theophrasto, similibusque ingeniis, Thebæ corporum ad luctam reliquaque certaminum genera aptorum, robore claræ sint, satis intelligo. Illa vero loci contagio quo pacto efficiet, ut quis Zenonem, aut Arcesilam, aut Theophrastum audire velit, aut in Nemeis potius ludis, quam in Isthmicis certare? Nemeam et Isthmum dico? Longius loca dijungo (quam necesse est). Pompeii porticum et campum dicam, loca minime longe dissita. An eorum ulla contagio efficiet, ut in hoc potius, quam in illo velim ambulare?

10. *Pertinet aliquid*. Ita optimi codd. et plurimi. Alii « pertinet et operatur aliquid », quod ante Lambinum vulgabatur, qui nimium sibi indulgens delebat « et operatur aliquid ». *Aliquid* bene opponitur sequenti *nihil*. Baum.

11. *Affectio astrorum*. Ποία σχέσις καὶ διάθεσις, id est, eorum inter se comparatio ex adspectu trigonetro, quadrato, sextili, aliisque id genus, quæ solent mathematici in genituris observare. Turn.

12. *Aut crudeles, aut superbi sint*. Pro *aut* Ψ habet *alii*; quod miror, in hoc uno tantum codice repertum esse. Nam ubi Cicero ab inepta et consueta structura abiisset, mutarunt fere libra-

Digitized by Google

niam igitur, inquit, tantum natura a natura distat, quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

V. Hæc disserens, qua de re agatur[1], et in quo causa consistat[2], non videt. Non enim, si alii ad alia pro- 9
pensiores sint propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt causæ naturales et antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate[3], si res ita se haberet. Nunc vero fatemur[4], acuti hebetesne, valentes imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat[5], ne ut sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse; is non videt, quæ quamque rem res consequatur[6]. Ut enim et ingeniosi, et tardi

rii: v. c. Tusc. Disp. IV, 27: « alia est enim lugenti, alia miseranti, aut invidenti adhibenda medicina », quod ille restituit, qui Ciceronem quasi denuo nobis creavit. Adde de Natur. Deor. I, 37, alibi. Brem.

V. 1. *Qua de re agatur.* Probare debebat Chrysippus, non quidem nos non esse omnino liberos, quod ei concedebatur, sed eas causas quibus impellitur animus, animum ita abripere, ut resisti nequeat. J. V. L.

2. *Causa consistat.* Quæstio et controversia versetur. Turn.

3. *In nostra potestate.* Quod ἐφ' ἡμῖν Stoici appellant. Libertatem enim voluntatis fati assertores nonnulli, ut Chrysippus et plerique Stoici, retinent, qui fatum non ex necessariis et principalibus causis nectunt, sed ex iis quæ præcursionem afferunt, et antecessionem, sine quibus res effici non possit. Cicero, Topic. cap. 15: « Alia autem præcursionem quamdam adhibent ad efficiendum, et quædam afferunt per se adjumenta, etsi non necessaria: ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio ». Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium fatum a Stoicis nectitur.

4. *Nunc vero fatemur.* Meum quidem sensum admodum offendunt particulæ *nunc vero*, quarum usus est in Cicerone tum, quum antecedenti contrarium aliquid proponit. Si quis eas hoc loco negligentius esse putet, non pugno. Malim tamen legere, *Nos vero*, quod Cicero cum affirmatione adhibet, si ab alius sententia ad id accedit, quod ipse statuit. Brem.

5. *Qui autem ex eo cogi putat.* Ita optimi MSS et plurimi. Si qui *colligi* habent, interpretati sunt alteram vocem. Quæ quamquam rarius hoc sensu apud Ciceronem legatur, interdum tamen legitur, præsertim in forma passiva. In forma activa nonnumquam dicitur ratio *cogit*, de quo videbimus infra. Brem.

6. *Quamque rem res consequatur.* Davisium ejusque libros, Guelph. ac Vindob. B sequutus sum. Vulgo *rem* omittitur. Vindob. A *res* non habet.

Digitized by Google

ita nascantur antecedentibus causis, itemque valentes, et imbecilli : non sequitur tamen, ut etiam sedere, et ambulare, et rem agere aliquam, principalibus[7] causis definitum et constitutum sit. Stilponem[8], Megaricum philosophum, acutum sane hominem, et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum, et mulierosum fuisse[9]; neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem : vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo umquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem[10] nonne legimus quemadmodum no-

7. *Principalibus.* Κυρίοις καὶ συνεκτικοῖς αἰτίοις, ut Stoici loquuntur, quæ quidem efficienter rem aliquam antecedunt. Turn.

8. *Stilponem*, etc. Ita hoc nomen legitur et hic et apud alios scriptores in optimis codd. Alii, ut solent, corruperunt nomen proprium. Videatur Diogenes Laertius, lib. II, cap. 12, ibique Menagius, atque in primis doctissimus G. L. Spaldingius in libello admodum ingenioso : Vindiciæ philosophorum Megaricorum, pag. 20 seqq. — Edidi autem *Megaricum philosophum* e libris Turnebi, Guelph. et Vindob. B. Gronovius *Megarensem* defendit ex Acadd. Dispp. II, 42, ubi *Euclides Megareus* dicitur. Sed is ipse locus præter alia me movit. Nam Euclides auctor scholæ dicitur *Megareus*, discipuli ejus et sectatores in genere Megarici, ipso Cicerone teste loc. cit. *Euclides Megaricus* non est, sed *Megareus*, quia oriundus est ex urbe Megara. — Stilpo quidem et *Megareus* est, et *Megaricus*. Nam et ex urbe Megara natus est, et est ex disciplina Euclidis. Itaque « Stilponem Megareum, philosophum » recte diceretur, si *philosophum* ita nude positum Ciceronis mori conveniret. At « Stilponem, Megarensem philosophum » non recte dicitur. Quum autem Cicero hoc loco non ad patriam respiciat, sed ad id, quod philosophus fuerit, eique more suo addit, cujus sectæ sit, *Megaricum philosophum* edidi. Bamb.

9. *Ebriosum et mulierosum fuisse.* Hoc ab iis non est traditum, quorum commentarios habemus. Nec alios habuit, quos memoraret lib. III, p. 152. Vel igitur nostrum, vel Origenem, fefellit memoria. Iis tamen Speusippum licet addere, quem ἐκ πολλῆς ἀνέσεως καὶ ἀσχολαρίας a Platone revocatum fuisse tradit Plutarchus de Fr. Amore, p. 491. Dav.

10. *Quid? Socratem... stupidum esse Socratem dixit.* Gulielmius delenda censuit verba *Socratem dixit*, quo dura fit constructio, et Ciceronianæ consuetudini minime apta. — Ut nihil dicam de eo, quod Cicero sæpe soleat eamdem vocem repetere, illa nominis repetitio non est sine vi. Hoc enim vult. An ignoratis id, quod Zopyrus dixit de Socrate? qui ipsum adeo Socratem, hominem aliquanto

Digitized by Google

tarit[11] Zopyrus, physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit, et bardum[12], quod jugula concava non haberet; obstructas eas partes, et obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulierosum; in quo Alcibiades[13] cachinnum dicitur sustulisse. Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt; exstirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina: quæ tolluntur omnia[14], si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur. 11

Stilpone majorem ac sanctiorem, stupidum, et bardum, et mulierosum dicebat. — Non igitur sine causa Socratis nomen repetitum est. — Eamdem rem Cicero narrat, Tuscul. Disp. IV, 37; Alexander Aphrod. de Fato, cap. 6. — *Mulierosum* Socratem fuisse plures calumniantur. Cf. Porphyrius apud Cyrillum in Jul. lib. VI, p. 186. Ipse Cyrillus, lib. VII, pag. 226; Theodor. Therap. XII, p. 174, sq. quæ loca Davisii diligentia investigavit. Adde Theodor. Therap. IV, n. 1. Sunt autem hi omnes ex sequiori ævo. Neque Veterum, ut puto, quisquam hoc crimen Socrati impingit. Dubitant adeo viri docti, in primis J. M. Gesnerus in libello «Socrates sanctus pæderasta», an eo, quo vixit, tempore pro pæderasta impuro habitus sit. Quamquam hoc quidem suadet Platonis Symposium, in quo Plato eum Alcibiadis oratione ab hoc crimine defendere voluisse videtur. Cf. ea, quæ acutissime disputavit de hac re eruditiss. Wolfius in *der Einleitung zu Platos Gastmahl*, p. 38. Ex illa Alcibiadis apud Platonem oratione intelligitur quoque, cur in hoc Zopyri dicto cachinnum sustulerit. — Lucianus quidem aliique hujus ætatis scriptores hanc Socratis pæderastiam clare attingunt. Burm.

11. *Notarit.* Probro coram affecerit, vitiis ejus in conventu notatis. Turn. — *Physiognomon.* Hanc scientiam plures etiam apud nos non sine fama professi sunt.

12. *Bardum.* Zopyrus, in eo quod *bardum* Socratem dixerit, graviter est lapsus: nam testis est Porphyrius, qui contumeliosissima quæque de præclaro illo viro corraserat, εἶναι αὐτὸν πρὸς οὐδὲν μὲν ΑΦΥΑ, ἀπαίδευτον δὲ περὶ πάντα, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν· σχεδὸν δὲ οὐδὲ γράμματα πάνυ τι ἐπίστασθαι. Vide Theodoretum, Ther. I, p. 8, 11. Judicium vero, quod de Socrate tulit ille Physiognomon, ex Alexandro Aphrodisiensi repetit Eusebius, Præp. Evang. lib. VI, c. 9. Dav.

13. *Alcibiades.* Aut quod puerorum amator esset Socrates, aut quod nullum in eo vestigium libidinis Alcibiades sensisset, a quo sic aliquando surrexisset, ut si cum parente cubuisset. Turn.

14. *Quæ tolluntur omnia*, etc.

Digitized by Google

VI. Etenim, si est divinatio, qualibusnam[1] a perceptis artis proficiscitur? percepta appello, quæ dicuntur græce θεωρήματα. Non enim credo, nullo percepto aut ceteros artifices versari in suo munere, aut eos, qui divinatione
12 utantur, futura prædicere. Sunt igitur astrologorum[2] percepta hujusmodi. «Si quis, verbi causa, oriente[3] Canicula natus est, is in mari non morietur». Vigila, Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro[4], valente

Sensus est : Si divinatio vera est, voluntati, studio, disciplinæ nullus relinquitur locus. Divini enim quædam prædicunt, ut vera. Quodsi autem vera et immutabilia prædicunt, quidquid tu feceris, non tamen illud efficies, ut ea non fiant. Prædictum est, te in mari esse moriturum; quomodocumque ergo studueris, ut hoc evites, nihil tamen effeceris. Aut enim divinatio nulla est, aut hoc fiet. Ergo fato ex divinationis ratione firmato voluntas, studium, disciplina tolluntur. Ba.

VI. 1. *Qualibusnam a perceptis artis proficiscitur?* Ball. Harl. E delent *artis*, eamque vocem abesse mavult Davisius. Atque omnino, si accuratius loci sententiam perquiras, invenies, quod prima quidem specie satis absonum videatur. Nam illa enuntiatio « qualibusnam a perceptis artis divinatio proficiscitur? » in aliam formam et propriam ejus significationem conversa hæc est : « Qualibusnam a perceptis artis divinandi, ars divinandi proficiscitur? » Quis autem umquam sic est loquutus? — Neque vero hic unicus sensus est, quem verba habere possunt. Nam possunt *percepta artis* Ciceroni ea dici, quæ hodie barbare quis diceret, « percepta scientifica ». Ea enim est linguæ latinæ inopia, ut careat adjectivo, quod hunc sensum exprimat. Hac autem significatione quis damnet illam enuntiationem? Hoc primum. Deinde vocabulum *artis* nullam habet glossematis speciem. Unde enim natum sit? Dices fortasse ex sequenti *artifices*. At non est glossatorum mos (id quod de multis locis notandum est), ut ex sequentibus ad priora adscribant interpretationes : neque ipsum illud *artifices* ejus generis est, ut glossemati facile ansam præbeat. Hoc certe in callidissimis esset glossematibus. Denique codices isti, qui hanc vocem delent, non sunt ex optimis. Nihil igitur mutandum censui. — Pro *perceptis* hic et aliis hujus libri locis plurimi codd. legunt *præceptis*, quod primus recte mutavit Victorius. Causa est in promptu. Nemo enim θεωρήματα latine vertit *præcepta*, at *percepta*, quod proprium est in hac re vocabulum. Vide Petr. Fabrum, Ad Dispp. Acadd. II, 7. — De confusione harum vocum solemni vide, quos laudat Hensingerus ad libr. de Off. I, 33, 6. Barm.

2. *Sunt igitur astrologorum.* Davisius casu an consulto edidit *sint*. Cicero dicit *percepta*; quamquam unum tantum proferat, universe loquens. Ba.

3. *Oriente Canicula.* Quod sidus ferventissimum est, æstuque omnia vaporat, et aquas siccat. Turn.

4. *Cum Diodoro.* Diodorus is fuit, qui cognomento Cronus appellatus est, philosophus ex Megarica schola eorum, qui ἐριστικοὶ et διαλεκτικοὶ dice-

Digitized by Google

dialectico, magna luctatio est, deseras. Si enim verum est, quod ita connectitur, « Si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur » : illud quoque verum est, « Si Fabius[5] oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur ». Pugnant ergo hæc inter se, « Fabium oriente Canicula natum esse, et in mari Fabium moriturum » : et quoniam certum in Fabio ponitur, ortum esse eum Canicula oriente; hæc quoque pugnant, « et esse Fabium, et in mari moriturum ». Ergo hæc quoque conjunctio est ex repugnantibus, « Et est Fabius, et in mari Fabius morietur » : quod ut propositum est, ne fieri quidem potest[6]. Ergo illud, « Morietur in mari Fabius », ex eo genere est, quod fieri non potest. Omne igitur, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest.

VII. At hoc, Chrysippe, minime vis, maximeque 13
tibi[1] de hoc ipso cum Diodoro certamen est. Ille[2] enim

bantur: quem sic admiratus est Callimachus, ut in epigrammate scripserit : Αὐτὸς ὁ Μῶμος ἔγραψεν ἐν τοίχοις, ὁ Κρόνος ἰστὶ σοφός. Turn.

5. *Si Fabius.* Nomen Fabii in exemplis hominum liberorum usurpare Veteres solebant. Cicero, lib. II de Divin. cap. 34 : « Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo ». In Topicis, c. 3 : « Si ita Fabius pecunia legata est a viro ». In servis Manium dicere solebant. Cato de Re rustica, cap. 141 : « Cum divis volentibus, quodque bene eveniat, Mando tibi, Mani. Turn.

6. *Quod, ut propositum est, ne fieri quidem potest.* Davisius *propositum* conjecit mutandum in *positum*, laudavitque notam ad cap. 2, ubi vide, quæ contra illum disputavi. Quamquam autem ibi dixi *ponere* in hac re proprium esse, minime tamen hoc ita accipi volo, quasi *proponere* rectum esse non possit, si omnibus codd. nitatur. Id, ut alia mittam, demonstrat illud Wopkensii nota ibi laudata: Barm.

VII. 1. *Maximeque tibi*, etc. Hieronymus advers. Pelagium, p. 557, E: « Inter Diodorum et Chrysippum valentissimos dialecticos περὶ δυνατοῦ ista contentio est. Diod. id solum posse fieri dicit quod aut sit verum, aut verum futurum sit, et quidquid futurum sit id fieri necesse esse, quidquid autem non sit futurum, id fieri non posse. Chrysippus vero, et quæ non sunt futura, posse fieri dicit, ut frangi hoc margaritum, etiamsi id numquam futurum sit ». Locum, quem tractamus, ad verbum fere descripsit Presbyter Stridonensis. Vide porro Petr. Victorium in Epist. fam. IX, 4. Dav.

2. *Ille enim.* Hac in re quam secum pugnet Chrysippus, nec se explicare

Digitized by Google

id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum, aut futurum sit verum: et, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse, et, quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu, et quæ non sint futura, posse fieri dicis, ut frangi[3] hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit; neque necesse fuisse Cypselum[4] regnare Corinthi, quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset[5]. At si ista comprobabis divina prædicta; et quæ falsa in futuris dicentur, in his habemus, ut ea fieri non possint: ut si dicatur, Africanum Carthagine potiturum; et, si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium. Quæ
14 est tota Diodori vobis inimica sententia. Etenim si illud vere connectitur, « Si oriente Canicula natus es, in mari non morieris »; primumque quod in connexo, « Natus es oriente Canicula », necessarium est (omnia enim vera in præteritis, necessaria sunt, ut Chrysippo placet, dissentienti a magistro[6] Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero præterita possunt converti): si igitur, quod primum in connexo est,

quæst, cf. Plutarch. in libro de Repugnantiis Stoicis, p. 1055. Turn.

3. *Frangi hanc gemmam.* Quam in anulo Cicero habebat. Turn.

4. *Cypselum.* Ut videtur, frustra sudat et æstuat vir doctissimus Hadr. Turnebus: non enim tradit Noster, millesimo ante anno prædictum esse Cypseli regnum, sed, pro Chrysippi sententia, id necesse non fuisse, licet, tot ante sæculis, Apollinis editum fuisset oraculo. Quæ vero redditæ sint Eetioni, Bacchiadis, ipsique Cypselo sortes, docebit Herodotus, l. V, c. 92. Adi sis et Eusebium, Præp. Evang. lib. V, cap. 35. Dav.

5. *Editum esset.* Turnebus, qui Ciceronem Herodoto repugnare dicit, aut « millesimo ante anno » pro « innumeris ante annis » dictum putat, illud neglexit, quod Cicero dicit *esset* non *sit*. De re cf. Herodot. lib. V, 92; Aristoteles, Polit. lib. V, 12. Barn.

6. *Dissentienti a magistro.* Nam propter immutabilitatem præterita censere videbatur necessaria Chrysippus, quum in ea ne deus quidem ullum jus habeat, præterquam oblivionis. At Cleanthes ejus magister necessitatem ex natura rerum potius, quam ex immutabili temporis conditione metiebatur. Itaque natus est Fabius oriente Canicula, ei necessarium non videbatur: nec id de liberis tantum causis intelligebat: quod Ciceronis exemplum satis declarat. Turn.

Digitized by Google

necessarium est; fit etiam, quod consequitur[7], necessarium. Quamquam hoc Chrysippo[8] non videtur valere in omnibus. Sed tamen[9], si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

VIII. Hoc loco Chrysippus æstuans[1], falli sperat Chaldæos[2], ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut in sua percepta pronuntient, « Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non morietur »: sed potius ita dicant, « Non et natus est quis oriente Canicula, et is in mari morietur ». O licentiam

7. *Fit etiam, quod consequitur*, etc. Sic optimi codd. et edd. vett. Recentiores quædam habent *sequitur*. Illud est rarius, ideoque præferendum. *Necessarium* omittit Guelph. idque hodie solet in tali constructione omitti, non item a Cicerone. Barm.

8. *Quamquam hoc Chrysippo*, etc. Si necessarium est quod in connexo primum est, quod annectitur etiam necessarium esse tradunt. Quod et hic Cicero argumentatur, cum exceptione tamen, quod probet acumen Chrysippi, id in omnibus non valere existimantis, sed in multis videri consentis, ex conditione potius quam ex natura : aut aliquas certe argutias adducebat Chrysippus, quales in logicam multas conjecerat, etiam nonnumquam incredibiles et falsas : cujusmodi est apud Plutarch. advers. Stoicos, pag. 1059. Turn.

9. *Sed tamen*. Si ex connexo forte necessario non semper sequitur annexum necessarium, argumentabimur, si causa naturalis est cur non moriatur in mari, in mari non moriturum. Turn.

VIII. 1. *Hoc loco Chrysippus æstuans*, etc. Turnebus putat Ciceronem joculariter dicere, Chrysippum sperare se fucum esse facturum astrologis. Forsitan viri docti sententia hæc fuit : Chrysippum, quum videret, divinationem, et earum rerum, quæ prædictæ sint, necessitatem non posse disjungi, divinationem autem improbare nollet, necessitatem tamen minime probaret, eum igitur fucum facere voluisse astrologis ceterisque divinis, dum juberet eos percepta alio modo pronuntiare, quam solebant : quo facto eum necessitatem ipsam tollere voluisse, divinationem tenere. At eadem hac ratione fallebat illos divinos, quum ea, quæ prædicerent, non amplius necessaria essent, ergo etiam ars eorum inanis, cui nemo crederet, quippe prædicta vel evenire poterant, vel non poterant. — Hottingerus autem v. d. Turnebi sententiam non probans eleganter conjicit : « Hoc loco Chrysippus æstuans nos falli sperat, neque Chaldæos ceterosque divinos usuros esse conjunctionibus, etc. » Barm.

2. *Chaldæos*. Id est, mathematicos : genethliaci enim omnes, qui ex natalitio sidere futura præsagiunt, Chaldæi vocantur : quod enim illa natio siderum observandorum peritissima fuit, factum est, ut mathematici ita vocarentur. Turn.

Digitized by Google

jocularem! ne ipse incidat in Diodorum[3], docet Chaldæos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim, si Chaldæi ita loquantur, ut negationes infinitarum conjunctionum potius, quam infinita connexa ponant: cur idem medici, cur geometræ, cur reliqui facere non possint? Medicus in primis, quod erit ei perspectum[4] in arte, non ita proponet: « Si cui venæ[5] sic moventur, is habet febrem »; sed potius illo modo, « Non ei venæ sic moventur, et febrem is non habet ». Itemque geometres non ita dicet, « In sphæra maximi orbes[6] medii inter se dividuntur »; sed potius illo modo, « Non et sunt in sphæra maximi
16 orbes, et hi non medii inter se dividuntur ». Quid est, quod non possit isto modo ex connexo transferri ad conjunctionum negationem? Et quidem aliis modis easdem res efferre possumus. Modo dixi, « In sphæra maximi orbes medii inter se dividuntur »: possum dicere, « Si in sphæra maximi orbes erunt[7] »; possum

3. *Ne ipse incidat in Diodorum.* Id est, ne incidat in Diodori sententiam. Turn.

4. *Quod erit ei perspectum... Non ei venæ sic moventur.* « Non prorsus damno », inquit Hottingerus, « vocem *perspectum*. Sed tamen hic quoque legendum videtur *perceptum*, ut paullo ante, *ut ita sua percepta pronuntient*. Cf. c. 6, init. » (Docte conjecit hoc vir doct. ut solet, atque subtiliter. Nam de theorematibus *perspicere* vix legitur:) « Præterea, ni maxime fallor, pro *ei* legendum *cui*, ut perceptum generatim efferatur, quemadmodum paullo ante: *Si cui venæ sic moventur*: eodemque modo paullo superius, *Si quis natus est oriente Canicula*; et: *Non et natus est quis oriente Canicula*. Denique totum isthoc *Medicus in primis... dividuntur*; multo melius per interrogationem enuntiari puto. Non enim dicit medicos, geometras, ceterosque, artis suæ percepta per conjunctionum negationes efferre, quamvis id facere possint. Itaque post illa verba, *cur reliqui facere non possint*, talis quædam enuntiatio mihi videtur esse supplenda: *Possunt sane facere, sed non faciunt.* » Bake.

5. *Si cui venæ.* Ut apud Satyricum, « Tange misor venas ». Veteres et vulgus arterias a venis nihil distinguebant. Venas igitur arterias dicit, quæ micant continenter in corpore. Turn.

6. *Maximi orbes.* Ut æquator, zodiacus, meridianus: alii minores, tropici, arctici. — *Medii*, id est, in duas æquales partes. Turn.

7. *Quia in sphæra maximi orbes erunt.* Fateor, me hæc non intelligere. Puto legendum esse, « qui in sphæra

Digitized by Google

dicere, «Quia in sphæra maximi orbes erunt». Multa genera sunt enuntiandi, nec ullum distortius, quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldæos contentos stoicorum causa fore. Illorum tamen nemo ita loquitur; majus est enim, has contortiones orationis, quam signorum ortus obitusque perdiscere.

IX. Sed ad illam[1] Diodori contentionem[2], quam 17
περὶ δυνατῶν appellant, revertamur; in qua, quid valeat id, quod fieri possit, anquiritur. Placet igitur Diodoro, id solum fieri posse, quod aut verum sit, aut verum futurum sit. Qui locus attingit hanc quæstionem, nihil fieri, quod non necesse fuerit; et, quidquid fieri possit, id aut esse jam, aut futurum esse; nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quæ futura sunt, quam ea, quæ facta sunt; sed in factis immutabilitatem apparere; in futuris quibusdam, quia non apparent, ne inesse quidem videri: ut in eo, qui mortifero morbo urgeatur, verum sit, «Hic morietur hoc morbo»; at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minus futurum sit. Ita fit, ut commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam, «Morietur Scipio[3]», talem vim habet, ut, quam-

maximi orbes erunt». Sensum quidem video, sed hæc ratio multo etiam magis contorta est, quam illa Chrysippea, neque cuiquam in mentem venit, sic eloqui, Bake.

IX. 1. *Sed ad illam.* Explicat sententiam Diodori, qua Chrysippo respondere potest. Diodorus autem fatum non inducit, sed in enuntiatis vim verborum interpretatur, non causarum seriem ponit, quum tamen ex vi verborum et ex enuntiationibus fatum confirmaret Chrysippus. Hæc autem Diodori contentio tota ad logicen, ut initio dixit, pertinet. Turnebus.

2. *Contentionem.* Contendit enim, si quid in futuro verum sit, non posse non evenire. Libros περὶ δυνατῶν Chrysippus scripserat, in quibus magna illi cum Diodoro luctatio erat. Turn.

3. *Morietur Scipio.* Æmilianus, qui quum Flacco, Graccho, et Carboni adversatus esset, fortis valensque, in cubiculo mortuus inventus est postridie. Ei vim Carbo attulisse existimatus, ut scribit Cicero ad Pætum: quod et hic sequi videtur. Alii venenum ei

Digitized by Google

quam de futuro dicitur[4], tamen [ut] id non possit converti in falsum : de homine enim dicitur, cui necesse
18 est mori. Sic si diceretur, « Morietur noctu[5] in cubiculo suo Scipio vi oppressus »; vere diceretur : id enim fore diceretur, quod esset futurum; futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet. Nec magis erat verum, « Morietur Scipio », quam, « Morietur illo modo »; nec minus necesse mori Scipionem, quam illo modo mori[6]; nec magis immutabile ex vero in falsum, « Necatus est Scipio », quam « Necabitur Scipio » : nec, quum hæc ita sint[7], est causa, cur Epicurus fatum extimescat, et ab atomis petat præsidium, easque de via deducat, et uno tempore suscipiat res duas ine-

ab uxore Sempronia Gracchi sorore datum suspicati sunt. Turn.

4. *Ut quamquam de futuro dicitur, tamen ut id non possit converti in falsum.* Lectio hæc vulgata sæpe legitur; aliter autem edidit Brem. vett. edd. fide : « ut, quamquam de futuro dicatur, tamen id non possit converti in falsum ». Sed addit vir eruditus : « Vulgo legitur *tamen ut id;* quod forsitan aliquis exemplis defendat, in quibus Cicero sæpe eamdem vocem, post interjectam aliquam enuntiationem, etiam brevem, repetit. Ita v. c. de Fin. III, 13, V, 15; de Div. I, 17, quibus in locis non erat, cur doctissimi interpretes hærerent. Nam hæc constructio apud Ciceronem non est infrequens. Mirus est ex hoc genere locus in Oratore, c. 42. Baum.

5. *Morietur noctu in cubiculo suo Scipio vi oppressus.* Quod tamen in speciem minus necessarium esse videtur, quam morietur : propterea quod omnes mortales hac conditione nati sunt, ut moriendum sit eis. Contendit tamen Diodorus non minus esse necesse. Turn.

6. *Nec minus necesse, mori Scipionem, quam illo modo mori.* Duæ sunt rationes, quibus hic locus emendari possit : aut, « nec magis necesse », quod Ramus voluit, aut, « nec minus necesse mori Scipionem illo modo, quam mori »; quod Davisius conjecit. Tertia enim, quæ Turnebi est ratio, Ciceroniana non est : « Nec minus, quam necesse mori Scipionem, illo modo mori ». — Verisimilior tamen videtur Rami emendatio. Vult enim Cicero ostendere, ea quæ quivis pro necessariis habeat, non *magis* necessaria fuisse, quam ea, quæ vulgo minus videantur. Re quidem utraque lectio æque bona est, sed Rami, Ciceronis menti, et ei quo utitur, enuntiandi generi, longe aptior. Baum.

7. *Nec quum hæc ita sint.* Quamquam enuntiationes necessitatem veri vel falsi habent, ut Diodorus censet, non tamen ea de causa fatum fuerit : quod quum timeret Epicurus, et omnem enuntiationem veram, vel falsam esse negavit, et motum quemdam commentitium declinationis atomorum induxit. Turn.

Digitized by Google

nodabiles; unam, ut sine causa fiat[8] aliquid, ex quo exsistet, ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi, nec cuiquam physico placet; alteram, ut, quum duo 19
individua per inanitatem ferantur[9], alterum e regione moveatur, alterum declinet. Licet enim Epicuro, concedenti, omne enuntiatum aut verum, aut falsum esse, non vereri, ne omnia fato fieri sit necesse. Non enim æternis causis[10], naturæ necessitate manantibus, verum est id, quod ita enuntiatur : « Descendit[11] in Academiam Carneades[12] »; nec tamen sine causis; sed interest inter causas fortuito antegressas, et inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem[13]. Ita et semper verum fuit, « Morietur Epicurus, quum duo et septuaginta annos vixerit, archonte Pytharato[14] »; neque tamen

8. *Ut sine causa fiat.* Quia declinationis nullam causam Epicurus affert, ut aliorum motuum. Moveri per inane profundum, verbi gratia, individua corpuscula dicit propter pondus, et resilire in concursionibus ex plaga : ut illorum duorum motuum causæ sint, pondus et plaga; declinationis autem quam afferre tandem causam potest? Itaque in ea et a Cicerone, et ab omnibus Stoicis valde exagitatur et vexatur. Turn.

9. *Quum duo individua per inanitatem ferantur.* Lambinus conjecit : « quum duo individua corpora per inanitatem deorsum ferantur ». Utrumque exemplis bene refutavit Wopkensius. Barm.

10. *Non enim æternis causis.* Reg. atque Ball. habent « externis causis », unde Davisius conjecit, « ex æternis causis », quod placet. Ita cap. 10, « ex æternitate verum ». Neque minus probabilis est Guelph. atque U lectio « a naturæ necessitate ». Barm.

11. *Descendit.* Erat enim in declivi Academia, Athenæ in edito. Turn.

12. *Carneades.* Novæ Academiæ philosophus, disputator acerrimus. Turn.

13. *Et inter causas cohibentes in se efficientiam naturalem.* Wopkensius conjecit *continentes.* Gesnerus in Thes. vulgatam sic explicat : « Cohibentes, i. e. continentes in se causas libere et proinde contingenter agentes; et agentes physice et ex necessitate suæ naturæ », locum dans Lucretii II, 1030. Observandum est *cohibere* pro *continere* tum dici, quum aliquid in alio quasi inclusum, et fere confusum cum eo fit. Arctiorem igitur conjunctionem indicat, quam *continere.* Ita terra semen dicitur in se cohibere de Senectute, c. 15. Locus, quem Ernestius in Clavi laudavit ex libro de Natura Deor. II, 13, non convenit. Ibi *cohibere* est regere, dominari. Barm.

14. *Pytharato.* Ita recte ediderunt nonnulli ex Diog. Laert. X, 15, nummo argenteo et edd. vett. Habet etiam Plutarch. in Vitis Oratt. Gr. p. 847, D. Vulgo *Pitharato.* Archon fuit Olymp. CXXVII. Barm.

Digitized by Google

erant causæ fatales, cur ita accideret; sed, quod ita
20 cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ii, qui dicunt[15] immutabilia esse, quæ futura sint, nec posse verum futurum converti in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur[16]. At, qui introducunt[17] causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devinciunt. Sed hæc hactenus : alia videamus.

X. Concludit enim Chrysippus hoc modo : « Si est motus[1] sine causa, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera, aut falsa erit. Causas enim efficientes quod non habebit, id nec verum, nec falsum erit. Omnis autem enuntiatio, aut vera, aut
21 falsa est. Motus ergo sine causa nullus est. Quod si ita est, omnia, quæ fiunt, causis fiunt antegressis. Si id ita est, omnia fato fiunt[2]. Efficitur igitur, fato fieri, quæcumque fiant ». Hic primum si mihi libeat assentiri Epicuro[3], et negare omnem enuntiationem

15. *Nec ii, qui dicunt.* Ut Diodorus, qui tantum quærit, quid valeant enuntiationes de eo quod fieri potest aut non potest, non causas fatales scrutatur. Turn.

16. *Verborum vim interpretantur.* Veræne sint enuntiationes an falsæ. Turn.

17. *At, qui introducunt.* Ut Stoici. Turn.

X. 1. *Si est motus.* Ut appetitio et voluntas : nec contra Epicurum ista disseruntur, sed ad confirmationem fati. Disputat Alexander, lib. II de Animo, κίνησίν τινα ἀναίτιον εἶναι. Turn.

2. *Id si ita est, omnia fato fiunt.* Davisius cum cod. Ball. legendum censet « omnia quæ fiunt, fato fiunt ». At unus codex, neque is admodum bonus, nihil facit momenti, præsertim quum vulgata lectio bona sit, et ipse Davisius infra, c. 12, Lambinum sine sontica causa simile quid inseruisse dicat. Capite nostro, et aliis hujus libri locis simpliciter *omnia fato fieri* dicuntur. — Adde, quod, si ter illa tam brevi intervallo legerentur, oratio foret injucunda. Barm.

3. *Hic primum mihi libeat assentiri Epicuro.* Ita edidi ex certissima erud. Hottingeri emendatione. Vulgo legitur : *Primum si mihi.* « Non apparet, inquit vir doct. cur *primum* dicat : nihil enim sequitur secundum. Neque hanc vocem contextus postulat hic eo modo accipi, quo sæpe absolute poni, Wopkensius, Lect. Tull. p. 52,

Digitized by Google

aut veram esse, aut falsam, eam plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. Illa enim sententia aliquid habet disputationis[4], hæc vero non est tolerabilis[5]. Itaque contendit omnes nervos Chrysippus, ut persuadeat, omne ἀξίωμα aut verum esse, aut falsum. Ut enim Epicurus veretur, ne, si hoc concesserit, concedendum sit, fato fieri, quæcumque fiant (si enim alterutrum ex æternitate verum sit, esse id etiam certum; et, si certum, etiam necessarium: ita et necessitatem, et fatum confirmari putat): sic Chrysippus metuit, ne, si non obtinuerit, omne, quod enuntietur, aut verum esse, aut falsum, non teneat, omnia fato fieri[6], et ex causis æternis rerum futurarum. Sed Epicurus[7] declinatione atomi vitari fati ne- 22

aliique docuerunt. Sed qualis præterea horum est sensus? « Si Ciceroni libeat assentiri Epicuro, se id facturum potius, quam Chrysippi sententiam probaturum ». Ain' vero? Tu, si libeat assentiri, assentiare? At hoc ineptum, neque a Cicerone est, et editores id fugisse, vix satis mirarer, nisi scirem, non omnem mendorum foeditatem in propatulo esse sitam, multaque legentibus sine offensa transmitti, quæ attentius considerata, longe absurdissima videantur. Facilis tamen medela loci, ut qui deleta particula *si* prorsus sanabitur. Eam corrector quis oscitans intrusit, qui a verbis istis, *eam plagam* apodosin aliquam incipere putans sine conditione protasin haud constare fuit arbitratus. Sed nullus apodosi locus est, et pronomen *eam* signatius hoc exprimit, quod antea simpliciter dictum erat. Nam hoc vult Tullius: Si optio sibi proponatur inter Chrysippi fatum statuentis, et Epicuri, fati evitandi causa omnem enuntiationem aut verum, aut falsam esse negantis, sententiam eligendi, se nunc primum assensurum Epicuro, ei, quem ut hominem stupidum atque hebetem exagitare, et a quo fere in alia omnia discedere consuesset; hanc enim opinionem, utcumque absurdam, et philosopho maxime indignam, sibi tolerabiliorem tamen videri, quam fati necessitatem ». Brem.

4. *Disputationis.* In ea aliquid dubium videtur controversum esse; alioqui id non tantopere disputaret Chrysippus. Turn.

5. *Tolerabilis.* Quum ex ea sequatur eversio vitæ et morum, et voluntatis servitus. Turn.

6. *Ne, si non obtinuerit ... omnia fato fieri.* Hæc lectio sine dubio et rei convenit, et latinitati; sed videtur ex admodum paucis MSS ducta esse. Brem.

7. *Sed Epicurus.* Motum declinationis excogitavit Epicurus, ut voluntatis libertatem retineret, ne, si in pronum semper laberentur atomi ne-

Digitized by Google

cessitatem putat. Itaque tertius quidam motus[8] oritur extra pondus et plagam, quum declinat atomus[9] intervallo minimo : id appellat ἐλάχιστον. Quam declinationem sine causa fieri si minus verbis, re cogitur confiteri. Non enim atomus ab atomo pulsa declinat: nam qui potest pelli alia[10] ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua, rectis lineis, ut Epicuro placet? Sequitur enim, ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, ut jam si sit atomus[11], eaque declinet, de-
23 clinare sine causa. Hanc rationem[12] Epicurus induxit ob eam rem, quod veritus est, ne, si semper atomus

cessario et naturali motu, fato fierent omnia : nunc enim quum incerto spatio et regione declinent, ex eo efficitur, ut, quandocumque volumus, nobis omnis susceptio et animi inductio libera sit et voluntaria. Turn.

8. *Tertius quidam motus.* Tres atomis motus Epicurus, ut Plutarchus scribit, tribuit : unum κατὰ σταθμὴν, id est, ad lineam : alterum κατὰ παρέγκλισιν, id est, per declinationem : tertium κατὰ πλαγὴν, id est, ex plaga. Ad lineam moventur deorsum per inane profundum : per declinationem, quum minimum declinant, ut complexiones, copulationes et adhæsiones atomorum fiant; nam si omnes e regione moverentur, nulla alteram attingeret : ex plaga, quum propter soliditatem ex conflictu resultant. Turn.

9. *Quum declinat atomus.* Lambinus, nescio cur, legendum censuit *quo declinat.* Sed Cicero sæpe enuntiationem, quæ antecedentia ulterius illustret, per voculam *quum* adjungit. — Ceterum Commentarii loco esse potest de Finibus, I, 6. Brem.

10. *Nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua.* Manutius et post eum alii viri docti voces *corpora individua* pro insititiis habuerunt. Sunt tamen in Cicerone multa, quæ nostro loco congruant, ita ut subjectum modo eadem voce, modo alia idem significante, repetatur, v. c. de Finibus, I, 1, ubi viri docti sine causa *sapientia* deleverunt. Ib. II, 10: « Neque enim hæc (voluptas non dolendi) movere potest appetitum animi : nec ullum habet ictum, quo pellat animum status hic non dolendi ». Ubi miror nemini postrema verba suspecta fuisse. Brem.

11. *Ex quo efficitur, ut jam si sit atomus, eaque declinet, declinare sine causa.* Sic nos edidimus, quia sic vulgo. Sed Bremi, ex Davisii auctoritate, quam firmant et plures MSS, legendum censet, « ex quo efficitur, etiam si sit atomus, eaque declinet, declinare [eam] sine causa ». Ceterum de loco disserit : Vulgo legitur *ut jam si sit*, et in fine omittunt *eam.* Manutius conjunctionem *si* ejiciendam censuit, quem sequutus est Olivetus.

12. *Hanc rationem.* Hanc declinationem atomorum. Turn.

Digitized by Google

gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum [13] nobis esset, quum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc Democritus [14], auctor atomorum, accipere [15] maluit, necessitate omnia fieri, quam a corporibus individuis naturales motus avellere.

XI. Acutius [1] Carneades, qui docebat, posse Epicureos suam causam [2] sine hac commentitia declinatione defendere. Nam quum doceret, esse posse quemdam animi motum voluntarium, id fuit defendi [3] melius, quam introducere declinationem, cujus præsertim causam reperire non possunt [4]. Quo defenso, facile Chrysippo possent resistere. Quum enim concessissent, motum nullum esse sine causa, non concederent, omnia, quæ fierent, fieri causis antecedentibus:

13. *Nihil liberum.* Lucretius, lib. II, 251.

14. *Hinc Democritus.* Codd. fere omnes habent, *id Democritus*, quod nescio an vulgatæ præferendum sit. Brem. — Laertius atomorum auctorem Leucippum fuisse prædicat: Cicero hoc loco Democritum dicit, cujus imitator fuerit Epicurus. Turn.

15. *Accipere.* Admittere et subire: Cicero, Acad. I, 7: « E quibus aer et ignis movendi vim habent et efficiendi: reliquæ partes, accipiendi et quasi patiendi ». Turn.

XI. 1. *Acutius Carneades, qui docebat, posse,* etc. Multo subtilius Carneades pro Epicuro respondebat Stoicis. Docebat enim motum esse posse quemdam voluntarium, a se ortum, cujus antegressæ et externæ causæ nullæ essent. Turn.

2. *Suam causam.* Quæ fatum tollit et libertatem voluntatis constituit. Turn.

3. *Id fuit defendi melius . . . quo defenso, facile Chrysippo possent resistere.* « Verba ista, inquit erudit. Hottingerus, *quo defenso facile Chrysippo possent resistere*, pendent ex illis, *id fuit defendi melius*. Ea vero lectionis vulgatæ trajectio non modo perincommoda est, parumque elegans, sed etiam cum aliqua obscuritate conjuncta. Itaque verba illa in suum locum transponenda puto ». Brem.

4. *Cujus præsertim causam reperire non possunt.* Ernestius edidit *possent*, quod habent duo Guelph. et Vindob. B. Vulgatum latinitati contrarium esse affirmat. At vero Cicero loquitur etiam de iis philosophis Epicureis, qui tunc temporis erant. Recte igitur dicit *possunt*. Idem est ac si dixisset: præsertim quum ejus causam nemo adhuc reperire potuerit, neque jam possit. Actio est durans, et quidem inde ab Epicuro, hoc quoque ipso tempore. Ernestius hæc omnia, nescio quo modo, ex Carneadis ore dicta accipiebat. At sunt Ciceronis, ut indicativus *fuit* ostendit. — *Doceret* pertinet ad Carneadem, non ad Epicurum, quod voluisse videntur ii, qui pro *Epicureos* dederunt *Epicurum*. Brem.

Digitized by Google

voluntatis enim nostræ non esse causas externas et
24 antecedentes. Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, quum ita dicimus, velle aliquid quempiam, aut nolle sine causa : ita enim dicimus, sine causa, ut dicamus, sine externa et antecedente causa, non sine aliqua. Ut quum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici[5], quibus inane esse nihil placet; sed ita, ut, verbi causa, sine aqua, sine vino, sine oleo vas esse dicamus : sic, quum sine causa animum moveri dicimus, sine antecedente et externa causa moveri, non omnino sine causa, dicimus. De ipsa atomo dici potest, quum per inane moveatur gravitate et pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedat extrin-
25 secus. Rursus autem, ne omnes a physicis irrideamur[6], si dicamus, quidquam fieri sine causa, distinguendum est, et ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere et gravitate moveatur, eamque ipsam esse causam, cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa. Motus enim voluntarius eam naturam in se ipse[7] continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa : ejus enim rei causa,
26 ipsa natura est. Quod quum ita sit[8], quid est, cur

5. *Ut physici.* Illi qui vacuum in rerum natura esse nihil censent, sed omnia conferta et plena : nam Epicurus contra, inane ponit. Turn.

6. *Ne omnes a physicis irrideamur.* Ernestius pronomen *omnes* ineptum pronuntiat, legendumque *omnino*. Forsitan alius quispiam *omnes* ita defendat, ut sit « omnes quoquot hæc dicimus » : quod quamquam non prorsus spernam, fateor tamen mihi durum videri. — MSS autem longe plurimi et edd. vett. legunt *omnes physici.* Bamm.

7. *In se ipse continet, ut sit in nostra potestate*, etc. Ita recte ediderunt viri docti ex plurimis optimisque MSS, idque habet Guelph. atque Vindob. A. Bamm.

8. *Quod quum ita sit, quid est, cur omnis pronuntiatio.* Verum et falsum in enuntiatis nihil affert causæ cur fatum sit. Fatum enim non fuerit sine necessariis causis : at ut verum et falsum sit, efficere possunt causæ fortuitæ et voluntariæ. Hic igitur argumentatio Chrysippi repetitur et dilucidatur. Turn.

Digitized by Google

non omnis pronuntiatio[9] aut vera, aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri quæcumque fiant?

XII. Quia futura vera, inquit[1], non possunt esse ea, quæ causas, cur futura sint, non habent, habeant igitur causas necesse est, ut ea, quæ vera sunt, ita quum evenerint, fato evenerint. Confectum negotium[2], si quidem tibi concedendum est, aut fato omnia fieri, aut quidquam posse fieri sine causa. An 27
aliter hæc enuntiatio vera esse non potest, « Capiet Numantiam Scipio », nisi ex æternitate causa causam serens hoc erit effectura[3]? an hoc falsum potuisset esse, si esset sexcentis sæculis ante dictum? Et, si[4] tum non esset vera hæc enuntiatio, « Capiet Numantiam

9. *Cur non omnis pronuntiatio.* Davisius conjecit *enuntiatio*, quod utique est usitatius. At *pronuntiatum* legitur Tusc. Disp. I, 7. Cf. Gellius, lib. XVI, 8. Brem.

XII. 1. *Futura ... inquit*, scilicet Chrysippus. Turn.

2. *Confectum negotium.* Cicero de Divin. II, 49 : « Quam paucis verbis negotium confectum putant ». Sic Martialis, lib. I, epig. 28 : « Tu factam tibi rem statim putasti ». Ductus est sermo ab hominum pactionibus et negotiis. Turn.

3. *Nisi ex æternitate causa causam serens hoc erit effectura?* Libri quidam apud Lambinum; Guelph. et Vindob. B. habent *causarum series*, quod recte Lambinus ex glossemate natum putavit. — Pro *erit effectura* MS Eliens. habet *erat*, idque etiam in Vindob. B supra scriptum est : quod non malum judicat Davisius. Mihi tamen futurum unice verum videtur, quum Cicero dicat, *non potest*. Si *non poterat* dixisset, tum *erat* præferendum foret. — Hoc autem futurum quamquam ab interpretibus sæpe tenetur, legitur tamen in optimo quoque scriptore. Non erat Davisio Columella in partes vocandus. Nam Cicero ipse interdum habet. De Orat. I, 52 : « apud quos aliquid aget, aut erit acturus ». II, 23, « quascumque causas erit acturus ». Idem restituendum censeo, de Legibus, lib. I, 13, « atque si natura confirmatura non erit », quod habent multi codd. etiam Guelph. — De hoc tempore, sicut de ceteris ille vir doctissimus optima quæque nos docebit, a quo novam hujus rei rationem summo cum desiderio exspectat quivis, qui harum literarum studio se dedit. Brem.

4. *Et, si tum non esset vera hæc enuntiatio*, etc. Quam edidimus lectionem, habent fere omnes MSS : edidit tamen Bremi, *at, si tum*; addiditque : « Vulgo legitur *et, si*. Verum egregie monet eruditissimus Hottingerus, nullum copulæ locum esse, idque conjecit, quod edidi. Eleganter autem Cicero vocula *at* tum utitur, quum antecedentibus aliquid ita opponit, ut prorsus neget, illa vera esse posse ».

Digitized by Google

Scipio»; ne illa quidem eversa vera est hæc enuntiatio, «Capiet Numantiam Scipio»? Potest igitur[5] quidquam factum esse, quod non verum fuerit futurum esse? Nam ut præterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit instantia[6]: sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia[7], ea
28 vera dicemus. Nec, si omne enuntiatum aut verum, aut falsum est, sequitur illico, esse causas immutabiles[8], easque æternas, quæ prohibeant quidquam secus cadere, atque casurum sit. Fortuitæ sunt causæ, quæ efficiant, ut vere dicantur, quæ ita dicentur, «Veniet Cato in senatum», non inclusæ in rerum natura, atque mundo. Et tamen tam est[9] immutabile venturum, quum est verum, quam venisse; nec ob eam causam fatum, aut necessitas extimescenda est. Etenim erit confiteri necesse: si hæc enuntiatio, «Veniet in Tusculanum Hortensius[10]», vera non est[11]; se-

5. *Potest igitur.* Si ex vero in falsum futura mutari possunt, posset aliquid factum esse, quod falsum fuerit futurum esse. Hic enim Cicero ex Diodori sententia Chrysippo respondet, et sine fato docet futura immutabilia esse posse. Locum per interrogationem lego. Turn.

6. *Quorum... vera fuerit instantia ... vera erit instantia.* Ita cum Davisio atque Ernestio ex editione Veneta edidi. Vulgo *fuerint ... erunt*, quod tum demum probabo, quum simile exemplum ex Cicerone prolatum fuerit. — Pro *consequenti* Ball. E, Vindob. B habent *subsequenti*, quæ facile commutantur in libris. Literæ enim *c* et *s* similiter scriptæ sunt, ceteræ per compendium omittuntur. Barm.

7. *Instantia.* Præsentia. Cicero de Oratore, II, 25: «Genus causæ ex controversia facti, vel ex futuri, vel ex instantis». Turn.

8. *Causas immutabiles.* Ut vult Chrysippus. Immutabiles autem causæ fatales sunt et necessariæ. Turn.

9. *Et tamen tam est immutabile.* Quæ sententia est Diodori. Turn.

10. *Hortensius.* Qui, Cicerone hæc condente, jam mortuus erat. Habebat autem in agro Tusculano villam Hortensius. Turn.

11. *Vera ... sequitur, ut falsa sit.* Vulgo post *necesse* commate interpungitur, ita ut *sequitur* ab eo pendeat. Itaque viri docti hanc constructionem improbantes mutare voluerunt *sequitur*: Ramus in *sequi*, Davisius in *sequi tum*. Neutrum verum esse posse, ipsa Ciceronis verba docent. Si enim Cicero infinitivum posuisset, fuisset dicendum: «Si hæc enuntiatio vera non sit», non *est*. Mihi

Digitized by Google

quitur, ut falsa sit. Quorum isti neutrum[12] volunt; quod fieri non potest.

Nec nos impediet illa ignava ratio, quæ dicitur: appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος[13], cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant[14]: « Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere; sive medicum adhibueris, sive[15] non, convalesces. Item, si fatum tibi est, ex hoc morbo 29
non convalescere; sive tu medicum adhibueris, sive non, non convalesces. Et alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil attinet ».

XIII. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione[1] omnis

Cicero videbatur id, quod confiteri necesse esset, rectæ enuntiationis forma expressisse. Ita supra cap. 9 : « Nec magis erat verum : Morietur Scipio, quam morietur illo modo », et sæpius. — Difficilior est locus infra, cap. 18, quem maxime miror ab interpretibus non esse tentatum. « Itaque illi rationi quam paullo ante conclusi, sic occurrit : Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis, verum non principalibus et perfectis, sed adjuvantibus et proximis : quæ si ipsæ non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit ». Quo loco, utpote in oratione obliqua, multo sane aptior foret infinitivus. Opus tamen non esse, ut restituatur, demonstrabo ad cap. 20 : « nec in ipsa atomo aliquid mutationis factum est ». Brem.

12. *Quorum isti neutrum.* Epicurei, qui hujusmodi enuntiationes neo veras, nec falsas esse dicunt, ut dicet infra Cicero. Tuam.

13. Ἀργὸς λόγος. Huc in primis facit Origenes in Celsum, lib. II, pag. 73, 74. Ad eumdem locum uterque respicit. Vide Lud. Crejollium, Theatr. Rhet. II, 6. Dav.

14. *Interrogant.* Nam interrogat is cui respondendum est, ut respondendum est ista ratiocinanti. Tuam.

15. *Sive non.* Post hanc vocem *non*, hic et paullo infra, cum Davisio Brem. ex optimis et plurimis codd. vocem *adhibuerit* addidit; quam additionem sic defendit vir erudititissimus : « Hæc loquendi ratio convenit cum ea, quam Ernestius in Cicerone sæpius damnavit, ut parum Ciceronianam : *sint necne sint* v. c. ad lib. de Nat. Deor. III, 7, et c. 3; de Finibus, V, 26; Tusc. Dispp. II, 12. Sed multa loca intacta reliquit v. c. de Divinat. I, 39; de Finibus, IV, 12, bis 25, etc. Est autem talis constructio Platoni atque Xenophonti admodum familiaris, unde suam Cicero fecit. — Hæc nostra longe frequentior est Ciceroni, quam illa altera. Monendum tamen hoc est, eum in partitione non in oppositione hoc facere solere, in qua raro fit ».

XIII. 1. *Quod eadem ratione.* Quia quod in morbo dictum est, licet in omni re gerenda eodem modo enun-

Digitized by Google

e vita tolletur actio. Licet etiam immutare, ut fati nomen ne adjungas, et eamdem tamen teneas sententiam, hoc modo: «Si ex æternitate verum hoc fuit, Ex isto morbo convalesces; sive adhibueris medicum, sive non, convalesces. Itemque, si ex æternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo [non][2] convalesces; sive adhibueris medicum, sive non adhibueris, non convalesces»: deinde cetera. Hæc ratio a Chrysippo[3] reprehenditur. Quædam enim sunt, inquit, in rebus simplicia[4], quædam copulata. Simplex est, «Morietur eo die Socrates». Huic, sive quid fecerit, sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, «Nascetur OEdipus Laio[5]»: non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere, sive non fuerit; copulata enim res est, et confatalis: sic enim appellat[6], quia ita fatum sit, et concubiturum cum uxore Laium, et ex ea OEdipum procreaturum. Ut si esset dictum, «Luctabitur Olympiis Milo[7]»; et referret aliquis, «Ergo, sive

ties: ex quo tolletur omnis actio. T.

2. *Ex isto morbo [non] convalesces.* Deleta negante particula, legendum, «ex isto morbo convalesces»: vult enim Cicero, si falsum fuit eum convaliturum; adhibito vel non adhibito medico, nequaquam convalescet. Hoc olim vidit Pet. Ramus, et diserte firmant Ursin. Balliol. Reg. et Ven. 1471. Dav.

3. *Hæc ratio a Chrysippo.* Chrysippus etsi fatum affirmabat, tamen et id quod fieri potest, et consilium, et deliberationem et actiones, et officia retinebat, ut docet Alexander. Is igitur rationi ignavæ, quæ ad eversionem fati objiciebatur, respondebat.

4. *Simplicia.* In quibusdam simplex esse fatum ponit Chrysippus: in aliis tamquam duplex et copulatum, ut utrumque confatale sit. Ita ignavam captionem solvit. Turnebus.

5. *Nascetur OEdipus Laio.* Res est nota. Adscribemus tamen Davisii notam. «Versus, quem Turnebus laudat, Εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ', ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς, est Euripidis in Phœnissis, v. 19. Eum tamen instar oraculi citant etiam Maximus Tyrius, Diss. XIX, § 5, et Origenes in Celsum, lib. II, pag. 73. Ipsius responsi verba suppeditabunt Scholiastes in Aristophanis Ranas, vs. 1216, et auctores argumentorum græcorum in Sophoclis OEdipum Tyrannum, et in Euripidis Phœnissas.» Hæc ille. Cf. insuper ad Euripidis locum Valkenaerium. Bake.

6. *Sic enim appellat.* Συναμαρμένον Chrysippus dixit, quod *confatale* Cicero vertit. Hoc vocabulum apud Plutarchum exstat in libello de Fato.

7. *Luctabitur Olympiis Milo.* Multi

Digitized by Google

habuerit adversarium, sive non habuerit, luctabitur », erraret ; est enim copulatum luctabitur, quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur[8]. Sive tu adhibueris medicum, sive non adhibueris, convalesces : captiosum. Tam enim est fatale, medicum adhibere, quam convalescere. Hæc, ut dixi, confatalia ille appellat.

XIV. Carneades[1] hoc totum genus non[2] probabat, 31
et nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat. Itaque premebat alio modo, nec ullam adhibebat calumniam[3] ; cujus erat hæc conclusio[4] : « Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali colligatione conserte contexteque fiunt. Quod si ita est, omnia necessitas efficit. Id si verum est, nihil est in nostra potestate. Est autem aliquid in nostra potestate. At, si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt. Non igitur fato fiunt, quæcumque fiunt ». Hæc 32
arctius adstringi ratio non potest[5]. Nam si quis velit

codd. habent *Milon*, quod nostra ætas, græcarum illa literarum amans, præferre cœpit. Sed Cicero *o* habet, quum genitivus est *onis; on*, quum est *ontis : Plato*, *onis; Xenophon*, *ontis*. Brem.

8. *Refelluntur*. Quod in eis quiddam copulatum sit et confatale, ut censèt Chrysippus. Turn.

XIV. 1. *Carneades*. Carneades instituto novorum Academicorum in Stoicos disputabat : sed in oppugnatione fati non probabat ignavam rationem, et Stoicos alio argumento premebat. Turn.

2. *Non probabat*. Davisii codd. omnes videntur *probat* habere. Nam in altera editione conjecit *probabat* pro *probat*, quod est in textu. *Probabat* autem jam legitur in edd. quibusdam vett. Vindobb. Oxonn. Ψ et U, atque unice verum videtur. Etsi enim probe scio, diversa tempora a Cicerone sæpe conjungi, illa tamen exempla ejus generis sunt, ut eum, qui non accurate omnem enuntiationem disquirat, facile fugiant. Plura sunt hujusmodi exempla ex libris de Divinatione, quæ egregie sunt ab eruditissimo editore contra Davisii conatus vindicata. Sed talia exempla, quale nostrum est, ea ubique corrigenda videntur. In his enim nulla codicum est fides, in quibus hujusmodi corruptiones *probat*, *probabat* sexcenta inveniuntur. Pro *nimis inconsiderate* habet MS *minus considerate*. Brem.

3. *Adh. calumniam*. Nam captio et calumnia inest in ratione ignava. Turn.

4. *Conclusio*. Id est, argumentatio.

5. *Hæc arctius adstringi ratio non potest*. Sunt tres hic lectiones; ea,

Digitized by Google

idem referre, atque ita dicere : « Si omne futurum ex æternitate verum est, ut ita certe eveniat, quemadmodum sit futurum, omnia necesse est colligatione naturali conserte contexteque fieri » : nihil dicat. Multum enim differt, utrum causa naturalis ex æternitate futura vera efficiat, an etiam sine æternitate naturali[6], futura quæ sint, ea vera esse possint intelligi. Itaque dicebat[7] Carneades, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita
33 contineret, ut ea fieri necesse esset. Quid enim spectans deus ipse diceret, Marcellum eum[8], qui ter consul fuit, in mari esse periturum ? Erat quidem hoc verum ex æternitate, sed causas id efficientes non habebat. Ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa, tamquam vestigia, exstarent, Apollini nota esse censebat : quo minus futura[9]. Causis enim efficientibus quamque

quam edidi, quæque et menti et Ciceronis stylo maxime consentanea videtur : altera : « Hoc arctius adstringi ratio non potest ». Denique legitur : « Hoc arctius adstringi ratione non potest ». Guelph. habet, « Hoc vel hæc ratio arctius adstringi non potest » : quo exemplo discere licet, sæpe duas lectiones in textum esse illatas adjuncta particula *vel*, quæ adhuc veterum scriptorum locos corrumpit. Baeh.

6. *Sine æternitate naturali, futura quæ sint, ea vera esse possint intelligi.* Primo quidem aspectu satis videatur absurdum, æternitatem dici aliam naturalem, aliam non naturalem. At vero Cicero loquitur de iis rebus, quæ ex æternitate fiunt ita, ut causæ earum naturales adsint, et de iis, quæ tantum causas fortuitas habeant. Illarum æternitatem dicit naturalem, hæ fiunt sine causis ex æternitate; non omnino non sunt ex æternitate veræ.

7. *Itaque dicebat.* Diodori sententia περὶ δυνατῶν adversus Stoicos utebantur Academici, ut vera ex æternitate futura essent, sine naturalium causarum antecessione : ac proinde Carneades divinationem esse negabat posse, etsi immutabilitas in futurorum veritate esset, nisi in iis quæ naturalibus et necessariis causis continerentur. Turn.

8. *Marcellum eum.* Cicero de Divinatione, lib. II, cap. 5 : « Ut si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse periturum, divinasset profecto ». Et in Pisonem, cap. 29 : « M. Marcellus, qui ter consul fuit, summa virtute, pietate, gloria militari, periit in mari ». Fuit, ut Asconius ait, nepos illius Marcelli, qui Syracusas cepit. Is naufragio ad Africam periit paullo ante tertium Punicum bellum. Turn.

9. *Quo minus futura.* Reg. et Cantab. quorum lectiones magni alias facio, hoc loco habent glossema *quanto*

Digitized by Google

rem cognitis, posse denique sciri, quid futurum esset. Ergo nec de OEdipode[10] potuisse Apollinem prædicere, nullis in rerum natura causis præpositis, cur ab eo patrem interfici necesse esset; nec quidquam hujusmodi.

XV. Quocirca[1] si stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est, hujusmodi oracula, ceteraque, quæ ad divinationem pertinent, comprobare; iis[2] autem, qui, quæ futura sunt, ea vera esse ex æternitate dicunt, non idem dicendum est : vide, ne non eadem sit illorum causa, et stoicorum. Hi enim urgentur angustius[3]; illorum ratio soluta ac libera est. Quod si 34
concedatur[4], nihil posse evenire, nisi causa antecedente : quid proficiatur, si ea causa non ex æternis causis apta dicatur[5]? Causa autem ea est[6], quæ id ef-

minus. Illud raritas defendit. Legitur tamen v. c. de Finibus, I, 18 : « Neque enim civitas in seditione beata esse potest, nec in discordia dominorum domus : quo minus animus a se ipse dissidens gustare aliquam partem liquidæ voluptatis potest? » Brem.

10. *OEdipode*. Legunt alii *OEdipo*. Nostra lectio plurimis nititur codd. Græcam hanc terminationem Cicero etiam habet de Finibus, V, 1. Atque græcum terminandi modum in libris philosophicis sæpius habet, præsertim in iis locis, ubi de majori quadam re sermo est, quamquam etiam alibi. In orationibus non solet, nisi si omnes in voce consentirent. Brem.

XV. 1. *Quocirca*. Colligit omnia esse expeditiora et liberiora Diodoreis quam Stoicis, et eorum sententias valde discrepantes esse : quas tamen quispiam fortasse easdem falso esse putaret, et nonnulli Stoici clamabant. Non enim necesse est Diodoro divinationem et oracula approbare : necesse est Stoicis, si sibi constare velint. Turn.

2. *Iis autem*. Id est, Diodoreis. — *Hi enim*. Id est, Stoici. Turn.

3. *Urgentur angustius*. Vett. quædam edd. atque E habent *angustiis*, quod non convenit. Sensus enim loci hic est : Angustioribus hi terminis includuntur, quam illi, quorum ratio soluta est. Qui sensus inest in adjectivo. In substantivo oppositionis vis perit. Brem.

4. *Quod si concedatur*. Antea negavit omnis motus causas esse antecedentes, unde fatum Stoici argumentabantur : nunc hoc concesso, negat tamen sequi fatum esse. Turn.

5. *Apta dicatur*. Ita Davisius edidit e cod. Eliens. et edit. Venet. quibuscum facit editio Crat. et aliæ quædam. Eadem lectio est in editione Oxon. nec ulla varietas e codd. notatur. Vulgo legitur *ducatur*, quæ confusio in libris est frequentissima. *Dicatur* est *statuatur*. Brem.

6. *Causa autem ea est*. Quæ efficienter rei cuique antecedit. Itaque adjumenta, præcursiones, materiam,

Digitized by Google

ficit, cujus est causa; ut vulnus, mortis; cruditas, morbi; ignis, ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet, ut, quod cuique antecedat, id ei causa[7] sit, sed quod cuique efficienter antecedat; nec, quod in campum descenderim, id fuisse causæ, cur pila luderem; nec Hecubam causam interitus fuisse Trojanis, quod Alexandrum[8] genuerit; nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytæmnestram. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse dicetur, cur ab eo spoliaretur. Ex hoc genere[9] illud est Ennii[10],

> Utinam ne in nemore Pelio securibus
> Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes!

Licuit vel altius, Utinam ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor! etiam supra, Utinam ne esset mons ullus[11] Pelius! Similiterque superiora repetentem regredi infinite licet.

ferramenta, sine quibus aliquid effici nequit, in causis hic non numerat. Turn.

7. *Id ei causa sit.* Edit. Crat. habet, « idem causa fit », quæ lectio elegans est, et ex Ciceronis more. Ita v. c. Tusc. Disp. I, 20, ex correctione nuperrimi editoris, II, 28; de Off. I, 19, 5, alibi. Sed hac unius editionis fide nihil novandum est. Bamm.

8. *Alexandrum.* Qui, rapta Helena, Trojæ excidii causa fuit. Turn.

9. *Ex hoc genere.* Ex eo genere rerum sine quibus effici non potest. Locus est ex Ennii Medeâ. Turn.

10. *Ennii.* Nomen *Ennii* omittunt E et ψ, quod non malum est. Nam Cicero, quum hos versus Romanis notissimos laudat, Ennii nomen addere non solet. Cf. de Fin. I, 2; de Nat. Deor. III, 30; Topic. 16. Bamm.

11. *Utinam ne esset mons ullus Pelius!* In Davisii editione, puto per operarum errorem, deest *ullus*: atque omnino, si quis loci sensum perquirat, *ullus* non satis aptum esse inveniat. Si Cicero scripsisset *nullus* res alia esset. Id enim monendum est, Ciceronem non solere « non ullum » pro « nullum », « non umquam » pro « numquam » dicere, quamquam sæpissime dicat, « nec ullam, nec umquam ». Sunt quidem exempla quædam, quamquam ea quoque pauca, in quibus « non ullus » pro « nullus » dictum videatur. Sed si diligentius inquiras, *non* ad verbum pertinere invenies, et *ullus* suam vim habet. Cf. v. c. de Fin. III, 15; Bruto, 90. — At vero si nostro loco « utinam ne esset » conjungas et *ullus* propria vi accipias, sententia non satis accurata est: quod libenter concedo. Sed Cicero quum dixerat, « utinam ne in Pelio ulla umquam esset

Digitized by Google

Neve inde navis inchoandæ exordium
Cœpisset.....

Quorsum hæc præterita? quia sequitur illud[12],

Nam numquam hera errans mea, domo efferret pedem
Medea, animo ægro, amore sævo saucia;

non, ut eæ res causam afferrent amoris.

XVI. Interesse autem aiunt, utrum ejusmodi quid 36
sit, sine quo aliquid effici non possit, an ejusmodi, quo aliquid effici necesse sit. Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cujus dicitur causa[1]; nec id[2], sine quo quippiam non fit, causa est; sed id, quod quum accessit, id, cujus causa est, efficit necessario. Nondum enim ulcerato ser-

arbor », flumine quodam orationis abreptus non addidit : « utinam ne esset mons ullus Pelius », non curans, an omnibus expensis, satis recte dicatur. Brem.

12. *Quia sequitur illud...non, ut eæ res causam afferrent amoris.* Lambinus ante *ut* desiderari quædam putabat : contra quem monet Davisius *ut* dictum esse pro *quod*. — Sensus loci erat indicandus. Puto rem sic expediri posse. *Sequi* et *causam afferre* sibi opponuntur. *Sequi* significat post aliud esse, ita ut, nisi illud fuerit, neque hoc sit. Si enim nulla arbor fuisset, ex qua navis exstrueretur, ne reliqua quidem illa fieri potuissent. « Causam autem afferre », est quod Cicero alibi dicit efficienter alicui antecedere, ita ut necessario aliud efficiatur. Sensus igitur is est. Quorsum hæc præterita? quia sine his reliqua fieri non potuissent, non quod ex iis necessario sint effecta : quia hæc est quidem causa antecedens, sed non principalis et perfecta. Cicero in altero membro loquendi rationem mutavit, quum diceret *ut*. — Atque hunc sensum etiam vulgatæ lectioni tribuit eruditissimus Hottingerus, veretur tamen, ne locus corruptus sit, itaque restituendus : « Quorsum hæc præterita? Num ut eæ res causam afferrent amoris? quia sequitur illud : Nam numquam h. etc. » Brem.

XVI. 1. *Quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cujus dicitur causa.* Ita codd. optimi et plurimi. Edd. quædam vett. habent, « quoniam nulla earum rerum sua vi efficit id, cujus, etc. » Deleta voce *rerum*, quæ a librariis sæpissime illata est, hæc lectio satis bene convenit consuetudini Ciceronianæ. Alii legunt, « quoniam nullam rem sua efficit », quod absurdum est. Brem.

2. *Nec id....efficit necessario.* Erunt forsitan aures tam delicatæ, quæ triplex *id* non ferant. Sed hoc ipsum pronomen interdum a Cicerone ingrato nobis modo repetitur, v. c. de Natura Deor. II, 17; de Off. I, 1, 4. Adde 28, 9. Atque omnino in ejusmodi vocibus iteraudis Cicero non ad modum fastidiosus est. Ita *est* ter quaterve ab eo repetitur. Cf. v. c. de Off. I, c. 43, 7. Brem.

Digitized by Google

pentis[3] morsu Philocteta, quæ causa in rerum natura continebatur, fore, ut is in insula Lemno linqueretur? Post autem causa fuit propior, et cum exitu junctior.
37 Ratio igitur[4] eventus aperit causam. Sed ex æternitate vera fuit hæc enuntiatio : « Relinquetur in insula Philoctetes » ; nec hoc ex vero in falsum poterat converti. Necesse est enim[5] in rebus contrariis duabus (contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat), ex his igitur necesse est, invito Epicuro[6], alterum verum esse, alterum falsum : ut, « Sauciabitur Philocteta », omnibus ante sæculis verum fuit; « Non sauciabitur », falsum. Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enuntiationes nec veras, nec falsas esse dicunt; aut, quum id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius, veras esse ex contrariis[7] disjunctiones; sed quæ in his enuntiata
38 essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam, et miserabilem inscientiam disserendi[8]! Si

3. *Serpentis.* Alii a serpente ulceratum Philoctetem scribunt : alii cecidisse in ejus pedem sagittam hydræ cruore imbutam. Turn.

4. *Ratio igitur.* Scimus enim, cur in Lemno relictus sit, ex eventu. Turn.

5. *Necesse est enim.* In contradictione disjunctionum necessitas est : proinde pars altera vera, altera falsa est. Ea ratio erat Diodori. Turn.

6. *Invito Epicuro.* Semper mihi delenda videbantur duo illa vocabula « invito Epicuro », consideranti in primis ea, quæ sequuntur, « nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, etc. » Brem. — Delendum censet Bremius « invito Epicuro » : frustra. J. V. L.

7. *Ex contrariis.* Sauciabitur, aut, non sauciabitur Philoctetes, verum dicebant; nec tamen « sauciabitur », verum; nec « non sauciabitur », falsum. Turn.

8. *Inscientiam disserendi.* Sic nos, post Lambinum, edidimus. Mavult autem Bremi, *inscitiam*, atque suam lectionem vulgatam defendit : « Viri docti contendunt, substantivum illud *inscitia*, nihil designare quam *stultitiam*, auctore usi Festo, qui habent *inscitia*, i. e. *stultitia*. Quis vero non videt, id, quod Festus de certo quodam, quem in animo vel ante oculos habebat, loco asseruerit, viros doctos immerito ad omnes retulisse? Quidni enim *inscitia* recte idem significaret quod *inscientia*, sive etymologiam spectes, sive optimi cujusque usum. Ita Cicero de Natura Deorum I, 31. Si discrimen inter « inscitiam, inscientiamque » constituere velis, *inscitia* designabit defectum facultatis

Digitized by Google

enim aliquid in eloquendo nec verum, nec falsum[9] est, certe id verum non est. Quod autem verum non est, qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est, qui potest non verum esse? Tenebitur ergo id, quod a Chrysippo defenditur, omnem enuntiationem aut veram, aut falsam esse : ratio ipsa coget [10], et ex æternitate quædam vera esse, et ea non esse nexa causis æternis, et a fati necessitate esse libera.

XVII. Ac mihi quidem videtur, quum duæ sententiæ fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit [1]; altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii : Chrysippus, tamquam arbiter honorarius[2], medium ferire voluisse[3]; sed applicat se ad eos potius, 39

aliquid faciendi, *inscientia*, ignorantiam, imperitiam ».

9. *Nec verum, nec falsum est.* In Epicureos argumentatur, qui ista enuntiata nec vera, nec falsa dicebant. Nam quod nec verum, nec falsum est, verum non est : quod verum non est, id falsum est. Turn.

10. *Ratio ipsa coget.* Duplex est hujus enuntiationis significatio in Cicerone : aut significat « ex disciplina vestra », quod parum latine dicitur, « ex systemate vestro hoc sequitur ». Ita de Finibus, II, 20. Barm.

XVII. 1. *Empedocles, Aristoteles fuit.* De Democrito quidem, Heraclito et Empedocle res constat. Vide Plutarch. de Plac. Philos. lib. I, capp. 25, 26, 27. Quin et Aristotelem τῇ τῆς εἱμαρμένης ἀνάγκῃ παραδεδωκέναι τὴν τῶν μετὰ Σελήνην ἐπιτροπείαν, tradit Theodoretus Therap. VI, pag. 86. Attamen ἡγεῖται Ἀριστοτέλης οὐ πάντα καθ' εἱμαρμένην παραγίνεσθαι, ἀλλά τι καὶ ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις εἶναι, ὧν ὑπάρχειν μὲν τὸ ἑκούσιον, ut docet auctor vitæ Homericæ, inter Opuscula Galeana, pag. 336. Dav.

2. *Arbiter honorarius.* Is est quem litigantes honoris causa delegerunt disceptatorem controversiæ suæ, æque ac ab honore prætoris jus prætorium honorarium dicitur. Sic Cic. in Tusc. V, 41 : « Quorum controversiam solebat tamquam honorarius arbiter judicare Carneades ». Sic pro Cæcina, cap. 2 : « honorariam et domesticam amici operam » arbitrium appellat. Turn.

3. *Medium ferire voluisse.* Ita editur post Victorium, quum antea legeretur : « medium se ferre voluisse ». MSS plerique habent « medium ferre ». Putant interpp. « medium ferire » esse locutionem græcam, μέσον τέμνειν, et significare « mediam quamdam sequi sententiam » : quod negat Hottingerus

Digitized by Google

qui necessitate motus animos liberatos volunt. Dum autem verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. Atque hoc, si placet, quale sit videamus in assensionibus, quas prima oratione tractavi[4]. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici, et necessitate dicebant. Qui autem ab his dissentiebant, fato assensiones liberabant, negabantque, fato assensionibus adhibito, necessitatem ab his posse removeri; iique ita disserebant: Si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente: et, si appetitus[5], illa etiam, quæ appetitum se-

vir eruditissimus. Liceat tamen hæc addere: Videtur illud μέσον τέμνειν proverbialis quædam apud Græcos fuisse locutio, in quibus, ut solet, diuturnitate temporis propria vis et ellipsis perit, significatio tantum permanet. Quam locutionem si quis Romanus latine vertere voluit, fortasse ille item formulam quamdam proverbii similem eligere potuit, etsi ab alia re petitam, v. c. de scopo. Præterea quo alio modo vertere potuisset græcam illam locutionem romanus scriptor, nisi eam prorsus mutasset? Mihi sane improbabile non est, Ciceronem ipsum hoc quod dicit, ex græco fonte hausisse, in quo erat μέσον τέμνειν. Brem.

4. *Quas prima oratione tractavi.* Hunc locum quomodo intellexerint viri docti, quidque ex eo probare conati sint, ad initium libelli dixi. Diffiteri tamen non possum, mihi eum de mendo suspectum esse. Si enim Cicero jam ab initio orationis suæ assensiones tractavit, qua de causa hic repetit? Quidni ita potius dixisset? « Atque hoc quale sit vidimus in assensionibus; quas prima oratione tractavi ». Quod si enim Cicero prima oratione assensiones tractasset, illa ipsa, quæ hic proponit, præcipua fuisset tractationis pars. Repetere autem eadem Ciceronem, quis juro credat? Quamquam enim Cicero a repetitionibus non prorsus sit immunis, tamen in eodem libro, consulto et data opera nemo vel mediocris scriptor id, quod haud ita multo ante dixerat, repetet, legentium memoriæ tantum certe tribuens, ut tenere ea possit, quæ modo exceperat. Hujus autem generis hæc nostra foret repetitio meo quidem sensu Cicerone indignissima. Lenissima mutatione legendum videtur: « quas prima oratione tractavit » sc. Chrysippus. Verisimile est, immo pro certo potest haberi, Ciceronem, quum varias illas Græcorum sententias proferre inceperit, libri illius mentionem fecisse, in quo Chrysippus de Fato disputabat. Hoc igitur loco Cicero diceret, *prima* illius libri *parte*, orationis fortasse speciem habentis, Chrysippum assensiones tractasse. Brem. — Vide quæ in præfatione diximus, de his vocibus *prima oratione*.

5. *Et, si appetitus, illa etiam, quæ appetitum sequuntur.* Appetitio, quæ ὁρμὴ dicitur, qua, quod ad naturam suam accommodatum est, expetunt animantes: ut res perspicuas approbant. Tuam.

Digitized by Google

quuntur[6]. Ergo etiam assensiones. At, si causa appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. Quod si ita est, ne illa quidem, quæ appetitu efficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur, ut nec laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia. Quod quum vitiosum sit, probabiliter concludi putant, non omnia fato fieri, quæcumque fiant.

XVIII. Chrysippus autem quum et necessitatem 41
improbaret, et nihil vellet sine præpositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat, et retineat fatum[1]. Causarum enim, inquit, aliæ sunt perfectæ et principales; aliæ adjuvantes et proximæ. Quamobrem quum dicimus, omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intelligi volumus, causis perfectis et principalibus, sed causis adjuvantibus antecedentibus et proximis. Itaque illi rationi, quam paullo ante conclusi[2], sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut ommia causis fiant antepositis; verum non principalibus et perfectis, sed adjuvantibus et proximis. Quæ si ipsæ non sint in nostra potestate, non sequitur, ut ne appetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut, quum hæ causæ non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. Quamobrem qui 42

6. *Quæ appetitum sequuntur.* Id est, actiones. Turn.

XVIII. 1. *Ut et necessitatem effugiat, et retineat fatum.* Reperiuntur apud Agellium, libro VI, cap. 2, ratiocinationes quibus utebatur Chrysippus, ut retineret fatum et tamen necessitatem effugeret. Hoc caput eo pretiosius est, quod Agellius, prinsquam opus suum aggrederetur, ipsa opera Chrysippi sub oculis habuisse videtur. Illud igitur caput confer, et inf. not. 5.

2. *Paullo ante conclusi.* Ea est, si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente. Turn.

Digitized by Google

ita fatum introducunt, ut necessitatem adjungant, in eos[3] valebit illa conclusio; qui autem causas antecedentes non dicent perfectas, neque principales, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur assensiones fieri causis antepositis, id quale sit, facile a se explicari putant. Nam quamquam assensio non possit fieri, nisi commota viso[4]: tamen, quum id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem (ut Chrysippus vult), quam dudum diximus, non, ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata (necesse est enim, assensionem viso commoveri), sed revertitur[5] ad cylindrum, et ad turbinem suum, quæ moveri incipere, nisi pulsa[6], non possunt; id autem quum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi, et versari turbinem putat.

43 XIX. Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit: sic visum objectum imprimet illud quidem, et quasi signabit in animo[1] suam speciem, sed assensio nostra erit in potestate; eaque, quemadmodum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente[2], fal-

3. *In eos valebit.* Non in Chrysippum.

4. *Commota viso.* Visum antecedit approbationem: visis enim perspicuis credimus et assentimur. Sic autem interpretari solet φαντασίαν Cicero. T.

5. *Sed revertitur.* Agellius, libro VI, cap. 2, istam Chrysippi sententiam explicat et laudat. Alexander in libro de Fato damnare videtur. Sententia est, ut cylindrus ab impulsione externa principium motus habet, reliquum a sua mobilitate: sic in approbationibus principium est ab objecta extrinsecus specie, reliquum ab animi libero motu. Turn.

6. *Nisi pulsa.* Notanda est vis verbi simplicis pro composito *impulsa*, Ciceroni interdum usurpata, etiam de rebus externis, quæ sensus feriunt v. c. Acadd. Disputt. II, 10; Bruto, c. 54.

XIX. 1. *Et quasi signabit in animo.* Ductum ab annulis signatoriis speciem in cera signantibus. Diogenes Laertius, VII, 45. Turn.

2. *Sine causa antecedente.* Quamquam non necessaria, sed præcurrente. Turn.

Digitized by Google

sum esset, omnia fato fieri : sin omnibus, quæcumque fiunt, verisimile est causam antecedere; quid afferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intelligatur, quæ sit causarum distinctio[3] ac dissimilitudo. Hæc quum ita sint[4] a Chrysippo explicata, si illi, qui negant assensiones fato fieri, fateantur tamen, eas non sine viso antecedente fieri[5]; alia ratio est. Sed si concedunt, anteire visa, nec tamen fato fieri assensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat assensionem : vide, ne idem dicant. Neque enim Chrysippus concedens, assensionis proximam et continentem causam esse in viso positam, neque eam causam ad assentiendum[6] necessariam esse, concedet, 44

3. *Distinctio.* Ut quædam perfectæ sint et principales, αὐτοτελῆ καὶ κύρια αἴτια : quædam adjuvantes, συναίτια, ex quibus fatum texitur. Turn.

4. *Hæc quum ita sint.* Sic disceptat controversiam Chrysippi fatum ex præcurrentibus causis et non necessariis nectentis, voluntatisque libertatem retinentis, et eorum qui fatum negant, ut eos verbis, non re dissidere docest: quod consequitur, explicata utriusque sententia. Turn.

5. *Fateantur tamen, eas non sine viso antecedente fieri.* Ita vulgo legitur, sensu prorsus absurdo. Quo modo enim Cicero dicere potest, eos, qui assensiones non sine viso antecedente fieri fateantur, aliud affirmare, quam Chrysippum, quum postea eadem illos revera dicere contendat? Adde quod huic absurditati altera accedit haud minor, quum Cicero sic pergat « sed si concedunt anteire visa », enuntiatione idem prorsus significante, quam tamen contrariam illi esse oporteat. Hæc videns Lambinus, probante Davisio et in textum recipiente, particulam negativam delendam censuit. At ne illud quidem verum esse poterit. Verbum enim *fateantur* nullo modo aptum est. Hoc enim illis non fatendum, sed affirmandum est. Nec usquam ista significatione adhibitum illud verbum invenies. — Si illi, qui concedunt assensionibus visa anteire, idem dicunt re ipsa, quod Chrysippus dicit, eorum non nisi alia ratio esse potest, qui hoc non concedunt. Solus igitur iste sensus erit restituendus, quem habebis si ita legas : « non fateantur, eas nonnisi viso antecedente fieri ». Tum sensus is erit, qui requiritur. *Non sine* mutavi in *non nisi*, quamquam ne alterum quidem prorsus damnare ausim. Barm.

6. *Neque eam causam ad assentiendum.* Vulgo particula *neque* omnino est a Turnebo, Lambino, atque Davisio deleta. Ego non ausus sum, eam prorsus delere, quod Cicero oblitus esse potuit, se eamdem jam ab initio periodi posuisse, nunc demum disjunctionis particulam addens, quæ rectissime et proprie hic per se locum habet. Barm.

Digitized by Google

ut, si omnia fato fiant, omnia fiant causis antecedentibus et necessariis; itemque illi[7], qui ab hoc dissentiunt, confitentes non fieri assensiones sine præcursione visorum, dicent, si omnia fato fierent ejusmodi, ut nihil fieret, nisi prægressione causæ, confitendum esse, fato fieri omnia: ex quo facile intellectu est, quoniam utrique, patefacta atque explicata sententia sua, ad eumdem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. Omninoque quum hæc sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, quum hæ causæ antegressæ sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorum causæ fuerint; quibusdam autem in rebus, causis antegressis, in nostra tamen esse potestate, ut aliud aliter eveniat[8]: hanc distinctionem utrique approbant; sed alteri censent, quibus in rebus quum causæ antecesserint, ita, ut non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, illas fato[9] fieri;

7. *Itemque illi.* Haud scio quid acciderit Lambino, ut *neque* pro *itemque* censuerit legendum. Paullo enim accuratior loci disquisitio vulgatum non nisi verum esse posse ostendet. Vult Cicero hic quoque ostendere, eos, qui fateantur visa assensionibus præcedere idem revera sentire, quod Chrysippus, idque ita probat. Chrysippus, fato fieri omnia dicit, etiamsi non omnia causis necessariis fieri concedat: qui autem dicunt assensionem non fieri sine præcursione visorum, causas quidem antecedere concedunt, verum non necessarias: ergo hac in re cum Chrysippo conveniunt. Quod si igitur Chrysippus ita contendit omnia fato fieri, ut non omnia causis necessariis fiant, possunt illi et debent concedere, hoc sensu omnia fato fieri. Hunc unice verum esse sensum, ea etiam demonstrant, quæ statim sequuntur: « ex quo facile intellectu est, quoniam utrique patefacta atque explicata sententia sua, ad eumdem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere ». Brem.

8. *Ut illud aliter eveniat.* Ita edidi ex conjectura, quam confirmatam inveni cod. Guelph. auctoritate. Vulgo pro *illud* legitur *aliud*, sensu prorsus absurdo. Loquitur Cicero de duplici causarum, quæ rem antecedere possunt, genere. Antegressis alteris non est in nostra potestate, ut aliter res eveniat, alteris vero antegressis, nostrum est, an rem illam sequi velimus. Patet ex his, *aliud* omni sensu carere. Brem.

9. *Illas fato fieri.* Disputatio de vocabulo est, quid fatum sit. Nam hi, qui fato omnia fieri negant, fatum tantum ponunt in principalibus et necessariis causis: quæ quidem fati vera

Digitized by Google

quæ autem in nostra potestate sint, ab his[10] fatum abesse[11]***.

XX. Hoc modo hanc causam disceptari oportet, 46
non ab atomis errantibus[1], et de via declinantibus præsidium petere. Declinat, inquit[2], atomus. Primum cur? Aliam quamdam vim motus habebunt a Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat; a te, Epicure, gravitatis et ponderis. Quæ ergo nova causa in natura est, quæ declinet atomum[3]? aut num sortiuntur inter se, quæ declinet, quæ non? aut cur minimo[4] declinent intervallo, majore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus[5], aut tribus? Optare hoc[6] quidem est, non disputare. Nam neque 47
extrinsecus impulsam atomum loco moveri, et declinare dicis; neque in illo inani, per quod feratur atomus, quidquam fuisse causæ, cur ea non e[7] regione ferretur: nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum

est notio, cui vim affert Chrysippus, ut aliquid in nostra potestate relinquat: nam contra omnium sententiam fatum necessitate liberat, et in prægressione causarum adjuvantium ponit. In quo ab Alexandro reprehenditur. Turn.

10. *Ab his fatum*. In quibus tamen a Chrysippo etiam fatum ponitur. Docuit ergo paullo ante Cicero Chrysippum, dum aliquid in nostra potestate relinquit, in eorum sententiam esse delapsum qui omnia fato fieri negant. Mox Epicurum dicet fatum sine necessitate sequi potius debuisse, quam commentitios motus afferre. Nam ita defendere posset quemdam esse animi motum voluntarium, si in fato necessitas nulla esset. Turn.

11. *Abesse*. Hic quædam merito deesse censentur. Brem.

XX. 1. *Errantibus*. Id est, non recte cadentibus in præceps. Turn.

2. *Inquit*. Scilicet Epicurus. Turn.

3. *Quæ declinet atomum*. Haud dubie hic *declinare* significatione transitiva adhibetur, « facere ut alteram declinet ». Cujus usus quamquam in hoc verbo nullum præter hoc scio apud Ciceronem exemplum, aliorum tamen multorum in Cicerone ejus generis vocabulorum usus et hujus ipsius apud alios scriptores, ut apud Livium, I, 28, etc. me movet, ut plane nihil mutandum censeam. Brem.

4. *Minimo*. Quod appellavit Epicurus, ut ait antea Cicero, ἐλάχιστον.

5. *Duobus*. Minimis intervallis.

6. *Optare hoc*. Voluntatis alicujus et optati potius hoc esse videtur, quam disputationis et doctrinæ. Cicero in Lucullo, cap. 38: « Somnia censet hæc esse Democriti non docentis, sed optantis ». Et Tuscul. II, 12: « Optare hoc quidem est, non docere ».

7. *E regione*. Id est, ad lineam.

Digitized by Google

est[8], quamobrem naturalem sui ponderis motum non teneret. Ita quum attulisset nullam causam, quæ istam declinationem efficeret: tamen aliquid sibi dicere videtur; quum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant. Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem et vim omnium rerum, sustulisseque motus animi voluntarios, quam hic, qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commentitias declinationes confugisset. Nam, ut essent atomi, quas quidem esse, mihi probari nullo modo potest: tamen declinationes istæ numquam explicarentur. Nam si atomis[9], ut gravitate ferantur, tributum est necessitate naturæ, quod omne pondus, nulla re impediente, moveatur et feratur necesse est: illud quoque necesse est, declinare quibusdam atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter[10]***.

Multa desunt.

8. *Nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est.* Davisius legendum censet *factum esse*, quia hæc quoque pendeant e verbo *dicis*. Sed Cicero subito orationem obliquam mutat in rectam, ut sæpe. Ita Orat. cap. 31, fin; de Finib. lib. I, cap. 9; Tuscul. Dispp. IV, 10. Barm.

9. *Nam si atomis.* Ut gravitatis et ponderis motus in atomis necessarius est, ita declinationis motus. Ex quo evenit, ut, quo commento fatum se depulsurum putavit Epicurus, eo imprudens fatum constituat. Necessarium esse motum ponderis non potest inficias ire, nisi suorum convellat principiorum motum perpetuum, qui si non esset necessarius, non debuit excogitare declinationem ad fati depulsionem. Turn.

10. *Declinare q. atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter.* In fine non minus quam in reliquis partibus mancus et mutilus est hicce liber. Ex eo tamen fragmenta quædam servant tenuia, Agell. Noct. Attic. lib. XVII, cap. 2, et Macrobius, Saturnal. lib. II, cap. 12. Nec aliunde, nisi fallor, hausta sunt ea, quæ Servius habet, Virg. Æn. III, 376. Dav.

Digitized by Google

TABULA

RERUM

QUÆ IN CICERONIS TERTIÆ PARTIS QUARTO VOLUMINE CONTINENTUR.

Novi editoris Præmonitio IX
Friderici Creuzeri Præfatio XI
Index apparatus critici XVII
Ex Ernesti Præfatione ad libros Ciceronis philosophos XXII
Tabula chronologica græcorum philosophorum, de quibus mentio fit apud Ciceronem de Natura Deorum XXIV

DE NATURA DEORUM.

Argumentum libri primi 3
M. T. Ciceronis de Natura Deorum, ad M. Junium Brutum, liber primus 7
Argumentum libri secundi 105
M. T. Ciceronis de Natura Deorum, ad M. Junium Brutum, liber secundus 107
Argumentum libri tertii 259
M. T. Ciceronis de Natura Deorum, ad M. Junium Brutum, liber tertius 261
Excursus I 369
Excursus II 371
Excursus III 375

Digitized by Google

Excursus IV 378
Excursus V 379

DE DIVINATIONE.

Novi editoris Præfatio 385
Argumentum libri primi 403
M. T. Ciceronis de Divinatione liber primus 405
Argumentum libri secundi 537
M. T. Ciceronis de Divinatione liber secundus 539

DE FATO.

Novi editoris Præfatio 663
M. T. Ciceronis de Fato liber singularis 677

FINIS QUARTI VOLUMINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google